BENEDICTI XIV.
PONT. OPT. MAX.
OLIM
PROSPERI CARDINALIS
DE LAMBERTINIS
OPERA OMNIA
IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA:

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Pluribusque aliis luculentissimis Accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.

TOMUS TERTIUS
CONTINENS

DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBRUM TERTIUM, ATQUE APPENDICES AD EUM PERTINENTES.







VENETIIS
MDCCLXXXVIII.

Sumptibus { JOSEPHI REMONDINI, ANTONII ZATTÆ, } & Filiorum.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.





INDEX CAPITUM HUJUS LIBRI TERTII.

Caput Primum.

De Testibus de auditu in Causis antiquis Beatificationis, & Canonizationis, Pag. 1

Caput Secundum.

De Testibus singularibus in Causis Beatificationis, & Canonizationis, 4

Caput Tertium.

De sententia Congregationis Sacrorum Rituum, & præsenti Sedis Apostolicæ praxi quoad Testes de auditu in Causis Beatificationis, & Canonizationis super examine Virtutum, aut Miraculorum in specie. 6

Caput Quartum.

De sententia Congregationis Sacrorum Rituum, & de præsenti Sedis Apostolicæ praxi quoad Testes de auditu, cum agitur de miraculis, & quoad Testes singulares, quando agitur de Virtutibus, aut de Miraculis in Causis Beatificationis, & Canonizationis. 13

Caput Quintum.

De numero Testium in Causis Beatificationis, & Canonizationis adhibendorum. 16

Caput Sextum.

De qualitate Testium in Causis Beatificationis, & Canonizationis adhibendorum. 19

Caput Septimum.

De Confessariis, & Medicis, quorum attestationes excipiuntur in Judicio Beatificationis, & Canonizationis, & de nonnullis aliis rebus ad Testes pertinentibus. 24

Caput Octavum.

De Historiis; quam scilicet probationem constituant in Judicio Beatificationis, & Canonizationis. 27

Caput Nonum.

In quo nonnullæ explicantur, & resolvuntur controversiæ ad eamdem Historiarum materiam pertinentes. 33

Caput Decimum.

In quo aliæ explicantur, & resolvuntur, controversiæ ad eamdem Historiarum materiam spectantes. 35

Caput Undecimum.

De Martyrio; & primum de Persecutore, seu Tyranno. 41

Caput Duodecimum.

De pœna a Persecutore, seu Tyranno infligenda. 46

Caput Decimum Tertium.

De Causa Martirii quoad Persecutorem, seu Tyrannum. 50

Caput Decimum Quartum.

De modo, quo probari potest, Persecutorem, seu Tyrannum ex odio in Fidem motum fuisse ad mortem Martyri infligendam. 54

Caput Decimum Quintum.

De requisitis in Martyre necessariis ante Martyrium. 58

Caput Decimum Sextum.

De Martyrii desiderio, ejus acceptione, spontanea ad ipsum oblatione, & fuga, urgente persecutione. 64

Caput Decimum Septimum.

De provocatione Tyranni. 70

Caput Decimum Octavum.

De Martyris repugnantia, ut mortem sibi inferendam evadat, & de necessaria Martyri patientia, atque in Fide, & de voluntate moriendi pro Fide constantia usque ad obitum, necnon in ipso obitu. 72

Caput Decimum Nonum.

De causa Martyrii ex parte Martyris. 83

Caput Vigesimum.

De falsis Martyribus Hæreticorum, & Schismaticorum. 88

Caput Vigesimum Primum.

De Virtute heroica. 94

Caput Vigesimum Secundum.

In quo proponuntur, & explicantur nonnullæ quæstiones ad heroicitatem Virtutum pertinentes. 101

Caput Vigesimum Tertium.

De Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, & Charitate, & heroicitate uniuscujusque ex iisdem. 106

Caput Vigesimum Quartum.

De Virtutibus Cardinalibus, seu Moralibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, Temperantia, & earum annexis, & de heroicitate uniuscujusque ex ipsis. 115

Caput Vigesimum Quintum.

De Oratione, & ejusdem speciebus, & ejus necessitate, in Dei Servis Beatificandis, & Canonizandis. 125

Caput Vigesimum Sextum.

De mentali Oratione, triplici vita, activa, contemplativa; & mixta, statibus incipientium, proficientium, & perfectorum, & aliis nonnullis ad Orationem vocalem, & mentalem pertinentibus. 133

Caput Vigesimum Septimum.

De Sacramentorum frequentia, Pœnitentiæ videlicet, & Eucharistiæ, in Servis Dei Beatificandis, & Canonizandis requisita. 137

Caput Vigesimum Octavum.

De Carnis, & Corporis mortificatione. 141

Caput Vigesimum Nonum.

De modo adhibendo in carnis, & corporis mortificatione. 147

Caput

Caput Trigesimum.

De inquisitione super ærumnis & tribulationibus Servorum Dei, de quorum Beatificatione, & Canonizatione tractatur. 151

Caput Trigesimum Primum.

De nonnullis particulariter advertendis quoad Dignitatum Ecclesiasticarum adeptionem in Causis Servorum Dei, qui eas, dum viverent, obtinuerunt. 160

Caput Trigesimum Secundum.

De nonnullis in Causis Servorum Dei, qui Summi Pontifices fuerunt, specialiter advertendis post adeptum Summum Pontificatum, & regimen universalis Ecclesiæ assumptum. 165

Caput Trigesimum Tertium.

De nonnullis in Causis Servorum Dei, qui fuerunt Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, advertendis post adeptam Cardinalatus Dignitatem. 169

Caput Trigesimum Quartum.

De iis, quæ in Causis Servorum Dei, qui Episcopi fuerunt, advertenda sunt post adeptam Episcopatus Digoiratem. 177

Caput Trigesimum Quintum.

De nonnullis advertendis in Causis Servorum Dei Ecclesiasticorum in inferiori gradu constitutorum, & ignantes Regularium, dum de eorum Beatificatione, & Canonizatione tractatur. 187

Caput Trigesimum Sextum.

De advertendis in Causis Laicorum, & præcipue eorum, qui Imperatores, Reges, aut Supremi Principes fuerunt, dum de eorum Virtutibus agitur in Sacrorum Rituum Congregatione Beatificationis, & Canonizationis gratia. 193

Caput Trigesimum Septimum.

De advertendis in Causis Virginum, Conjugatorum, Viduarum, atque Peregrinorum. 200

Caput Trigesimum Octavum.

De Obitu Servorum Dei, de quorum agitur Beatificatione, & Canonizatione. 204

Caput Trigesimum Nonum.

De ponderandis a Fidei Promotore, & a Consultoribus Sacræ Congregationis, cum Dubium proponitur, & disputatur de virtutum heroicitate, & signanter de peccatis, quæ aliquando occurrunt in perscrutanda serie Vitæ Servorum Dei. 212

Caput Quadragesimum.

De nota jactantiæ & vanæ gloriæ, de qua sæpe disputandum occurrit in examine Virtutum Servorum Dei. 216

Caput Quadragesimum Primum.

De nonnullis aliis rebus, de quibus in examine Causarum Servorum Dei frequens se offert occasio disputandi, de nonnullis regulis adhibendis, ut tutum de gestis a Dei Servis feratur judicium, & de quibusdam extraordinariis actionibus, quæ a speciali Dei impulsu factæ asseruntur. 221

Caput Quadragesimum Secundum.

De gratia gratis data. 229

Caput Quadragesimum Tertium.

De Sermone Sapientiæ, & de Sermone Scientiæ, Gratia gratis datis. 231

Caput Quadragesimum Quartum.

De Gratiis gratis datis Fidei, Sanitatum, & operationis Virtutum. 234

Caput Quadragesimum Quintum.

De Gratia gratis data Prophetiæ. 236

Caput Quadragesimum Sextum.

In quo dicta in Capite præcedenti confirmantur, & nonnullis, quæ proponi possunt, difficultatibus respondetur. 241

Caput Quadragesimum Septimum.

De Gratia gratis data Prophetiæ quod attinet ad Causas Beatificationis & Canonizationis. 244

Caput Quadragesimum Octavum.

De Gratiis gratis datis Discretionis Spirituum, Generum Linguarum, & Interpretationis Sermonum. 248

Caput Quadragesimum Nonum.

De mentis Excessu, Ecstasi, & Raptu. 251

Caput Quinquagesimum.

De Visionibus, & Apparitionibus. 259

Caput Quinquagesimum Primum.

De discernendis Visionibus, & Apparitionibus. 265

Caput Quinquagesimum Secundum.

De Visionibus, & Apparitionibus quoad Causas Beatificationis, & Canonizationis. 269

Caput Ultimum.

De Revelationibus. 272



DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE

LIBER TERTIUS.



UM in præcedenti libro exposuerimus omnia, quæ ad signaturam Commissionis, ad non cultum, ad casum exceptum a decretis Urbani VIII. ad operum revisionem, & ad validitatem processuum pertinent; rectus ordo exposcit, ut in præsenti libro de probationibus, de Martyrio, de virtutibus, ac de gratiis gratis datis sermo instituatur.

Quapropter, initio ducto a probationibus; primum sibi vindicat locum probatio, quæ fit per testes. Porro, si omnia, quæ de testibus dici possunt, hic essent inferenda, nedum transcribendi forent omnes libri Jurisconsultorum, qui de testibus scripserunt, sed etiam multa vulgaria, & quæ unicuique, qui vix jurisprudentiam e limine salutarit, nota sunt, nostrum hoc opus replerent. Quæ omnia, ut uno ictu avertantur, operæ pretium esse censemus, in præsenti tractare solum de his, quæ ut plurimum in examine causarum Beatificationis & Canonizationis contingere possunt, quod videlicet attinet ad testes, qui in eis adhibentur.

Quia vero, ut plurium annorum experientia cognovimus, tres potissimum sunt difficultates, quæ in examine dictarum causarum occurrunt, quarum prima est de auctoritate testium examinatorum auctoritate ordinaria, altera de testibus de auditu, ultima de testibus singularibus; prætermissa nunc prima ex dictis controversiis, utpote in secundo libro plene examinata, ad aliarum examen descendimus.

CAPUT PRIMUM.

De testibus de auditu in causis antiquis Beatificationis & Canonizationis.

1. COMMUNIS est Auctorum sententia, ceteris potiores esse testes de visu, sive res sit de virtutibus, sive de miraculis. Innocentius *in cap. Cum causam 37. de testib.* & Baldus *in l. Solam n. 1. vers. Innocentius autem*, ubi etiam Salicet. *n. 3. vers. Sed Innocentius*, Sicardus *n. 4. vers. Unde aliter C. de testib.* & alii cumulati apud Farinacc. *de testib. quæst. 70. cap. 3. n. 128.* ad quod etiam conferunt late tradita per Baron. *de corpore, ejusque partibus, tit. de oculis num. 3. & seqq.* Quam ad rem Plautus in Trucul. a. 2. sc. 6. v. 8.

Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt; qui vident, plane sciunt.

2. Oculorum siquidem testificatio rem facit physice evidentem testibus qui viderunt, & insimul facit moraliter in summo gradu evidentem Judicibus, qui non viderunt. Nam, cum de actionibus, ex quibus est probanda sanctitas, utpote particularibus & contingentibus, non possit dari major evidentia, quam vel physica, vel moralis, quemadmodum in teste qui aderat, non potuit dari evidentia major, quam physica, ita in Judice qui non vidit, non potest dari evidentia morali major, sed quæ immediate fundatur in evidentia physica testis qui vidit.

3. Hæc plana sunt, nec ulla quoad ea superest controversia. Controversia utique superest, an in hypothesi, in qua causæ Beatificationis & Canonizationis introducantur post lapsum multorum annorum a die obitus Servorum Dei, ita ut oculati testes deficiant, & soli reperiantur testes de auditu, probatio sufficiens in eorum dictis constitui possit tum in dubio virtutum, tum in dubio miraculorum.

4. Nonnulli adhærent opinioni quæ affirmat, ut Molphes. *cons. 46. num. 75.* Pignatell. *consult. 241. per tot. tom. 1. & consult. 42. num. 55. tom. 4.* Contelor. *de Canoniz. SS. cap. 14. n. 7. & 8.* Castellin. *de cert. glor. SS. in append. ad cap. 6. sect. 1. n. 2.* Rosa *in addit. ad tractat. de Executor. litter. Apostol. cap. 1. n. 225. & seqq.* de Rubeis *in dissertatione typis impressa* apud Mattam

tam *de Canonizat. SS. part. 4. cap. 24. num. 31.* Cui etiam sententiæ Rotæ Auditores plane adhæserunt in suis relationibus, quas exarabant, cum juxta alibi dicta examen causarum Beatificationis & Canonizationis ipsis committebatur sive ageretur de virtutibus, sive de miraculis; uti colligitur ex relatione in causa S. Cajetani *tit. de ortu, & Fide Servi Dei, sub init. tit. de Spe §. Reassumendo, tit. de Charitate in Deum,* in causa S. Joannis de Capistrano *tit. de ortu,* in causa S. Thomæ de Villanova *tit. de Charitate,* in causa S. Petri Regalati *tit. de fama, & communi opinione sanctitatis,* in causa S. Philippi Benitii *tit. pariter de fama sanctitatis,* in causa S. Andreæ Avellini *tit. de Charitate in proximum cap. 6. sub §. Hæc probari,* in causa S. Hyacinthi *cap. 3. vers. Quem item,* in causa B. Gregorii X. *tit. de sanctitate §. Secundum est, & in examine primi miraculi,* in causa S. Elisabeth *2. part. de sanctitate vitæ, & in examine quarti miraculi §. Quod & nos,* in causa S. Isidori Agricolæ *tit. de sanctitate vitæ,* in causa Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani *tit. de virtutibus Theologalibus,* & passim in aliis.

5. Porro, ne aliqua oriretur difficultas quoad temporis antiquitatem necessariam, ut testes de auditu tum in virtutibus, tum in miraculis admitti possent, cum antiquum tempus nonnulli constituant in lapsu centum annorum, teste Cardinali de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 4. disp. 20. art. 25. §. 4. num.* 1112. nonnulli in lapsu septuaginta annorum, ut apud Honded. *consil. 17. num. 59. lib. 3.* nonnulli denique in lapsu annorum sexaginta, juxta opinionem Rotæ quam testatur Farinacc. *de testib. quæst. 69. cap. 3. num. 125.* & sicuti colligitur ex *decis. 644. num. 2. part. 2. recent. decis. 213. num. 8. part. 9. tom. 1. recent.* & coram Seraphino *decis. 75. num. 2.* iidem Rotæ Auditores in relationibus causarum Canonizationis temporis antiquitatem constituerunt in lapsu annorum sexaginta; uti videri potest in relatione causæ S. Cajetani *tit. de ortu, & Fide Servi Dei, & de Spe, & fiducia in Deum in fin.* in relatione causæ S. Petri de Alcantara §. *Primum miraculum in vita,* in relatione S. Andreæ Avellini *cap. 6.* Cumque in causa Servæ Dei Joannæ de Cruce hanc eamdem opinionem secuti fuissent, delato examine relationis, ut moris erat, ad sacrorum rituum Congregationem, duo prodierunt decreta, & primum quidem die 19. Januarii 1630. *Quia in ultima præterita Congregatione habita pro causis Beatificationum de mense Septembris fuerat dilata discussio articuli circa ætatem testium ad probandum in antiquis, hodie ad relationem Illustrissimi Sanctæ Cæciliæ sacra Congregatio censuit, sufficere in testibus ætatem annorum sexaginta ad probandum in antiquis, reliqua vero in causa Ancillæ Dei Sororis Joannæ de Cruce fuerunt dilata ad aliam Congregationem.* Alterum decretum prodiit die 4. Maii eodem anno 1630. in hæc verba: *Eodem Illustrissimo Sanctæ Cæciliæ referente causam Ancillæ Dei Joannæ de Cruce alias propositam super virtutibus; stante resolutione jam facta per hanc sacram Congregationem, quod in antiquis sufficiat in testibus ætas annorum sexaginta, eadem sacra Congregatio respondit, constare de virtutibus in ordine ad Canonizationem.* Decreta. hæc prostant in regestis *pag. 23. & pag. 65.*

6. Sententia hæc autem non contemnendis innititur fundamentis, quorum primum est, quod in causis Beatificationis & Canonizationis proceditur de bono & æquo, nec agitur de ullius præjudicio; uti late docuerunt iidem Rotæ Auditores in relatione causæ S. Pii V. *tit. de processuum validit. §. Præter hæc; edita in tomo posthumo annalium Bzovii pag.* 1170. Quo admisso, rejiciendi non videntur testes de auditu, in causis præsertim antiquis. Præterquamquod plena quidem probatio in his causis est necessaria, sed plenissima non requiritur, juxta ea quæ habentur in relatione causæ S. Andreæ Corsini *part. 3. num. 3. edita apud Lezanam consult. 1.* Secundum fundamentum desumitur ex circumstantiis, & præsertim ex necessitate. Si enim propter temporis antiquitatem testes de visu reperiri non possunt, necessitas impellit ad testes de auditu: quamobrem S. Thomas *lib. 1. contra Gentiles cap. 3.* ait: *Non omnis veritatis manifestandæ modus est idem; disciplinati autem hominis est tantum de unoquoque fidem capere tentare, quantum natura rei permittit.* Licet autem ven. mem. Cardinalis Bellarminus in suo suffragio pro Canonizatione S. Franciscæ Romanæ, (quod in Appendicibus nostris legitur) docuerit, in his causis certissima debere esse documenta, *Neque enim ad hanc excellentiam satis est, ut coram Deo Sancti sint; sed oportet, ut certissimis documentis probetur, eos, dum viverent, veræ sanctitatis gloria aliis præluxisse, & in eadem sanctitate diem extremum clausisse:* non potuit tamen ab appellatione certissimorum documentorum excludere in causis antiquis testes de auditu, Nam in alio suffragio eodem loco typis impresso fecit pro Canonizatione S. Raymundi: *Quod vero ad S. Raymundum attinet, ego fretus diligentia gravissimorum Patrum, quibus hoc negotium commissum fuit, facile mihi persuadeo, de hujus viri innocentia vitæ, miraculorum gloria satis constare;* atque in hoc eodem suffragio se quoque retulit ad causam jam expeditam S. Hyacinthi; *Et eo magis in hanc sententiam adducor, quod S. Hyacinthum Sanctitas vestra paucis ante annis in numerum Sanctorum retulit;* etsi utraque causa tum S. Raymundi, tum S. Hyacinthi, propter antiquitatem, saltem in dubio virtutum, expedita fuerit per solos testes de auditu; uti colligitur ex relatione Rotæ Auditorum in causa S. Raymundi *part. 2. art. 1. vers. Hinc vero,* & ex relatione in causa S. Haycinthi *cap. 3. per tot.* Tertium denique fundamentum ex juris dispositione desumitur. Textus enim *in cap. Licet 47. de testib.* in quo propter temporis antiquitatem testes de auditu admittuntur, *Licet ex quadam necessitate præter communem formam olim fuerit institutum, in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valere testimonium de auditu, cum propter brevem hominum vitam testes de visu deponere non valerent usque ad gradum septimum computando;* quamvis a nonnullis ita fuerit intellectus & explicatus, ut ad alios casus præter eum qui in prædicta Decretali expressus est, extendi non possit; perinde quasi in ea aliquid statuatur exorbitans a jure communi, quemadmodum conatur ostendere Cardinalis de Lauræa *in 3. sent. tom. 4. disput. 20. art. 25. §. 4. num. 116. & seqq.* verior nihilominus receptiorque sententia est, quia ratio, cur haberi nequeat probatio directa, generalis est, consequenter allati textus dispositionem in omnes alias causas cadere, in quibus propter brevem hominum vitam testes de visu haberi non possunt; cum pro certo absolutoque haberi debeat, legem tot casus comprehendere, quot ratio complectitur, *l. Neque leges, l. Non possunt ff. de legibus, l. A Titio ff. de verb. obligat.* quod & pluribus prosequuntur Donell. *comment. lib. 1. cap. 14.* Barbosa *axiom. 197. num. 3.* Excobar. *de purit. sanguinis quæst. 9. §. 4. a num. 39. ad 43. & num. 48.* quodque procedit non ratione extensionis, sed ex proprio intellectu, & ratione comprehensionis, *l. Nominis 6. §. 1. ff. de verb. signific.*

7. Hanc scilicet opinionem docuerunt celebriores juris Pontificii Interpretes, ita ut de ejusdem veritate nullus suppetere videatur ambigendi locus: siquidem Joannes Andreas in *alleg. cap. Licet 47. num. 3. de testib.* inquit: *Et idem videtur in omnibus antiquis factis, de quibus testes non possunt haberi, ut valeat testimonium de auditu cum fama & adminiculis.*

Abbas *num. 3. Nota ibi propter brevem hominum vitam, & quod, ubi agitur de probando aliquid, quod hominis vita capere non potuit, ut puta, quia excedit tempus centum annorum, argumento l. finalis C. de sacros. eccles. admittitur testimonium de auditu auditus, quod tenet hic Joannes Andreas, & Ostiensis. Nam, licet iste textus loquatur de consanguinitate vel affinitate probanda, eadem tamen ratio est in aliis factis antiquis, de quibus testes haberi non possunt ad hoc, l. Si arbiter &c. nam lex non fundatur super impossibili.*

Felin. *ibi num. 1. Nota ibi propter brevem vitam hominum, quod, ubi agitur de probando aliquid, quod vita hominis capere non potest, quia forte excedit tempus centum annorum ... admittitur testimonium de auditu auditus .... quia, licet textus loquatur in casu suo, tamen eamdem rationem retinet in aliis factis antiquis, ubi testes haberi non possunt &c. nam lex non fundatur super impossibili.*

Ancharan. *ibid. n. 1. Et ex ratione juris antiqui collige, quod in casu, quo est impossibile testimonium de visu, sufficit de auditu, & idem de omnibus factis antiquis, de quibus testes non possunt haberi, ut valeat testimonium de auditu cum fama & adminiculis.*

Antonius a Butrio *num. 1. Nota, quod in re antiquata admittitur testimonium de auditu, cum aliud de facili haberi non potest; sic & admittitur testimonium de fama &c. Ex quibus datur pro regula, in antiquis factis in quacumque materia talem probationem sufficere.*

Ostiensis *sub num. 2. Valet similiter testimonium de auditu .... & idem videtur in antiquis factis, de quibus testes haberi non possunt, cum fama & aliis adminiculis.*

Joannes de Anan. *num. 1. Nota, quod in re valde antiqua admittitur testis de auditu.*

Bellam.

Bellam. *ibid. num. 2. Et idem videtur in omnibus factis antiquis, de quibus testes non possunt haberi, ut valeat testimonium de auditu cum fama & adminiculis.*

Fermosin. *ibid. quæst. 3. num. 12. Quare infero primo, quod, nisi multi existiment, testes de auditu tantum probare in his casibus expressis a canone, seu a lege .... tamen verius dicendum est, quod in factis tam antiquis memoriam hominum excedentibus admittatur testimonium de auditu non solum in uno, aut altero casu expressa juris, verum & in aliis non expressis, nisi expresse prohibitus reperiatur, ex ea, quia lex tot casus comprehendit, quot ratio amplectitur.*

Layman. *ibid. num. 5. Necessitas autem cogit, ut in quibusdam casibus admittantur testes de auditu, videlicet, si factum de quo quæritur, hominum qui vivunt, ætatem ac memoriam excedat.*

Piringh. *ad eum tit. Decretal. de testib. sect. 3. §. 1. num. 135. Similiter testes de auditu alieno, sive ex relatione ab aliis facta admittuntur primo, si deponatur super factis antiquis ætatem & memoriam hominum, qui de facto vivunt, excedentibus .... & colligitur ex cap. Licet 47. hoc tit. qui textus licet loquatur de consanguinitate & affinitate probanda, eadem tamen ratio est in aliis factis antiquis memoriam hominum excedentibus.* Quorum omnium tanti momenti Doctorum auctoritas sententiam procul dubio efficit constituitque communem, a qua consequenter in judicando recedi nequit, ut egregie animadvertit Auctor *lib. 2. de vocat. Gentium cap. 2.* inter opera S. Prosperi (licet huic quoque cum eruditioribus Criticis abjudicet, qui Prosperi opera novissime recensuit, D. Joannes Salinas) *Magna enim fortitudo est consensionis, cui ad sequendam veritatem auctoritas sufficit, etiam latente ratione.*

8. In cujus præterea sententiæ comprobationem animadverti posset, quod in aliis etiam casibus admittuntur testes de auditu; uti colligitur *ex cap. Præterea, de testib.* ubi: *Respondemus, quod, si testimonium conveniens de visu reddatur, vel etiam de auditu, & præsumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima adminicula suffragentur, standum est testimonio Juratorum*, ita ut consequenter non subsistat assumptum eorum, qui asserunt, dispositionem *capituli Licet, de consanguinit. & affinit.* esse exorbitantem a jure communi, ideoque ad alios casus præter eum, qui in Decretali expressus est, extendi non posse: multoque minus, quia a jure quoque Civili in aliquibus casibus statutum est, ut testibus de auditu deferatur; *in l. Si arbiter, ff. de probat. Sed, cum omnium hæc est opinio, nec audisse, nec vidisse, cum id opus fieret, usque ex his audisse, qui vidissent, aut audissent, & hoc infinite similiter sursum versum acciderit, tum memoriam operis facti non extare:* & *in l. In summa §. idem Labeo, ff. de aqua pluvia arcen. Nec utique necesse est superesse, qui meminerint; verum esse, qui audierint eos, qui memoria tenuerint.* Ex quibus antiquorum Jurisconsultorum responsis certum est desumi posse argumentum ad probandum, Constitutionem *capituli Licet* non esse Constitutionem particularem, & propterea non procedere solum in eo casu, sed & in omnibus aliis, in quibus propter antiquitatem temporis testes oculati haberi non possunt; *Sane, licet, sancta Ecclesia legum sæcularium non respuat famulatum, quæ æquitatis & justitiæ vestigia imitantur*, uti respondit Honorius III. *in cap. Super specula, de privileg. Quia vero sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur*, veluti prosequitur Lucius III. *in cap. Intelleximus, de novi oper. nunt.* Quin immo, cum deest dispositio Canonis, pro axiomate receptum est, ut ad leges Civiles confugiatur, ex statuto summi Pontificis Joannis VIII. relato apud Ivonem *in 3. part. Decreti cap. 98.*

9. Hucusque adducta illustrari possunt exemplis desumptis a primis, mediis, & ultimis temporibus. Apud Ruinart *in Act. Martyr. pag. 241.* de Martyrio S. Mauritii & sex millium Sociorum Legionis Thebææ hæc habentur ex S. Eucherio in prologo suæ epistolæ ad Salvium: *Misto ad Beatitudinem tuam nostrorum Martyrum Passionem; verebar enim, ne per incuriam tam gloriosi gesta Martyrii ab hominum memoria tempus aboleret. Porro ab idoneis Auctoribus rei ipsius veritatem quæsivi, ab his utique qui affirmabant, ab Episcopo Genavensi sancto Isaac hunc, quem retulit, Passionis ordinem cognovisse; qui credo, rursum hæc retro a beatissimo Episcopo Theodoro viro temporis anterioris acceperat.* Item de S. Genesii Martyrio hæc alia ex S. Paulino Episcopo Nolano habentur apud eumdem Ruinart *pag. 473. Sed, quoniam succedentes sibi per incertam vitæ tempus ætates tradere hæc in vicem memoriæ mutæ, quam mandare litteris, maluerunt: vel nunc oportet, eadem fidelibus scriptis in tempora secutura transmittere, ne ea quæ adhuc viva recordatione rerum, ut sunt gesta, referuntur; evanescente per tempus vel tradentium vel accipientium fide, fabulosa credantur.* Rursus Augustinus Anglorum Episcopus S. Gregorio Magno supplicavit, ut ad se Reliquias mitteret S. Sixti Martyris, quæ in quadam ecclesia recondi possent, ubi corpus ejusdem S. Sixti non satis sibi noti asservari dicebatur: petitioni autem Augustini sic a Gregorio responsum fuit, quemadmodum legitur (*tom. 2. oper. lib. 11. regist. epist. colum. 1157.*) *Fecimus, quod petisti; quatenus populus, qui in loco quondam Sancti Sixti Martyris corpus dixerunt venerari, quod tuæ Fraternitati nec verum, nec veraciter Sanctum videtur, certa sanctissimi & probatissimi Martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quia, si corpus quod a populo cujusdam Martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat, & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui, se a parentibus Passionis ejus ordinem audisse, fateantur, ita Reliquiæ, quas petisti, seorsum condendæ sunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari.* Suadent nempe hæc omnia, Martyrii probationem admissam fuisse, licet innixam testibus de auditu, & publicam venerationem dependenter (ut dicitur) ab iisdem testibus de auditu fuisse concessam.

10. Temporibus antiquioribus media tempora succedunt. Cumque ex alibi dictis, quæ fuerunt desumpta ex Bollandianis *ad diem 7. Maji pag. 257.* visum sit, etsi magna excitata fuerit controversia a Cardinali Reginaldo Episcopo Ostiensi in causa Canonizationis S. Stanislai Episcopi Cracoviensis propter defectum testium de visu, nihilominus causam prædictam ad suum finem & complementum fuisse perductam, nil clarius afferri posse videtur, ut probetur, in causis Canonizationis, deficientibus ob earum antiquitatem testibus de visu, momentum constitui posse in testibus de auditu. Alibi quoque visum est a Leone X. inter Beatos relatum fuisse Conradum Placentinum, & a Paulo III. Guillelmum Eremitam Siculum, nunc addo a Pio IV. Gundisalvum de Amarante Ordinis Prædicatorum; etsi in eorum omnium causis virtutes probatæ fuerint per testes de auditu. In causa quippe B. Conradi Dalmatius Episcopus Syracusanus testes de auditu examinaverat super sanctitate, atque aden ope processus sic confecti Jacobus de Humana Delegatus Apostolicus Beatitatis honores Conrado indulsit; uti videri potest apud Bollandianos *tom. 3. Februarii pag. 160. & seqq.* In causa B. Guillelmi Eremitæ Siculi post elapsos ab ejus obitu centum & quinquaginta annos auctoritate summi Pontificis Pauli III. processus confectus est, in eum insertis tantummodo testibus de auditu super virtutibus, quorum ope Judex Apostolicus Delegatus constare dixit de sanctitate, & publicos ei honores decrevit; uti videri potest apud eosdem Bollandianos *tom. 2. Aprilis a pag. 380. ad pag. 395.* In causa demum B. Gundisalvi de Amarante, qui mortuus erat anno 1259. processus confectus est circa annum 1560. & sane, quamvis in eo testes de visu super virtutibus nec adfuerint, nec adesse potuerint, Delegati nihilominus Apostolici cultum publicum eidem decreverunt; uti colligitur ex Constit. 70. Clementis X. *in Bullar. tom. 7.* & latius prosequitur Castillo *in historia S. Dominici part. 1. lib. 2. c. 63. pag. 305.*

11. Quod si insuper addatur, expeditas fuisse causas Canonizationis SS. Hyacinthi, Raymundi, Isidori, Elisabethæ Lusitanæ, Andreæ Corsini, Philippi Benitii, Cajetani, Laurentii Justiniani, Joannis a Capistrano, Catharinæ Bononiensis, Agnetis de Monte Politiano, Peregrini Latiosi, Joannis Nepomuceni cum solis testibus de auditu, quoad virtutes, & respective quoad Martyrium, non videtur amplius jure dubitari posse, an sufficiant testes de auditu in hypothesi, in qua propter temporis antiquitatem testes de visu haberi non potuerunt.

12. Si vero cum testibus de auditu, & de publica voce ac fama aliquis jungatur testis de visu, quotquot in causis antiquis docuerunt sufficere testes de auditu, potiori jure docent, plenam & sufficientem desumi probationem ex teste de visu conjuncto cum testibus de auditu; testis enim de visu, licet unicus, semiplenam dicitur facere probationem, quemadmodum docent Doctores *in cap. finali, de jurejurando*, & *in l. Admonendi, ff. eodem*: & semiplena quidem probatio orta ex uno teste de visu evadit plena probatio, si dictum testis de visu confirmetur a contestibus de auditu. Baldus *in l. Gallus, §. Ille casus, n. 3. ff de liberis, & posthumis*, ibique Alexander *n. 13.* Jason

n. 8. qui dicunt, doctrinam Baldi in praxi servendam esse, cum nullum habeat, qui contradicat; item Vivius *commun. opin. in verb. testis unicus*, n. 21. *vers. testis unus*; & in præsenti Canonizationis materia Auditores Rotæ in relatione S. Felicis a Cantalicio *tit. de abstinentia & jejunio in fin.* in relatione S. Andreæ Corsini typis impressa apud Lezanam *consult.* 1. n. 235. & late in relatione S. Francisci Xaverii *part.* 3. *de miraculis* §. 3. & in relatione S. Ignatii §. *Primum miraculum in fine*, & §. *Et licet*, *in secundo miraculo*: quod multo magis dixerunt sibi debere vindicare locum, si testes de auditu dicant, se audivisse ab his qui viderunt; uti desumitur ex dicta relatione §. 4. & *quatuor seqq.*

CAPUT SECUNDUM.

De Testibus singularibus in causis Beatificationis & Canonizationis.

1. CERTUM est, ex testibus *contestibus* plenam absolutamque probationem desumi, ut admittunt omnes, & alibi demonstrabitur. Difficultas ergo est quoad testes singulares non singularitate *obstativa* (ut nostri loquuntur) quæ testibus adimit fidem, sed singularitate *adminiculativa* vel *cumulativa*, aut *diversificativa*. Exemplum singularis *obstativæ* adest in testibus, qui de uno eodemque particulari actu deponunt, sed alter refert, peractum fuisse tali die & in tali loco, alius autem alio die & in alio loco: cumque dictum unius obstet dicto alterius, singularitas hæc *obstativa* adimit utrique fidem. Textus est *in can. Nihilominus* 3. *quæst.* 9. ubi sic legitur: *Nihilominus quoque puniendi sunt testes, qui ad calumniam aliquid testificantur; nec eorum voces tanquam plurium admittuntur, quos temporum quidem diversitas simul interfuisse prohibuit*. Exemplum singularitatis *adminiculativæ* seu *cumulativæ* desumitur ex testibus productis ad probandum actum non momentaneum, sed continuum; puta, si quis probare vellet, Missam fuisse ab Excommunicato celebratam, & unus testis deponeret de initio Missæ, alius de medio, tertius de fine. Exemplum denique singularitatis *diversificativæ* desumitur ex testibus, qui vel deponunt de actibus diversis, quorum unus alteri non obstat, puta, si aliquis deponat de furto, alius de homicidio, alius de adulterio, potest enim & idem homo esse fur, homicida, & adulter: vel si deponant de diversis actibus, sed qui ad unum quid generale determinatum referuntur, puta, si unus testis deponeret, se vidisse Titium furantem in uno loco, alius furantem in alio, & sic alii plures testarentur alia furta in aliis locis; vel si unus testis deponeret, se in tali loco audivisse Cajum *judaizantem*, alius vero se id ipsum ab eodem audivisse diceret alio tempore & alio loco, aliique testes eodem modo de aliis locis testarentur: hæc enim testium dicta, etsi furtum aut judaismum in tali determinato dicto, aut facto non probant, referuntur nihilominus ad habitum furandi aut *judaizandi*, & ideo ad aliquid generale & determinatum.

2. His præmissis, ut recto ordine procedamus, quæstione redacta ad testes singulares aut singularitate *adminiculativa*, aut *diversificativa*, non primo, sed secundo modo, juxta ea quæ antea dicta sunt, communis esse videtur Scriptorum opinio, ut, si in Civilibus agatur non de probando actu particulari, sed de probanda aliqua re generali, vel de probanda aliqua re quæ ex actibus successivis coalescit, testes singulares admittantur, & dictum unius conjungatur cum dicto alterius pro integranda probatione. Ita Glossa *in can. Nihilominus*, *v. simul.* 3. *quæst.* 3. & *in l. Ob carmen*, §. *Si testes*, *v. assistit*, *ff. de testib.* Baldus *in l.* 1. *sub n.* 14. *vers. In contrarium C. de testib.* & *in l. unica C. qui num. tut. vers. Tamen isti probarent*, & *in l. Actor*, *n.* 5. *C. de probat.* Innoc. *in cap. Qualiter & quando*, *n.* 2. *de accusat.* Felin. *in cap. Licet ex quadam*, *sub n.* 2. §. *Secundo limita &c. de testibus*, Aldobrandin. *consil.* 71. *a n.* 38. *ad* 43. *lib.* 1. Calderin. *consil.* 1. *de testib.* Geminian. *consil.* 117. *n.* 1. & *seq.* Bald. *consil.* 438. *n.* 7. *lib.* 5. Ancharan. *consil.* 277. *n.* 8. Castren. *consil.* 51. *n.* 2. *vers. Non obstat, quod dicitur de singularitate lib.* 2. Castiglion. *consil.* 21. *n.* 6. *vers. Tamen dicti testes &c.* & *vers. Non obstat. &c.* Alexand. *consil.* 92. *n.* 20. *vers. Si ad probandam &c.* Dec. *consil.* 650. *n.* 11. Cravett. *consil.* 73. *n.* 33. & *seqq.* Gabriel. *de testib. conclus.* 2. *n.* 23. & *seqq.* & *n.* 33. & *seqq.* Farin. *eod. tract. quæst.* 64. *n.* 159. Gratian. *tom.* 4. *discept.* 738. *n.* 52. ubi: *Et quamvis testes sint singulares, tamen ad probandam sævitiam sufficiunt & plene probant, quia tunc agitur de probando habitu quodam hominis successivo, & tractatur de tali habitu in genere, quo casu singularitas testium admittitur, cum contraria procedant, quando ageretur de probanda certa specie & certo actu sævitiæ*; Rota *decis.* 338. *n.* 4. coram Celso ubi: *Minus obstat, quod testes sint singulares; quia, cum agatur de probando quid in genere, nempe non delationem habitus Clericalis, resultantem ex actibus particularibus, etiam testes singulares sufficiunt*; *decis.* 150. *n.* 16. coram Priolo, ubi: *Nec refert, quod aliqui ex testibus, ex quibus facta memorata recensentur, sint singulares; quia, cum agatur de probanda sævitia, non ex unico actu speciali, sed in pluribus in genere admittuntur testes etiam singulares, & alias inhabiles*, *dec.* 1385. *n.* 2. & *seqq.* coram Coccino, ubi: *Et hi quidem testes satis probant ... nam, licet sint singulares, & testes singulares regulariter non probent, tamen secus est in hoc casu, in quo agitur de probando in genere non delationem habitus, quæ resultat ex actibus particularibus*; *dec.* 2011. *n.* 57. *cum duobus seqq.* coram eodem Coccino; & *dec.* 311. *n.* 8. *part.* 1. *recent.* ubi: *Nec obstat, quod supradicti testes Archiepiscopi sint singulares, cum unusquisque deponant de locis diversis; quia, cum agatur de probanda possessione in genere, quæ resultat ex actibus particularibus, probatio per testes singulares sufficit*; *dec.* 588. *n.* 25. *par.* 5. *tom.* 2. ubi: *Quæ etsi probentur ex testibus singularibus, nihilominus, cum non agatur de probandis illis actibus particularibus, sed id quod resultat ex illis, videlicet voluntas testatoris, bene suffragantur*; *dec.* 314. *n.* 16. & *seq. part.* 6. ubi: *Non obstat, quod aliqui ex deductis testibus sint singulares; quoniam, quando non agitur de probando certo actu speciali, sed in genere probandum est id quod resultat ex actibus specialibus, prout est filiatio, & filiationis tractatus, ad concludendam hanc generalitatem admittuntur etiam testes singulares deponentes de illis actibus, ex quibus generalitas resultat, & simul junguntur ad plenam probationem constituendam*; & *dec.* 52. *n.* 7. *part.* 15. ubi: *Tunc autem dicta testium jungi possunt, quando ageretur de probando quid in genere, quod contineret in se temporis perseverantiam & diversitatem actuum; veluti, si testes vellent probare jurisdictionem, servitutem, possessionem, vel simile: hoc enim casu varietas temporum & actuum non diversificat id, de quo substantialiter quæritur.*

3. In criminalibus quoque, si agatur de probandis moribus vel qualitatibus alicujus personæ quoad habitum vitiosum & usum delinquendi, testes singulares admittuntur & probant, licet unus de uno actu, alius de alio deponat. Ceccielup. *in l. Admonendi*, *col.* 39. *vers. Patet igitur ff. de jurejurando*, Socc. *consil.* 262. *lib.* 2. Hippolyt. Massil. *singular.* 114. Verricell. *quæstion. moral. tract.* 8. *quæst.* 44. *sect.* 10. *n.* 50. & *seqq.* Avendan. *de exequt. mandat. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 4. & *seqq.* Ricciul. *de pers. in stat. reprob. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 5. Royas *de Hæreticis part.* 2. *assert.* 6. *n.* 139. Gomez. *var. resol. tom.* 3. *cap.* 12. *n.* 12. Gabriel *de testib. concl.* 2. *num.* 39. & 41. Dandinus Signaturæ Justitiæ Votans *in tract. de suspectis de Hæresi cap.* 1. *sect.* 5. *n.* 23. & *seqq.* ac latissime Farinacc. *de testib. quæst.* 64. *n.* 213. *cum duobus seqq.* Idque multo magis, cum testes de diversis actibus singulares deponentes sunt plures; ingens etenim numerus supplet singularitatem ob nimiam (ut dicitur) inverisimilitudinem, ut omnes in falsam assertionem conspirare voluerint; sicut animadvertunt Mascard. *de probat. concl.* 856. *n.* 15. & *concl.* 857. *n.* 39. & Farinacc. *de testib. n.* 209. & *n.* 304. cum aliis apud allegatum Dandinum *cap.* 1. *sect.* 5. *n.* 36.

4. Quamvis autem Polydorus Ripa *observat.* 204. postquam admisit, genus probari non posse, cum non cadat sub sensum, & idcirco species probandas esse asserat, eas nunquam probatas dici posse per testes singulares, cum probatio descendens a testibus singularibus non sit plena, sed semiplena; advertunt nihilominus alii, bene & sufficienter probatum esse non per genus, sed per speciem, Titium ex. gr. fuisse furem & hæreticum, si duo actus individui furti & hæresis fuerint probati per duos testes, licet singulares. Bordon *tom.* 5. *cap.* 19. *num.* 36. Grasset *de necce proditor.* §. 29. *n.* 206. Pater Ludovicus de Ameno *in practis. crimin. tit.* 17. §. 1. *n.* 3. & quidem, si aliter res se haberet, sequeretur absurditas; quia sequeretur, plura delicta sine poena remanere.

5. Alia

5. Alia collecta pro his testibus singularibus legi possunt *in quæst. unica* apud Sousam *tract. de aphoris. Inquisit.*, ubi late ostendere conatur, majorem fidem præstandam esse dicta multorum testium singularium loco & tempore, concordantium tamen in eadem hæresis specie, quam duobus testibus contestibus & concordibus; & multo magis quando agitur de delictis, quæ non palam, sed secreto committuntur, & in quibus idcirco probatio est difficilior: ex Constitutionibus quippe Romanor. Pontificum desumitur, nonnulla crimina testibus singularibus, junctis adminiculis, probari posse. De summo Pontifice Paulo III. legitur, eum querelas Judæorum rejecisse adversus Inquisitores Lusitanos, qui in crimine Hæresis testes singulares admittebant. Pignatellus *consult.* 110. *n.* 11. *tom.* 8. In probatione confidentiæ beneficialis statuta hæc sunt a S. Pio V. *Constit.* 85. §. 6. *Bullar. tom.* 2. *Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones & conjecturas: pluresque hujusmodi præsumptiones & conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.* In crimine quoque sollicitationis comprobando, quod videlicet Confessarius Pœnitentes ad turpia sollicitaverit, testes singulares nedum esse admittendos, sed plenam constituere probationem, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, decretum fuit a summo Pontifice Gregorio XV. *Const.* 34. §. 5. *tom.* 4. *Bull. Rom. Dantes etiam facultatem venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus generalibus, Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo judicandi.*

Porro his cohærenter Auditores Rotæ in suis relationibus comprobatas dixerunt virtutes Servorum Dei, de quorum Beatificatione & Canonizatione agebatur, puta Charitatem, licet probatio desumeretur ex testibus singularibus, quorum alter ex. gr. deponebat de uno actu Charitatis, alius de alio, & alii de aliis. Colligitur ex relatione in causa S. Thomæ de Villanova typis impressa post Contelorium *in tract. de Canoniz. SS. pag.* 474. *Ut clarius procedamus, præmittendum est unum in jure verissimum, nempe, quod, quando non agitur de probando certo actu speciali, sed in genere id quod resultat ex actibus specialibus, ad probandam istam generalitatem admittuntur testes singulares deponentes singulariter de illis actibus particularibus, ex quibus generalitas resultet.* Item ex eadem relatione *pag.* 518. *Ex quibus omnibus probatur immensa Charitas, qua vigilantissimus Pastor oves sibi creditas gubernabat: nam, etsi prædictæ probationes disjunctim sumptæ perfecte non probent quoad actus particulares, cum testes sint singulares; attamen, si simul junguntur, resultat ex illis plena probatio, quia agitur de probando id quod ex eisdem actibus particularibus elicitur, scilicet, quod mediis eximiæ Charitatis utebatur, ut gregem suum ad aulam Domini reduceret.* Ex relatione S. Catherinæ de Riccia *part.* 2. *in fin. Minus etiam testium probationem elidi existimavimus, eo quia aliqui eorum sint singulares deponentes singulariter de actibus singularibus, ex quibus solis virtutum essentia non constituitur; quoniam pro certo habuimus, quod, quando non agitur de probando certo actu speciali, sed in genere probandum est id quod resultat ex actibus specialibus, ad concludendam hanc generalitatem admittuntur etiam testes singulares deponentes de illis actibus particularibus, ex quibus habitus resultat, & simul junguntur ad plenam probationem constituendam.* Ex relatione S. Andreæ Avellini *tit. de fortitud. Quod etiam confirmatur, nam, si quando injuriis afficiebatur, non injuriosis verbis respondebat, neque clamoribus, dolorem se concepisse, ostendebat, sed quasi mutus non aperiens os suum & non habens redargutiones, animo maxime composito, sustinuit probra, contumelias, & injurias, ut affirmant testes; qui, licet tanquam singulares de particularibus actibus loquentes aliquam paterentur difficultatem, cum tamen non agatur de probando hoc vel illo actu in specie, sed de tolerantia & fortitudine generaliter sumpta, visi sunt sufficere.* Demum ex relatione S. Pii V. *part.* 1. *in fin. Ulterius etiam circa probationes animadvertendum esse, dicebamus, quod interdum, attentis qualitatibus & circumstantiis facti, habilitate testium, difficultate probationis, admittuntur testes singulares.*

7. Doctrina hæc eadem plene traditur a Riminaldo juniore *consil.* 7. *num.* 27. *& seqq. & num.* 132. cui Romani Auditores in dictis relationibus (uti vidimus) adhæserunt; qui & id ipsum docuerunt in hypothesi probandi ex. gr. in aliquo Dei Servo donum prophetiæ; quemadmodum desumitur ex relatione in causa S. Ludovici Bertrandi *tit. de dono prophet. Beatum autem Ludovicum habuisse donum prophetiæ, satis ex sequentibus constabit; &, licet testes sint singulares, tamen, cum non intendamus probare actus particulares prophetiæ, sed id quod resultat ex dictis actibus, scilicet donum prophetiæ, ad hoc probandum sufficiunt testes singulares.* Nec dissimile fuit eorumdem Auditorum judicium in causis Martyrum, si ageretur ex. gr. de probando odio Tyranni in Fidem; quemadmodum firmarunt in relatione de Martyrio B. Josaphat Pollocensis, ubi sic legitur: *Tertium objectum, nempe singularitatem testibus oppositam, asserebatur non obstare, tum quia, ubi non agitur de probanda certo actu speciali, sed in genere probandum est id quod resultat ex actibus specialibus, ut in casu præsenti, odium Fidei, & unionis in Schismaticis causam dedisse morti Archiepiscopi Josaphat, admittuntur testes singulares deponentes de pluribus actibus particularibus, ex quibus resultat universale &c.* Concordat Pater Ceparius *in director. Canoniz. SS. part.* 2. *cap.* 7. ubi hæc habet: *Denique nota, quod, quando agitur de probanda aliqua re quæ habet continuationem, ut, si velis probare, Canonizandum habuisse donum prophetiæ seu ecstasis, seu habitum Charitatis vel Fidei & similium, tunc non est necesse, ut testes deponant de eodem actu, seu, dum reddunt causam sui dicti, afferant eumdem actum, quia multoties impossibile est invenire plures testes, qui eumdem actum viderint, sed sufficit, si ex disjunctis & diversis actibus probetur habitus, qui, si simul junguntur, faciens plenam probationem &c. Ratio est, quia tunc non agitur de probandis actibus particularibus, sed de probando dono verbi gratia ecstasis, vel prophetiæ, vel habitu Charitatis, & sic de aliis.*

8. Transitum autem ut faciamus ad miracula, opinio fuit Vincentii *in cap. Venerabilis, de testib.* non solum plures testes contestes requiri in probatione miraculi; sed eosdem testes contestes testimonium reddere de omnibus miraculis a Deo patratis intercessione ejus Servi Dei, vel Beati, de cujus Beatificatione, aut Canonizatione tractatur; ita ut in re & ad effectum, de quo agitur, non dicantur probata miracula, si duo testes ex. gr. de uno, duo testes de alio, alii duo de alio miraculo testimonium reddant. Refertur hæc opinio a Martino Laudensi in suo tractatu, quem habeo manuscriptum *de Canonizat. Sanctor.* & a Malvetio *in tract. de Canonizat. Sanctor. inter tractatus magnos.* Bellamera porro adversatur opinioni Vincentii *in comment. ad cap.* 1. *de Reliq. & venerat. Sanctor.* & Castellanus *de Canonizat. Sanctor.* utriusque opinionis fundamenta recenset. Sed Vincentii opinio reprobatur etiam ab Auctore tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *in fin.* & late a Contelorio *de Canonizatione Sanctorum cap.* 18. *num.* 10. tum quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, ut infra videbimus, tum quia impossibile esset aliquem Dei Servum inter Sanctos referre, nisi ipse, dum viveret, eosdem semper testes comites adhibuisset, qui ipsum vidissent miracula facientem; tum etiam quia, cum post obitum Beatorum Deus operari dignetur eorum intercessione miracula in diversis locis, & in diversis personis, sed aliquando uno eodemque tempore, necesse foret, ut iidem testes eodem tempore essent præsentes pluribus in locis. Et quidem a Vincentii sententia semper recesserunt Rotæ Auditores in suis relationibus, & signanter in relatione causæ S. Bonaventuræ *art.* 4. *in fin.* in relatione causæ S. Raymundi *art.* 8. ubi sic legitur: *Ista sententia vera non est; cum sufficiat, quodlibet miraculum probare per duos testes;* & in relatione S. Hyacinthi; *Ista sententia impossibilis est in praxi. Eam præterea nunquam Sedes Apostolica in Canonizatione alicujus Sancti servavit.* Item, quod attinet ad probationem miraculorum per testes singulares, an miracula videlicet probata dici possint pro Beatificatione vel Canonizatione, si unus testis referat, cæcum intercessione Dei Servi, vel Beati fuisse illuminatum; alius, ægrum fuisse in instanti sanitati restitutum; alius, mortuum ad vitam fuisse revocatum; Jacobus Simonetta Rotæ Auditor in relatione, quam exhibuit summo Pontifici Leoni X. *super vita, & miraculis S. Francisci de Paula*, fuit in eo sensu, miracula utique probari per testes singulares: *Ubi agitur de aliqua probando, & non agitur de præjudicio alterius, ut, si agatur, quod ecclesia sit consecrata, vel quod aliquis sit baptizatus, statur dicto unius testis &c. Ergo claro constat, quod idem est in probatione miraculorum, quia actus iste, inspecta sui natura, nemini præjudicat &c. & hoc fundamentum omnem tollit difficultatem.* De hac eadem opinione sic lo-

sic locuti sunt iidem Rotæ Auditores in relatione S. Raymundi *art.* 8. *in fin. Non est simpliciter rejicienda illa opinio quæ asserit, miracula per testes singulares posse probari*; & in relatione S. Didaci §. *Plurima alia miracula*, ita subdunt: *Nec obstat, quod eorumdem miraculorum testes aliqui sint singulares, qui non sufficiunt ad probationem eorumdem &c. quia, licet testes singulares non plene probent, probant tamen plus, quam semiplene, cum loquantur de facto proprio; quo casu, occurrente antiquitate temporis, plene probant*. Cumque sacrorum rituum Congregatio noluerit in causa S. Didaci hanc miraculorum probationem admittere, ipsi Rotæ Auditores in subsequenti relatione, quam Clementi VIII. exhibuerunt, super causa S. Hyacinthi, postquam retulerunt, in causa S. Francisci de Paula tempore Leonis X. admissam fuisse probationem miraculorum dependenter a testibus singularibus, & ab hac sententia non esse recedendum, sic pariter subdiderunt: *Et quamvis in Canonizatione S. Didaci DD. Cardinales ad eam tractandam delegati non fuerint, uti audivimus, secuti istam sententiam, id fortassis fecerunt putantes, non esse necessarium illam amplecti, cum satis multa miracula haberentur per plures testes contestes legitime probata.*

CAPUT TERTIUM.

De sententia Congregationis sacrorum rituum, & præsenti Sedis Apostolicæ praxi, quoad testes de auditu in causis Beatificationis & Canonizationis super examine virtutum, aut miraculorum in specie.

1. QUEMADMODUM in superioribus pluries dictum est causas Beatificationis, & Canonizationis alias esse Martyrum, alias Confessorum, nonnullas procedere per viam ordinariam non cultus, alias per viam extraordinariam casus excepti a decretis Urbani VIII. in omnibus quæri de fama virtutum & miraculorum, aut Martyrii & signorum, antequam eorum fiat introductio, & etiam postquam introductæ sunt, cum instituitur judicium de fama in genere, in omnibus denique quæri de Martyrio, aut de virtutibus in specie, & de miraculis in specie, hoc est aut de illis, quæ Beatificationem formalem præcedunt, aut de iis, quæ indultam formalem, vel æquipollentem Beatificationem subsecuta sunt; ita, ne confusionis oriatur occasio, statuendum in primis est, hic non agi de fama virtutum, Martyrii, aut miraculorum (in judicio siquidem famæ jam in præcedenti libro visum est testes admitti de auditu, & testes singulares singularitate *adminiculativa* nequaquam rejici) sed præsentem quæstionem esse de virtutibus, Martyrio, & miraculis in specie.

2. His porro præmissis, initioque ducto a virtutibus & Martyrio in specie in causis, quæ procedunt per viam non cultus, præliminaris disputatio est, an in hoc judicio probationes debeant esse æqualis ponderis probationibus, quæ in judicio criminali requiruntur ad infligendam reo pœnam ordinariam. Contelorius quippe *in tractat. de Canonizat. SS. cap.* 18. *num.* 25. ait, in jure non æquiparari probationem in causa Canonizationis probationi in causa criminali, sed æquiparari diligenti probationi in causa Civili. Huic autem opinioni adversatur Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 11. *cap.* 5. *pag.* 869. *Causæ Beatificationis & Canonizationis revocentur ad causarum criminalium genus; cum enim ex doctrina Aristotelis ab omnibus Philosophis & Theologis recepta contrariorum sit eadem disciplina, in causis autem criminalibus de culpis & criminibus alicujus agatur, & in causis Beatificationum atque Canonizationum de virtutibus; propterea in his procedendum erit, quemadmodum & in illis, certumque quantum ad juris apices erit, has causas subjicere eisdem legibus ac doctrinis, quemadmodum illas, in quibus de peccatis & criminibus agitur.* Pluribus hanc eamdem opinionem firmat Matta *de Canonizat. SS. part.* 4. *cap.* 1. *num.* 10. *& seqq.* Cum etenim causæ Canonizationis sint de majoribus, quæ in Ecclesia tractari possint, sint arduæ atque difficiles, cautissime in eis agendum est; & una quidem ex cautelis ea esse videtur, ut probationes rigorose excipiantur, & idcirco æquiparentur probationibus in causis criminalibus, in quibus res est de imponenda reo pœna ordinaria. Concordat Pater Matthæuccius *practica Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canoniz. tit.* 3. *cap.* 5. §. 4. *num.* 66. & ipse, qui tot annorum spatio interfui Congregationibus sacrorum rituum uti Fidei Promotor, & uti Congregationis Consultor, testari possum, me semper ab antiquioribus Cardinalibus & Consultoribus audivisse, in causis procedentibus per viam non cultus probationes in dubio virtutum debere esse, quantum fieri potest, æqualis ponderis probationibus in causis criminalibus.

3. Ideoque, quemadmodum in causis criminalibus testes debent esse de visu proprio, si agatur de re quæ cadat sub sensum visus; vel de proprio auditu, si agatur de re quæ cadat sub sensum auditus, juxta textum *in can. Testes* 3. *quæst.* 9. *Testes per quamcumque scripturam testimonium non faciant, sed præsentes de his, quæ noverunt & viderunt, veraciter testimonium proferant; nec dicant de aliis causis vel negotiis testimonium, nisi de his, quæ sub eorum præsentia acta esse noscuntur*; seu quæ sensu aliquo corporeo visus, vel auditus perceperunt, ut notat Glossa in verbis, *Noverunt*, & *Viderunt*; & quemadmodum in judiciis criminalibus ad inferendam reo pœnam ordinariam non sufficit unus testis de visu cum aliis de auditu, ac de publica voce & fama, juxta Glossam *in cap. Veniens, v. Illorum, de testib. & attestat.* ubi: *Præterea hic erat unus testis idoneus. Numquid per eum, & per famam posset condemnari de tali crimine? Videtur, quod sic, quia fama cum aliis probat . . . sed non est verum, quia in crimine apertissima debent esse probationes . . . . quia, ubi contra salutem hominis agitur, strictius & cautius proceditur . . . . secus in Civili causa, in qua sufficit præsumptio unius testis cum juramento . . . . pensatis negotiis cum circumstantiis personarum, & causæ*; ita in causis Beatificationis & Canonizationis procedentibus per viam non cultus, sive tractetur de virtutibus, sive de Martyrio in specie, non est sufficiens illa probatio, quæ descendit ex testibus de auditu, vel ex uno teste de visu, junctis testibus de auditu; sed vera, integra & adæquata probatio constituenda est in testibus contestibus de visu; ut de virtutibus quidem late ostendit Matthæuccius *in oper. cit. tit.* 5. *c.* 3. §. 1. de Martyrio autem idem *tit.* 4. *cap.* 2. *n.* 8. & Matta *de Canoniz. SS. par.* 4. *c.* 21. *n.* 16. *& seq.* Præterquamquod ipse testari possum, nonnullas Beatificationum causas procedentes per viam non cultus, utpote carentes testibus de visu in dubio virtutum, me tamquam Fidei Promotore urgente pro insufficientia testium de auditu, minime felicem exitum habuisse; meque pariter urgente in causis Martyrum, opus esse, ut more probaretur per testes de visu exprimentes omnes circumstantias, ex quibus dignosci posset, Martyrem in Fide & dilectione perseverasse usque ad obitum, Postulatores omnem operam navasse, ut ostenderent, testes de visu mortem & perseverantiam optime comprobasse. Porro, quamvis in causa criminali homicidii non procedatur ad pœnam ordinariam delinquentis, nisi constet de corpore delicti, hoc est de homine interfecto, juxta regulam textus *in l. prima §. Item illud, ff. ad S. C. Syllan.* & de corpore quidem delicti non dicatur constare, nisi Judex sit certus de internecione, sive de homine occiso per evidentiam facti, hoc est per proprium sensum, vel per aspectum suæ Curiæ cum descriptione cadaveris, percussionum & vulnerum, uti docet Foler. *pract. crimin. v. capias informationem*; quæ profecto adimpleri non possunt in causis Martyrum, qui Martyrii corona decorantur in regionibus longinquis & Infidelium: id tamen nec necessitati testium de visu, nec similitudini harum causarum causis criminalibus obstare posse dicendum est. In causis quippe Martyrum testes de visu de illata morte reddere debent testimonium; nec novum est, ut in causis criminalibus, si Curia non habeat potestatem inspiciendi cadaver, de delicto satis sibi constare asserat, seu de corpore delicti per testes, qui hominem mortuum viderint; quemadmodum ad rem probat Sebiara *de Rom. Pontif. art.* 26. *num.* 20.

4. Nec enim hucusque adductis obstare valet, vel quod in hisce causis procedatur ex bono & æquo, vel quod non agatur de alicujus præjudicio, vel demum quod in jure admittatur, testes de auditu sufficere, quando testes de visu haberi non potuerint, juxta jura in superioribus alle-

allegata. Textus siquidem *in cap. Venerabili, de testib.* statuit, ut in causis Canonizationis testes examinentur super vita & miraculis cum ea diligentia, quæ solet & debet in receptione testium adhiberi, immo cum majori, quia (ut inquit Glossa) circa majora majus periculum vertitur, & ideo cautius est agendum. Et sane inter majores diligentias enumeranda est illa, ut recipiantur testes de visu & sensu proprio asserentes.

Invenies primis ab sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensus posse refelli.
Lucret. l. 4. v. 480.

5. Parum vero urget, quod non agatur de alicujus præjudicio; quia agitur de præjudicio Ecclesiæ, uti bene adnotarunt Rotæ Auditores in relatione S. Andreæ Corsini *part.* 3. §. 3. *num.* 230. *apud Lezanam consul.* 1. ubi sic loquuntur: *Ad primum contrarium argumentum, quod non agatur de præjudicio tertii, respondetur, non agi de præjudicio hominis particularis, sed Christi & ejus Ecclesiæ, cujus interest, ne, quantum in nobis est, apponamus membrum Christo, quod vere non sit, vel apponamus loco incongruo, & deformetur Ecclesiastica Hierarchia; unde dicitur, agi de præjudicio omnium, quia causa religionis & pietatis dicitur causa publica.* Nec item urget, quod, deficientibus testibus de visu, admittantur, saltem in antiquis, testes de auditu pro causis definiendis: nam, utcumque sit, utrum Postulatores in causis Beatificationis & Canonizationis negligentiæ accusari possint, necne, eo quia tempore opportuno testes de visu examinari non curarunt (in quo rerum statu non habet locum ea juris regula quæ favet testibus de auditu, deficientibus testibus de visu; uti bene adnotavit Farinaccius *de testib. l.* 3. *tit.* 7. *qu.* 69. *n.* 53. & in præsenti materia ait Matthæuccius *loc. cit. tit.* 3. *cap.* 5. §. 1. *num.* 27. & *cap.* 6. *n.* 5.) hoc unum certum esse videtur, eam juris regulam non esse (ut ajunt) applicabilem probationibus, quæ requiruntur in judicio criminali, cui præsens judicium de virtutibus & Martyrio in specie ex supradictis quodammodo simile est; multoque minus esse applicabilem causis non necessario definiendis, cujusmodi sunt illæ Beatificationis & Canonizationis, sicuti recte animadvertit Matta *de Canoniz. SS. par.* 4. *cap.* 1. *num.* 21. & ad rem prosequitur Matthæuccius *loc. cit. tit.* 5. *cap.* 3. §. 1. *num.* 19. *Sed, quatenus instetur, quod omnes testes de visu possent esse præmortui, & ita, quod non possit Beatus canonizari &c. annotabis, quod, si testes de visu non deposuerint, & solum adsint depositiones testium de auditu ab aliis, reliquatur causa, utpote non instructa requisitis.*

6. Quod si dicatur, hodie etiam in processibus, qui fiunt auctoritate Apostolica super virtutibus & Martyrio in specie, examinari testes de auditu, & eorum assertiones exhiberi sacrorum rituum Congregationi, etiamsi res sit de causis procedentibus per viam ordinariam non cultus, quod utique non fieret, si soli testes de visu & sensu proprio ad probationem admitterentur; iterum subdimus, certas & evidentes probationes esse necessarias, neque sufficere præsumptivas & conjecturales; uti præter supra cumulatos docet Lezana *consul.* 1. *n.* 39. Sed in dubio virtutum & Martyrii in specie, etsi causæ procedant per viam ordinariam non cultus, absolute & simpliciter testes de auditu non rejicimus, aut quia eorum dicta, si non vim probationis, vim adminiculi habere possunt, & quidem majoris, aut minoris, majoris videlicet, si sint testes de auditu ab iis qui viderunt, minoris, si sint de auditu a testibus qui ab aliis audiverunt; aut quia in examine harum causarum aliquando contingit, ut, non obstante quacumque diligentia, testes de visu super alicujus rei probatione haberi non possint, puta, si agatur de Servo Dei in ultima senectute defuncto, de gestis vero in pueritia, vel prima juventute testes exquirantur & testimonia colligantur; aut quia agitur de alia re, quæ testibus de visu probari non potuit. In examine causæ super virtutibus Beati (nunc Sancti) Joannis Francisci Regis opposui, nullum adesse testem de visu super obitu ejusdem, etsi in exitu vitæ magnum iter causæ momentum; ut habetur in decretis generalibus alibi memorandis, & apud Scacchum *de not. & sign. sanct. sect.* 5. *cap.* 6. *pag.* 364. Veruntamen, cum causa in aliis articulis esset satis instructa testibus de visu: cumque Beatus obiisset extra Domos Societatis Jesu in loco inter horrendos montes sito, & tribus tantum tuguriis constante, tresque tantum testes de visu, quod attinet ad ejus obitum, haberi potuissent, id est Socius Beati, Parochus loci, & ejus soror, de quorum morte ante initium processus plene constabat; & cum ex testibus examinatis & de visu afferentibus deprehensum quoque fuisset, cum zelo salutis animarum ad prædictum locum accessisse, ibique sacram Missionem, licet morbo oppressum, triduo fecisse, celebrando quotidie Sacrum, doctrinam Christianam explicando, concionando, Confessionesque tota die excipiendo; itemque cum præter circulares epistolas statim post ejus mortem a suis Religiosis Societatis Jesu juxta morem expeditas, ejusdem pretiosum in Domino obitum referentes, probatum esset per testes de visu, & de auditu ab iis qui viderant, ex omnibus Velauniæ montibus populorum concursum ad ejus corpus visendum factum fuisse non sine omnium studio secum auferendi pulverem tumuli, vestes, & alias res, quibus usus fuerat; sacrorum rituum Congregatio, summo Pontifice approbante, censuit, satis in eo rerum statu probatum fuisse illustrem & sanctimonia plenum obitum Beati, resoluto favorabiliter dubio de virtutibus, non obstante prædicto defectu testium de visu. Quod & optime fuit animadversum ab Archiepiscopo Philippensi Fidei Promotore in ultima sua scriptura exarata super virtutibus Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, ubi, opposito sibi exemplo causæ Beati Regis, in qua non aderant testes de visu quoad obitum, inquit: *Tres tantum testes, qui ejusdem morti fuerunt præsentes, tempore constructorum processuum jam præobierant, De obitu Servi Dei re vera deposuerunt solum testes de auditu, sed immediate ab ipsis videntibus, & in causa illa plures & insignes aderant testes de visu quoad actus speciales virtutum exercitos a dicto Beato viro ad ipsam extremam diem sui obitus:* Uno verbo, in causis procedentibus per viam non cultus virtutes probari debent per testes de visu. Quod si aliqui actus probentur per testes de auditu ab iis qui viderunt, vel de auditu ab his qui audiverunt, si alii testes de publica voce & fama concordent; si, posito præcedente obitu aliquorum testium de visu, non potuerint aliqua probari, nisi per testes de auditu; non idcirco causa derelinquenda est, nec insuperabilis oppositio ex prædictis hauriri poterit; eo quia videlicet, probata actuum serie in hac aut illa virtute per testes de visu, actus qui probantur per testes de auditu, adminiculi vicem subibunt, vel quoad actus qui fuerunt probati per testes de visu, si testes de auditu de iisdem locuti sint; vel quoad virtutem ipsam, cujus actus alii testati sunt ex visu & sensu proprio, alii autem alios aut de auditu ab iis qui viderunt, aut de auditu ab his qui audiverunt. Et sanctitatis quidem fama tum in genere, tum in specie ex infra dicendis non parum prodest in causis Beatificationis & Canonizationis, etiamsi agatur de virtutibus in specie: in quibus scilicet terminis explicari possunt nonnullæ ex supra allegatis Rotæ Auditorum relationibus.

7. Caute autem hucusque locuti sumus, cum diximus de probandis virtutibus aut Martyrio in specie in causis procedentibus per viam non cultus. Si enim sermo transferatur ad causas procedentes per viam casus excepti a decretis Urbani VIII. & causæ sint antiquæ, probationes super virtutibus aut Martyrio in specie non in testibus de visu, sed in testibus vel de auditu ab iis qui viderunt, vel de auditu ab his qui audiverunt erunt necessario constituendæ. Utque res fiat clarior exemplo, ponamus, in aliqua causa probatum fuisse casum exceptum dependenter ab immemorabili vel centenario tempore elapso ante annum 1634. quo decreta Urbani VIII. suam vim habere cœperunt. Juxta Sedis Apostolicæ praxim alibi relatam, post declarationem casus excepti agendum est de virtutibus aut Martyrio in specie. Expediuntur itaque litteræ remissoriales pro testibus examinandis; sed nemo est qui non videat, testes examinandos post lapsum centum & amplius annorum non posse esse testes de visu. Idem dicendum est in causis procedentibus per viam casus excepti a decretis Urbani VIII. ex indultis Romanorum Pontificum, vel sacræ Congregationis, si hæc indulta ab antiquo tempore concessa fuerint, & longe post in causæ progressu opus sit probare virtutes aut Martyrium in specie. Huic autem assumpto favent observantia & praxis Sedis Apostolicæ. Post approbatum quippe casum exceptum a decretis Urbani VIII. ex vi antiquorum indultorum in causa S. Catharinæ de Bononia, sacra rituum Congregatio jussit fieri processum super virtutibus. Postulatores vero enixe institerunt, ut modus præscriberetur conficiendi processum; quibus sacra Congregatio respondit, ut *fierent processus compulsoriales in Urbe coram Eminentiss. Vicario, & quod probarentur virtutes eo modo quo fieri posset, per Scriptores videlicet antiquos, & per testes de publica voce & fama:* confectoque juxta modum prædictum

ctum processu, favorabilis edita est resolutio super dubio virtutum. Item, dum munere fungebar Fidei Promotoris, post declarationem casus excepti vel ex immemorabili tempore, vel ex antiquis indultis in nonnullis causis opus fuit assumere dubium de virtutibus, aut de Martyrio in specie, in causis videlicet S. Julianæ de Falconeriis, S. Peregrini Latiosi, S. Agnetis de Monte Politiano, & S. Joannis Nepomuceni: cumque in meis animadversionibus prænotaverim, non agi de causis procedentibus per viam non cultus, sed de causis antiquis procedentibus per viam casus excepti, ita ut inutile foret exquirere testes de visu super virtutibus aut Martyrio in specie, atque adeo necessario constituenda foret probatio ex testibus de auditu & Historicis, resolutiones editæ sunt: *Ita scilicet constare de virtutibus, aut Martyria, ut tuto procedi posset ad ulteriora*. Nec alio modo res se habuit in causis hujusce generis pertractatis in sacrorum rituum Congregatione post dimissum a me Promotoris officium, & post assumptionem Archiepiscopi Philippensis sæpe a nobis cum laude commemorati ad idem officium. In causis siquidem B. Joannis Cantii, & Beatæ (nunc Sanctæ) Catharinæ Fliscæ Adurnæ post approbatum casum exceptum a decretis Urbani VIII. assumpta disputatione super virtutibus, & ingenue admittente memorato Fidei Promotore, eas probari non posse per probationes directas, hoc est per testes de visu, sed probationibus subsidiariis locum esse debere, hoc est testibus de auditu, de publica voce & fama, atque Historicis; editæ sunt resolutiones favorabiles tum quoad virtutes B. Joannis Cantii, tum pro virtutibus B. Catharinæ Fliscæ Adurnæ.

8. Ex supradictis nempe colligitur, virtutes & Martyrium in specie probari per testes de auditu in causis procedentibus per viam casus excepti; attamen, dummodo sint antiquæ, ita ut impossibile sit haberi testes de visu. Quocirca, si contingeret, ut aliqua causa procederet per viam casus excepti, & possibile esset haberi testes de visu, Martyrium & virtutes in specie testibus de visu comprobari deberent: & hoc modo comprobatæ sunt post declarationem casus excepti in causa S. Stanislai Novitii Societatis Jesu; comprobatæ quoque fuissent eodem modo, nisi earum approbatio præcessisset declarationem casus excepti, in causa S. Aloysii Gonzagæ: & in causa Asculana Canonizationis B. Seraphini de Asculo post approbatum casum exceptum, a decretis Urbani ex vi indultorum Apostolicorum juxta rescriptum editum die 19. Aprilis 1719. assumpta subinde disputatione super virtutibus, responsum fuit, de illis constare in gradu heroico ad effectum Canonizationis, uti colligitur ex decreto edito die 9. Maji 1733. per summum Pontificem approbato die 19. ejusdem mensis & anni; virtutum vero approbatio innixa fuit nedum testibus de auditu & Historicis, sed potissimum testibus de visu. Cum enim Beatus obiisset anno 1604. & super ejus sanctitate confectus fuisset processus auctoritate ordinaria anno 1611. & auctoritate Apostolica confectus fuisset alius processus anno 1627. in quibus plures fuerant examinati testes de visu, hinc factum est, ut non obstante declaratione casus excepti, judicium super virtutibus nedum innixum fuerit probationibus subsidiariis, testibus videlicet de auditu & Historicis, sed etiam probationibus directis, hoc est testibus de visu. Nam quemadmodum in hac & aliis consimilibus causis cessat impossibilitas habendi testes de visu, nec adest necessitas utendi tantum testibus de auditu, sic, assumpta post declarationem casus excepti disputatione de virtutibus, eædem virtutes non per probationes subsidiarias, sed per directas comprobari debuerunt & debent. Quod etiam ex eadem ratione afferendum crederem, si, declarato casu excepto ex indultis Apostolicis paulo post obitum alicujus Servi Dei, tantum tempus elapsum non esset, ut testes de visu haberi non possent: tunc quippe, si processus conficiendus esset super virtutibus, opus certe esset earum vim constituere in testibus de visu. Sed hic casus non ita facile contingere potest, cum Sedes Apostolica cultum publicum hodie non indulgeat, nisi longe post obitum Servorum Dei, & nisi aut jam approbatis virtutibus, ut contigit in Beatificatione formali, aut præcedente probatione cultus immemorabilis, ut alibi visum est. Et vero cum praxi atque observantia hucusque exposita & vigente post decreta Urbani VIII. concordare quodammodo dici possunt ea, quæ in superioribus adducta fuerunt ex nonnullis relationibus Rotæ Auditorum. In plerisque etenim Canonizationum causis, in quibus propter antiquitatem, deficientibus testibus de visu, admiserunt in probatione virtutum aut Martyrii in specie testes de auditu, non utique præcesserat declaratio casus excepti a decretis Urbani VIII. cum eadem decreta tunc edita nondum essent, sed præcesserant antiqua venerationis indulta a Sede Apostolica concessa, quæ post decreta Urbani fuissent fundamentum sufficiens ad declarationem casus excepti: quo pacto res se habuit in causis SS. Hyacinthi, Raymundi, Philippi Benitii, & Elisabethæ Reginæ Portugalliæ, ut ex ipsis Auditorum relationibus colligi potest.

9. Nonnullæ causæ reperiuntur post decreta Urbani VIII. introductæ, in quibus non præcessit declaratio casus excepti, & in quibus confecti fuerunt processus super virtutibus aut Martyrio in specie, nullo tamen examinato teste de visu, sed tantum examinatis testibus de auditu, præsertim ab iis qui viderunt; de quibus causis quæri potest, an propter aliquas speciales circumstantias virtutes & Martyrium probari possint per dictos testes de auditu & per alia documenta subsidiaria. Ad hanc classem pertinuit causa tunc Servi Dei, nunc Beati Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congregationis Patrum Somaschæ. Mortuus enim est hic Beatus anno 1537. & publicus cultus eidem exhibitus fuit, scientibus & tolerantibus Ordinariis, usque ad annum 1654. At Pater Inquisitor civitatis Vicentinæ animadvertens anno 1634. decreta Urbani suum robur habere cœpisse, & in eis prohibitum fuisse publicum cultum erga Dei Servos, exceptis illis qui antea cultum immemorabilem vel centenarium obtinuissent, dubium excitavit, an, non completa *centenaria* ante annum 1634. permitti posset dicti cultus continuatio: & quidem (ut alibi visum fuit) summus Pontifex Innocentius Papa X. die 12. Februarii anno 1654. cultum publicum jussit amoveri, amotoque cultu & causa Canonizationis introducta per viam non cultus, non cultus ipse approbatus est die 15. Januarii 1667. Post lapsum vero nonnullorum annorum Postulatores supplicarunt pro cultus publici redintegratione. Cumque Prosper Bottinius nunc Fidei Promotor hæc in suis animadversionibus subdidisset: *Ceterum, quia controverti non potest, quod iste cultus adeo longævus, quamvis de stricto rigore ob non excessum temporis centum annorum ante decreta non esset reintegrabilis, non mereatur aliquam considerationem, attenta præsertim prompta obedientia, statim ac notificatum fuit præfatum decretum fel. record. Innocentii X. posset forsan id operari ut de illo habenda sit aliqua ratio in discussione dubii super virtutibus pro supplemento probationis ob defectum testium oculatorum, cum Servus Dei obierit anno 1537. & processus auctoritate ordinaria confecti fuerint anno 1614. & auctoritate Apostolica anno 1621. quo tempore non poterant amplius reperiri testes, qui vidissent gesta Servi Dei, & forsitan etiam ad hoc conferre potest, quod agitur de Institutore Religionis, cujus causa propterea rationabili aliquo arbitrio digna videtur, quod sapientissimo judicio EE. PP. relinquitur ponderandum:* referente san. mem. Clemente XI. tunc Cardinali, sacra Congregatio die 18. Aprilis 1693. sequens edidit responsum: *Non esse concedendam reintegrationem publici cultus, sed de ea habendam esse rationem in ulteriori examine causæ, & præcipue in discussione dubii super virtutibus.*

10. Ad hanc eamdem classem pertinet causa Canonizationis, seu Declarationis Martyrii Servorum Dei Ignatii Azevedi & triginta novem Martyrum Societatis Jesu. In hujus quippe causæ processibus nulli quoad obitum Servorum Dei adsunt testes de visu. Obtentum autem fuerat per vivæ vocis oraculum Gregorii XV. ut horum Martyrum Imagines possent publice exponi in ecclesia Patrum Societatis Jesu. Sed, cum supervenisset generalia decreta Urbani VIII. remotus fuit quilibet cultus, causaque introducta per viam non cultus, sacra Congregatio die 17. Septembris 1640. responsum sequens edidit: *Constare de paritione decretis super non cultu.* Martyrium scilicet Ignatii Azevedi, & Sociorum anno 1570. processus autem confecti fuerunt anno 1631. Exhibitis deinde san. mem. Clementi XI. Postulatores precibus, ut, attenta causæ antiquitate, attentoque publico cultu spatio fere quinquaginta quinque annorum continuato, in probatione Martyrii in specie admitterentur testes de publica voce & fama, de auditu a Majoribus, & Historici: *Supplica, che si degni ordinare, che nella reassunzione e riproposizione della causa si abbia da camminare con quella specie di prove, che si ammettono nelle cause antiche de' Servi di Dio, massime di quelli che hanno avuto publico culto, cioè con testimonj de publica voce & fama, de auditu a Majoribus, & per Historicos, benchè in questa nostra causa non manchino testimonj de auditu a videntibus*: ad relationem Prosperi Bottinii tunc Fidei Pro-

Promotoris sequens editum fuit rescriptum die 8. Aprilis 1704. *Facta relatione Sanctissimo de contentis in hoc supplici libello mihi remissa, mens Sanctitatis suæ fuit, ut per me notificetur sacrorum rituum Congregationi, quod in propositione causæ peculiarem rationem habeat de antiquitate temporis asserti Martyrii, prout juris fuerit, & prout habita fuit in aliis causis antiquis cum subsecuto effectu; attenta etiam circumstantia publici cultus per tantum tempus præstiti.*

11. Ad eamdem denique classem pertinent causæ Servarum Dei Agnetis a Jesu Ordinis S. Dominici, & Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, non ratione utique publici cultus per aliquod tempus iisdem Dei Ancillis præstiti, sed quia, cum exorassent Postulatores pro causarum introductione, expositum fuit sacræ Congregationi non adesse testes de visu in processu ordinario, & iden multo minus adesse posse in processu Apostolico vigore remissorialium conficiendo; at respondentibus Postulatoribus, in processu ordinario adesse testes de auditu ab iis qui viderant, & alios consimiles examinari posse in processu Apostolico, insuper autem in eumdem compelli, vel (ut ajunt) *compulsari* posse scripta Auctorum & Historicorum fide dignorum, qui egregia facinora prædictarum Servarum Dei uti testes visu & facto proprio referebant; sacra Congregatio annuit signaturæ Commissionis, ejus responsum fuit a summo Pontifice confirmatum, expeditæque fuerunt litteræ remissoriales pro conficiendis processibus super virtutibus in specie. Quæ omnia profecto nec facta fuissent, nec fieri debuissent, si sacræ Congregationis sensus esset, in causis procedentibus per viam non cultus virtutes per solos testes de visu esse probandas.

12. In animadversionibus a me factis occasione signaturæ Commissionis in causa Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal habentur hæc verba: *Inutile videtur, hanc Commissionem signare; & quod inutile hoc sit, deducitur ex tempore, quo mortua est hæc Serva Dei: quo stante, sicuti impossibile est, testes reperire examinandos auctoritate Apostolica, qui sint de visu & qui deponant super virtutibus, ita inutile remanet, signare Commissionem, cum ex solis testibus de auditu procedi nequeat ad virtutum approbationem, & sine virtutum approbatione non valeat obtineri Beatificatio. Haud urgente, si dicatur, quod testes in processu Apostolico examinandi conjungi poterunt cum testibus in processu ordinario examinatis; currit enim eadem ratio de his ac de illis; Serva etenim Dei mortua est anno 1641. quo præsupposito, non adsunt; nec adesse potuerunt in processu ordinario testes de visu qui deponant de virtutibus. Idque facit, ut eo magis crescat assumptum, quod inutilis futura sit Commissio, quatenus ipsa signetur.* Verba autem Postulatorum in responsionibus sunt, quæ sequuntur: *Vere equidem testes de visu Servæ Dei adesse non potuerunt, qui deponerent de illius virtutibus in processu auctoritate ordinaria confecto, minusque reperiri valebunt de visu, qui super iisdem deponant in aliis auctoritate Apostolica conficiendis, eo quod præobierint omnes &c. Deficientibus autem testibus juratis de visu super virtutibus, supplent monumenta manuscripta, & etiam typis edita aliorum testium de visu Servæ Dei, virorum & mulierum omni exceptione majorum, & quamvis non juratorum, fide tamen dignissimorum tum ob eorumdem vitæ sanctimoniam, aut eximiam pietatem, tum ob nomina & titulos, quibus in Ecclesia condecorati fuerunt*: inter quos recensiti fuerunt S. Franciscus Salesius, & S. Vincentius de Paulis.

13. Contendunt itaque Postulatores, in prædictis & similibus causis, etsi procedentibus per viam non cultus, virtutes & Martyrium in specie probari posse per testes de auditu; aut quia imputandum non est, si testes de visu tempore opportuno examinari non curaverint, cum publicus cultus in honorem Servorum Dei jam esset introductus, nec prævidere potuerint, ejus remotionem a subsequentibus Urbani VIII. decretis esse statuendam; aut quia sacra ipsa Congregatio, cum in his causis dixit, habendam esse rationem cultus per antiquum tempus præstiti, necnon antiquitatis causæ in discussione dubii de virtutibus, sufficienter demonstravit, se in eis non abhorrere a testibus de auditu, quando res est de virtutibus vel de Martyrio in specie; aut quia denique durum videtur, si testes de auditu rejiciantur, quando ipsi occasione signaturæ Commissionis ingenue confessi sunt, nullos in processu ordinario reperiri testes de visu de virtutibus aut de Martyrio in specie, multoque minus testes de visu de eisdem posse in processibus Apostolicis reperiri; & quando, non obstante oppositione Fidei Promotoris pro impedienda signatura Commissionis ex defectu testium de visu, signata adhuc tamen ipsa fuit Commissio, expeditæque fuerunt litteræ remissoriales, summo Pontifice annuente, prævio consilio ejusdem sacræ Congregationis, & non sine magna impensa confecti fuerunt Apostolici processus super virtutibus aut Martyrio in specie.

14. Ut autem tuto decerni possit, quid in his & similibus causis sit agendum, clarum sacræ Congregationis responsum nedum opportunum, sed etiam necessarium esse videtur; quod cum editum nondum sit, judicium super prædictis causis adhuc pendet. Quod si meus, qualiscumque sit, sensus exquireretur, dicerem primo, futuris temporibus insistendum esse regulæ excludenti probationem ex solis testibus de auditu descendentem in dubio virtutum & Martyrii in specie in causis procedentibus per viam non cultus, dictas vero probationes admittendas in causis antiquis & procedentibus per viam casus excepti. Non solum quippe quoad has militat ut plurimum ratio, quod haberi nequeant testes de visu, sed & præcedens declaratio casus excepti, cui locus non est, nisi præcesserit processus super fama sanctitatis aut Martyrii, quæque aut cultum per sæculum & ultra continuatum, aut summorum Pontificum, vel sacræ Congregationis indultum publici cultus non oscitanter concessum supponit, & æquipollentem quamdam Beatificationem importat; ideoque si omnino non eximit Postulatores a subsequenti discussione virtutum aut Martyrii in specie, viam saltem aperit judicio per subsidiarias probationes explendo. Dicerem secundo, futuris temporibus non esse in causis procedentibus per viam non cultus signandas Commissiones introductionis vel reassumptionis, nisi saltem in processu ordinario testes adsint de visu, quantum satis sit, afferentes de virtutibus aut Martyrio in specie. Dicerem tertio, in causis jam introductis, & in quibus ob præcedentem publici cultus exhibitionem & ob temporis antiquitatem aut summus Pontifex aut sacra Congregatio dixerunt, prædictorum habendam esse rationem in ulteriori examine causæ, hoc est in discussione dubii super virtutibus aut super Martyrio, Consultores sacræ Congregationis ceterosque in eis causis suffragaturos serio ponderare debere, an concurrente temporis antiquitate una cum cultu publico, licet sublato, concurrentibus testibus de auditu ab iis qui viderunt, concurrentibusque Historicis, præcipue ætatis ejusdem & fide dignis, ipsorum intellectus ex hoc toto probationum genere certus sit de virtutibus & Martyrio in specie evidentia & firmitate morali: si enim hoc modo certus sit, ne inania sint summorum Pontificum aut sacræ Congregationis responsa, affirmans & favorabile ferant pro virtutibus aut Martyrio in specie suffragium. In causa Servi Dei, nunc Beati Hieronymi Æmiliani, in qua (uti vidimus) sacra Congregatio die 18. Aprilis 1693. dixit, *Non esse concedendam reintegrationem publici cultus, sed de eo habendam esse rationem in ulteriori examine causæ, & præcipue in discussione dubii super virtutibus*; cum de virtutibus actum est, quæstio orta est a Congregatione antepræparatoria habita in ædibus Cardinalis de Abdua die 20. Septembris 1718. inter Consultores super sensu prædicti rescripti, utrum videlicet in eo demandatum esset, ut in causa prædicta procederetur per probationes subsidiarias, an id potius esset relictum arbitrio & prudentiæ Consultorum. Cum autem tamquam Fidei Promotor dictæ Congregationi interessem, subdidi, responsum prodiisse a sacra Congregatione ordinaria, & ideo ab ea responsi intelligentiam esse petendam: cumque, subrogato Cardinali Priolo in causæ Relatorem, mortuo interim Cardinali de Abdua, de rescripti intelligentia actum esset in Congregatione ordinaria habita die 3. Februarii 1720. responsum fuit: *Ad mentem; & mens fuit, quod unusquisque in causa suffragaturus posset, aut non posset, prout unicuique sua conscientia suggessisset, uti tam cultu quam ceteris documentis ad effectum adjuvandi defectum testium oculatorum in dubio virtutum.* Dicerem ultimo, sic rem quoque se habere debere in causis, in quibus, non obstante defectu testium de viso, sacra Congregatio annuit signaturæ Commissionis, cujus vi confecti fuerunt auctoritate Apostolica processus super virtutibus aut Martyrio in specie; dummodo tamen tum in hoc, tum in casu præcedenti non desint in processu ordinario testes de auditu ab iis qui viderunt; ne videlicet in hisce tanti momenti causis rigor juris in probationibus nimis relaxetur.

15. Moveor autem ad sic opinandum, primo, quia certum est, aliquas temporibus antiquioribus propter temporis antiquitatem expeditas fuisse causas per solos testes

de audito in dubio virtutum; utque ceteras prætereamus, exemplum adest in causis SS. Bonaventuræ, Hyacinthi, Raymundi de Pennafort, Elisabeth Reginæ Portugalliæ, Petri Regalati, & B. Gregorii X. Secundo, quia, etsi probationes virtutum aut Martyrii innitantur testibus de auditu, non idcirco asseri potest, causas Canonizationis expediri per testes de auditu, cum post approbationem virtutum supersit dubium miraculorum, in quo testes de visu proprio sunt absolute necessarii, ut *in cap. seq.* videbimus. Tertio, quia nulla usque adhuc lata lex est, quæ in dubio virtutum aut miraculorum in specie arceat probationem unice descendentem a testibus de auditu ab iis qui viderunt: in praxi enim utique id receptum est post decreta Urbani VIII. & Innocentii XI. sed absonum non est recedere a praxi, concurrentibus circumstantiis suam originem & robur habentibus ab ejusdem sacræ Congregationis responsis & factis. Demum quia in causa Martyrum Gorcomiensium, etsi nullus adesset testis qui certa scientia visus proprii deponeret de eorum Passione (solus enim erat Pontus Euterus, qui ab eorum consortio recedens a Fide defecerat, quique versibus Passionis historiam exposuerat) quare Petrus Franciscus de Rubeis tunc Fidei Promotor probationis insufficientiam opposuerat: cum tamen responsum esset a Postulatoribus, plures adesse testes de auditu ab iis qui viderant, & de auditu etiam a nefariis qui Dei Servos trucidaverant, nec unquam de veritate Martyrii fuisse dubitatum, & publicam de eo famam ad ea usque tempore viguisse tot testibus comprobatam, ut res in comperto posita dicenda esset; sacra ipsa Congregatio die 25. Septembris 1674. rescripsit: *Constare de Martyrio & causa Martyrii*.

16. Huic exemplo, dum fungebar munere Fidei Promotoris, mihi a Postulatoribus antea dictarum causarum opposito respondere consueveram, id non prodesse, cum causa Beatorum Martyrum Gorcomiensium processerit per viam casus excepti, eo quod sacra Congregatio die 3. Julii 1648. censuit in causa horum Martyrum, *doctum fuisse de casu excepto a decretis sanctissimæ Inquisitionis*. At ut veritati obsequamur, sciendum est, Mathiam Archiepiscopum Mechliniensem, rerum sibi permissum esse a sacro Concilio Tridentino indulgere, ut Reliquiæ horum Martyrum possent ad publicam venerationem exponi, eas utique censuisse ad publicam venerationem exponendas; uti desumitur ex ejus decreto edito die 16. Aprilis 1619. Archiepiscopus autem Salernitanus Nuntius Apostolicus in Belgio eum admonuit, suæ facultatis fines excessisse; eo quia Concilium Tridentinum sane sibi vindicat locum in Reliquiis Sanctorum aut Beatorum, minime vero in Reliquiis eorum, qui adhuc in album Beatorum aut Sanctorum relati non sunt. Id nempe colligitur ex epistola ejusdem Nuntii ad sacram Congregationem die 12. Maji 1621. Porro autem, cum in eadem epistola subdidisset, magnam in populis futuram esse commotionem, si cultus earum Reliquiarum amoveretur, sacra Congregatio die 13. Novembris 1621. dixit, posse tolerari expositionem Reliquiarum jam factam, & die 3. Julii 1648. censuit, in hac eadem Martyrum causa doctum fuisse de casu excepto a decretis Urbani VIII. sicuti paullo ante dictum est. Sed, facta relatione Innocentio X. non fuit ab eo approbatum decretum sacræ Congregationis, cum ita responderit: *Sanctitas sua, improbata expositione assertarum Reliquiarum Novemdecim, qui dicuntur Martyres Gorcomienses, facta præcedente decreto Archiepiscopi Mechliniensis, ex causis bene visis mandavit, ad ulteriora procedi, non obstantibus decretis sanctissimæ Inquisitionis: Hac die 13. Julii 1649.* In causa ergo Martyrum Gorcomiensium nec doctum fuit de casu excepto, nec responsum fuit, ut haberetur ratio cultus prædicti in dubio Martyrii: sed ex historia Ponti Euteri una cum documentis cæteris, & testibus de auditu ab iis qui viderant, utpote rem evidenter certam & exploratam constituentibus, concurrente assensu summi Pontificis, ut ad ulteriora procederetur, responsum est: *Constare de Martyrio & causa Martyrii*.

17. Post hæc jam scripta legimus doctas animadversiones supra citatas Archiepiscopi Philippensis Fidei Promotoris super dubio virtutum in causa Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, in qua quoad virtutes deficiunt testes de visu proprio; & tamen (uti dictum est) signata fuit Commissio, non obstante defectu a me opposito prædictorum testium de visu examinatorum & examinandorum. In eis autem narrantur dubitationes a Consultoribus excitatæ in præcedenti Congregatione antepræparatoria; deinde subditur, nullum constituendum esse momentum in Commissione signata; non obstante notitia defectus testium de visu, cum ad signaturam Commissionis nihil aliud requiratur, quam fama virtutum & miraculorum, una cum instantiis authenticarum personarum, & exclusione cujuscumque insuperabilis *obstativi*, quod directe destruat virtutes. At pace tanti viri responsio hæc non evincit assumptum: si enim signatura Commissionis viam aperit ulteriori inquisitioni auctoritate Apostolica faciendæ, insuperabile *obstativum* nedum erit illud quod obstat excellentiæ & fulgori, (ut consueto verbo utamur) relevantiæ virtutum, sed etiam illud quod obstat earum probationi. In quo proinde rerum themate sibi iterum vindicat locum, id quod in superioribus dictum est, scilicet aut Commissionem non debuisse signari, aut signatam prodesse posse Postulatoribus contendentibus, satis esse in ea & similibus causis probationem desumptam ex testibus de auditu ab iis qui viderunt, una cum Historicis & Scriptoribus ætatis ejusdem.

18. Post hæc jam typis edita, cum Postulatores causæ Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal progredi voluissent ad proponendum in sacra Congregatione dubium de virtutibus, & merito timuissent, ne defectus testium de visu in processibus tum ordinario, tum Apostolico favorabilem possent retardare resolutionem, summo Pontifici Clementi XII. supplicem libellum exhibuerunt, in quo, post expositum Sanctitati Suæ Causæ statum, item oppositionem a me, dum Fidei Promotor eram, factam ob defectum testium de visu, eamque minime obstitisse Signaturæ Commissionis introductionis causæ, institerunt ut haberetur Particularis Congregatio cum interventu Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum, & Fidei Promotoris, in qua stricte examinaretur, an posset in causa ad ulteriora procedi.

19. Annuit Sanctissimus petitis, uti colligitur ex decretis editis die 27. Martii, & die 14. Aprilis 1734. sed instantibus deinde Postulatoribus, ut examen hujus articuli ad Sacrorum Rituum Congregationem Ordinariam remitteretur, annuente Sanctitate Sua huic novæ petitioni, uti desumitur ex decreto edito die 12. Januar. 1737. articuli examen ad eamdem delatum est.

20. Porro Postulatores magnam vim constituerunt in attestationibus Sancti Francisci Salesii, & tunc Beati, nunc Sancti Vincentii a Paulo de Virtutibus Servæ Dei, quarum notitiam, non perfunctorie, sed diligentissime, dum vixerant, hauserant; in nonnullis testibus examinatis in causa Canonizationis Sancti Francisci Salesii, qui testimonium ferentes de ejus virtutibus, virtutes quoque enarrarunt Servæ Dei, ejus Discipulæ amatissimæ; in testibus de auditu a videntibus, examinatis in processu ejusdem Servæ Dei, & in narrationibus historicis de ejus vita conscripta a nonullis fœminis Religiosis, quæ assidue cum ea fuerant versatæ; hinc inferentes, dici non posse, in causa deesse testes de visu.

21. Carolus Albertus Archiepiscopus Philippensis, olim Fidei Promotor, ratione Officii suas proposuit Animadversiones, strenue opponendo deficientiam testium de visu judicialiter examinatorum præviis necessariis interrogatoriis: & in eo quod attinet ad memoratas attestationes, & historias, dixit, eas esse probationes extrajudiciales; & in eo quod spectat ad testes processus Causæ Sancti Francisci Salesii, subdidit, eos quodammodo per transennam, nec ullis præcedentibus particularibus interrogatoriis nonnulla dixisse de Virtutibus Servæ Dei.

22. Verum sacrorum rituum Congregatio ordinaria, cum reputasset, citra ullam Postulatorum culpam non fuisse tempore & loco examinatos testes de visu; præterea, urgentibus Postulatoribus, pro causæ introductione fuisse defectum hunc oppositum, & tamen neglectam fuisse oppositionem sub certa spe documenta examinandi, quæ a Postulatoribus innuebantur, videlicet attestationes S. Francisci Salesii, & B. Vincentii a Paulo, & historicas narrationes conscriptas a Monialibus contemporalibus & fide dignis, e quibus omnibus validissimum desumebatur adminiculum, præter testes examinatos in causa Sancti Francisci Salesii, pro testibus de auditu, & de auditu a videntibus in causa Servæ Dei, censuit, in ea procedendum esse ad ulteriora: ex quo sacræ Congregationis judicio tum Postulatores, tum Consultores normam desumere possunt, quid proponendum & quid attendendum sit, cum proponitur causa procedens per viam non cultus, in qua deficiant testes de visu. En verba decreti.

Gebenn.

Gebennen. Beatificationis & Canonizationis Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal primæ Monialis & Superiorissæ Ordinis Monialium a Visitatione S. Mariæ nuncupat.

PRoposita per Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalem Ottobonum in vim rescripti SS. D. N. Clementis Papæ XII. causa Beatificationis & Canonizationis Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal prædictæ super puncto probationum; sacra eadem Congregatio, audito prius in scriptis & in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, rescribendum censuit, in casu de quo agitur, posse procedi ad ulteriora, si Sanctiss. D. N. visum fuerit. Die 16. Februarii 1737.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 20. ejusdem mensis Februarii 1737.

23. Consimile quoque prodiit decretum in causa Ven. Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani patritii Veneti Congregationis Somaschæ Fundatoris, de qua *in hoc eod. cap. num. 14.* Urgentibus enim Postulatoribus pro virtutum approbatione, quamvis in ea deficerent testes de visu, tum propter antiquitatem cultus, licet sublati; tum propter rescripta sacræ Congregationis, in quibus dictum fuit, ejusdem cultus habendam esse rationem in discussione virtutum, & aliud specialius fan. mem. Benedicti XIII. ut in causa Servi Dei Hieronymi procederetur, sicut in causis in quibus cultus immemorabilis fuit approbatus; tum demum quia non deerant monumenta contemporalia & aliqui testes de auditu a videntibus, decretum tandem prodiit his verbis: *Examinata in Congregationibus sacrorum rituum antepræparatoria, & præparatoria, causa Beatificationis & Canonizationis Ven. Servi Dei Hieronymi Æmiliani patritii Veneti & Congregationis Somaschæ Fundatoris, super infrascripto dubio, An constet de virtutibus Theologalibus & Cardinalibus, earumque annexis in gradu heroico, in casu & ad effectum de quo agitur, tandem die 30. Aprilis proxime præteriti coram SS. D. N. Clemente Papa XII. alia quæ supererat Congregatio earumdem sacrorum rituum generalis coacta fuit, in qua Reverendiss. D. Cardinalis Porzia, vice & nomine Reverendiss. D. Cardinalis Ottoboni absentis, hujusmodi causæ Ponentis, supradictum dubium proposuit: Sanctitas vero sua auditis tum DD. Consultorum, tum Reverendiss. DD. Cardinalium suffragiis, nil ea die decernere, sed resolutionem differre existimavit; ut prius tam propriis quam aliorum precibus ad Deum effusis, in tam gravi deliberatione Spiritus Sancti lumen imploraret. Iis itaque abunde peractis, infrascripta die Divo Bartholomæo Apostolo sacra, in cujus ecclesia terræ Somaschæ, diœcesis Mediolanen. corpus ipsius Ven. Servi Dei quiescit, idem Sanctissimus Dominus noster, accitis coram se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, & me infrascripto præfatæ Congregationis Secretario, super proposito dubio responsum affirmativum promulgari mandavit;* scilicet, *Constare de virtutibus ipsius Ven. Servi Dei Hieronymi Æmiliani, tam Theologalibus, Fide, Spe, & Charitate, quam Cardinalibus, Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu & ad effectum de quo agitur. Et ita &c. Die 25. Augusti 1737.*

24. Post nostram ad summum Pontificatum assumptionem, coram Nobis in Congregatione generali sacrorum rituum proposita est causa Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli die 21. Martii 1741. super dubio virtutum, & pro earum probatione non aderant nisi testes de auditu, multis tamen formis adminiculati, & causa procedebat per viam non cultus. Omnes fere Consultores & Cardinales suis suffragiis pro earum probatione & approbatione uniforme judicium tulerunt; Nosque ipsi post maturum examen die 23. Aprilis 1741. decretum edidimus, in quo declaravimus, virtutes prædictas ita esse probatas, ut tuto deveniri posset ad ulteriora, idest ad discussionem miraculorum. Aliud subinde, ut huic controversiæ finis imponeretur, eadem die edidimus generale decretum, in quo primo confirmavimus praxim admittendi probationes subsidiarias per testes de auditu, in genere tamen suo perfectas super dubio virtutum aut Martyrii, cum agitur de causis procedentibus per viam cultus immemorabilis, aut casus excepti: secundo, statuimus, hoc ipsum genus probationis subsidiariæ admitti posse in causis procedentibus per viam non cultus in dubio virtutum & Martyrii, si sine culpa Postulatorum testes de visu haberi non potuerunt, & si ex omnibus probationibus subsidiariis simul junctis moralis consurgat certitudo virtutum aut Martyrii: tertio, in causis procedentibus per viam cultus immemorabilis, aut indulti Apostolici, duo miracula (ut antea) non sufficere, probatis virtutibus vel Martyrio, pro impetranda Canonizatione, sed quatuor esse necessaria: quarto, in causis procedentibus per viam non cultus, & in quibus virtutes aut Martyrium fuerunt probata per probationes directas & per testes de visu, duo miracula (ut antea) sufficere pro Beatificatione, & duo alia quæ supervenerint, pro Canonizatione: quinto, in iisdem causis procedentibus per viam non cultus, si virtutes aut Martyrium probata sint per testes de auditu & probationes subsidiarias, non sufficere duo miracula pro Beatificatione, sed quatuor esse omnino necessaria, & præter hæc, alia duo quæ post indultam Beatificationem supervenerint, pro impetranda Canonizatione: ultimo miracula semper, & in quacumque causa debere probari per testes de visu, de quo etiam in capite subsequenti. Diebusque elapsis coram Nobis proposita in Congregatione generali Sacrorum rituum causa super martyrio & causa martyrii Ignatii Azevedi & aliorum triginta novem e Societate Jesu, causa inquam procedente per viam non cultus, & in qua solæ aderant subsidiariæ probationes, iisdemque recognitis in genere suo perfectis, aliisque ponderatis circumstantiis in decreto legendis, decretum edidimus, de quo in ultimo hujus capitis paragrapho.

25. En verba decretorum.

Neapolitana Beatificationis & Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli Clericorum Regularium Minorum Fundatoris.

PRoposita nuper in Congregatione generali coram SS. D. N. Benedicto Papa XIV. sub die vigesima prima Martii proxime præteriti per Reverendiss. D. Cardinalem Bellugam Relatorem deputatum causa Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli Fundatoris Clericorum Regularium Minorum super dubio: An constet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, & Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, ac Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu & ad effectum &c. Sanctitas sua, perlectis relatisque omnium Consultorum, & auditis Reverendiss. Cardinal. suffragiis, tunc quidem responsum censuit differendum, ut in tam gravi re Dei etiam consilium & suis & aliorum precibus exquireret: postmodum autem celebrato hac etiam de causa sacrosancto Missæ sacrificio, accitisque coram se R. P. D. Promotore Fidei, meque infrascripto Secretario, ejusdem sacræ Congregationis sententiam approbando declaravit: virtutes prædictas ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem miraculorum, in casu & ad effectum &c. Sed cum ex testibus de auditu tantum, multiformiter licet adminiculatis, fuerint probata; ut, quod virtutum probationi defuit, miraculorum eas confirmantium probatione suppleatur, ad Servi Dei Beatificationem non ante deveniendum esse censuit, quam miracula omnino quatuor probentur ex testibus de visu, atque approbentur, juxta formam infrascripti decreti generalis eam ob rem editi hac ipsa die Dominica tertia post Pascha 23. Aprilis 1741.

D E C R E T U M G E N E R A L E.

CUm in Congregatione generali habita coram SS. D. N. Benedicto Papa XIV. die vigesima prima Martii proxime præteriti, occasione agendi de virtutibus Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli Congregationis Clericorum Regularium Minorum Fundatoris, earumque sufficienti probatione generatim etiam quæsitum atque acriter disputatum fuerit, possent ne unquam aut deberent haberi satis probatæ ad effectum, de quo agitur, virtutes alicujus sine ullis testibus de visu; Sanctitas sua, perlectis Consultorum, & auditis Reverendiss. Cardinalium tunc suffragiis, neque postea secum aliis etiam mature perpensis & pertractatis, ad ambages quascumque certa & clara lege desuper tollendas, ita censuit distinguendum.

Ut in causis Beatorum procedentibus per viam cultus sive a Sede Apostolica indulti, sive per tempus immemorabile delati, non recedatur ab antiqua praxi admittendi virtutum aut Martyrii probationem, quam vocant subsidiariam, conflatam ex testibus quidem tantum de auditu quandoque a videntibus, quandoque non, sed variis tamen roboratam adminiculis, ad faciendam viro prudenti ac de re gravi judicaturo auctoritatem & fidem idoneis, ad quæ rite colligenda & seligenda sunt a Majoribus nostris litteræ & processus compulsoriales ordinati: cum æquum sit, & antiquitatis & cultus haberi rationem; neque ne-

gari possit quin magnum sanctitatis argumentum sit, quod quis colatur propter sanctitatem. Tametsi etiam in Beatis, & antiquis, ubi testes de visu habeantur vel haberi possint, ex his, & non ex solis testibus de auditu, eorum virtutes aut Martyrium (quemadmodum & in variis hujusmodi causis factum est) probari debent.

Ex quadam etiam æquitate, ne interdum scilicet contingat, causas, Dei atque hominum judicio cæteroquin promoveri dignas, ex solo testium de visu quandoque non culpabili defectu, jacere omnino & perpetuo derelictas; præsertim cum, neque raro, claris de cælo signis & prodigiis auditur Deus hujusmodi defectu non attento, amicum suum, ut superius ascendat, invitare: possit eadem subsidiaria probatio admitti & in causis simplicium Dei Servorum per viam non cultus procedentibus: quando tamen non constiterit, primos auctoritate ordinaria processus fuisse dolo malo aut culpabili negligentia tamdiu dilatos, donec testes de visu nulli superessent; & quando etiam, comperto ejusmodi testium defectu, sacræ tamen Congregationis consilio signata causæ fuerit commissio, & litteræ remissoriales ad processus auctoritate Apostolica faciendos expeditæ, nulla cum spe testium de visu in ipsis audiendorum.

Atque in his causis deinde suffragium laturi ubi ex dicta probatione subsidiaria, omnibus simul rite & recte pensatis, talis ac tanta (ipsorum Judicio) exsurgat veri Martyrii, aut virtutum heroicarum moralis (ut ajunt) certitudo, qua non impossibile quidem, sed imprudens (ipsorum pariter sententia) reddat judicium de opposito; ne qua ex diversitate respondendi oriatur deinde sententiarum ambiguitas, hac ferme formula respondeant seu rescribant: virtutes in gradu heroico, aut Martyrium ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem miraculorum, in casu & ad effectum, de quo agitur.

Simul tamen, ne juris rigor in his causis adhiberi nedum solitus, sed & necessarius, ullo pacto relaxetur: sed quod ex humano testimonio deerit, Divino compensetur: miracula primum quidem quæcumque in causis sive Beatorum ad Canonizationem, sive Servorum Dei ad Beatificationem, nonnisi ex testibus de visu quoad substantiam approbentur; nulla ratione habita illorum, quæ in processu ex solis testibus de auditu deposita, & quantiscumque documentis confirmata perlegantur: cum nova alia subinde miracula, testibus de visu plene comprobata, possint quotidie, si Deus voluerit, supervenire.

Deinde vero cum in causis Beatorum per viam cultus immemorabilis, aut indulti procedentibus, de stylo præsenti sit, ut approbato jam ex testibus de auditu (ut supra dictum est) adminiculatis Martyrio aut virtutibus in gradu heroico, ex duobus deinde miraculis ad solemnem eorum Canonizationem deveniatur; in posterum non duo, ut hactenus, sed quatuor ad eorum Canonizationem probari debeant miracula, & quidem (ut dictum est) ex testibus de visu.

In causis autem simplicium Servorum Dei procedentibus per viam non cultus servetur quidem qui jampridem invaluit mos, ut probatis ex testibus de visu virtutibus, & duobus deinde miraculis ad Beatificationem procedatur. At ubi virtutes aut Martyrium ex testibus de auditu (ut supra) fuerint probata; non duo, ut hactenus, sed quatuor omnino ad Beatificationem, ac deinde duo alia post illam facta, ut moris est, ad eorum Canonizationem ex testibus pariter de visu debeant approbari. Atque ita servandum Sanctitas sua censuit, decrevit, & mandavit hac die 23. Aprilis 1741.

Brasilien. Beatificationis & Canonizationis seu Declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei Ignatii de Azevedo & aliorum triginta novem e Societate Jesu.

26. CUM in causa Venerabilium Dei Servorum Ignatii de Azevedo provinciæ Brasiliæ Præpositi, ac triginta novem aliorum e Societate Jesu die 15. Julii 1570. dum in Brasiliam Evangelii prædicandi causa a S. Francisco Borgia missi navigarent, ante insulam Palmæ ab impiis Calvinistis in odium Catholicæ Fidei ac Sedis Apostolicæ variis modis occisorum, relato jampridem per clar. mem. Cardinalem de Torres processu desuper auctoritate ordinaria confecto, sacrorum rituum Congregatio die 20. Maji 1628. communi omnium consensu & voto ad specialem Martyrii ejusque causæ inquisitionem, absque aliis processibus in genere, tam in Curia quam extra illam deveniri posse censuerit; reque ipsa, sublata de medio per clar. mem. Cardinalis de Lugo tunc sacræ Theologiæ Professoris, aliorumque insignium Theologorum responsiones oppositione de voluntarietate Martyrii, ab extra, & non a Promotore Fidei tunc excitata, die 12. Maji ejusdem anni 1628. litteras remissoriales expedierit ad quatuor processus in specie super Martyrii ejusdem causa; & signis seu miraculis, auctoritate Apostolica extra Curiam Bahiæ in Brasilia, & Brachara, Conimbricæ, & Eboræ in Lusitania faciendas, in Curia vero duos alios, unum die 15. Decembris 1640. Sanctissimi tunc Provicario clar. mem. Cardinali Sancti Honuphrii, sive Illustriss. DD. Octavio Corsino Archiepiscopo Tarsensi, Lelio Falconerio Episcopo Thebarum, & Joanni Baptistæ Alterio Episcopo Camerinensi, atque alterum die 24. Januarii 1665. clar. mem. item Vicario Cardinali Ginetto, sive Illustriss. DD. Jacobo Theodulo Archiepiscopo Amalphitano, Joanni Antonio Capoblanco Episcopo Syracusano, & Camillo Piazza Episcopo Dragonensi pariter subdelegatis commiserit formandos.

At post remotum anno 1625. cultum publicum ex usque Servis Dei, Ordinariorum & Sedis etiam Apostolicæ tolerantia, exhibitum, dicto ad relationem clar. mem. Antonii Cardinalis Barberini die 15. Septembris 1640. constare de paritione decretis de non cultu; postque admissam die 13. Julii 1649. referente clar. mem. Cardinali Columna, per sacram Congregationem, signatamque manu fel. record. Innocentii Papæ X. Commissionem reassumptionem causæ in statu ac terminis, in quibus tunc reperiebatur, approbata die 31. Augusti 1669. ad relationem clar. mem. Sigismundi Cardinalis Chisii validitate utriusque processus Romani, sanatisque 21. Januarii 1671. per san. mem. Clementem Papam X. defectibus quibusdam in supradictis quatuor processibus Brasiliæ ac Lusitaniæ; die 2. Maji subsecuti, ex indulto speciali per Oratorem Sereniss. Regis Portugalliæ Comitem de Prado Marchionem de Minas impetrato, propositum a clar. mem. Cardinali Rospilioso fuerit in Congregatione præparatoria dubium de Martyrio & ejus causa, complicatum cum dubio de signis seu miraculis: auditaque postridie relatione, Pontifex responderit, propositionem causæ in Congregatione generali differendam esse, ad coadjuvandas & dilucidandas probationes.

Istis autem magnopere postea illustratis & corroboratis in altera præparatoria, quæ die 28. Martii 1719. coram undecim Reverendiss. Cardinalibus est habita, separatim a signis seu miraculis propositum a clar. mem. Cardinali Ottobono fuerit dubium de Martyrio ejusque causa, cum opportunis animadversionibus SS. D. N. Benedicti Papæ XIV. tunc Fidei Promotoris, qui statim deinde dandas censuit, deditque postremas animadversiones suas pro Congregatione generali; hæc autem Divino consilio factum sit, ut coram ipsomet jam summo Pontifice nuper, nimirum die 4. Septembris decurrentis, fuerit habenda: propositoque in ea per Reverendiss. D. Alexandrum Cardinalem Albanum dubio cum hodierno Fidei Promotore R. P. Ludovico de Valentibus antea concordato: An constet de Martyrio & causa Martyrii, in casu & ad effectum, de quo agitur, idem Sanctiss. Dominus noster, perlectis relatisque Consultorum, & auditis Reverendiss. Cardinalium concordibus suffragiis, tunc quidem distulerit responsum, donec in re tam gravi prius Dei consilium suis & aliorum precibus exquireret.

Nunc denique sacrosancto Missæ sacrificio in templo S. Andreæ in Quirinali ad majorem aram ante Imaginem S. Francisci Borgiæ (ut lumina a Deo per illum imploraret, qui horum in obitu Servorum Dei consultus, an orandum pro illis esset ac solita pro mortuis suffragia persolvenda; de Patrum sibi tunc Societati universæ præposito assistentium consilio respondit, pro quadraginta utpote Martyribus orandum non videri) celebrato; attentaque potissimum in causa hac (ultra perfectam in genere suo subsidiariam, quam vocant, Martyrii probationem) antiquitate ipsius, & circumstantia cultus publici his Dei Servis a die obitus eorum usque ad fel. record. Urbani Papæ VIII. decreta exhibiti (quæ duo hac in causa suffragatoris san. mem. Clemens Papa XI. die 8. Aprilis 1704. peculiari rescripto præscripsit attendenda) pii etiam Sereniss. D. Joannis V. Regis Portugalliæ precibus per datas nuper Sanctitati suæ litteras expressis benigne inclinatur: memorato Fidei Promotore, meque infrascripto Congregationis Secretario coram accitis, ejusdem sacræ Congregationis sententiam approbando, declaravit, in causa Venerabilium Dei Servorum Ignatii de Azevedo ac triginta novem Sociorum ejus, Martyrium & Martyrii causam ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem signorum seu miraculorum juxta formam decreti generalis die 23. Aprilis 1741. editi: atque ad eorum præcipue, qui Catholicæ Fidei qua plantandæ, qua propagandæ, qua defendendæ causa inter barbaros Idololatras, aut perfidos Hæreticos in

cos in

tos in assiduo vitæ periculo versantur, solatium non minus quam incitamentum, & decus etiam insigne Nationis ac Religionis, quam prædicti Servi Dei fortiti ac professi sunt, de Sede Apostolica & de Fide Catholica optime meritæ, utpote quam fuso largiter non sudore modo, verum etiam, ubi opus est, sanguine fortiter tuetur, præsens Declarationis decretum in lucem edi ac publicari mandavit hac die S. Matthæo Apostolo sacra 21. Septembris 1742.

CAPUT QUARTUM.

De sententia Congregationis sacrorum rituum, & de præsenti Sedis Apostolicæ praxi quoad testes de auditu, cum agitur de miraculis; & quoad testes singulares, quando agitur de virtutibus, aut de miraculis in causis Beatificationis & Canonizationis.

1. ACTUM est *in capite præcedenti* de probatione virtutum; nunc agendum est de probatione miraculorum, & inquirendum, utrum (saltem in antiquis) probari possint per testes de auditu; vel per unum testem de visu & alios de auditu, an potius necesse sit juxta præsentem sacræ Congregationis praxim, ut per testes contestes de visu comprobentur. Jam alibi visum est, summum Pontificem Urbanum Papam II. sic respondisse Benedicto Abbati Canonizationem Beati Gurloesii sive Guolgosii postulanti, uti legitur *to. 4. Galliæ Christianæ antiquior. edit. an. 1656. pag. 553. Porro, quod de Beati Gurloesii celebratione ab auctoritate nostra judicium expetisti, non eadem potuit facilitate concedi: non enim Sanctorum quisquam debet canonibus adscisceri, nisi & testes adsint, qui ejus miracula visa suis oculis attestentur, & plenariæ Synodi communi firmetur assensu.* Quæ verba sic illustrat sæpe memoratus Pater Christianus Lupus (*in Concilia provincialia & generalia tom. 3. pag. 569. antiquior. edit.*): *Per oculatos testes probata miracula merito requisivit Urbanus II. Hinc duos Cardinales, qui in canonizandi Sancti Imperatoris Henrici miracula inquirerent ab ejusmodi testibus, Eugenius III. legavit in Germaniam. Agitur enim hic de declarando occultissimo in defunctum hominem Divino judicio, quod sine Divina, quæ passim per miracula fit, attestatione non posse fieri, est manifestum. Miracula sunt Divinæ Majestatis ad nos loquela.*

2. Concors est etiam sacræ Congregationis observantia, teste Cardinali de Laurea *in 3. lib. sent. tom. 4. disp. 20. art. 25. §. 4. num. 1119. & seqq.* cujus dicto multum deferendum est, cum plurimum annorum spatio sacrorum rituum Congregationi interfuerit uti Consultor & uti Cardinalis. Sic enim præmittit: *Ultima autem primi argumenti consequentia, quod multo minus possit extendi ad probanda miracula, sic probo. Primo, quia causæ Ecclesiasticæ per Canones judicandæ sunt, ex Julio I. in epistola ad Orientales: Canones autem statuunt, omnia esse probanda per testes de visu (excepta causa affinitatis & consanguinitatis) ut late patuit in §. 2. Secundo, Doctores pro testibus de auditu alieno in antiquis docent, quod, si agitur de alterius præjudicio, non sufficiunt: sed in probatione miraculi agitur de alterius præjudicio, quia de deceptione Ecclesiæ in re gravissima, & ex majoribus. Tertio, nullus concedit, in causa criminali admittendos esse testes de audito: ergo neque in causa probandi miraculi; est enim gravior quam criminalis, quia hic fieret præjudicium uni personæ vel familiæ, in causa miraculi fieret præjudicium Ecclesiæ & religioni. Quarto, miraculi probatio est fundamentum decreti Canonizationis: ergo debet esse major, quæ fieri potest inter homines. Antecedens probatur. Quamvis pro Canonizatione sit necessarium probare virtutes in vita, & miracula post mortem, ut sæpe probatum est ex Constitutionibus diversorum Pontificum; si tamen daretur casus, quod de virtutibus alicujus non haberetur notitia, quia antiquus, & nullus scripsit ejus gesta, tamen post mortem miracula patrarentur in ejus sepulchro, vel ad invocationem, aut contactum Reliquiarum illius, hæc sufficerent ad canonizandum. Prima consequentia probatur, si enim adhibeantur testimonia de auditu alieno, non curatur omnimoda certitudo moralis quæ haberi potest inter homines, & Ecclesia videretur tentare Deum, ut vellet confirmare, seu potius assistere illi ad faciendum decretum de canonizando, non præmissa diligentia summa quæ fieri potest inter homines, sed ea solum, cui potest facile subesse deceptio; quia vel postremus auditor qui deponit, vel aliquis intermedius ex præcedentibus rem auditam ut incertam, narravit ut certam; vel ipse primus qui dixit, fortasse non vidit, sed, sicut regulariter accidit, ipse quoque ex rumore, vel dicto incerti auctoris scivit & dixit, & ita nullum adest solidum fundamentum, quod saltem primus viderit; vel ipse alicujus Servi Dei devotus aliqua in ejus honorem dixit, quæ probabiliter accidisse tenebat: igitur nunquam admittenda est hæc per auditum probatio, cujuscumque sint conditionis testes & cum quibusvis circumstantiis.* Transit deinde ad praxim hujus sacræ Congregationis *num. 1120.* atque ita subdit: *Probatur secundo ex praxi sacræ Congregationis rituum, cui tot annis inservio: nunquam enim testes de auditu admissi sunt ad probanda miracula, etiam antiqua. Vidi multum laboratum in causa B. Joannis de Capistrano pro antiquis miraculis sic probatis, immo & cum fama & historiis, neque tamen admissis: multum pariter in aliis tribus vel quatuor causis antiquorum miraculorum, quæ per famam & per testes de auditu eorum qui viderant miracula, &, quod plus est, etiam cum uno teste de visu illis adjuncto: nec tamen admissa fuere. Quid clarius?*

3. Ad rem de qua agimus, plura adhuc subduntur a Patre Matthæuccio olim Consultore sacræ Congregationis *in pract. Theologo-Canon. ad causas Beatificat. & Canonizat. tit. 3. cap. 5. §. 3. num. 19. Extrema autem miraculi non probant testes de auditu alieno ex communi regula, quod de certa scientia deponere non possunt: quia actu non interfuerunt &c.* & num. 20. *Et procedit etiam, si versemur in antiquis:* Et rursus *num.* 24. *Nec concludentem probationem inducit testis de auditu alieno conjunctus cum teste deponente de visu super miraculo. Non enim probatio est plena, & juxta legem Divinam & Canonicam &c. Nec testis de visu facit, ut alterius probatio, quæ de se non sufficit, sufficiat & reddatur semiplena, sed remanet illa de visu in suo gradu semiplenæ, & alia de auditu tanquam adminiculum. Quapropter non est recipienda opinio Doctorum & Canonistarum qui scripserunt, testibus de auditu probari in antiquis miracula, cum non procedant in hujusmodi causis gravissimis secundum legem Canonicam & Divinam, nec servent stylum & praxim Apostolicæ Sedis, quæ semper in dictis causis summum rigorem & maximas diligentias servavit.* Me autem tamquam Fidei Promotore sæpius opponente in causis procedentibus per viam non cultus, in quibus pro virtutibus probandis afferebantur testes de auditu, probationem per testes de auditu sive proprio sive alieno non sufficere in causis Beatificationis & Canonizationis, sed probationem debere constitui in testibus de visu; responsum fuit a Postulatoribus, hæc & similia sibi vindicare locum non in probatione virtutum, sed in probatione miraculorum, tum quia, ut ipsi sibi blandiebantur, lata lex est de testibus de visu in probatione miraculorum, sive causa procedat per viam non cultus, sive per viam casus excepti, non vero in probatione virtutum, etiamsi causa procedat per viam non cultus; tum quia nova miracula supervenire possunt, si antiquorum probatio deficiat, quod in virtutibus contingere non potest.

4. Explicata quæstione de testibus de auditu, superest, ut verba habeantur de testibus singularibus singularitate *adminiculativa*, non adversativa, ut supra expositum est: & licet prius agendum esset de virtutibus & Martyrio, deinde de miraculis, cum tamen in antecedenti paragrapho sermo habitus sit de miraculis, eamdem miraculorum materiam prosequemur, deinde transitus fiet ad virtutes & ad Martyrium.

5. Miracula in causis Beatificationis & Canonizationis perpenduntur & examinantur, si res sit de causis procedentibus per viam non cultus, ante Beatificationem; tum post Beatificationem perpenduntur & examinantur ea quæ supervenerunt, ut obtineri valeat Canonizatio; in causis autem procedentibus per viam casus excepti miracula perpenduntur & examinantur, quæ post indultam venerationem supervenerunt. Porro, quamvis dubium proponatur, an constet de miraculis, in individuo tamen assumitur examen, an hoc aut illud excesserit fines naturæ, ita ut inter miracula sit recensendum. Quapropter, cum non agatur de fama miraculorum, sed an hoc aut illud factum miraculo sit adscribendum;

nec

nec ullo modo exaggerata juris regula de conjungendis probationibus imperfectis, cum res est de probando genere, aptari possit judicio, quod in causis Beatificationis & Canonizationis particulariter assumitur super dubio miraculorum: concors est tum Scriptorum, tum sacræ Congregationis sententia, in unoquoque miraculo requiri testes contestes, nec sufficere, si unus testis deponat de uno miraculo, alius de alio. Ita respondent antiquiores, Antonius a Butrio, Felinus, & Marianus Socinus, quorum verba hic subnectuntur, Antonius a Butrio *in cap. Cum oporteat, sub n. 20. de accusat. Idem tenuit Vincentius ... & recitat Archidiac. & unde dicit, quod testes non probant, si dicant talem Sanctum, & unus dicit, quia liberavit talem de arido pede, & alter, quod alterum de oculo &c. Si autem causæ se habent ad totum, quia non inferunt ut partes, sed ut causæ multiplicantes idem totum in specie, tunc non probant; ut in exemplo de miraculis, quia quodlibet de per se infert unum miraculum totum.* Felin. *in cap. Licet ex quadam sub n. 2. col. 810. de testib. & attestat. Et ideo, si unus testis dicit, quod talis fecit miracula, quia vidit eum sanantem cæcum, alius dicit, quod liberavit claudum; isti non probant, etiamsi essent mille, quorum quilibet attestaretur de uno miraculo ..., quia isti actus multiplicati, de quorum quolibet constaret per duos testes, bene probarent, quem fecisse miracula; sed, ex quo nullus de illis actibus probatur plene, sed quilibet habet testem unicum, & non agitur de universali probando, sed ut habeatur certitudo de aliquibus miraculis, non possunt dici contestes.* Marianus Socinus *in cap. Qualiter & quando 24. sub n. 583. de accusat. Et adverte pro declaratione, quia aliud est velle probare T. homicidam S. & aliud est velle probare, quod T. sit homicidiosus, hoc est, quod in eo insit qualitas viri sanguinolenti. Item aliud est velle probare, quod Frater Bernardinus fecit tale miraculum, quia unusquisque testis debet deponere de illo, & aliud est probare, quod sit vir miraculosus, ita quod hæc qualitas faciendi miracula sit in eo; nam in prædictis casibus & similibus probatur qualitas per pluritatem miraculorum, & quanto magis multiplicantur, tanto melius probatur, quod quæritur.* Ita quoque respondent recentiores, Rocca *de Canonizat. SS. cap. 32.* ubi agit de probatione miraculorum: *Testes insuper in hanc rem tam gravem & arduam adhibendi sunt de singulis eorumdem miraculorum circumstantiis diligenter interrogati; qui, ut clariorem veritatis rerumque gestarum testificationem efficiant, contestes de una & eadem re esse debent, & plures quidem: si enim unus de re singulari, alter vero de re testetur altera, tanquam testes singulares, ut juris Peritissimis placet, nihil profecto probant,* Castellinus *de dilat. Canonizat. Sanctorum, pag. 94. Animadvertimus quoque, & optime, quod si unus testis deponat de uno miraculo, alius vero de alio miraculo, illorum probatio non admittitur tanquam sufficiens, præsertim in maximo Canonizationis negotio: & ratio est, quam communiter assignant Juristæ, quia quælibet prædictorum testium probatio tendit non ad unum & ad idem, sed ad diversa.* Matthæuccius *in oper. cit. tit. 3. cap. 5. § 2. n. 29.* ubi ait, ab hac sententia recedendum non esse in negotio Canonizationis arduo, & magni ponderis, Procuratores quidem & Advocati patrocinium præstantes causis Beatificationis & Canonizationis in suis scripturis aliquando dixerunt, mitius & per leviores probationes esse procedendum, cum agitur de miraculis Beatificati ad impetrandam Canonizationem directis, quam quando agitur de miraculis pro Beatificatione obtinenda. Sed, cum ipse tanquam Fidei Promotor in meis animadversionibus differentiam prædictam minime adstruendam censuerim, cum sive res sit de miraculis ante, sive post Beatificationem, negotium arduum sit & magni momenti, cumque in utroque casu proponatur disputationi dubium, *An constet de miraculis*, & cum certa debeant esse documenta, ut cultui *permissivo* ex indulto Ecclesiæ in aliquibus locis exercito succedat cultus præceptivus ad universum orbem terrarum extensus; sacrorum rituum Congregatio a stricto miraculorum examine, etsi post indultam Beatificationem patratorum, recedere noluit, atque adeo horum miraculorum probationem semper rejecit, quoties in testibus de visu contestibus, & minime singularibus non esset constituta. Quod si in dubio miraculorum sive ante, sive post Beatificationem patratorum nonnulla afferantur miracula probata per testes contestes, nonnulla probata per testes singulares, hæc utique pro causæ ornatu & majori splendore legi poterunt & in aliquo pretio haberi, sed super eis nullum editur a sacra Congregatione responsum, nisi quatenus Postulatores instent pro eorum approbatione, tunc enim respondebitur, *Non constare*; & ideo multo minus eis inniti poterit judicium Beatificationis aut Canonizationis, ut bene indicant Pasqualig. ad Lauret. de Franchis *de controv. inter Episc. & Regul. n. 1184. & seq.* & Bordon. *de mirac. med. 32. an. 14. ad n. 19.* & ad rem bene subdunt Rotæ Auditores in prima relatione de miraculis S. Teresiæ *art. 3.* ubi, postquam dixerunt, non deesse graves Doctores asserentes, miracula etiam probari per testes singulares, sic habent: *Nihilominus, cum haberemus plura alia miracula per plures testes comprobata, judicavimus, supradicta per singulares testes confirmata tanquam mirabilia & notatu digna, & maxime ad sanctitatis istius Servæ Dei manifestationem conducentia hic recensere, & ad alia miracula in ejusdem Virginis transitu, & post illum per Deum omnipotentem operata, & plurium testium numero probata transire.*

6. Magis involuta est controversia, si de virtutibus tractetur. In dubio quippe virtutum non agitur de judicio ferendo super hoc vel illo actu, sed potius super habitu. In quo rerum themate sufficiens esse videtur probatio virtutis Charitatis, si unus testis de uno actu Charitatis, alius de alio, & sic successive testimonium ferant: licet enim probationes descendentes a testibus singularibus non sint nisi semiplenæ, si simul tamen jungantur & ad probationem habitus dirigantur, videntur ad gradum plenæ probationis posse elevari. At, si quoad probationes causæ Beatificationis & Canonizationis, etiam in dubio virtutum, quantum fieri potest, æquiparantur causis criminalibus, in quibus proceditur ad pœnam ordinariam, insufficiens erit probatio quæ constituitur in testibus singularibus. Ita porro sentiunt Matta *de Canonizat. SS. part. 4. cap. 20. num. 17.* & Matthæucc. *in oper. cit. tit. 5. cap. 2. quæst. 2. num. 33. & seqq.* exclusa quacumque dubitatione quoad punctum causarum criminalium, cum concors sit tum exterorum tum nostrorum opinio, testes singulares, etiam singularitate *adminiculativa*, non probare plene, sed semiplene, & ideo ad effectum vel inquirendi vel torquendi, ut adnotat Mynsinger *observat. centur. 5. observat. 33. per tot.* & præsertim *num. 2. & num. 4.* non autem ad effectum infligendæ pœnæ ordinariæ; uti plene, discussa materia, prosequitur Raynaldus *in supplement. oper. criminal. suppl. 7. ad cap. 32. dub. 2. per tot.* & signanter *num. 56.* Adhæret eidem sententiæ Pignatellus *consult. 110. per tot. tom. 8.* & signanter *num. 19.* ubi ait, neminem ex testimonio testium singularium singularitate non *obstativa* tanquam hæreticum damnari posse ad pœnam ordinariam; & Cardinalis Albitius *in tr. de inconst. in Fide c. 15. n. 8. & seqq.* (relata opinione Sousæ *in quæst. supra alleg.* in qua, uti vidimus, defendere conatur, testes singulares singularitate *adminiculativa*, imo *obstativa* plene hæresim probare) inquit, eam opinionem respectu pœnæ ordinariæ nedum esse erroneam, sed omnino juri contrariam, & a sacra Congregatione sanctiss. Inquisitionis Romanæ rejectam, additque, licet in crimine Sollicitationis non possint admitti nisi testes singulares, atque adeo in bulla Gregoriana statuatur, Sacerdotes sollicitantes ex depositione testium singularium posse tradi brachio sæculari, eamdem tamen ad terrorem sic statuere, nec unquam in hac parte fuisse executioni mandatam, admittit vero probationem testium singularium, cum agitur de probando actu successivo, & saltem moraliter individuo, puta, si unus testis deponeret, se vidisse Titium non Sacerdotem tali die in tali templo, aut sacrario vestibus Sacerdotalibus indutum, alius eodem die eodemque loco vidisse eumdem Titium recitantem Epistolam vel Evangelium Missæ, quam celebrabat, alius vidisse eumdem Titium ad idem altare eodem pariter die eodemque loco Hostiam elevantem: in hac quippe facti specie ait, testes singulares probare celebrationem factam a Titio; secus autem, si unus testis deponeret, se vidisse Titium celebrantem die Martis, alter vero die Jovis, quia tunc probata celebratio dici non posset, saltem ad effectum imponendi pœnam ordinariam referri potest. Ad rem, de qua nunc agimus, referri potest doctrina quoque Cardinalis Cajetani *ad 2. 2. D. Thomæ quæst. 70. art. 2. Distinctio illa de testibus qui sunt singulares, vel contestes, regulariter habet locum, ut per singulares nullus damnetur. Quia tamen multi singulares testes in factis iterabilibus violentam suspicionem inducunt, ut, si unus vidit aliquem committere unum furtum, & alius vidit eumdem committere aliud furtum, & sint testes omni exceptione majores, inter Religiosos quando quis existimatur alias tali vitio involutus, aut numerus multus talium contestium concurrat, si arctatus non confitetur, inveniri videtur quan-*

doque

doque subsecata condemnatio multorum Patrum consilio fulta; & licet hoc non sit secundum juris rigorem, ubi tamen absque tormentis proceditur non tam ad puniendum, quam ad salutem animæ & Regularis observantiæ favorem, tolerabile videtur, ut hæc probabilitas sufficiat ad certitudinem inter eos qui mortui sunt mundo. Quia tamen reus non potest ad hujusmodi sententiam tolerandam cogi, deberet ex hujusmodi indiciis per tormenta, religiosa tamen, veritas exquiri, ut sententia non feratur, nisi contra confessum vel convictum juxta sacros Canones.

7. Favet huic assumptioni praxis Congregationis sacrorum rituum. Excitata quippe a Fidei Promotore oppositione adversus probationem virtutum aut Martyrii, tanquam minime sufficientem, utpote constitutam in testibus singularibus, singularitate licet *adminiculativa*; Postulatores ipsi bene conscii, difficile futurum esse huic oppositioni in jure respondere, elenchum testium contestium quoad hos & illos actus virtutis non sine magno labore componere curarunt, vim probationis constituentes in testibus contestibus de his & illis actibus, validumque adminiculum subinde reponentes in ceteris actibus comprobatis per testes singulares. Ita nimirum res se habuit in causa S. Francisci Regis super dubio virtutum, & in aliis plerisque. Nil etenim prohibet, quin, probatis pluribus actibus Charitatis ex. gr. per testes contestes hujus virtutis, probatio hæc non leve adminiculum recipiat ab aliis actibus ad eam pertinentibus, quamvis per testes singulares comprobatis.

8. Re itaque ad hos terminos redacta, relationes ipsæ Auditorum Rotæ quæ adversari videntur, congrue explicari possunt, ut sibi vindicent locum in hypothesi, in qua testes singulares testimonium reddant de actibus determinatæ virtutis, in cujus tamen probatione non desint testes contestes de aliis actibus deponentes. Sed, quia fortasse hæc explicatio apta dijudicari non poterit quoad relationes in superioribus allegatas, in quibus admittitur in puncto miraculorum probatio per testes singulares, duo adnotanda supersunt. Primum est, fere semper in relationibus, in quibus iidem Rotæ Auditores ostendere conati sunt, miracula probari sufficientes posse per testes singulares, non defuisse miracula probata per testes contestes. In relatione quippe edita in causa S. Francisci de Paula, in qua omnia adducta sunt quæ poterant adduci pro adstruenda sufficientia probationis per testes singulares in dubio miraculorum, subduntur hæc verba: *Suadentur etiam, quæ dicta sunt, ex eo, quia multa miracula per contestes probantur.* Consimilia sunt ea quæ habentur in relatione S. Raymundi *art.* 8. ubi post relatam opinionem quæ exposcit testes contestes in dubio miraculorum, sic subditur: *Nos in hac causa hanc potissimum sententiam secuti sumus, quia, cum haberemus plura miracula probata per plures testes, non compellebamur amplecti sententiam illorum, qui dicunt, sufficere probare miracula per testes singulares; quamvis, ut paulo antea dictum est, non sit simpliciter rejicienda illa opinio, quæ asserit, posse miracula probari per testes singulares.*

9. Alterum adnotandum est, satis non esse ad rem de qua agimus, ostendere, hoc illudve dictum fuisse in Rotalibus relationibus, sed oportere, ut demonstretur, id ipsum fuisse a sacra Congregatione receptum & a summo Pontifice confirmatum, ut alibi dictum est. Paulo ante scilicet visum est, sacram Congregationem noluisse in causa S. Didaci adhærere opinioni ab Auditoribus Rotæ admissæ de sufficientia probationum per testes singulares in dubio miraculorum: sed & in regestis plurima adsunt exempla positivæ reprobationis, exempla non approbationis, exempla moderationis & correctionis sacræ Congregationis quoad miracula, quæ fuerant ab Auditoribus Rotæ simpliciter approbata.

10. Sic in relatione S. Caroli Rota approbaverat etiam miracula de Margarita Veruta, de Clementia Aresia, de Beatrice Crispa: at 20. Martii 1610. *Non obstantibus iis, quæ DD. Auditores Rotæ scripserunt in eorum relatione pro approbatione miraculi de Margarita Veruta &c. Congregatio censuit, miraculum prædictum non esse sufficienter probatum ita & taliter, ut dici possit miraculum.* Mucantius *in Act. Canoniz. fol.* 114. item 12. Junii 1610. *Decimum quartum miraculum in ordine &c. juxta formam DD. Auditorum Rotæ in* 3. *part. de Clementia Aresia &c. ad partem ponendum esse dixerunt &c. & decimum quintum de Beatrice Crispa &c. ad partem etiam, ut de superiori, ponendum esse dixerunt. Ibidem fol.* 135. *a tergo & fol.* 136. Similiter in relatione S. Felicis Rota approbaverat quinque miracula: at sacra Congregatio 13. Septembris 1625. respondit: *Constare de quatuor miraculis, prætermisso quarto* regest. sacr. rit. *fol.* 109.

11. Sic in relatione S. Elisabethæ Rota approbaverat etiam tertium in vita, ac tertium post mortem: at sacra Congregatio 28. Septembris 1624. respondit: *De miraculis sufficienter constare, excepto tertio in vita, ac tertio in morte, de quibus nihil affirmat sacra Congregatio* (*regest. fol.* 79.) Similiter in relatione S. Isidori Rota approbaverat etiam septimum post mortem: at sacra Congregatio die 10. Julii 1621. miracula, quæ approbaverat, enumerans, transitu a sexto ad octavum immediate facto, septimum in ordine miraculum neque approbatum, neque reprobatum reliquit, *regest. fol.* 45. Item in relatione B. Gregorii X. Rota inter virtutes approbaverat etiam virginitatem: at sacra Congregatio 4. Maji 1630. respondit: *Constare de virtutibus; sed nihil ponendum esse in bulla Canonizationis de virginitate, donec aliter eadem sacra Congregatio decernat.* Qua temporis limitatione ostendit, se illam non positive reprobasse, cum particula *donec* habeat naturam suspensivam, maxime hic, ubi sacra Congregatio supponit possibilem, ac fortasse futurum casum, in quo aliter decernens illam approbet. Sic denique in relatione S. Caroli Rota approbaverat etiam decimum miraculum: at 24. Aprilis 1610. *DD. Cardinales decimum miraculum de Paula Angela Buttigella &c. non approbaverunt, nec reprobaverunt: in Act. Canoniz. fol.* 126. Tametsi deinde 15. Maji, re melius declarata, approbandum censuerunt: *ibid. fol.* 130.

12. Sic in relatione S. Hyacinthi DD. Cardinales 30. Junii 1592. *Quintum in ordine miraculum* (nimirum ab Auditoribus Rotæ approbatum) *reliquerunt propter scrupulum in eo exortum*; sed, data deinde ac bene examinata informatione, ut eam vocant, Auditorum Rotæ, 14. Julii, *Quintum miraculum concluserunt: in Act. Canoniz.* apud Fratrem Severinum *pag.* 333. & 338. Sic in relatione S. Raymundi 15. Septembris 1599. *De miraculo facto in persona cujusdam Barcelò* (a Rota tamen approbato) *amplius deliberandum decrevere:* sed postmodum 4. Octobris, *Censuerunt, miraculum de Barcelò semimortuo sensum recuperante verum fuisse miraculum, & sufficienter extitisse probatum.* Penia *in Act. Canoniz. pag.* 295. Sic demum in relatione S. Caroli 30. Jannarii 1610. *De signo, quod apparuit in nativitate Caroli* (ab Auditoribus Rotæ approbato) *Illustrissimi Domini pro majori parte judicaverunt, non fuisse sufficienter probatum*; sed postea 26. Junii, *Ex hactenus deductis de integritate, puritate, & virtutibus heroicis ipsius Caroli, & miraculis &c. approbaverunt etiam pro futuræ suæ sanctitatis signo seu argumento splendorem ortum in ejus nativitate, de quo DD. Auditores tractant in eorum relatione in* 2. *part. in principio*; in Act. Canoniz. *fol.* 96. *a tergo*, & 138.

13. Sic in relatione S. Didaci Rota approbaverat ut miraculosam corporis integritatem: at in Congregatione 18. Maji 1588. *De integritate corporis etiam est pertractatum, de qua censuerunt, non esse miraculum; ceteris tamen concurrentibus, admiratione & veneratione dignam, ac in relatione Consistorii, & postmodum in Canonizatione esse reservandam.* Penia *in Act. Canoniz. pag.* 147. Sic etiam in relatione S. Caroli allatum a Rota *decimum quartum argumentum ex eo, quod, Deo se protegente, scelesti sicarii ictum incolumis evasit &c. Illustrissimi Domini dixerunt esse ad propositum, non ad probandum miraculum, sed ad ostendendam constantiam Fidei suæ, cum percussus ab oratione non discesserit:* in Act. Canoniz. *fol.* 114.

14. Sic in causa S. Andreæ Corsini, propositis 15. Novembris 1610. in Rota decem miraculis, etsi rescriptum a Rota fuerat, *Probari, primum, secundum, & decimum facta, & esse miracula; cetera in hac informatione contenta non fuerunt rejecta, sed relicta in suo esse.* Quamobrem inter relicta erat sextum de Nicolao quodam Beati Reliquiarum derisore excæcato, postea illuminato, quod, quia ab uno Petro Andreæ de Castaneo Historico gravi quidem, sed unico narrabatur, Rota dixerat, non utique rejiciendum, sed relinquendum; hoc nihilominus placuit deinde Postulatoribus sacrorum rituum Congregationi extra relationem Rotæ in adjecta Positione proponere: at sacra Congregatio 27. Junii 1625. illud similiter excipiens respondit: *Constare de miraculis in morte, inter quæ non videri enumerandam illuminationem ab Auditoribus Rotæ prætermissam.*

CAPUT QUINTUM.

De numero testium in causis Beatificationis, & Canonizationis adhibendorum.

1. CERTUM esse videtur, duos aut tres testes sufficere qui sint contestes & de proprio sensu deponant, nec unum testem sufficere, ut aliquid probatum dici possit. Deuteronom. *cap.* 17. *v.* 6. sic legitur: *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium.* Et *cap.* 19. *v.* 15. *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit; sed in ore duorum, aut trium stabit omne verbum.* Et Matthæi *cap.* 18. *v.* 16. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Et Joannis *cap.* 8. *v.* 16. & 17. *Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater; & in Lege vestra scriptum, quia duorum hominum testimonium verum est.* Et 2. *ad Corinth. cap.* 13. *v.* 1. *In ore duorum vel trium stabit omne verbum.* Et *ad Hebr. cap.* 10. *v.* 28. *Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus, moritur.* Et 1. *ad Timoth. cap.* 5. *v.* 9. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

2. Concordant jura Ecclesiastica, & sæcularia. In Can. 74. intee eos, qui Apostolici dicuntur, sic statutum est: *In dictionem testimonii contra Episcopum Hæreticus non admittitor, sed neque Fidelis, si solus sit; in ore enim duorum, aut trium consistet omne dictum:* Alexandee III. *in cap. Cum esses, de testament.* statuit, valere testamenta, etiam quæ non sint facta ad pias causas, si facta sint non coram septem testibus, sed coram Parocho, & duobus testibus, atque adeo hæc habet: *Quia vero a Divina lege, & sanctorum Patrum institutis, & a generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum, cum scriptum sit, In ore duorum vel trium testium stet omne verbum; præscriptam consuetudinem improbamus, & testamenta, quæ Parochiani coram Presbytero suo & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere.* Et *in cap. Relatum*, ubi decernit valere testamenta ad pias causas, si facta sint coram duobus testibus, ait: *Quoniam scriptum est, In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Idem Pontifex *in cap. Veniens* 1. *de testib.* inquit: *Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus.* Et *in cap. Licet, eod. tit. de testib. Mandamus, quatenus, si inter vos, & quoscumque Judæos emerserit quæstio, in qualibet causa Christiani, & maxime Clerici, non minus, quam duorum vel trium virorum, qui sint probatæ vitæ & fidelis conversationis, testimonium admittatis, juxta illud Dominicum, In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Convenit & textus Paschalis Papæ *in cap. In omni negotio, eod. tit. de testib.* ubi decernit, principalem personam in testem esse admittendam, cum agitur ad correctionem de peccato impediendo: *In omni negotio principalis persona dicens veritatem de re sibi nota rectissime habenda est pro teste, cui adhibito uno efficiuntur duo testes, adhibitis duobus, efficiuntur tres. Quod patenter ostendit Dominus, cum dicit: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: quod si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum. Idem alibi affirmat dicens: Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me Pater; nam in Lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est.* Stephanus quoque Papa V. Hastulpho, vel (ut Fratres Pithæi malunt) Paulinus Episcopus Forojuliensis ad Hastulphum *in can. Admonere* 33. *qu.* 2. ait: *Nec ulla divina, humanaque lex unius testimonio, etiam idonea, quempiam condemnat vel justificat.* Demum Constantinus Imperator *in l. Jurisjurandi. C. de testib.* sic decernit: *Ut unius omnino testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat.* Quocirca celebris ille causarum Declamator Romanus ajebat: *Nunquam Romæ unico testimonio, etsi clarissimorum virorum, fidem fuisse adhibitam.* Et S. Hieronymus *lib.* 2. *adversus Rufinum num.* 24. *tom.* 2. hæc habet: *Unique testi nec Catoni creditum est.*

3. Quia vero nonnullæ causæ sunt, in quibus jura exigunt plures, quam duos testes, quemadmodum indicat Alexander Papa III. *in cit. cap. Licet* 1. *de testib. Quia, licet quædam sint causæ quæ plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur:* & quia item nonnulli sunt causarum articuli, & fortasse etiam quædam sunt causæ, quæ legitimo unius testimonio absolvi possunt, videndum est, an hæc subsistant & an sibi possint locum vindicare in causis Beatificationis & Canonizationis, de quibus agitur.

4. In can. *Præsul*, & in can. *Nullam* 2. *qu.* 5. decernitur, Præsulem damnari non posse, nisi adhibitis septuaginta duobus testibus, & sexaginta quatuor requiri ad condemnandum Presbyterum Cardinalem, & viginti septem ad proscribendum Diaconum Cardinalem. In Actis Synodi Sinuessanæ in causa Marcellini Papæ accusati de crimine idololatriæ (*tom.* 1. *collect. CC. Hard. col.* 218.) legitur testes receptos fuisse ad exemplum *libræ occiduæ*, quæ septuaginta duos solidos continebat: *Hi omnes electi sunt viri libra occidua, qui testimonium perhibent, se vidisse, eumdem Marcellinum thurificasse:* item, *Intra horum septuaginta duorum testimonia.* Addendum quod *in cap.* 9. Concilii Troslejani *tom.* VI. *part.* 1. *collect. CC. Hard. col.* 531. legitur: *Apostolus Timotheo præcipit, in cujus persona, ut Leo dicit, omnium Christi Sacerdotum numerum erudivit, ut accusatio adversus Presbyterum non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus; & sacrum Nicænum Concilium, neophytum Episcopum a duobus vel tribus testibus redargutum a Clero abstinere, præcepit. Sed, quia in historia Susannæ duo testes qui idonei videbantur, & in historia Nabutæ, verum & in historia Passionis Domini duo testes dixisse falsum testimonium, legimus &c. in accusatione Presbyterorum de numero testium idoneorum auctoritatem legum sequendam vidimus, ut septem scilicet testes idonei ut supra diximus requirantur, &, si ratio, vel causa coegerit, quatuordecim, vel viginti & unus testes quærantur, ut veritas patefacta monstretur.* Quocirca refert Innocentius Cironius *ad tit. Decretal. de accusat. in fin.* Clementem IV. *in epist.* 326. centum testes adhiberi voluisse in causa Episcopi Tolosani simoniæ, & fratricidii accusati.

5. Verum Canones supra allati 2. *quæst.* 5. explicari possunt, ut procedant, cum agitur de testibus vitæ non probatæ, qui adversus Præsulem testimonium ferant, uti admonet Gratianus *loc. cit. Sed hoc &c. intelligitur vel propter improbitatem quorumdam, qui, cum non sint spectatæ vitæ & scientiæ, in accusationem ministrorum Dei repente prosiliunt. Quorum vero vita adeo laudabilis est, ut in omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulli dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum vel trium testium quilibet jure convinci & damnari poterit.* Præterea addi potest, eos Canones desumptos esse ex Concilio Romano sub Silvestro Papa, quod inter Isidori Mercatoris merces ab Eruditis recensetur (ut alibi videbimus), & ad rem bene adnotavit Cabassutius *in notit. Eccles. sec.* IV. *pag.* 123. Præterquamquod inter cetera, quibus clar. mem. Cardinalis Norisius *in historia Donatist. par.* 1. *oper. tom.* 4. *col.* 128. & *seq.* Synodum illam Sinuessanam, in qua ferunt, Marcellinum Papam tamquam reum stetisse, esse commentitiam probat, perpendit illud testium receptorum ad libram occiduam, hoc est numero septuaginta duorum; cum libra occidua tunc non constaret solidis septuaginta duobus, sed post ea tempora ad septuaginta duos solidos fuerit elevata a Constantino, & a Valentiniano confirmata. Idcirco ad alia transeundum est, ut proposito assumpto satisfiat.

6. Veteri Lege statutum fuisse, ut duobus aut tribus testibus idoneis deferretur, & negotium eorum testimonio absolveretur, desumitur ex locis veteris Testamenti supra allatis, iisdem locis Jesum Christum Dominum nostrum aliquando usum esse, ut Hebræos convinceret, desumitur pariter ex his quæ in superioribus dicta sunt. At, cum præceptum illud veteris Legis morale non sit, sed judiciale, cessavit utique per adventum novæ Legis, & mortuum dici debet, licet non mortiferum. In quo rerum themate, licet ex institutione veteris Legis vim habere non possit, juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 104. *art.* 3. obligare tamen poterit, si fuerit renovatum ab his qui potestatem habent legem statuendi: quemadmodum *in cap. Si quis, sub tit. de homicid.* renovatur id quod jubetur in Exodo, ut videlicet, si quis per insidias occiderit proximum, ab al-

tari

tari evellatur & morte moriatur; & *in cap. Si rixati, de injuriis* statuitur, quod item est in Exodo, ut si homines fuerunt rixati; & alter alterum percusserit, qui percussit, damna & impensas in Medicos pro percussi indemnitate reficiat. Quibus præpositis, operæ pretium est examinare, an a summis Pontificibus statutum sit, ut quodcumque Ecclesiasticum negotium testimonio duorum vel trium absolvatur.

7. Alexandri III. Decretales supra citatæ *in cap. Relatum* 1. & *in cap. Cum esses, de testam.* ad rem de qua agimus, digitæ utique sunt animadversione. Sed, cum Decretalis *in cap. Relatum* coercita sit ad testamenta quæ fiunt ad pias causas, licet in ea statuatur, testamentum valere conditum coram duobus testibus, ex ea profecto desumi non poterit, constitutam fuisse regulam generalem, ut omne negotium Ecclesiasticum duobus aut tribus testibus idoneis absolvi possit & debeat. Difficilior itaque est explicatio Decretalis *in cap. Cum esses*, in qua idem Pontifex testamenta coram septem testibus facta, consuetudinem scilicet Civili lege confirmatam, tanquam a Divina Lege, & a Patrum institutis, & a generali Ecclesiæ consuetudine alienam reprobat, & sub interminatione anathematis prohibet, ne quis testamenta coram duobus testibus & Parocho facta audeat rescindere. Decretalis quippe hæc *in cap. Cum esses*, loquitur de testamentis factis etiam ad non pias causas, sicuti adnotarunt Fagnanus *in cap. Relatum*, 1. *num.* 1. & Barbosa *num.* 2. *de testam.* & Decretalis eadem juxta nonnullos sibi vindicat locum non tantum in terris pleno jure subjectis Romano Pontifici, sed etiam in terris Imperii, vel si agatur de testamentis factis ab infirmis in ultima ægritudine constitutis, quemadmodum docent Cened. *in collect.* 159. *n.* 7. & Engel. *in colleg. juris Canonici lib.* 3. *tit.* 26. *num.* 12. vel etiam si agatur de testamentis, quæ fiunt ab iis qui non sunt in ultima ægritudine constituti, juxta late adducta per Fagnanum *in cit. cap. Cum esses*, *num.* 68. *& seqq.* eo quia potissimum effatum illud Divinum a summo Pontifice allegatum, quod scilicet in ore duorum vel trium stet omne verbum, nedum universum orbem comprehendit, uti docet Abbas *in eod. cap. Cum esses*, *num.* 4. *de testam.* sed & quascumque testamentarias amplectitur dispositiones, quæ factæ sint sive ab his qui essent constituti in articulo mortis, sive ab his qui sani mente & corpore essent, uti prosequitur Fagnanus *loc. alleg.*

8. At neque hæc Decretalis *in cap. Cum esses* evincit assumptum: primo quia, etiamsi admitteretur, Alexandrum statuisse, ut ubique valerent testamenta condita coram Parocho & duobus testibus, quamvis non facta ad pias causas; hinc tamen non evinceretur, ab eo statutum fuisse, ut in omni negotio duo aut tres testes sufficere deberent: secundo quia, si idem Pontifex innixus locis antiquæ Legis & aliis supra recensitis legem generalem statuere voluisset, quamvis ad testamenta coercitam, prædictis antiquæ Legis præceptis nequaquam se conformasset; in his enim admittitur testimonium duorum aut trium, ad quod, ut dispositio alternativa impleatur, satis est alterum adimplere; ipse autem duobus testibus testimonium Parochi addens, non duo, sed tria testimonia exposcit, uti bene argumentatur Covarr. *tom.* 1. *oper. in cap. Cum esses* 10. *sub num.* 2. §. *Ea vero ratio*, *de testament.* tertio demum, quia Alexander eam legem tulit non pro omnibus, sed pro suis in utroque Foro subditis, ut ex inscriptione Decretalis desumitur. Voluit ergo non jura Civilia, sed Canonum consuetudinem esse observandam in terris Romanæ Ecclesiæ subjectis; & causas allegavit, quæ, quatenus necessariæ non essent, aptæ tamen sunt, juxta ea quæ ad rem affert Canus *de loc. Theol. lib.* 6. *cap.* 8. *pag.* 195. Ideoque non solum hodie recepta est opinio, ut in terris Imperii, sive in terris nequaquam Romano Pontifici in temporalibus subjectis septem testes requirantur ad validitatem testamenti, ut habent Facchin. *controv. jur. lib.* 6. *cap.* 47. §. *Ultimo*, Borell. *in summa decis. tom.* 2. *tit.* 5. *num.* 7. *& seqq.* Spino *spec. testam. gloss.* 31. *principali*, *sub num.* 38. *ad* §. *ultimum*; verum etiam, cum juxta statutum Urbis *cap.* 42. inter Cives Romanos, & Districtuales jus Civile servetur, vix admittitur validitas testamenti in Urbe ipsa confecti, non servatis solemnitatibus juris Civilis, si confectum sit ab eo, qui in Urbe per longum temporis spatium habitavit, sed nunquam habuit animum contrahendi in ea domicilium; juxta adducta per Rotam *decis.* 312. *num.* 16. *part.* 9. *recent. tom.* 1. Ab hoc quippe casu præscindendo, ad validitatem testamenti facti ad non pias causas septem testes in Urbe requiruntur: cujus rei probatio desumitur ex indulto Alexandri VII. qui, sue ingruente, concessit, ut in Urbe testamenta fieri possent coram quinque testibus; quod incongruum utique fuisset, si præsentia Parochi & duorum testium juxta regulas ordinarias satis fuisset ad validitatem testamenti; sicuti argumentatur Cardinalis de Luca *de testament. discurs.* 33. *num.* 10.

9. Colligitur itaque ex adductis, nullam usque adhuc legem latam esse, quæ decernat, in unoquoque negotio rem duobus testibus absolvi posse & debere, cum aliqui sint casus, in quibus amplior numerus testium requiritur, quemadmodum desumitur etiam ex *alleg. cap. Licet, de testib.* Nunc autem oportet, ut videamus, an usque adeo reprobatum sit unius testimonium, ut nullum negotium absolvi possit & debeat, si solus sit, nec alius addatur. Porro aliqui sunt in jure casus, in quibus unicum sufficit testimonium: Consecratio etenim ecclesiæ unico teste probatur *Gloss. in can. Solemnitates, de consecrat. dist.* 1. Unico testi asserenti, defunctum dedisse signa pœnitentiæ, creditur, *can. Qui recedunt*, 26. *qu.* 6. Unicus testis satis est, ut probetur, Baptismum fuisse collatum, *can. Parvulos* 119. *can. Cum itaque* 111. *de consf. dist.* 4. ibique Glossa, *& cap. Nuper* 51. *de testib.* Unius testimonio defertur, ne matrimonium contrahatur, *cap. Super* 2. *de testib.* & *cap. Præterea* 2. *de sponsalib.* Dicendum est ergo, regulam quidem esse, ne unius testimonio deferatur, & cum eo solo negotium terminetur, sed eam non esse universalem & adeo absolutam, ut suas non patiatur limitationes. Specul. *in tit. de testib. num.* 3. triginta recenset limitationes, inter quas ea ponitur, cum unius testimonium utilitatem alicui affert, ac nemini præjudicium; quam & tradunt Farinaccius *de testibus qu.* 63. *n.* 26. & Pax Jordan. *lib.* 14. *tit.* 18. *num.* 65. item ea, cum unicus testis nemini præjudicium afferens, sed tantum alicui utilitatem, de facto proprio asserit, juxta theoricen Castrensis *in l. Quicumque*, *num.* 11. *in fin. C. de servis fugitivis*, quam late exornant Farinacc. *cit. qu.* 63. *num.* 125. & Sperell. *decis.* 174. *num.* 33. atque etiam, cum res est de probatione alicujus facti, in quo nedum difficile, sed impossibile quodammodo est, præter unicum testem alios reperire, ut habent pariter Pax Jordan. *cit. tit.* 18. *num.* 68. & Anaclet. *ad tit. de testib. num.* 267. Cum igitur ex hucusque dictis aliqui sint casus, in quibus unius testimonio defertur, reliquum est, ut videamus, an in materia Beatificationis & Canonizationis plures, quam duo, testes requirantur, atque an aliquando unius testimonio deferri possit, etsi alii testes contestes desint.

10. Regula, quod ex duobus testibus legitima & sufficiens habeatur probatio, ad causas etiam Canonizationis extenditur: Castellin. *de Canoniz. SS. quæst.* 7. *num.* 105. Contelor. *Canonizat. SS. cap.* 18. *num.* 3. *& seqq.* Bordon. *controv. moral.* 13. *num.* 36. *& meditat.* 32. *de miraculis num.* 1. Lauret. de Franch. *de controv. inter Episc. & Regul. tit. de cultu erga non Canonizatos quæst.* 4. *n.* 11. ibique Pasqualig. *in addit. num.* 1189. Francis. *variar. resolut. cap.* 29. *num.* 60. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disput.* 20. *art.* 25. *de miraculis* §. 2. *num.* 1079. *& duobus seqq.* Matthæucci *pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tit.* 4. *cap.* 2. *num.* 7. *& seqq.* Sufficienter itaque & ad effectum Beatificationis & Canonizationis probatus dici poterit actus virtutis, de quo afferant duo testes contestes de visu, aut de proprio auditu, si res, quam testantur, pertineat ad sensum auditus. Martyrium quoque sufficienter probatum dicendum erit, si duo testes contestes de visu id testentur, uti prosequitur Matthæucc. *loc. cit. num.* 11. Item de miraculo satis constare dicendum est pro Beatificatione aut Canonizatione, si duo testes contestes de visu testimonium reddant de duobus extremis, de morte puta & de resuscitatione, de defectu panis & vini, & de ejus multiplicatione, de sanitate jam proclamata & instantanea subsequenti bona valetudine, quoties velint Postulatores probare miraculum resuscitationis mortui, aut multiplicationis panis & vini, aut miraculosæ sanationis. Et sane pro duorum testium sufficientia in proposito miraculorum responsum fuit ab Auditoribus Rotæ in relatione S. Francisci Xaverii 3. *part. de miraculis* §. *Quam probationem*, *&* §. 2. *vers. Hoc factum*, necnon in relatione S. Franciscæ Romanæ *part.* 3. §. *Quartum miraculum*.

11. Dictum est autem, miraculum sufficienter esse probatum, si duo extrema probata sint per duos saltem idoneos testes de visu contestes: & ideo, quidquid scripserit Molphesius *consil.* 46. *n.* 63. *& seqq.* & quidquid indicare visus sit Pasqualig. *in addit. ad Laurent. de Franch. de controv. inter Episc. & Regul. sub num.* 1191. quibus adhæ-

adhæret Pignatell. *conf.* 180. *num.* 1. *tom.* 10. si unus testis assereret de uno extremo, hoc est de statu antecedenti, alter de secundo extremo, hoc est de statu subsequenti, miraculum probatum dici non posset cum uterque status probandus sit plene, non semiplene; sicuti ad eam prosequuntur Cardinalis de Lauræa *loc. cit. num.* 1046. *& duobus seqq.* & Matthæucc. *in oper. cit. tit.* 3. *cap.* 5. §. 3. *num.* 4. *& seqq.* Quo loco recte animadvertunt, idcirco probari, Missam a non promoto ad Sacerdotium fuisse celebratam, si unus testis de una parte Missæ, alius de alia testimonium dicat, quia celebratio Missæ est una integra actio successiva constans ex pluribus actionibus, quæque propterea probata dicenda est, statim ac plures partiales actiones ad eumdem locum & tempus respicientes probatæ sunt. Id vero probationi miraculi aptari non potest, cum status prior non sit idem neque per unionem, neque per aggregationem cum posteriori, nec necessario debeant eodem tempore aut die aut hora conjungi: quare efficitur, ut, qui probat secundum statum, nisi probet connexionem cum præcedenti, nihil de miraculo probat. Dicendum ne igitur erit, si duo testes contestes assererent de primo extremo, alii autem duo testes contestes de secundo, miraculum fore probatum? Affirmanter profecto respondent Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 18. *num.* 13. & Castellan. *eod. tract. num. mihi* 136. sed hæc responsio non videtur admittenda in probatione omnium miraculorum. Admitti ergo poterit in probatione miraculorum secundi generis, in quibus ex alibi dicendis non requiritur, ut fiant *in instanti:* quocirca, si duo testes assererent, se vidisse Titium mortuum tali die, duo autem alii testes assererent, se eum vidisse tali alia subsequenti die vivum, miraculosa resuscitatio probata dici posset; veluti admittit Cardinalis de Lauræa *loc. cit. num.* 1098. Sed Contelorii, & Castellani sententia recipi non poterit in probatione miraculorum tertii generis, in quibus item ex alibi dicendis probandum est, facta esse *in instanti:* in his quippe percipi nequit, quonam alio modo status immediate præcedens & status immediate subsequens cum exclusione cujuscumque crisis probari possint, quam per eorumdem duorum testium testimonium, qui duos prædictos status testentur, ut ait Matthæucc. *loco citato*.

12. Statuta duorum testium contestium sufficientia tum pro probandis actibus virtutis, tum pro Martyrio & miraculis comprobandis, Fidei Promotores sæpe opponere consueverunt, non plene constare, de miraculo saltem aut Martyrio, si binis testibus de visu alii testes non addantur aut de visu, aut saltem de auditu; non quia, rigorose loquendo, duorum testimonium non sufficiat, sed quia difficile ipsis videtur, si mors inflicta fuisset in odium Christi, & pro Fide Christi suscepta quoque fuisset, ejus notitiam ad alios testes, saltem de auditu, qui eam testari possent, non devenisse. Eodem modo ratiocinantur, quando agitur de miraculo, cum admiratio sit comes miraculi, & comes admirationis sit fama, quæ ad aures plurimorum pervenire consuevit, quorum nonnulli, saltem de auditu, testari possunt; ita, ut si præter duos testes de visu nulli alii, saltem de auditu, testentur, hinc inferri valeat, rem patratam non habitam fuisse supernaturalem atque miraculosam. Porro, quamvis hæc oppositio non ita facile fieri possit in dubio virtutum: cum non unus, sed plures actus earumdem probandi sint per testes contestes, eadem nihilominus sibi posset vindicare locum, si magna vis a Postulatoribus constitueretur in aliquo speciali actu virtutis famigerato, & ex sui indole & natura apto, ut ad aliorum notitiam deveniret; tunc quippe dici posset, dubitandum esse, si non de veritate facti, utpote a duobus testibus relata, saltem de qualitate & de magnitudine actionis, num talis habita fuerit, quo tempore a Dei Servo edita fuit.

13. Cardinalis de Lauræa, & Matthæuccius, utpote qui sacrorum rituum Congregationibus interfuerunt, difficultatem hanc agnoverunt. Quamobrem Matthæuccius, postquam approbavit *tit.* 4. *cap.* 2. *num.* 7. *& seqq.* Martyrium probari per duos testes contestes de visu, subdit *num.* 9. *& seqq.* tutius esse, si alii testes de visu, aut saltem de auditu insuper addantur; admonetque Postulatores, ut si solos duos testes de visu pro Martyrio asserentes exhiberi possunt, doceant simul de ratione, quæ ipsos impedivit, ne alios testes de viso aut de auditu habere potuerint: puta, quia alii de visu vel de auditu, qui haberi potuissent, mortui erant ante confectionem processus, aut in remotas secesserant regiones, ita ut examinari non potuerint: quæ utique in causis Martyrum contingere possunt, cum ut plurimum in terris Barbarorum Servi Dei pro Christi Fide moriantur. Item Cardinalis de Lauræa *loc. cit. num.* 1083. postquam iterum docuit, miraculum sufficienter probari per duos testes contestes de utroque extremo, subdit, melius & tutius esse, si alii testes insuper addantur, quando miracula probanda assumuntur in judicio Beatificationis & Canonizationis, in quo exquisitiores diligentiæ sunt maximopere opportunæ, additque, hanc esse praxim sacræ rituum Congregationis. Favet autem doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 70. *art.* 2. *in corpore*, ubi hæc habet: *Est autem probabile, quod magis veritatem contineat dictum multorum, quam dictum unius; & ideo, dum reus sit unus qui negat, sed multi testes asserant idem cum actore, rationabiliter institutum est de jure Divino & humano, quod dicto testium stetur. Omnis autem multitudo in tribus comprehenditur, scilicet principio, medio, & fine &c. Ternarius quidem constituitur asserentium, cum duo testes conveniunt cum actore; & ideo requiritur binarius testium, vel ad majorem certitudinem, ut sit ternarius, qui est multitudo perfecta in ipsis testibus.*

14. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, in causa S. Stanislai Kostkæ repentina sanatio Patris Andreæ Fausti Ordinis S. Benedicti inter miracula recensita est, quam tantum testati fuerant duo Sacerdotes in omnibus contestes. Suffragia porro tum Cardinalium tum Consultorum fuerant pro miraculo uniformia: at san. mem. Clemens Papa XI. a quo me plura didicisse pro causarum Beatificationis & Canonizationis examine confessus sum & semper confitebor, antequam ad miraculi approbationem deveniret, ex rationibus supra indicatis dubitavit, an propositum miraculum approbare deberet; nec illud approbavit, nisi postquam Postulatores, allatis probationibus quas inseri voluit in Acta sacræ Congregationis, demonstrarunt, duos, aut ad summum tres Religiosos commoratos tunc fuisse in Præpositura Calisii, in qua miraculum patratum est, ita ut alii testes examinari non potuerint.

15. Postquam visum est, quid sit dicendum de probatione, quæ constituitur in duobus testibus, reliquum est, ut videamus, an aliqua sint in judicio Beatificationis & Canonizationis, quæ uno teste satis probari possint. Contingit autem aliquando, ut examini proponantur nonnulla miracula, in quibus sanati referunt, sibi ante sanationem miraculosam, vel in ipso actu sanationis Dei Servum, aut Beatum apparuisse; & quidem apparitio alio modo probari non potest, quam ejus dicto, qui sibi refert Servum Dei, aut Beatum apparuisse: Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 18. *n.* 18 Castellan. *de dilat. Canonizat. SS. part.* 2. *in respons. ad objecta, vers. Breviter respondetur, pag.* 98. Bordon. *controv. moral.* 13. *cap.* 27. *vers. Unde relationes*; & *in alio opere de miraculis, meditat.* 32. *n.* 13. Ceparius *direct. Canonizat.* 2. *part. cap.* 7. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disp.* 20. *de miraculis art.* 25. §. 3. Auditores Rotæ in relatione S. Raymundi *part.* 2. *art.* 8. *vers. Non tamen*, in relatione S. Ignatii *mirac.* 6. *vers. Et licet*, in relatione S. Andreæ Corsini *apud Lezanam consult.* 1. *part.* 3. §. 3. *sub n.* 232. in relatione S. Jacobi de Marchia *in quinto miraculo*, in relatione S. Franciscæ Romanæ *part.* 3. §. *Nonum miraculum*, in relatione S. Caroli Borromæi 3. *part. n.* 4. §. *Accedebat*, & in prima relatione de miraculis S. Teresiæ *tit. de aliquibus mirabilibus*, ubi: *Quoties ex miraculi natura illa non potest nisi unico teste probari, ut sunt revelationes, apparitiones, & similia, tunc illa unica teste probatur, dummodo persona sit alias fide digna.* Sed cum, me Fidei Promotore, plura hujusce generis miracula examini proposita sint, & quando extrema miraculi fuerunt satis probata, doctumque fuit, rem patratam excessisse vires naturæ, sacrorum rituum Congregatio ad approbationem devenerit, nulla in miraculi approbatione facta apparitionis mentione, ita ut inducta quædam dicenda sit praxis silentio ut plurimum in ea facti specie prætereundi apparitiones Servorum Dei, & Beatorum; superfluum mihi videtur hic immorari in examine propositæ controversiæ, quod aptius alibi assumetur, cum de ipsis apparitionibus & revelationibus, quæ Servis Dei, aut Beatis contigisse dicuntur, sermo apposite instituetur. Eæ quippe non alio modo probari possunt, quam dicto Servi Dei, aut Beati, cui divinitus contigisse dicuntur, vel Confessarii aut Rectoris spiritalis, qui eas audiverit sibi narratas a Servo Dei, seu Beato; quemadmodum bene animadvertit Daniel a Virgine Maria in secundo tomo speculi Carmelitici in vita S. Teresiæ *n.* 1446. *Cum ex natura rei alii testes dari non possint, nec ab alia, quam ab ipsomet, quem Deus similibus favoribus prosequi dignatus est, probari possint, materia subjecta facit, ut eisdem Beatis quibus contigerunt, & il-*

lorum

lorum Confessariis de auditu ab ipsis standum sit. Quod late prosequitur Tanner *in Prudentia vindicata Venerabilis Patris Ludovici de Ponte tract.* 1. *cap.* 11.

16. Quando agitur de miraculis in judicio Beatificationis & Canonizationis, non sufficit comprobare statum antecedentem & statum subsequentem per testes contestes, atque adeo factum ab eis relatum excedere vires naturæ, sed etiam necesse est, ut probatur patratum fuisse intercessione illius Servi Dei, de cujus Beatificatione aut Canonizatione agitur; sicut bene perpendunt Rotæ Auditores in relatione causæ S. Andreæ Corsini *part.* 3. §. 2. *n.* 226. *apud Lezanam consult.* 1. *Certum est non sufficere ad effectum Canonizationis N. probare, quod fuerit factum miraculum, sed oportet probare, quod fuerit factum ad intercessionem dicti N.* Cumque intercessio probetur per invocationem, teste Castellano *de Canonizat. SS. q.* 7. *in fin.* ubi sic legitur: *Quod autem miraculum Deus fecerit propter intercessionem Sancti, de qua canonizando agitur, probatur ex invocatione, vel voto ad illum Sanctum, emisso*; quod & ex bullis Canonizationum ostenditur, in quibus, cum miracula recensentur a Deo facta intercessione ejus qui inter Sanctos refertur, habentur hæc verba, *Ad ejus invocationem nominis*; remanet, ut inquiratur, quomodo invocatio probetur.

17. Invocatio duplici modo fieri potest: vel ab eo qui sanitatem recipit, quemadmodum *Matth.* 8. *v.* 2. Christus sanat leprosum sic orantem: *Domine si vis, potes me mundare:* & *cap.* 9. *v.* 27. duos cæcos illuminat sic dicentes: *Miserere nostri, fili David*. Vel ab alio, qui preces fundit pro ægroto; quare *Matth. eod. cap.* 8. *v.* 6. Centurio Christum rogavit pro servo suo: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus*; & *cap.* 9. *v.* 18. Princeps supplicavit pro filia sua: *Veni, impone manum tuam super eam, & vivet*; & *Luc.* 4. *v.* 38. famatur socrus Simonis: *& rogaverunt illum pro ea*; & *Joan.* 4. *v.* 47. Regulus rogabat eum, *Ut descenderet, & sanaret filium ejus*. At, sive invocatio fiat ab ægroto, sive ab alio pro eo, invocatio solo dicto invocantis comprobata dicenda est: Cepatius *in director. Canoniz.* 2. *part.* 2. *cap.* 7. Auditores Rotæ in citata relatione S. Andreæ Corsini *par.* 2. §. 3. *n.* 232. *apud Lezanam consult.* 1. in relatione S. Caroli 3. *part. de miraculis* 4. §. *Et quamvis*, & in relatione S. Caroli 3. *part. de miraculis* §. 12. Quod vero juxta regulas sacræ Congregationis exposita probatio sufficiat, late ostendunt Cardinalis de Laurea *cit. disp.* 20. *art.* 25. §. 3. *num.* 1109. ubi sic loquitur: *Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ in probatione invocationis admittere solet vel ipsum sanatum, vel aliquem ex parentibus, cognatis, aut amicis, quo faciente voto pro sanando, miraculum contigit, dummodo extrema, & sanatio subita plene probentur. Plures proposueram casus pro hac materia de miraculis sic probatis quoad invocationem ex tempore, quo sacræ Congregationis rituum deservio, quos consulto omisi. Non enim id controvertitur a Dominis Fiscalibus, etiam rigidis*: & Matthæucc. *in cit. oper. tit.* 3. *cap.* 4. *num.* 18. hæc habet: *Verum sufficit, ut super invocatione deponat solus patiens, vel alius qui pro ipso invocaverit. Invocatio quippe est unus ex illis actibus, qui ut plurimum aliter probari non potest*. In quo etiam procedit regula juris supra exposita de fide præstanda testi de facto proprio testimonium reddenti in re, quæ solo ejus dicto probari potest.

18. Si porro, antequam conficiatur processus super miraculis, mortuus esset ille qui invocavit, sed aliæ omnes concurrerent circumstantiæ probationi & substantiæ miraculi faventes, quid agendum esset? Rursus, quomodo res se habere deberet, si miraculum contigisset in persona pueri qui Beatum invocasset, cum pueri testimonium recipi non possit? Dum munere fungebar Fidei Promotoris, non semel occurrit casus mortis ejus qui invocavit, antequam confectus fuisset processus super miraculis. At ego semper opinatus sum, in ea facti specie necesse esse, ut duo testes contestes deponerent, se audivisse invocantem asserentem, se Dei Servum, vel Beatum invocasse: & Postulatores quidem morem prædicto sensui gerentes, omnem lapidem moverunt, ut per duos testes contestes invocationem prædicto modo probarent. Quocirca bene inquit Matta *de Canoniz. SS. part.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. quem sequitur Rosa *in addit. ad tract. de Executor. litter. Apostol. num.* 192. invocationem utique probari unius testimonio, si hic de facto proprio testimonium ferat; at invocationem ipsam per duos testes comprobandam esse, si hi alienum factum testentur. In casu quoque præviæ mortis invocantis, si duo testes reperiri non possent, qui (ut modo dictum est) testimonium redderent, id maxime ponderandum esset, si probaretur, eum qui invocasse dicitur, in testimonium miraculosæ sanationis votivam tabellam detulisse ad altare Beati, aut alio modo votum exsolvisse; hæc quippe facta ad suadendam invocationem sufficere posse videntur. In causa S. Caroli Borromæi, sicuti legitur in relatione Rotæ Auditorum 3. *part.* invocato B. Carolo, liber evasit a flumine: & de invocatione quidem ipsa innocens infans coram Judicibus locutus est; sed quia sufficiens hæc probatio esse non poterat, duo alii additi sunt testes qui retulerunt, se infantem audivisse, cum elata voce B. Carolum invocavit. Iidemque Rotæ Auditores in relationem causæ Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani *tit. de virtutib. Theolog. n.* 8. *&* 9. ejus liberationem ab obscuro & aspero carcere impetratam a Deo per ipsius preces ad Beatissimam Virginem satis comprobatam dixerunt ex dictis testium una cum antiqua tabella, quæ ad publicam facti contestationem Tarvisii fuerat appensa in templo B. Mariæ Virginis, cum inscriptione ipsius Hieronymi formata,

CAPUT SEXTUM.

De qualitate testium in causis Beatificationis & Canonizationis adhibendorum.

1. NE Hæreticorum irrisionibus sacrum Beatificationis & Canonizationis judicium exponatur, nedum plures, sed & fide digni usquequaque testes adhibendi sunt, qui de virtutibus, Martyrio, aut miraculis ferant testimonium, ut optime scripsit Dominicus Gravina *Catholic. præscript. tom.* 4. *continuat.* 2. *par. pag.* 345. ubi hæc habet: *Examinandi ergo sunt testes, non unus vel alter, sed plures & plures, & sint contestes, & exactissime, pari passu, immo & magis & in majori numero, quam examinantur testes in sancto Officio, ut omnis aditus præcludatur Hæreticis irridendi sacras Apotheoses Sanctorum, & omnis ambitus, avaritia, subornatio, falsa pietas, & hujusmodi ablegentur*. Verba scilicet ista numerum testium respiciunt, & diligens eorum examen: nam, licet in præcedenti capite, duos testes contestes sufficere, dictum sit, nemo est qui non videat, ea, quæ ibi dicta sunt, pertinere non ad universum judicium Beatificationis & Canonizationis, sed vel ad aliquos actus virtutis, vel ad aliquod miraculum; ita ut, si ratio habeatur omnium testium, qui in qualibet causa Beatificationis & Canonizationis examinantur, de magno numero testium dubitandum non sit. Si vero testes qui in magno numero examinantur, etiam sint fide usquequaque digni, quæcumque Hæreticorum calumnia cessare debebit; uti prosequitur idem Gravina *cit. tom.* 4. *pag.* 333. *Quicumque ergo testes istos graves, multos, districte examinatos in Actis Canonizationis repellit, & infirmare nititur eorum testimonium, cum ipsa natura etiam pugnat, omnia tribunalia evertit, hierarchicum ordinem pessundat, humanumque commercium tollit*.

2. Non est autem hic animus diligentias enarrare, quæ a sacrorum rituum Congregatione adhibentur, ut certa sit de qualitate & fide testium. De illis siquidem actum est *in superiori libro*. At saltem hic repetendum esse videtur, nedum Judicibus remissorialibus, qui testes examini subjiciunt, impositum esse onus sacram Congregationem per Epistolam peculiarem admonendi, an aliquid in examine deprehenderint, quod fidei testibus præstandæ adversetur, sed in hoc etiam præcipue versari diligentiam Fidei Promotoris, Consultorum, & Cardinalium sacræ Congregationis, ut perpendant, an testes examinati tales sint, ut eorum dictis credendum sit. Non est pariter hic animus omnia recensere, quæ testibus fidem detrahunt: opus enim esset integros huc traducere tractatus juris Consultorum qui de testibus scripserunt. Satis ergo erit hic adnotare, quod qui in aliis judiciis a ferendo testimonio repelluntur, multo magis arcendi sunt a testimonio in gravissimis causis Beatificationis, & Canonizationis, & alia nonnulla exponere satis erit ad hanc materiam pertinentia, de quibus aliquando dubi-

dubitare contingit in sacrorum rituum Congregatione.

3. Aurea est doctrina S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 3. *in corpore*, ubi ait: *Respondeo, dicendum, quod testimonium, sicut dictum est, non habet infallibilem certitudinem, sed probabilem &c. Redditur autem probabile, quod aliquis in veritate testificanda non sit firmus, quandoque quidem propter culpam, sicuti &c. quandoque autem absque culpa, & hoc est vel ex defectu rationis, sicut patet in pueris, amentibus, & mulieribus, vel ex affectu, sicut patet de inimicis &c.* Puerorum quidem & impuberum testimonium in magno pretio fuit apud Senecam *controv. lib. 7. declamat.* 5. ubi ait: *Nihil est puero teste certius* (utique quinquenni) *nam ad eos annos pervenit ut intelligat, & non ad eos quibus fingat.* At quidquid sit de hujus Philosophi opinione, si masculus minor quatuordecim annis, & femina minor duodecim a testimonio ferendo repelluntur ex jure Civili *l. 3. & l. 19. ff. de testib.* eorum testimonium admitti non poterit in causis Beatificationis & Canonizationis, etiamsi facti majores ea testarentur, quæ in pupillari ætate viderunt: Matta *de Canonizat. SS. part. 4. cap. 17. num. 10. &* 11. Matthæucc. *pract. Theologo-Canon. tit. 5. cap. 2. num. 13.* Pignatell. *consl. 187. num. 6. & duobus seqq. tom.* 10. Horum tamen Doctorum dicta explicationem pati possunt; quod videlicet sibi vindicent locum, si impubes factus adultus ea testetur, quæ vidit in pupillari ætate, quæque ejus intelligentiam excedebant; secus autem, si factus pubes testimonium de his redderet, quæ vidit in pupillari ætate, & quæ in eadem ætate poterat perfecte cognoscere. Doctrina nimirum hæc est Joannis Andreæ *in addit. ad specul. par. 1. tit. de teste §. 1. v. Omnes, pag.* 311. ubi inquit: *Ego, salvo, quod dixi secundum Accursium, admitterem adultum in testem super his quæ impubes viderat, si talia sunt illa quæ cadere poterant in ipsorum tunc impuberum intellectum.* Cui adhæret Farinaccius *de testib. quæst. 58. num. 59. & seqq.* ubi subdit: *Unde secus, si sint talia quæ in pupilli sensum & intellectum respective non cadunt, quia tunc tale testimonium non valet &c. & propterea, si adultus seu pupillus factus pubes deponat, se vidisse in pupillari ætate fabricari falsam monetam, ejus testimonium minime recipitur, quia, etsi viderit monetam tunc fuisse fabricatam, non tamen habebat intellectum cognoscendi, an illa moneta sic fabricata esset ex falsa materia, necne*: memoratamque distinctionem amplectuntur in causis de quibus agimus, Matthæuccius *loc. cit. n.* 13. & Pignatellus *allegat. consult. 187. num. 10. & 11. tom.* 10. Sed in praxi dubitatem an id recipiendum esset; eo quia potissimum probationes in his judiciis requisitæ ex alibi dictis æquiparari debent, quantum fieri potest, ponderi probationum, quæ in judicio criminali ad pœnam ordinariam sunt necessariæ. Dictum itaque testis, qui factus pubes ea testaretur quæ vidit in pupillari ætate, & quæ ejus intelligentiam tunc non excedebant, nisi aliud obstaret, admitterem tanquam adminiculum augens fidem aliis testibus de eadem re vel eodem facto asserentibus. In causa S. Raymundi, uti videri potest in relatione Auditorum Rotæ *art. 11. in examine primi miraculi*, duo testes testimonium tulerunt de viro nobili ab insanabili lepra liberato intercessione prædicti Sancti; qui scilicet testes in adulta ætate constituti retulerunt id quod eo tempore viderant, quo erant impuberes. Rotæ autem Auditores ponderarunt, illos ea testari quæ viderant, dum essent proximi pubertati: multorum quippe est opinio, testes impuberes, cum facti sunt majores, ea utique testari posse, quæ viderunt dum essent impuberes, si tamen erant constituti in ætate proxima pubertati: Clar. *in praxi §. final. quæst. 24. vers. Vidi quandoque*, Cephal. *consil. 98. num. 40. lib.* 2. Viv. *comm. opin. v. Testis esse non potest, vers. Et istud procedit*, Mascard. *concl. 1296. num.* 1. Farinaccius *qu. 58. num. 61. & 62.* Item ponderarunt, eos esse doli capaces; tum agi de his, quæ eorum capacitatem non excedebant: ad extremum vero dixerunt, eamdem rem per alios testes esse comprobatam. Cumque proinde vis probationis in impuberum testimoniis constituta non fuerit, dignoscitur, similia impuberum dicta solius adminiculi vicem posse obtinere.

4. De feminis etiam quæritur, an in testes admitti possint in causis Beatificationis & Canonizationis. Porro femina in criminalibus testimonium ferre non potest, per textum *in can. Mulierem 33. quæst.* 5. ubi sic legitur: *Mulierem constat subjectam dominio viri esse, & nullam auctoritatem habere; nec docere potest, nec testis esse.* Concordat textus *in cap. Forus, de verb. signif.* ubi hæc habentur: *Testes autem considerantur conditione, natura, & vita. Conditione, si liber, non servus; nam sæpe servus metu Dominantis testimonium supprimit veritatis. Natura, si vir, non femina; nam varium & mutabile testimonium semper femina producit. Vita, si innocens, & integer actu.* Et ibidem Glossa *v. Non femina*, ubi subdit: *Hoc intellige in criminali, in quo casu mulier testis esse non potest.* Fusius autem *in cap. Quoniam, v. Mulieres, de testib. & attest.* ubi sequentia leguntur: *Sic mulier admittitur in testimonium contra Ecclesiasticam personam &c. Illud sic intelligi debet: Ubi agitur criminaliter, non recipitur mulier ad testimonium contra aliquem: cum vero agitur civiliter, aut in modum inquisitionis seu exceptionis, tunc admittitur mulier:* & rursus in *cap. Tam litteris, verb. Feminas, de testib. & attest.* Cumque ex sæpe dictis probationes in causis Beatificationis & Canonizationis, quantum fieri potest, æquiparentur probationibus judicii criminalis, concludendum esse videtur, feminas in rebus, de quibus nunc agimus, a testimonio ferendo repelli; quemadmodum late prosequitur Castellin. *de dilat. Canonization. pag.* 106. *Pariter nec validum neque sufficiens erit testimonium ad effectum Beatificationis vel Canonizationis Famulorum Dei, quamvis multiplex; simplicium & ignorantium hominum, præsertim vero feminarum ac mulierculatum: hoc enim genus hominum, ut, duce experientia, cunctis patet, facillime hallucinatur, dijudicando & appellando frequenter miracula illa facta, quæ tantum mira & rara fiunt, quamvis ei & potentia naturali producantur. Immo aliquando difficilia non simpliciter, sed apud tale genus hominum pro miraculis habentur, & ut talia enunciantur, confundentes sæpe, ne dicam fere semper, mira simpliciter cum vere miraculis; cum conditiones, & subtilitates requisitæ ad vera miracula sint huic generi hominum prorsus ignotæ. Adde, quod consimile genus hominum, etsi valde trepidet circa veritatem alicujus facti, vel factorum de quibus interrogantur, permoti, ne dicam aliquando excæcati quadam apparenti pietate, credentes, se obsequium præstare Deo, assertive deponunt quod non est apud illos vel illas ita certum, sed potius dubium; de quibus dicebat David Psalm. 91. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Ideo passim Juristæ dicunt, & recte, testes, in re gravi deponentes debere carere omni impedimento Canonico, omnique debere esse exceptione majores: quæ conditiones frequenter non reperiuntur in consimili genere personarum.*

5. At, cum a jure Civili *in l. Ex eo, ff. de testibus*, & *in l. Qui testamento §. mulier, ff. de testam.* desumatur, in omni fere negotio testimonium mulierum admitti, uti argumentatur textus quoque *in can. Ex eo 15. quæst. 3. Ex eo, quod prohibet lex Julia de adulteriis testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur etiam mulieres testimonium in judicio dicendi jus habere*: cumque mulieris testimonium non fuerit a S. Gregorio rejectum in crimine adversus Epiphanium Presbyterum, quemadmodum desumitur *ex cap. Quoniam, de testib. Et seu mulieres, cum quibus peregisse dicitur, seu alios, quos de causa scire aliquid senseris, huc festines adducere*: & Clemens III. *in cap. Videtur; Qui matrimonium accusare possunt*, censeat, mulieres esse admittendas tanquam testes in causis matrimonialibus; *Quod parentes, fratres, & cognati utriusque sexus in testificatione suorum ad matrimonium conjungendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua consuetudine quam legibus approbatur*: item Innocentius III. *in cap. Tam litteris 33. de testib.* commiserit Priori S. Fridiani civitatis Lucensis, ut feminas examini subjiceret ad impedimentum adversus Episcopum electum probandum, bigamiæ videlicet propter matrimonium olim ab eo contractum cum vidua; *Quia vero super matrimonio quod idem Electus dicitur contraxisse cum vidua, testes non fuere recepti propter appellationis obstaculum, ne laici vel feminæ in tali reciperentur articulo contra ipsum; Nos, ut tantæ irregularitatis objectio non remaneat indiscussa, mandamus, quatenus testes, sive laicos sive feminas (duntaxat idoneos) qui ad hoc fuerint probandum inducti, recipiatis legaliter & examinetis prudenter*: cum denique regula generalis mulieres excludens a testimonio ferendo in judicio criminali non procedat, si juxta tramites juris Civilis procedendum sit, uti late prosequitur Farinaccius *de testib. quæst. 59. num.* 23. neque pariter sibi vindicet locum, si in Foro Canonico agitur de crimine Hæresis, læsæ majestatis, simoniæ, & aliis exceptis, sicuti desumitur ex cap. *Per tuas 32. de simonia*, & ex cap. *In Fidei, de Hæreticis, in 6.* cum aliis late cumulatis a Pirhing. *in tit. Decretal. de testib. & attestat. §. 6. num.* 72. neque quando crimen per feminas tantum probari potest, exemplo cri-

minis

minis Sollicitationis in facramentali Confeſſione: merito inductum eſſe videtur, ut non folum dicta feminarum in cauſis Beatificationis & Canonizationis vim adminiculi habere valeant, ſicut admittit ipſe quoque Caſtellinus *pag.* 508. ſed etiam vim & efficaciam probationis, ſi tamen honeſtæ ſint, ſi nullam aliam, præter ſexus, exceptionem patiantur, ſi de facto proprio aut de proprio ſenſu teſtimonium ferant, & ſi deprehendantur eſſe firmi judicii & ſufficientis cognitionis. Quapropter Scribentes de materia Beatificationis & Canonizationis docent, feminas in hiſce cauſis non eſſe ex ſola ratione ſexus a teſtimonio reppellendas: Matta *de Canonizat. SS. part.* 4. *cap.* 17. *num.* 12. Ceparius *direct. Canonizat. part.* 2. *cap.* 7. ubi teſtatur praxim Sedis Apoſtolicæ, Matthæuccius *oper. cit. tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 12. Cardinalis de Laurea *in* 3. *lib. ſent. tom.* 4. *diſput.* 20. *art.* 25. §. 2. *n.* 1076. Pignatell. *conſult.* 252. *per totam, tom.* 1. Roſa *in addit. ad tract. de Execut. litter. Apoſtol. num.* 125. Auditores Rotæ in relatione S. Ludovici Bertrandi §. *Sanatio ab hernia*.

6. Nec aliter profecto res eſſe poteſt. Ponamus enim, aliquem Dei Servum, vel Beatum fuiſſe a femina invocatum, & ejus interceſſione ſanitatem a femina ipſa fuiſſe miraculoſe receptam, cur, quæſo, invocatio feminæ ejuſdem teſtimonio probari non poterit? In judicio quippe criminali mulieris teſtimonium non rejicitur, cum factum aliter, quam per feminæ teſtimonium, probari non poteſt. Farinacc. *de teſtib. quæſt.* 59. *num.* 8. Item, ut abſtineamus ab hypotheſi feminæ Religioſæ in clauſtrali monaſterio degentis, de cujus obſervantia Regulari occaſione Beatificationis & Canonizationis agendum eſt, ubi tamen ex infra dicendis Monialium dicta præcipuum ſibi vindicant locum; ponamus, mulierem fuiſſe præſentem, quando Dei Servo in odium Chriſti mors eſt inflicta, vel reſtitutam fuiſſe mulierem ſanitati *in inſtanti* una cum virium recuperatione, vel multos Chriſtianæ Charitatis actus a Dei Servo erga feminam exhibitos fuiſſe; cur, quæſo, mulier ex ſola ſexus exceptione admitti non poterit, ut teſtimonium reddat in cauſa Martyrii, in cauſa miraculi, in cauſa virtutum, eo vel magis, ſi mulieris dictum confirmetur (ſicuti ut plurimum continget) dictis virorum, quemadmodum in judicio criminali ponderat Farinaceius *citat. quæſt.* 59. *num.* 26. *& ſequentibus*?

7. Seponenda itaque ea, quæ in ſuperioribus ex Caſtellino adducta ſunt; tum quia modo non agitur de recipiendis qualiumcumque feminarum teſtimoniis, ſed tantum de recipiendis earum teſtimoniis, quæ qualitatibus polleant ſupra expoſitis; tum quia earum atteſtationes non recipiuntur, ut judicium ferant de actus heroicitate, aut de exceſſu facti ſupra vires naturæ; recipiuntur duntaxat, ut actum & factum exponant cum ſuis circumſtantiis, atque adeo ad ſacram Congregationem pertinet judicium ferre, utrum actus virtutis fuerit heroicus, necne, ſive an ſanatio viribus naturæ potius ſit adſcribenda, quam miraculo: & ſane, quando de puro facto res eſt & de ejus circumſtantiis, ſi femina honeſta ſit, ſi fide digna, interrogatoriis Judicum ſatisfecerit, nil obſtare videtur, quin ejus teſtimonium in cauſis de quibus agimus, recipiatur.

8. Paupertas perſonam ut plurimum afficit, nulla ejus culpa intercedente; & ideo etiam de paupertate quæritur, an teſtem repellat in judicio Beatificationis & Canonizationis. Porro, ſi pauperes ſint honeſtæ vitæ, a teſtimonio ferendo etiam in his cauſis repelli non poſſunt: Matta *de Canonizat. SS. part.* 4. *c.* 17. *n.* 9. Roſa *loc. cit. n.* 125. *& ſeqq.* Matthæuccius *tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 17. atque ad rem animadvertit Gloſſa *in cap. Si qui teſtium. de teſtib. v. Paupertate*; ubi: *Nec eſt ſuſpectus propter ſuam paupertatem*, ut & *ſuper eod. text.* adnotaſunt Abbas *num.* 8. *Puto autem, pauperem admittendum in teſtem*; Ancharanus *num.* 4. *Paupertas non repellit quem a teſtimonio, quia plerique non tam ex patrimonio, quam ex fide idonei æſtimantur*; Antonius a Butrio *num.* 8. *Oppono, quod non admittatur in teſtem pauper, quia ſuſpectus eſt ... Dic, quod, licet ſit pauper, alias erat honeſta perſona: & contraria loquuntur de ſuſpectis*; Felinus *num.* 8. *Quia pauper honeſta perſona teſtificari poteſt*; Barboſa *num.* 4. *Ergo paupertas non eſt cauſa ſufficiens repellendi teſtem a teſtimonio, tit. de teſtib. & atteſtat.* & late docet Maſcardus *de probat. concl.* 1337. *num.* 37. Gratianus *diſcept.* 277. *num.* 4. Farinacc. *de teſtib. quæſt.* 37. *num.* 8. *& ſeqq. uſq. ad* 14. Menochius *de arbitrar. caſ.* 65. *num.* 12. *verſ. Verius itaque*, Gabriel *de teſtib. lib.* 1. *concl.* 18. *n.* 1. *& n.* 4. Ideoque Terentius in *Phormione, a.* 3. *ſc.* 3. *v.* 10.

Heus quanta quanta hæc mea paupertas
eſt! tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi eſſet fides:

& Demoſthenes *adverſus Midiam pag.* 397. de Stratone quodam: *Homo pauper ille quidem, & quietus, ſed alioqui non improbus*. Hinc Petronius *in ſatyrico cap.* 84. *Neſcio quomodo bonæ mentis ſoror eſt paupertas*. Ad hæc aliis congeſtis, proſequuntur Fornerius *lib.* 3. *ſelect. cap.* 1. & Deſiderius Heraldus *lib.* 2. *de auctorit. rei judic. cap.* 5. Ut vero a profanis ad ſacra redeamus, nonne claudus ille ex utero matris, quem ponebant quotidie ad portam Templi, quemque Petrus & Joannes, precibus Deo fuſis, ſanitati mirabiliter reſtituerunt, pauper erat & inops, cum peteret eleemoſynas ab introeuntibus in Templum, ut in Actis Apoſtolorum *cap.* 3. legitur? At quis eſſet, qui inter miraculi teſtes claudum prædictum non recepiſſet? Signum igitur evidentiſſimum hoc eſt, ſolam paupertatem fidem teſti non adimere; ſeduloque idcirco inveſtigandum eſt, quinam ſint pauperis mores? & an ſpe lucri aut alicujus commodi temporalis receptæ ſanitatis teſtimonium exhibeat. Quod quatenus in examine miraculorum, de quibus agitur, contingere poſſet, & Judices remiſſoriales pauperem ſpe lucri allectum inter teſtes admiſiſſent, plures aliæ diligentiæ ſuperſunt, quibus dolus & fraus aperiri poſſent. Superſunt etenim animadverſiones Fidei Promotoris, & totius ſacræ Congregationis examen, uti ſupra dictum eſt; quodque ſpeciali animadverſione dignum eſt, falſa miracula ſi aliquando a pauperibus, ut ſibi comparent eleemoſynas, circumferuntur, ipſi ut plurimum ſoli ſunt qui de ſanitate ſibi divinitus collata teſtimonium reddunt. Non ſic autem ſe habet res in miraculis, quæ examinantur in judicio Beatificationis & Canonizationis. Unus quippe teſtimonium non ſufficit: quin & ſæpe plures, quam duo, teſtes exiguntur, Mediſcuque ut plurimum examini ſubjicitur: quare moraliter impoſſibile eſt, ut tot teſtes ad decipiendum conveniant.

9. Juxta D. Thomæ diviſionem ſupra expoſitam; in præſenti agendum eſt de affectione, quæ teſtes a teſtimonio ferendo repellit. Quia vero prædicto affectionis nomine comprehendi poſſunt tum amici tum inimici; ab affectione amicitiæ ducemus initium. De hac loquitur Rocca *de Canonizat. SS. cap.* 6. En ejus verba: *Affectus item humanus cum ambitione conjunctus fuit in cauſa, cur ex hac vita pie decedentes cum conſanguineos, tum affines, & amicos tanquam Sanctos pro ſuo quiſque arbitrio, & affectu veneraretur, patrociniumque ab eis publice imploraret. Hinc, perturbatione atque confuſione ſuborta, ille, qui a quibuſdam uti Sanctus celebratur, ab aliis magno cum ſcandalo irridebatur*. Item conferunt adducta per Paridem de Craſſis *in diariis mſ.* ubi, loquendo de impenſis tunc temporis maximis pro Canonizatione Sanctorum, ait: *Dixi, hanc expenſam ſic amplam ideo ab Eccleſia, ſive a Sede Apoſtolica & à Pontificibus non ſolum tolerari, ſed etiam quodammodo præcipi, ut ex ea quaſi impoſſibili, vel ſaltem dura abſterreantur Principes & populi ad petendum hujuſmodi Canonizationes fieri, quæ aliquando non ex meritis ejus qui canonizatur, ſed ex interceſſione Communitatis, aut populi, vel Principis ſupplicantis, qui vel affinis vel devotus illius fuerit aut ſit, ſicuti modo eſt Cardinalis de Jacobatiis, qui etiam petit, Beatam Ciccolellam Romanam affinem ſuum canonizari, petuntur*. Sed, ut clarius materia juxta caſus practicos exponatur, ad ea quæ ſequuntur, deſcendemus.

10. De Poſtulatore itaque, Advocato, & Procuratore cauſæ quæritur, an in teſtem admitti poſſit in eadem cauſa Beatificationis & Canonizationis, in qua eſt Poſtulator, Advocatus, aut Procurator. At propter ſpecialem affectionem, quam erga ſuam cauſam gerere conſueverunt, reſpondetur, in teſtes non eſſe admittendos: Matthæuccius *in cit. oper. tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 8. Confirmatur id ipſum ex decreto ſacræ Congregationis rituum edito die 10. Junii 1664. in cauſa Papien. ſeu Feltren. Canonizationis B. Bernardini de Feltro Ord. Minorum Obſervantium S. Franciſci: *Ad relationem Eminentiſſ. Aldobrandini loco Eminentiſſ. Rondinini abſentis diſcuſſo dubio, an conſtaret de validitate proceſſuum duorum in civitate Papiæ, alterius vero in civitate Feltri ſuper aſſerta ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis compilatorum, teſtes eſſe in eis rite & recte examinatos, & jura legitime compulſata; ſacra rituum Congregatio habita coram Sanctiſſimo declaravit, a numero teſtium deducendos eſſe tres ex quatuor Procuratoribus examinatos etiam ut teſtes in Feltrenſi, nempe* 27. 35. *&* 36. *nullamque rationem habendam de illis, qui annotati ſunt, reſpondiſſe per ſolum verbum Recte; ſeu dixe-*

rant

runt Articulum verum. Dimisso tamen officio, nonnulli putant, prædicta testimonia esse admittenda, Baldus *in cap. Insuper*, *num.* 8. *de testib.* Alberic. *in l. Deferre*, *num.* 3. *vers. Alii dicunt*, *ff. de jure Fisci*, Nell. *de testib. n.* 21. *vers. Item admittitur*, Mascard. *de probat. concl.* 1232. *num.* 8. *&* 9. Magon. *decis. Florentin.* 3. *num.* 3. Alii autem dicunt, Procuratorem non esse repellendum a testimonio ferendo, etiam si adhuc sit Procurator, dummodo sit bonæ vitæ & famæ; & multo minus repellendum, si esset Clericus aut Religiosus: Monticell. *in report, v. Procurator*, *fol.* 57. *column.* a. *vers.* 6. ubi affert decisionem sexagesimam quintam coram Bellamera. Verum, utcumque hæc sint, Postulatoris, Advocati & Procuratoris testimonium, quoad permanent in officio, non videtur esse admittendum; & quatenus, dimisso officio, examini subjicerentur, si alia concurrant requisita, ipsorum dicta non probationis vim, sed puri adminiculi ad summum poterunt obtinere, juxta adducta per Farinaccium *de testib. quæst.* 60. *num.* 243.

11. De sanato per miraculum itidem quæritur an in testem pro miraculo ipso admitti possit, non quoad invocationem (de qua supra dictum est) sed quoad sanitatem receptam, atque ejus circumstantias. Affirmative respondetur, ut apud Auditores Rotæ in relatione S. Francisci Xaverii §. 12. *&* 13. *de mirac, post mortem*, & in relatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis §. *Sanatio ulceris putridi*, *&* §. *Inveterati doloris*. De cæco a nativitate per miraculum a Christo Domino liberato ejus parentes interrogati a Pharisæis, quomodo visum recepisset, sic responderunt *Joan. cap.* 9. *v.* 21. *Quomodo autem nunc videat, nescimus, aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur*. Subsequuntur postea interrogationes Pharisæorum, & responsiones sanati; ideoque S. Augustinus *in Joannem* ad rem subdit: *Qui adeptus fuerat sanitatem, idoneus erat beneficii testis*. Cumque jam supra visum fuerit, duos testes de jure sufficere in probatione miraculi, nihil obstare videtur, quominus miraculum probatum dici valeat, si sanati testimonium alio teste comprobatum sit, ita ut binarius testium numerus ex sanato, & alio teste sit compositus; uti ponderarunt Rotæ Auditores in relatione S. Ludovici Bertrandi §. *Sanatio ulcerosi abscessus*, §. *Miraculosa*, & *in sanatione in paralysi*, §. *Factum hoc*. Quæ tamen admitti possunt in illis casibus, in quibus juxta superius exposita miraculum duobus testibus comprobatum approbationem mereri potest; puta, si alii testes qui potuissent examinari, mortui fuissent ante confectionem processus, sive in longinquas regiones perrexissent, ita ut examinari minime potuissent. Hi enimvero sunt termini, in quibus facta est approbatio miraculi in causa S. Stanislai, quamvis duobus tantum testibus asserti, quorum alter erat ille qui sanitatem recepit, uterque autem Sacerdos, quod nempe fidem testibus adauget, juxta Glossam *in can. Monachus*, *v. Quorum*, *dist.* 77. Contelor. *de Canonizat. SS. cap.* 18. *num.* 17. & Pasqualig. *in addit. ad Lauret. de Franchis num.* 1184. Neque enim miraculose sanatis affectionis vitium opponi potest; cum aliud sit affectio, aliud memoria beneficii recepti, cumque inter affectiones distinguere necesse sit; aliæ quippe sunt magnæ & irregulares, aliæ vero non adeo magnæ & regulares, & a primis utique, non a secundis, testimonium infirmetur. Quocirca, licet testes in his causis examinandi a Judicibus ordinariis, vel delegatis interrogentur, an sint pie affecti erga Dei Servum vel Beatum, & ejus exoptent Beatificationem aut Canonizationem; & licet, si affirmanter respondeant, animadverti consueverit a Fidei Promotoribus, eorum dictis fidem non esse deferendam; animadversio tamen hæc semper a sacra Congregatione rejecta fuit: præsumi siquidem nequit, testes ex eo solo piæ mentis affectu rem, prout est, non esse relaturos, atque adeo unusquisque scit, exoptari a testibus qui in his causis examinantur, Beatificationem & Canonizationem Servorum Dei, & Beatorum, dummodo eorum virtutes & miracula a sancta Sede approbentur.

12. Ad hæc de consanguinitate & affinitate quæritur, an testem repellat a testimonio reddendo, &, quod quidem attinet ad testes consanguineos vel affines ejus qui intercessione Servi Dei, vel Beati miraculose sanitatem recepit, eorum testimonium ratione consanguinitatis aut affinitatis rejici non potest: ut plurimum etenim sunt præ ceteris conscii tum morbi, tum sanitatis, & modi quo sanitas ipsa habita est. Quocirca, cum modus quæreretur, a quo cæcus a nativitate per miraculum a Christo Domino fuerat illuminatus, Judæi exquirere voluerunt testimonium parentum ipsius *Joan. cap.* 9. *vers.* 18. *& seq. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus qui viderat, & interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes ejus & dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est*. Quod animadversum fuit a Rotæ Auditoribus in relatione S. Andreæ Corsini *part.* 5. §. 3. *num.* 268. *apud Lezanam consult.* 1. Item, quod spectat ad consanguineos vel affines ejus Servi Dei, vel Beati, de cujus agitur Beatificatione aut Canonizatione, cum etiam in criminalibus consanguinitas & affinitas testem non repellant a testimonio reddendo, si tractetur de detegenda rei innocentia, si res sit de criminibus exceptis, puta læsæ majestatis Divinæ & humanæ, demum si veritas facti per solos hujusmodi testes comprobari possit; concludendum esse videtur, parentes in causa filiorum, & contra maritum in causa uxoris, & contra, si de Beatificatione aut Canonizatione tractetur, ad examen posse admitti: Matta *de Canoniz. SS. part.* 4. *cap.* 17. *num.* 4. *& seqq.* Sancti Laurentii Justiniani Patriarchæ Veneti vita conscripta fuit a Bernardo Justiniano ejus nepote; & ejus quidem non modica ratio habita est, cum in sacrorum rituum Congregatione anno 1598. facta fuit ad relationem Cardinalis Baronii concessio propriarum lectionum, cumque post lapsum nonnullorum annorum quæstio instituta fuit de eodem inter Sanctos referendo. Bernardus *in præfat. ejusdem vitæ ap. Bolland.* 8. *Januar. tom.* 1. dixit, se timuisse, ne sanguinis propinquitas obesset fortasse causæ Laurentii, atque adeo ne testimonium nepotis in causa patrui suspectum haberetur. Prosequitur vero idem Bernardus, enarrando, sibi responsum fuisse a Francisco Tarvisano Præfecto Carthusiæ viro Angelici spiritus, Chrysostomum parentis, Basilium sororis, Ambrosium Satyri fratris, Augustinum Monicæ matris, Bernardum Gerardi fratris egregia facinora retulisse & scriptis editis illustrasse. Item Carolus Augustus Salesius Tallianus nepos S. Francisci Salesii vitam ejus conscripsit in magno pretio habitam, cum de ejus Beatificatione actum est. At in præfatione testatur, se quoque timuisse, non defuturos, qui vitam patrui a nepote conscriptam reducerent, sibi autem a viris cordatis sic fuisse responsum: *Tu vero ne formida: In simili: vide num multi præteritis sæculis de consanguineis suis viris clarissimis & proximis cum laude scripserint? Eos in medium adducere longum nimis foret & superfluum. Atqui majorem illi apud viros probos & prudentes, æquosque lectores fidem faciunt &c. Trepidas ergo timore (subjiciebant) ubi non est timor*. Porro P. Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 9. *pag.* 182. subdit: *Non est hæc laus aspernanda tanquam a domesticis delata. Recte enim Theologus in Gorgoniæ sororis laudatione admonuit, Sanctorum laudem a cognatis quoque & necessariis delatam improbandam non esse*. Quæ vero dicta sunt de consanguineis & affinibus, si non potiori, saltem æquali jure de domesticis etiam & familiaribus dicta censenda sunt, uti prosequitur Matta *cit. part.* 4. *cap.* 17. *num.* 5. In Canonizatione S. Pii V. magnum profecto momentum repositum fuit in ejus vita scripta a Hieronymo Catena, qui Cardinalis Alexandrini prædicti Pontificis pronepotis fuerat a secretis, atque tum a probatissimis fontibus, quæ scripsit, hauserat, tum propriis oculis aspexerat; uti ponderant Rotæ Auditores in relatione causæ ejusdem S. Pii V. *par.* 1. §. *Nosque*; *edita in fin. tom. ultim. annal. Bzovii*. Ostendunt scilicet hæc omnia, consanguinitatem, affinitatem, & familiaritatem non obstare, quominus consanguinei, affines, & familiares in testes recipi possint in causis Beatificationis & Canonizationis; dummodo tamen alias non patiantur exceptiones; dummodo eorum dicta, aut scripta sinceritatem redoleant, & ea referant, quorum notitiam e veris fontibus hauserunt; & dummodo concurrant ea quæ summus Pontifex Pius II. affert in bulla Canonizationis S. Catharinæ Senensis *pag.* 183. *in cod. Canoniz. Dilata est res usque ad tempora nostra, Nobisque hujus sacratissimæ Virginis Canonizatio reservata tanquam conterraneo nostro atque concivi, ut Senensis Virginis sanctitas decreto Senensis hominis in Romana Sede sedentis prodiret in lucem; in qua re non impie inficias, affectum Nos aliquem sanctum & pium traxisse. Quis est enim, qui suæ urbis præconia, suæ patriæ laudes, sui generis virtutes non libenter vulgari procuret, cum id possit rite & honeste facere &c. Neque enim fieri potest, quin Sanctorum propinquitas aliquid habeat prærogativæ. Nihil tamen ob hanc causam*

sam plus minusve dicere licet, quam verum est. Nec propter cognationem, aut patriæ charitatem inter Sanctos quisquam sine meritis, sine solito examine, sine consuetis solemnitatibus referendus est. In bulla Canonizationis B. Birgittæ legitur, eam tempore mortis sibi imminenta Bergherum filium & Catharinam filiam arcessisse, atque admonuisse, ut in Dei timore, & amore proximi, & sanctis operibus perseverarent. Post obitum autem matris Catharina filia & ipsa miraculis clara matris Canonizationem promovit, quemadmodum adnotavit Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus *in notis ad citatam bullam Canonizationis*, & quidem, teste Pavino in relatione causæ S. Bonaventuræ *par.* 2. *art.* 4. admissum fuit dictæ filiæ testimonium in probatione miraculi, quod matris intercessione Deus dignatus fuerat operari. *Item Bonifacius IX. admisit testimonium filiæ Sanctæ Birgitæ ad probanda miracula matris ejus.* Sub nomine Joannis Phereponi editæ sunt anno 1703. Antuerpiæ, sive Amstelodami nonnullæ animadversiones in opera S. Augustini, quas docta & censoria virga castigavit Pritanius *de ingenior. moderat.* Nempe inter cetera S. Augustinus *lib.* 2. *cap.* 1. *de Ordine tom.* 1. *oper.* sic locutus est de S. Monica matre sua: *Nobiscum erat etiam mater nostra, cujus ingenium, atque in res Divinas inflammatum animum cum antea convictu diuturno & diligenti consideratione perspexeram, tum vero in quadam disputatione non parvæ rei ... tanta mihi mens ejus apparuerat, ut nihil aptius veræ Philosophiæ videretur.* Accusationis ansam hinc arripit Phereponus: *Si hæc in sermone familiari matri dixisset Augustinus, vituperari sane non posset, immo forte laudaretur pietatis causa; sed hæc nescio quo modo scribere sustinuerit ad virum eruditum, atque edere.* Hujus autem Auctoris heterodoxi audaciam perstringit Pritanius in opere citato *lib.* 3. *cap.* 17. ubi ostendit, hac de causa Augustinum non esse vituperandum.

13. De Religiosis denique, & Monialibus quæritur, an ii testes admitti possint, si tractetur de Beatificatione aut Canonizatione alicujus Servi vel Servæ Dei, Beati vel Beatæ, qui ejusdem fuerint Instituti. Nam propter præsumptam affectionem, & decus quod in Religiosum Ordinem ex Alumni vel Alumnæ Beatificatione aut Canonizatione derivatur, videntur non esse admittendi, & eorum dicta probationem constituere non posse. Testes tamen Universitatis admittuntur, & probant in causa Universitatis ipsius, si deponant super re quæ non respicit ad negotium singulorum, sed tantum ad causam ejusdem Universitatis: Fermosin. *in cap. Tertio loco* 5. *de probat. quæst.* 5. *num.* 6. Loseus *de jure Universit. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 74. Menoc. *de arbitrar. lib.* 2. *cas.* 106. *num.* 13. *& seqq.* Monf. *consult.* 308. *num.* 11. *num.* 4. Adden. ad Buratt. *decis.* 314. *num.* 7. *in fin.* Rota coram Cavalerio *decis.* 140. *num.* 3. & coram Ludovisio *decis.* 360. *num.* 8. Atque adeo instar testium de Universitate asserentium in causa Universitatis passim sustinetur, testes Religiosos testimonium reddere posse in causa Beatificationis aut Canonizationis Servi Dei, vel Beati ejusdem Instituti Professoris. Ceparius *in director. Canoniz. part.* 2. *cap.* 7. sic loquitur: *In his causis admittuntur etiam ad testificandum testes ex eadem Religione ut idonei; idque ex regula generali, quod testes de Universitate pro illa admittantur testimonium dicere quando de eorum singulari commodo non agitur ... Nec obstat suspicio affectionis: illa enim purgatur per juramentum testis. Concurrit sanctitas & perfectio Religiosorum, ex quo magis præsumimus veritatem dicere cum juramento, & sic facilius ad testificandum pro suo Religiose admittuntur.* Idem late prosequuntur Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 18. *num.* 4. *& seqq.* Matta in simili tractatu *par.* 4. *cap.* 17. *num.* 13. F. Antonius a Spiritu Sancto *de primatu seu principatu Eliæ* §. 12. *n.* 296. Pignatell. *consult.* 192. *num.* 2. *& per tot. num.* 5. Rosa *in addit. ad tract. de Executor. litter. Apostol. num.* 223. Rotæ Auditores in relatione S. Jacobi de Marchia §. *Sanatio gibbosæ*, in relatione S. Hyacinthi, in relatione S. Franciscæ Romanæ *part.* 1. *art.* 7. in relatione S. Tereliæ *tit. de mirac. in vita tit.* 2. *&* 3. in relatione S. Catharinæ de Ricciis *par.* 1. *ante finem*, in relatione Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani *tit. de processib.* §. *Neque etiam obstat.*

14. Iidem vero Rotæ Auditores, resumpta hac eadem quæstione in relatione causæ S. Andreæ Corsini *par.* 3. §. 2. *num.* 218. *apud Lezanam cons.* 2. doctrinam supra relatam sic modificati sunt: *Circa primum defectum occurrit dubitare, an testes de Religione Canonizandi sint admittendi: & reperimus, fuisse admissos in pluribus Canonizationibus, nempe S. Hyacinthi, S. Franciscæ, & aliis ea ratione, quia vel hæc non est causa particularis sui conventus, sed universæ Ecclesiæ Catholicæ, vel, etiamsi esset, de jure possunt Religiosi examinari in causa sui monasterii . . . Verum quidem est, liberum esse Judici propter præsumptam affectionem, vel circumstantias facti aliquid minus tribuere illorum depositioni, sicut dicimus de testibus in causa sua Universitatis, qui propter præsuppositam illorum affectionem minus probant.* Fidei etiam Promotores in suis animadversionibus opposuerunt testibus Religiosis, eos non esse integræ fidei in causa Beatificationis aut Canonizationis sui Religiosi. Petrus Franciscus de Rubeis in causa S. Francisci Solani ita scripsit: *Ipsi testes patiuntur aliquas exceptiones personales, utpote quia plurimi sunt ejusdem Religionis S. Francisci, ob nimiam affectionem honoris redundantis in suam Religionem:* & in causa Servorum Dei Ignatii de Azevedo & Sociorum: *Quorum sex sunt Religiosi ejusdem Societatis, in quibus ponderandus est affectus gloriæ in illam condigne redundantis ex accessione tot SS. Martyrum communis Instituti; non enim testes de eadem Universitate sunt idonei testes in concernentibus magnum illius honorem.* Prosper Bottinius Fidei Promotor in suis animadversionibus in causa Ven. Servi Dei (nunc Sancti) Camilli de Lellis sic locutus est: *Alii vero testes sunt ejusdem Religionis, ac proinde reputari possunt aliquo modo suspecti, veluti nimis affecti & interessati &c.* & rursus: *De testibus Universitatis, quod repellantur propter maximam affectionem, dicunt Baldus & Felinus; quodque etiam in casibus, in quibus testes de Universitate admitti possunt, adhuc non sint integræ fidei & omni exceptione majores, plenissime tradit Farinaccius ubi, quod hæc opinio est magis communiter recepta a Doctoribus.* Ipse quoque, dum prædicto munere functus sum, iisdem vestigiis inhærendo, prædictam proposui difficultatem, cum in causis Servorum Dei, aut Beatorum allata vidi a Postulatoribus testimonia Religiosorum ejusdem Instituti & religiosi Ordinis.

15. Quid ergo in hac controversia statuendum erit? Ex alibi dicendis, quando agitur de Beatificatione alicujus Servi Dei, qui aliquod Regulare Institutum professus est, exacta Regularis disciplinæ observantia probari debet. Quocirca ad hanc rem probandam testes Religiosi idonei sunt, ut indicat Bordon. *de miraculis medit.* 32. *num.* 28. *In probanda autem Regulæ observatione, & hujus generis, quæ solis Professis solent esse nota, tunc idonei omnino testes sunt.* Quin immo non solum idonei, sed etiam necessarii, veluti prosequitur Matthæucc. in opere sæpe citato *tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 22. *Quin etiam, quando in similibus causis omitteretur Religiosorum & Monialium respective examen, suspicio esset, quod data opera fuisset praetermissum, ne imperfectiones aperirent, quas potuissent observare in eo de quo ageretur. Nam certe a nullo melius possunt sciri facta Servi Dei alicujus Ordinis, quam a Religiosis cum eodem convivventibus, præsertim loquendo de iis quæ egerat in Conventu & Monasterio.*

16. In causa Beati (nunc Sancti) Joannis Francisci Regis Presbyteri Societatis Jesu Judices delegati noluerunt examini subjicere Patres Societatis Jesu; & Archiepiscopus quidem Viennensis, qui erat alter ex Judicibus delegatis, tum suo tum aliorum nomine rem totam aperuit in epistolis ad san. mem. Clementem XI. *Probationis vero instituendæ sinceritatem & firmitatem maxime attendentes, Religiosorum Societatis Jesu testimonia, quomtumvis prompta, & ob testium spectatam probitatem & doctrinam, necnon intimam dicti Patris socii quondam sui notitiam magnum apud nos pondus habitura, scientes prudentesque adhibere noluimus, ne quam in calumniam aut reprehensionem inquisitio facta vocaretur, quasi quæsiti essent qui in propria causa testarentur, &, dum in negotio socium carum & venerandum spectante respondent, simul veritati & charitati in sodalem, propriique Ordinis gloriæ servirent.* Cum autem propositum fuit dubium de virtutibus hujus Beati, ipse fungens munere Fidei Promotoris dixi, ad ulteriora non esse in causa procedendum, deficientibus testibus de vita domestica & Regulari observantia testimonium asserentibus. Incredibile porro dictu est, quam moleste fuerit hæc animadversio Postulatoribus, qui bene sciebant, sibi præclusum esse aditum Religiosos Societatis Jesu ad examen vocandi, cum coadjuvari in hisce judiciis probationes non possint. At, quia vexatio dat intellectum, ex processibus jam confectis dicta testium desumpserunt, qui partim de visu, partim ex fama publica, & auditu a Patribus ipsis Societatis Jesu retulerant, Beatum perfectissimi Religiosi

giosi partes adimplevisse, & consequenter Societatis Regulas religiosissime observasse. Allata fuit epistola encyclica octo diebus post Beati obitum a Rectore Collegii ad omnes Tolosanæ provinciæ Superiores scripta, in quam de ejus observantia Regulari amplum testimonium erat insertum: in medio positum fuit menologium Societatis, in quo non reponuntur nisi pauci & insignes viri, qui in Regularum observantia ceteris præstiterunt, & in quo descriptio non admittitur, nisi ex *Generalis* mandato, & de omnium assistentium consilio, ubi scilicet habetur hoc elogium: *Quasi fanciullo entrò nella Compagnia, e ventisei anni ci visse coll' esempio d'ogni più rara virtù:* productæ fuerunt litteræ Patris Mutii Vitelleschi ad *Provincialem*, & Rectorem scriptæ, dum adhuc Beatus erat in humanis, in quibus ille cupide optat Societati multos operarios isti similes. Et quia Collegiorum Rectores, & Consultores tenentur quotannis ad Societatis *Generalem* cum magna fide scribere, quæ spectant ad Collegia, in quibus versantur, sicuti habetur *tom.* 1. Instituti *pag.* 362. §. 10. & 20. ut satisfieret oppositioni, opus fuit, ut litteræ prædictæ ex archivo Societatis producerentur, in quibus multa de gestis Servi Dei cum laude commemorata inventa sunt: quin immo, ne forte alia adesset epistola minime favens intentioni Postulatorum quæ ab eis non exhiberetur, mandato sacræ Congregationis plurium dierum spatio una cum Notario & testibus universum Societatis archivum ego ipse pervolvi, *Archivistas* jurejurando obstrinxi, ut omnes, quarum notitiam haberent, epistolas ad rem facientes producerent, & sub eodem juramento adderent, se aliarum notitiam non habere, nec alias epistolas præter exhibitas & exhibendas dolo desiisse habere. Cumque aliæ utique inventæ fuerint litteræ præter exhibitas, sed omnes convenirent in laudabili domestica conversatione Beati, & exacta ab eo habita observantia Regularum Societatis Jesu, controversiæ tandem finis impositus est.

17. Solliciti ergo sint Postulatores, ut testes adhibeant Religiosos, cum agitur de probanda observantia Regulari ejus, de cujus agitur Beatificatione: nec enim testibus Religiosis erit detrahenda fides ratione præsumptæ affectionis non solum ex rationibus supra ex opere Patris Ceparii desumptis, sed etiam ex eo, quia prædicta res alio modo probari non potest. Idem dicendum est quoad Moniales, quarum testimonia rejici non possunt tum in casu prædicto, tum in ceteris, quæ intra claustra monasterii effecta sunt, & quæ extra per alios probari non possunt; uti late ostendunt Cepar. *in direct. Canoniz. cap.* 7. *num.* 2. Matta *de Canoniz. SS. part.* 4. *cap.* 17. *num.* 12. *in fin.* Bordon. *de mirac. meditat.* 32. *num.* 32. & sicuti bene ponderavit supra memoratus Archiepiscopus Myrensis Fidei Promotor in suis animadversionibus factis in causa Romana, seu Viennen. Ven. Servi Dei P. Dominici a Jesu Maria super dubio sanctitatis in genere, ubi ait: *Et licet quandoque fuerint per sacram Congregationem admissi testes Religiosi in causis Servorum Dei ejusdem Ordinis, id potissimum contigit, ex quo agebatur de gestis intra septa monasterii, & præsertim Monialium, de quibus exteri non poterant esse informati, ut fuit observatum in Florentina S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & aliis similibus.*

18. Quod si res sit de factis, aut gestis quæ ad notitiam exterorum potuerunt devenire, ut affectionis vitium omnino avertatur, curent Postulatores una cum testibus Religiosis alios extraneos afferre de iisdem afferentes; veluti dicunt Doctores de testibus Universitatis, qui in causa Universitatis utiliter afferunt, si in eodem dicto alii sint contestes, qui non sint de Universitate: Soccin. sen. *consil.* 194. *num.* 2. *lib.* 2. Roland. *consil.* 72. *sub num.* 5. *lib.* 2. Rota coram Merlino *decis.* 407. *num.* 13. & 14. In causa Ven. Servi Dei (nunc Sancti) Camilli de Lellis tum a Bottinio, tum a me ejus successore in officio Fidei Promotoris oppositum fuit in dubio virtutum, specialiores & fervidiores actus Charitatis erga proximum fuisse exercitos a Servo Dei in nosocomiis, eos vero dictis suorum Religiosorum esse comprobatos. At, cum responsum & ostensum fuerit, aliquos ex prædictis actibus dicto testium Religiosorum in piis operibus ejus sociorum initi, alios a Religiosis simul, & exteris probationem habere, alios autem testibus tantum exteris esse comprobatos, de sufficienti probatione non est dubitatum. Concordant alia exempla facile cumulanda aliarum causarum, in quibus Religiosi vel in causa Fundatoris sui Ordinis, vel in causa alius sui Religiosi virtutibus & miraculis conspicui testimonium tulerunt. Sixtus IV. in bulla Canonizationis S. Bonaventuræ *tom.* 3. *par.* 3. *Bullar. nov. pag.* 184. §. 13. de probatione virtutum prædicti Sancti inquit: *Audiveramus quoque ab antiquioribus præfatæ Religionis Fratribus, & gravibus quidem viris, quod & ipsi a majoribus natu acceperant, de sanctimonia vitæ ejus constantem famam esse.* Extant processus confecti in causa S. Francisci de Paula, qui editi fuerunt a Bollandianis *tom.* 1. *Aprilis pag.* 120. *& seqq.* ubi plures testes ex ipso Ordine Patrum Minimorum fuerunt examinati. Itemque plus quam undecim testes de Patribus Oratorii testimonium tulerunt in causa S. Philippi Nerii. Nec ullo modo omittendum esse videtur, juxta varias causarum Canonizationis species seu status, de quibus infra, ubi Historici admittuntur ad constituendam probationem vel adminiculum, non rejici Historicos qui aliquod Regulare Institutum professi sint; si referant virtutes alicujus Servi Dei qui eidem Instituto nomen dederit; dummodo Historici ipsi qualitatibus illis præditi sint, quæ ad fidem conciliandam sunt necessariæ, ut pariter infra dicetur. Quocirca in causa S. Hyacinthi Ordinis Prædicatorum magnum momentum repositum fuit in ejus antiqua vita conscripta a Fr. Stanislao Cracoviensi ejusdem Ordinis, ut habetur in Actis causæ editis a Fr. Severino Cracoviensi *pag.* 318. & in relatione facta in Consistorio a Cardinali Gesualdo, de qua in iisdem Actis *pag.* 325. In causa S. Raymundi de Pennafort magna ratio habita est ejus gestorum descriptorum a F. Nicolao Eimerico ex eodem Prædicatorum Ordine, ut habetur in relatione causæ dicti Sancti *art.* 3. §. *de scripturis privatis*; in causa S. Petri Regalati Ordinis Minorum S. Francisci plura desumpta fuerunt ex ejus vita conscripta a Fr. Antonio Daza ejusdem Ordinis: utque exempla prætereantur S. Peregrini Latiosi, & S. Agnetis de Monte Politiano, de quibus infra; in approbatione virtutum B. Seraphini de Asculo Laici Professi Ordinem Capuccinorum S. Francisci firmum adminiculum desumptum fuit ex annalibus P. Zachariæ Boverii ex eodem Ordine.

C A P U T   S E P T I M U M.

De Confessariis, & Medicis, quorum attestationes excipiuntur in judicio Beatificationis & Canonizationis, & de nonnullis aliis rebus ad testes pertinentibus.

1. SACERDOS Confessarius revelare prohibetur, quæ in Confessione audivit, jure Divino, naturali, & Ecclesiastico, uti late ostendit Sotus *in* 4. *sent. dist.* 18. *qu.* 4. *art.* 5. Sigillum autem sacramentale omnia comprehendit, quorum detectione sacramentalis Confessio Fidelibus odiosa redderetur, uti communiter docent Theologi: & hinc fit, ut Confessarius de licentia Pœnitentis possit alteri revelare peccatum, quod ex ejus Confessione novit, juxta doctrinam D. Thomæ *in* 4. *sent. sive supplement. qu.* 11. *art.* 4. De virtutibus vero, revelationibus, & similibus gratiis, quas in Confessione Pœnitens manifestat, dubitatur, an sub sigillo Confessionis comprehensæ sint. Nonnulli scilicet negando respondent, cum non sint peccata, nec materia Confessionis. Alii porro rectius distinguunt: si enim aperiantur Confessario, ut integrum conscientiæ statum dignoscat, tunc utique non pertinent ad materiam Confessionis, nec ad sigillum, sed ad summum ad secretum naturale; secus autem se habet res, cum earum rerum sit in confessione expositio ad melius declarandum peccatum, puta ingratitudinem erga Deum post hæc & illa dona ac beneficia ab eo recepta: Cardinalis de Lugo *de Pœnit. disput.* 10. *sect.* 5. *n.* 58. Leander *oper. moral. part.* 1. *tract.* 4. *disput.* 10. *quæst.* 89. Cum enim ex dictis virtutes, revelationes, & similia dona Dei, per se loquendo, non sint materia sigilli sacramentalis, sed naturalis, deficientibus circumstantiis, quæ eas faciunt sub sigillo sacramentali comprehendi, post obitum Pœnitentis a Confessariis passim manifestantur: quod utique fieri non posset nec deberet, si revelationes, virtutes, & alia similia dona fuissent manifestata modo supra exposito pro qualitate peccati clarius ex-

ponenda

ponenda, uti bene animadvertit Giribaldus olim Pœnitentiarius Bononiensis Ecclesiæ *tract. 7. de sacram. Pœnit. cap. 18. dub. 4. num. 22.*

2. His cohærenter sæpe contingit, ut in causis Beatificationis Confessarii testimonium reddant de conscientiæ puritate Servi Dei, de ejus immunitate a peccatis tum mortalibus tum venialibus & de revelationibus, visionibus, & aliis gratiis gratis datis, quas in excipiendis Servi Dei Confessionibus cognoverunt. Et de consimilibus quidem testibus, & dictis quæritur, an admittantur & probent. Joannes Gersonius *tom. 1. operum, in tract. de examine doctrinarum part. 2. considerat. 3. col. 16.* inclinare videtur in sententiam, quæ hisce testibus fidem detrahit. *Sunt Confessores, qui de nonnullis, quos, vel quas audiunt, verba faciunt in bonum. Ob quam pura mens, quam integra, quam sine mortali delicto! Essem talis utinam cum mei similibus! Non advertentes qui taliter agunt, se per indirectum culpare reliquas confitentes eis, quas non ita prædicant, simul & occasionem dant suis laudibus non qualitercumque; sed in Confessione mentiendi. Esset hic habendus sermo latior, præsertim in materia Canonizationis, & testificationis sumptæ per Confessores; sed super his & aliis particularior erit inquisitio facienda, dum modus exemplaris, id est per narrationes exemplorum tractabitur.* Gersonius porro, quæ promiserat, non adimplevit, cum tractatum subinde non instituerit de testimoniis Confessariorum in causis Canonizationum. Ipse autem, dum munere fungebar Fidei Promotoris, ad cujus ministerium pertinet (ut alibi dictum est) opponere, in causis, in quibus Confessariorum attestationes producebantur, eas dicebam in nullo vel modico pretio habendas esse propter rationes ex Gersonio desumptas; in causis, in quibus prædictæ Confessariorum attestationes non producebantur, deficere dicebam probationis pondus, cum ex solis dictis Confessariorum conscientiæ puritas deprehendi possit. Quando postea in sacris Congregationibus suffragium meum uti Consultor pro veritate exposui, semper sensi, non esse causæ imponendum silentium ex defectu examinis Confessariorum, cum Ecclesia judicet de externis, & heroicæ virtutes Servorum Dei probari possint dictis aliorum testium fide dignorum, qui frequentiam dictorum actuum cognoverint & viderint, eodemque modo dona supra naturam probari valeant; si vero in aliqua causa exhibita fuerunt examina Confessariorum, ea dixi maximopere utilia, ita ut examina hæc Confessariorum non inter necessaria, sed inter utilia & quæ maximopere conducunt, videantur esse recensenda.

3. Fundamentum ita sentiendi in sequentibus constitutum fuit. Primum est, quod usque adhuc nulla lata lex est, quæ examen Confessariorum in hisce causis exposcat tanquam necessarium. Secundum est, quod in bulla Canonizationis S. Francisci de Assisio *in nov. cod. Canoniz.* Gregorius Papa IX. ita locutus est *pag. 62. Sane, licet ejus vita tam sancta, tam strenua & præclara sibi sufficeret ad obtinendum consortium Ecclesiæ triumphantis, quia tamen militans quæ solummodo videt in facie, non præsumit de his qui de suo Foro non sunt, auctoritate propria judicare, ut illos pro vita tantum venerandos assumat, præsertim quia nonnunquam Angelus Satanæ in lucis Angelum se transformat, omnipotens & misericors Deus ... vitam ejus sibi fuisse acceptam, & ipsius memoriam esse a militanti Ecclesia venerandam, multis & præclaris miraculis declaravit*: quocirca, si interna & occulta, nulla facta Confessariorum mentione, fuisse Deo accepta, Pontifex ait, desumendum esse a miraculis intercessione Canonizandi a Deo patratis, exclusa videtur necessitas illorum examinis. Tertium denique est, quod tum antiquis tum recentioribus temporibus plures causæ favorabilem exitum habuerunt, in quibus Confessarii examinati non fuerunt, immo & in quibus ipse tanquam Fidei Promotor defectum eorum examinis totis viribus opposui.

4. Exclusa necessitate, opus est loqui de utilitate: de qua quidem mihi dubitandum esse non videtur, tum quia ex testimoniis Confessariorum plura desumi possunt, quæ resolutioni dubii super virtutibus, & recto de istis judicio favere valent, tum quia concors est praxis Sedis Apostolicæ Confessarios in testes admittendi. P. Ceparius *cit. oper. part. 2. art. 7. num. 4.* sic ait: *Confessarius quoque Canonizandi admittitur ad testificandum. Sic in causa Joannis Berchmans Societatis Jesu fuimus admissi tres, qui ejus Confessiones exceperamus, P. Joannes Baptista Cevottus, P. Thomas Massutius, qui fuerant ejus Confessarii ordinarii, & ego, qui, dum essem Rector Collegii nostri Romani, singulis sex mensibus ejus Confessiones generales sex mensium audivi: in causa B. Aloysii Gonzagæ fuit admissus Illustriss. Cardinalis Bellarminus, qui ejus Confessor fuerat*: idemque Ven. Cardinalis nedum in suis judicialibus attestationibus, sed etiam in sermone habito anno 1608. die anniversaria tunc Beati, nunc Sancti Aloysii edito Mediolani anno 1622. ita inquit: *In tertia specie, quæ est obedientiæ in Charitate fundata, maxime B. Aloysii virtus apparuit, nam primum mandatis Dei & Ecclesiæ toto vitæ tempore ita exacte paruit, ut judicio Confessariorum, qui ejus generales Confessiones audierunt, quorum unus ego sum, nunquam lethale crimen admiserit*. De utilitate pariter hujus examinis plura habentur apud Grayinam in *continuat. 2. part. Catholic. præscr. pag. 337. & seqq.* apud Castellin. *in tract. de inquisit. miracul. in append. general. de stigmat. S. Catharinæ Senens. pag. 251. num. 4.* apud Pignatell. *consult. 42. num. 49. tom. 4.* Auditores quoque Rotæ in suis relationibus harum attestationum utilitatem admiserunt; in relatione videlicet S. Franciscæ Romanæ *part. 2. art. 7. in fin.* in relatione Servi Dei Juliani a S. Augustino *cap. 11. de Temperantia*, in relatione S. Pii V. *tit. de Temperantia*, in relatione S. Aloysii Gonzagæ *num. 12.* in relatione S. Teresiæ *super virtutibus art. 7. & art. 21. §. de oratione & contemplatione*. Alibi etiam visum est, Beatum Pontificem Gregorium X. datis litteris (*quæ extant in hist. Petri Campi par. 2. pag. 410.*) excitasse Gaufridum, qui fuerat Confessarius S. Ludovici Regis Franciæ, ut sibi secreto per certum Nuntium secretam Regis vitam referret: *Verum, licet de vitæ modo, quem, sui Redemptoris beneplacita prosequendo, servabat, habuerimus in parte notitiam* (agebatur etenim de introducenda causa Canonizationis ipsius) *cupientes tamen, quod modus hujusmodi Nobis plenius innotescat, in iis potissime quæ secretius agebantur, devotionem tuam rogamus, & hortamur attente per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus satisfaciens devota sollicitudine votis nostris prædictum vivendi modum in omnibus & singulis actibus & observantiis suis, nil ultra, quam fuerit, addito, sed veritatis pura servata substantia, seriatim Nobis, & secrete sub tuo sigillo, quam citius poteris, per certum Nuntium scribere non postponas. Volumus autem, quod apud te verbum remaneat nemini referendum.*

5. Gregorius scilicet excitat Gaufridum, ut sibi narret ea quæ secretum vivendi modum Regis respiciebant, & quorum notitiam ipse Gaufridus habebat, sed extra Confessionem, licet id in allatis litteris non exprimatur; eo prorsus modo, quo, referente Matthæo Parisio *ad ann. 1247.* Sacerdotem quemdam Innocentio IV. Pont. Max. conjurationem in ipsum factam aperuisse, & militem ad ejus cædem subornatum denuntiasse, cum id totum ex complicis cujusdam moribundi sacramentali Confessione didicisset, cordati viri asserunt, id factum esse, volente & permittente Pœnitente, quamvis a Matthæo non dicatur. Qui etenim ex Confessione sacramentali ita aliquid novit, ut alio etiam modo noverit, id revelare potest, nulla Confessionis facta mentione, si necessitas urgeat, puta imminens Ecclesiæ periculum, Superioris Ecclesiastici præceptum, & similia, juxta doctrinam D. Thomæ *in 4. sent. dist. 21. quæst. 3. art. 3.* & *in supplement. quæst. 11. art. 5.* ubi ait: *Opinio est communior, quod illud quod homo alias scit sive ante Confessionem sive post, non tenetur celare, quantum ad id quod scit ut homo; potest enim dicere, Scio illud, quia vidi: tenetur tamen celare illud, in quantum scit ut Deus: non enim potest dicere, Ego hoc audivi in Confessione. Tamen propter scandalum vitandum debet abstinere, ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas*. Et in responsione ad quartum subdit: *Non debet ita vitari peccatum ex una parte, quod ex alia justitia relinquatur; veritas enim non est propter scandalum dimittenda: & ideo, quando imminet periculum justitiæ & veritatis, non debet dimitti revelatio ejus, quod quis in Confessione audivit, si aliter sciat, propter scandalum; veruntamen scandalum, quantum in se est, evitare tenetur.*

6. Quanquam, quidquid sit de prædicto S. Ludovici exemplo, alia magis apta ad rem de qua nunc agimus, non desunt. In Canonizatione siquidem S. Homoboni recepta fuit jurata attestatio Huberti, qui per viginti annos fuerat ejus Confessarius, quique heroicas ejusdem virtutes a ceteris testibus relatas confirmavit, uti colligitur ex bulla Canonizationis ipsius in *Bullar. nov. tom. 3. pag. 80. Fidem namque, quam super conversatione ipsius absque figmento hypocrisis fraudulento Divinum judicium, ut dictum est, manifeste ostendere videbatur, per testimonium dilecti Filii Oberti Presbyteri Sancti Ægidii Cremonensis præsentis cum Episcopo memorato*,

recepto ab eo firmatimae juramento. Sub cujus obtestatione videlicet juramenti ipse, qui Patrinus ejus existens per viginti annos & ampliue Confessionem ejus sæpe receperat, quæ de illius Sancti conversatione præmisimus, cum ipso Episcopo & aliis supradictis juratis similiter asseruit esse vera. Innocentius IV. in bulla Canonizationis S. Petri Martyris §. 3. *in cit. tom. pag.* 330. hæc habet: *Ipse namque veritatis filius, & bonitatis alumnus, conversatione conspicuus, spectabilis fama, & opinione mirabilis miro præfulsisse nitore munditiæ, virginitatem integre custodiisse, nec mentis habuisse nec corporis corruptelam, & nullius mortalis criminis sensisse contactum, firma suorum Confessorum assertione monstratur.* Petrus de Castro Sacerdos & Monachus antiquus monasterii Fossæ novæ examinatus in causa S. Thomæ de Aquino ita testatus est, ut legitur apud Bollandianos *ad diem* 7. *Martii tom.* 1. *pag.* 700. *In cujus funere quidam Frater Prædicator, qui fuerat longo tempore ipsius Fratris Thomæ Confessor, prædicavit publice coram omnibus ibi adstantibus dicens: Ego Confessionem generalem ipsius sancti viri audivi, de quo testificor, quia inveni eum ita purum, sicut puerum quinque annorum, quia nunquam suæ carnis sensit corruptelam*: & concordat bulla Canonizationis ipsius *tom.* 3. *part.* 2. *Bullar. nov. pag.* 587. expedita a Joanne XXII. in cujus §. 4. sic habetur: *Ut multi, eum in carne virginitate mansisse incorruptum, existimarent: quod ejusdem Sancti Confessor Ordinis memorati, qui longo tempore ipsius Confessionem audierat, publice (ut ad Nos testimonio fide digno pervenit) coram omnibus die defunctionis ejusdem asseruit dicens: Ego Confessionem generalem istius sancti viri audivi, de quo testificor, quia ita inveni eum purum sicut puerum quinque annorum.* Postremo notum est, quantum in causa S. Catharinæ Senensis venerabili viro Raymundo Capuano ejus Confessario; in causa S. Franciscæ Romanæ Joanni Mattiotto ejus pariter Confessario; in causa S. Teresiæ Francisco Riberæ ejus Confessario; quinque Confessariis in causa S. Aloysii Gonzagæ; in causa S. Camilli de Lellis Patri Pelliciono, & aliis ejusdem Confessariis, & in causa S. Catharinæ Januensis Sacerdoti ejus Confessario in favorabili resolutione dubii super virtutibus delatum sit. Nec silentio præteriri debet, cum probarentur virtutes in causa S. Margaritæ de Cortona, magnum momentum repositum fuisse in vita scripta ab ejus Confessario, & ab aliis pariter ejusdem Confessariis approbata; uti colligitur ex documento relato in summario additionali causæ Sanctæ ejusdem Margaritæ, ubi habetur documentum ipsum his verbis: *Frater Juncta Bevvignates Beatæ Margaritæ Confessor Legendam ejusdem Sanctæ nimis prolixam per duodecim capitula distinctam, sicut ipse ab ore Beatæ Margaritæ, & ab aliis ejusdem Confessoribus acceperat, de mandato Fratris Leonis de Castiglione Inquisitoris hæreticæ pravitatis compilavit, quam Frater Leo prædictus Inquisitor, Frater Tarlatus Lector, Frater Philippus Custos, Frater Raynaldus etiam Custos de Castiglione, Frater Ubaldus de Colle Guardianus, Frater Paulus de Socio omnes Beatæ Margaritæ Confessores conscriptam viderunt & approbarunt.*

7. Pro eorum porro complemento, quæ in postremis hisce capitibus tacta sunt, nunc aliquid de affectione, quæ provenit ab inimicitia, dicendum est. Alibi nempe visum est, non esse audiendum, qui ex vindicta & malo animo se opponeret Canonizationi. De Infidelibus autem & Hæreticis quæritur, an ipsorum testimonium in causis de quibus agimus, ad probandum admitti possit; & quidem, cum sint Fidei Catholicæ inimici, *negative* videtur esse respondendum, juxta textum *in can. Ipsa pietas* 23. *qu.* 4. *Quos enim Divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt.* At, cum hæc regula non sit perpetua, sed suas patiatur limitationes; puta si Infidelis aut Hæreticus testetur pro Catholico, ut habetur *in can. Si Hæreticus, v. Sin autem* 2. *qu.* 7. *Sin autem Orthodoxus contra Hæreticum litiget, pro Orthodoxo quidem Hæretici testimonium valeat*: hinc fit, ut in causis de quibus agimus, bene & utiliter admitti possint ad probandum, juxta illud Lactantii *de vera sapientia lib.* 4. *cap.* 12. *Satis firmum testimonium est ad probandam veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis.* Confert & illud S. Augustini *in Ps.* 63. *num.* 15. *tom.* 4. *oper.* ubi agens de Militibus Judæis sepulchrum Christi custodientibus, ad rem nostram inquit: *Miracula facta sunt talia circa sepulchrum, ut & ipsi Milites qui custodes advenerant, testes fierent, si vellent vera nuntiare.* Ex juris Consultis autem id ipsum advertit Lezana *cons.* 3. *n.* 36. *tom.* 4. *oper.* *Veritas, quæ ab inimico pectore & ore interdum extorquetur, gratior esse solet.* Idque ut plurimum accidit in causis Martyrum: si etenim Infideles testentur, se mortem Dei Servo inflixisse ex odio in Fidem, ob eoque atrocissima tormenta fuisse patienter tolerata, testimonium hoc multum proderit in causa Martyrii; ut monet Matthæuccius *in cit. oper. tit.* 5. *c.* 2. *n.* 18. concordatque etiam praxis sacræ Congregationis. In causa quippe Declarationis Martyrii BB. Martyrum Gorcomiensium plurimum detulit historicis dictis quatuor Calvinistarum; in causa Declarationis Martyrii B. Petri de Arbues dictis quinque sicariorum; in causa Declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei Alfonsi Navarette & Sociorum, historiæ eorumdem Martyrum exaratæ a Rainerio Gisberti Fidei Catholicæ inimico editæ post *controversias Fidei* Hadriani & Petri de Walenburch; in causa Declarationis Martyrii B. Joannis de Prado, testimoniis nonnullorum qui a Fide Catholica recesserant; & Hæreticis qui mortem inflixerant, in causa S. Fidelis de Sigmaringa. In causa demum Declarationis Martyrii B. Josaphat Polloceusis Auditores Rotæ in sua relatione, quam in eadem causa ediderunt, de nonnullis testibus Judæis & Schismaticis hæc *part.* 3. habuerunt: *Immo addebatur ab Agentibus pro Venerabili Josaphat, in casu præsenti ex depositione etiam Judæorum & Schismaticorum sufficientem resultare probationem, quia in favorem Fidei etiam Hæretici & Judæi admittuntur ad testimonium ferendum .... & hujusmodi testes omnino supplere & probare, junctis testimoniis Christianorum & præsumptionibus, consuluerunt Gravett. Osasch. Afflict.*

8. Ad hæc nonnullorum opinio est, Medicos scientia pollentes miraculis adversari: quod ita intelligendum est, ut non ita facile sanationes referant inter miracula. Medici autem certi (ut alibi visum est) a sacrorum rituum Congregatione interrogantur, ut suum pro veritate ferant judicium super his, quæ tanquam miraculosa a Postulatoribus proponuntur: sed de his modo non loquimur. Sermo in præsenti est de Medicis qui infirmum curarunt, qui dicitur per miraculum consecutus fuisse sanitatem: & de his quidem primo quæritur, an eorum examen sit utile, deinde, an necessarium. De utilitate nimirum nulla potest esse controversia; status enim morbi ex eorum testimonio dignoscitur, sanationisque modus ex eodem quoque desumitur. Quapropter nemo non videt tum Consultores sacræ Congregationis, tum Medicos ab ea interrogatos in miraculi discussione tutius procedere posse, si Medici curæ astantes testati sint, quam si eorum testimonium deficiat. Et vero, dum fungebar munere Fidei Promotoris, multa vidi miracula rejecta ex defectu dicti examinis, licet de obitu Medicorum ante processus confectionem Postulatores docuissent. Quæ autem dicta sunt de Medicis, sibi vindicant locum etiam de Chirurgis, si morbus, de cujus miraculosa sanatione agitur, operam Chirurgi exquisiverit.

9. Hæc quoad utilitatem. Hinc porro ut transeamus ad necessitatem, Contelorius *de Canoniz. SS. c.* 18. *n.* 12. putat, Medicos etiam vel Chirurgos, qui non interfuerunt miraculo, nec ipsi adfuerunt ægroto, tutum ferre posse judicium de sanatione, utrum scilicet fuerit miraculosa, necne, innixos circumstantiis facti, de quibus alii testimonium dicunt. Matta *de Canoniz. SS. par.* 4. *c.* 12. *n.* 25. *& seqq.* assentitur Contelorio, si agatur de morbis chronicis & diuturnis; secus autem si de morbis acutis. Rosa *in addit. ad tract. de Execut. litter. Apostol. num.* 235. *& sequentibus*, in eo est sensu, sive morbus sit acutus, sive chronicus; dummodo causa & origo morbi nota sit, & testes asserant, infirmum tali infirmitate laborasse, talibus symptomatibus fuisse vexatum, specifica remedia fuisse, sed incassum, applicata, sanationem sine crisi naturæ contigisse, posse medicos tutum judicium ferre, & ad miraculi approbationem posse deveniri; licet Medicus ipse, qui ægroto adfuit, non fuerit examinatus, & hunc sequitur Matthæuccius *in oper. cit. tit.* 3. *c.* 5. §. 3. *n.* 56. *& seqq.* Postulatores ipsi Fidei Promotori requirenti examen Medici hujus respondere consueverunt & ostendere conati sunt, qualitates morbi ex dicto testium non peritorum satis apparere; ita ut etiam sine prædicto examine, si certa concurrant, miraculum approbari possit: & Postulatorum utique assertio comprobari potest relatione Auditorum Rotæ in causa S. Ludovici Bertrandi, *tit. Sanatio strumosæ feminæ*, ubi sic loquuntur: *Et, quod supradictus morbus esset struma, clarum fit ex depositione eorumdem testium; qui licet non fiant in Medicina periti, bene tamen possunt de qualitate morbi deponere, cum strumarum morbus adeo sit evidens ut neminem possit latere, ut loquitur Galenus. Quæ etiam morbi qualitas comprobatur ex eo, quod dicta Spe-*

ran-

rantia (nomen erat feminæ sanatæ) *sanitatis cupida profecta est ad Galliæ Regem, quem notum est huic morbo mederi*. Quæstio tamen fit inter Medicos, an liceat, vel possibile sit Medico absentem ægrotum per epistolas curare. Nimirum Gaspar Rejes *in jucundarum quæstionum Elysio campo qu.* 10. rei hujus difficultatem ostendit, & tanquam inutile rejicit opus Medici absentis, cum agitur de morbis acutis; at aliquando tamen fructuosum futurum esse ejus opus existimat, si res sit de morbis chronicis. Pariter Baptista Codronchius *in tract. de Christiana, ac tuta medendi ratione lib.* 1. *c.* 5. de hac eadem re agit, & ait, necessaria ad cognitionem morbi vel nunquam, vel rarissime duntaxat ex aliorum delatione, potissimum autem rusticorum, & aliorum hominum in villis vel oppidulis degentium, Medico innotescere posse; ideoque concludit, si Medicus morbum & symptomata nuntiis & litteris relata animadverterit, si ætatem ægrotantis, mores, artem, anteactas occasiones, tempus morbi, corporis robur perspecta habuerit, in cognitione fortasse & curatione hujusmodi ægrotantis absentis, eum non multum a scopo aberraturum; suadetque, ut in hoc rerum eventu, tutioribus levioribusque electis, periculosa remedia prætermittant. Norunt denique omnes Medicum probum vix adduci posse, ut suum consilium præstet ad curandum morbum absentis, nisi totius rei relatio ad eum mittatur a Medico ipso, qui ægrotanti adest. Porro hæc me terrent: si enim tot urgent difficultates, ut a Medico absente de morbo judicium, & de ejus curatione consilium feratur; si id vix fieri potest, Medico præsente morbum & circumstantias litteris aperiente; quid dicendum erit in ferendo judicio de sanatione, utrum videlicet, necne inter miracula sit recensenda, nullo Medico curam morbi, & remedia administrata exponente, desumptisque probationibus ex testimoniis non peritorum, qui tum in qualitate morbi & medicamentorum exhibitorum, tum in modo sanationis facillime falli possunt? Urget quoque, quod in Medico absente, & rogato, ut ægroto absenti medeatur, indicetque medicamina opportuna ad ejus sanitatem procurandam, causa esse potest necessaria: non sic autem se habet res in hypothesi nostra præsenti, tum quia causa Beatificationis & Canonizationis est voluntaria, tum quia nova supervenire possunt miracula. Itaque, concludendo, crederem, cautissime procedendum esse in approbatione miraculorum tertii generis, in quorum classe ut plurimum sanationes recensentur, si desit testimonium Medici qui ægroto adfuit: eaque in eo solo casu vix admittenda esse existimarem, ubi ceteri testes apti & idonei clare qualitates morbi afferrent; ubi morbus ex eis esset, qui per se patent, & etiam a non Medicis aut Chirurgis cognosci possunt; ubi medicamina ab eis exprimerentur, quæ ægroto fuerunt adhibita; ubi de statu antecedenti desperato, & de subita sanatione invocato prius Beato, una cum virium recuperatione testificarentur; ut alibi fusius exponemus.

10. Alia plura de testibus dici possent: verum, quia vel ea non sunt peculiaria testibus in causis Beatificationis & Canonizationis, sed omnibus testibus communia sunt; vel, si prædictas causas respiciunt, nunquam, aut fere nunquam in praxi locum habent, a nobis idcirco in præsenti omittuntur: & eo quidem libentius, cum plura jam fuerint a nobis ipsis exposita in secundo libro, ubi actum fuit de *rituali* examine testium; alia autem alibi, cum occasio se offeret, explicabuntur. Capiti tamen huic antequam finem imponamus, necesse fore existimamus, tria adnotare, idest primum quidem pro Postulatoribus causarum, reliqua pro Consultoribus sacræ Congregationis. Curare nempe debent Postulatores, ut in causis Beatificationis & Canonizationis, quas promovere contendunt, examini subjiciantur sive super virtutibus, sive super miraculis quantum fieri potest, viri Religiosi, viri nobiles, uno verbo, viri fide digni, qui nullo pacto rejici aut oppugnari possint. Id enim maximopere proderit felici causarum resolutioni. Hoc ad Postulatores: nunc ad Consultores. Fidei Promotor, scribendo multa adnotare consuevit quoad contradictionem inter dicta testium: sed punctum hoc cum grano salis (ut dicitur) est intelligendum, & a Consultoribus sacræ Congregationis advertendum. Expedit enim aliquando, ut aliqua adsit discordia inter testes, non in substantialibus, sed in accidentalibus; concordia siquidem in omnibus, hoc est tum in substantialibus, tum in accidentalibus, tantum abest, ut fidem conciliet, ut eam potius testibus minuat, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 2. *ad secundum*: *Si vero sit discordia testimonii in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti, puta, si tempus fuerit nubilosum, vel serenum, vel si domus fuerit picta, aut non, aut aliquid hujusmodi, talis discordia non præjudicat testimonio, quia homines non consueverunt circa talia multum sollicitari, unde facile a memoria elabuntur; quin immo aliqua discordia in talibus facit testimonium credibilius, ut Chrysostomus dicit super Matthæum, quia, si in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eumdem sermonem proferre: quod tamen prudentiæ Judicis relinquitur discernendum*. Verba scilicet S. Joannis Chrysostomi sunt, quæ sequuntur *in hom.* 1. *pag.* 6. *tom.* 7. *oper. Si vero in miraculis non omnes omnia dixerunt; sed alius hæc, alius illa; ne ideo turberis; nam si unus omnia dixisset, superfluus esset reliquorum numerus; sin omnes diversa, & nova scripsissent, nullum superesset consonantiæ argumentum*.

11. Varietas igitur & contradictio respiciens substantialia ea est, quæ tollit fidem testibus; secus autem, si varietas & discordia sit in accidentalibus. Ita Dec. *in cap. Licet causam*, *n.* 59. *de probationib.* ubi ait: *Et hoc verum est, quando est contrarietas in facto principali, secus si sit in quibusdam accessoriis*. Et in nostra Canonizationis materia Auditores Rotæ in relatione S. Franciscæ Romanæ 3. *part. in sexto miraculo* §. *Et quamvis*, in relatione S. Catharinæ de Ricciis *part.* 1. §. *penult.* in relatione S. Pii V. *miraculo primo ante mortem*, in relatione S. Bonaventuræ *part.* 2. *art.* 4. *in fin.* in relatione S. Hyacinthi *tit. de miraculis*, *vers. Sed levem*, & in relatione S. Andreæ Corsini *n.* 234. *apud Lezanam consult.* 1. Nec ullo modo testes dicuntur contrarii, si unus referat aliquid, quod alius non refert: Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 18. *n.* 13. Francesc. *variar. resol. cap.* 26. *n.* 67. Auditores Rotæ in relatione S. Andreæ Corsini *part.* 3. §. 3. *apud Lezanam consult.* 1. *n.* 234. *vers. Unde*, & in relatione S. Teresiæ *in* 6. *miraculo post obitum*, *vers. De quo deponunt tres testes*. Contrarii vero sunt illi testes, quorum unus affirmat id quod negatur ab alio: Caccialup. *in l. Admonendi n.* 91. *ff. de jurejurando*, Petra *de fidei comm. quæst.* 12. *num.* 488. *in fin.* Joseph. Ludovic. *decis. Perus.* 9. *n.* 14. Rota coram Coccino *decis.* 1714. *n.* 2. Demum aliquando a Postulatoribus affertur dictum alicujus testis in processu examinati, qui ipsorum intentioni adversatur: ideoque a Fidei Promotore opponitur, nihil excipi posse adversus testem, quando producens ejus examen exhibuit, juxta adducta per Farinacc. *de testib. quæst.* 62. *num.* 242. *& seqq.* Veruntamen, utcumque id sit, quod attinet ad Postulatores; certe, quod spectat ad Consultores sacræ Congregationis, si ipsi cognoverint, testem fuisse deceptum, & ejus dicto tot aliorum testium dicta prævalere debere, nil impedit, quin his deferant, non autem illi; quemadmodum bene prosequitur Farinacc. *loc. cit. num.* 252. *& sequentibus*.

C A P U T O C T A V U M.

De historiis, quam scilicet probationem constituant in judicio Beatificationis & Canonizationis.

1. MATERIA hæc de fide historiis, & chronicis præstanda in judicio Beatificationis & Canonizationis a plerisque Auctoribus sedulo pertractatur. Petrus Franciscus de Rubeis olim Fidei Promotor dissertationem exaravit *de fide historiarum*, quæ est typis impressa apud Mattam *de Canoniz. SS. part.* 4. *cap.* 24. dictusque Fidei Promotor in ea dissertatione *num.* 21. *& seqq.* concludit, Judicis arbitrio esse committendum, an, & quæ fides historiis præstanda sit, perpensis ab eo videlicet varietate, pondere, & auctoritate librorum, & Scriptorum, inspecta fidei qualitate singulis ab antiquo per Majores nostros adhibita, considerata communi Sapientum voce, & censura cuilibet quæsita, vel adempta, vel diminuta, libratisque rerum, locorum, & temporum circumstantiis.

Pignatellus *consult.* 42. *tom.* 4. hanc eandem quæstionem pertractat, & *num.* 29. afferit, in rebus antiquissimis viventium memoriam excedentibus fidem esse Historicis adhibendam, si his antiquitus a Majoribus adhibita fuit; & hanc quidem regulam sibi vindicare locum etiam in causis Beatificationis & Canonizationis. Contelorius *de Canoniz. SS. cap.* 14. *num.* 53. *& seq.* idem docet, quod supra ex Petro Francisco de Rubeis relatum est. Cardinalis de Laurea *in* 3. *sent. tom.* 4. *disput.* 20. *art.* 25. §. 6. latissime ostendit, historias nec plene nec semiplene probare, sive res sit de virtutibus sive de miraculis, sed aliquatenus prodesse posse, si ceteris juridicis probationibus addantur. Sequitur eum Matthæucc. *in practica Theologo - Canon. ad causas Beatificat. & Canoniz. pertractandas tit.* 3. *cap.* 6. §. 2. Matta denique *de Canoniz. SS. part.* 4. *cap.* 24. *num.* 48. inquit, non posse post decreta Urbani VIII. in quibus statuitur modus & forma examinandi testes sub interrogatoriis Fidei Promotoris, virtutes & miracula probari respectu Canonizationis per historias.

2. Ut eo autem quo decet ordine procedamus, in causis Beatificationis & Canonizationis, præter testes ad normam juris examinatos, sæpius afferuntur Historici. Afferuntur autem, vel ad comprobandam famam sanctitatis aut Martyrii, quando causæ introducuntur, vel quando agitur de probanda fama sanctitatis per processum Apostolicum. Nec in his opus est immorari: cum ea quæ pertinent ad prædicta judicia, jam alibi fuerint explicata, & ea quæ forte fuerint ibi omissa, loquendo de Historicis, suppleri possint ex his quæ modo exponuntur. Frequenter autem contingit, ut in judicio super miraculis, super virtutibus singulis, & super Martyrio testimonia proferantur Historicorum; & ad hanc facti speciem pertinent ea quæ mox afferentur. Porro regula generalis sit in nullo casu miracula probari posse per solas historias & chronica: item virtutes & Martyrium, juxta modum mox explicandum, consimilibus monumentis probari posse in causis procedentibus per viam casus excepti, vel in causis in quibus propter temporis antiquitatem testes de visu haberi non potuerunt, & locus est probationi subsidiariæ: rursus virtutes & Martyrium nullo modo probari posse per historias in causis procedentibus per viam non cultus, & in quibus probationes directæ sunt necessariæ, demum tam in his causis, quam universim quando agitur de miraculis, Historicos necessariis qualitatibus pollentes, & concordantes cum testibus de visu, vim habere validi adminiculi.

3. Quod autem in nullo casu miracula probari possint per solas historias & chronica, facile demonstratur. In superioribus enim visum est, miracula probanda esse per testes contestes de visu, ubi Historici ut plurimum sunt testes de auditu. Si vero Historicus tanquam testis de visu miraculum referret patratum intercessione Servi Dei, vel Beati, nec ipse solus, sed alius etiam Historicus simili modo eum exponeret, vim tamen probationis in his judiciis habere non possent; cum ex alibi dictis testes etiam de visu, ut probent, debeant juramento quidquid referunt firmare. Insuper si Historici de visu & adhibito juramento testarentur, quod tamen non ita facile accidit, adhuc probatio in eorum dictis constitui non posset; cum præter juramentum, necesse sit, ut testes interrogentur, & in responsionibus satisfaciant interrogatoriis fidei Promotoris: qua ex re nemo est qui non videat quam magnum derivetur in testium veracitatem præsidium.

4. Quod virtutes & Martyrium per historias & chronica probari valeant, si agatur de causis procedentibus, per viam casus excepti, vel de causis antiquis, in quibus propter temporis antiquitatem testes de visu haberi non potuerunt, facile dignoscitur. In causis quippe prædictis fit locus probationi subsidiariæ, & in linea probationis subsidiariæ suum sibi videntur locum vindicare debere historiæ & historica monumenta. Additum fuit in superioribus, virtutes & Martyrium in causis, de quibus modo sermo habitus est, historicis monumentis comprobari, sed juxta modum explicandum. Hunc autem modum aperientes dicimus, juxta praxim Sedis Apostolicæ testes de auditu, & de publica voce & fama Historicis jungendos esse, ut virtutes & Martyrium probata dici possint ad effectum formalis Beatificationis in causis antiquis procedentibus per viam non cultus, vel ad effectum solemnis Canonizationis in causis procedentibus per viam casus excepti. Ut enim alibi visum est, expediuntur a Sede Apostolica litteræ compulsoriales & remissoriales; compulsoriales, ut in processum inserantur historica monumenta, remissoriales, ut testes de auditu examinentur, & de publica voce & fama afferentes: ut ex Historicis, & testibus insimul ponderatis tutum ferri valeat judicium de virtutibus aut Martyrio. Magna quæstio fuit inter Socios Bollandianos, & Monachos Benedictinos Congregationis S. Mauri, utrum in notionibus chronologicis major fides præstanda esset diplomatibus, an Historicis: tandem conclusum fuit, ea in re majorem fidem esse adhibendam diplomatibus, quam Historicis, etsi coævis & a mendacio alienissimis. Legi potest Pater Marquardus Hercott *tom.* 1. *Genealogiæ diplomaticæ Augustæ Gentis Habsburgicæ prolegom.* 1. *num.* 4. *&* 5. Porro si quæstio excitaretur, num in re de qua nunc agitur validior probatio statuenda sit in probatis Historicis, an in probatis testibus de auditu, & de publica voce & fama, ea forte definiri posset respondendo, probatos Historicos, & probatos testes de auditu æqualem constituere probationem, dummodo testes de auditu causam scientiæ reponant in communi & continuata fama a suis Majoribus fide dignis ad ipsos transmissa. Quod si scientiæ causam constituerint in iis quæ in historiis legerunt, uti sæpe contingit, major vis probationis stabit pro Historicis; & testes vel validi adminiculi vices, vel inferioris probationis efficaciam obtinebunt.

5. Virtutes deinde & Martyrium nullo modo probari posse per historias in causis procedentibus per viam non cultus, & in quibus probationes directæ sunt necessariæ, demonstratur. Si etenim necessariæ sunt probationes directæ, idoneæ non sunt subsidiariæ, quæ constituuntur in Historicis, juxta ea quæ supra dicta sunt, cum ageremus de miraculis.

6. Denique si Historici necessariis qualitatibus polleant, & concordent cum testibus de visu, eos vim habere validi adminiculi, sive agatur de miraculis, sive de virtutibus, & Martyrio, in causis in quibus probationes directæ sunt necessariæ, admittitur ab omnibus; & favet praxis sacræ Congregationis, quæ, expediendo litteras remissoriales, compulsoriales etiam expedire consuevit; quæ ad id prosunt, ut ex archivis & historiis monumenta & particulæ ad rem facientes extrahantur, & in processu inserantur; quod utique superfluum esset, si monumenta historica vim & efficaciam saltem adminiculi habere non deberent. Apte quoque Melchior Canus *de loc. Theolog. lib.* 11. *cap.* 4. *Historici graves ac fide digni, quales nonnulli sine dubio & in Ecclesiasticis & in sæcularibus fuere, probabile argumentum Theologi suppeditant cum ad ea quæ sua sunt, corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones refellendas.* Et in fine: *Historia nimirum, etsi, ut Quintilianus ait, scripta est non ad probandum, sed ad narrandum, aliquid tamen sine dubio probat, probabiliter fere: nam aliquando etiam necessarie.*

7. Attamen in Historicis legendis admittendisque ad vim probationis vel adminiculi singulari delectu opus est, ne aut statim fides adhibeatur, aut statim adimatur, aut nimium differatur. Nam ut idem ait Canus *loc. cit. Uterque igitur, & qui cito credit, & qui ad credendum nimium est tardus, jure reprehenditur.* Cum eo concordat Joannes Bodinus *de method. histor. c.* 4. *Ut igitur ab historiis rerum veritas habeatur, singulari non modo Scriptorum delectu, sed etiam in iis legendis illud meminisse debemus; quod ab Aristotele sapienter dictum est, in historia legenda, neque nimis credulum, neque plane incredulum esse oportere; nam si omnia omnibus assentiemur, sæpe vera pro falsis habebimus.* Nonnullæ autem inveniuntur historiæ Sanctorum gesta referentes, scriptæ ab his qui eorum facta a veris fontibus non hauserunt, ut est apud Gewaldum *de Septemviratu, sive de Elect. c.* 7. *n.* 2. *Scripserunt pro more suorum temporum communiter recepto, & in monasteriis constituti, atque a Foro Civili, popularique conversatione longius remoti, non quæ viderant, ac quibus coram interfuerant, sed quæ rumor & fama vulgi anceps illis suppeditabat, in commentarios suos retulerunt.* Quapropter Canus *lib.* 11. *c.* 6. *pag.* 317. asserere non dubitavit, integrius & incorruptius vitas Imperatorum ab Historicis Gentium, quam a nostris vitas Martyrum & Confessorum fuisse descriptas: *Dolenter hoc dico potius, quam contumeliose, multo a Laertio severius vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas Sanctorum, longeque incorruptius & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum, & Confessorum. Illi enim in probis aut Philosophis, aut Principibus nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis vero etiam colores virtutum produnt. Nostri autem plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solum pudeat,*

sed

sed etium tædeat: & Ludovicus Vives *lib. 2. de caussis corruptarum artium pag. 371.* sic de eadem re conqueritur: *Ob quam pudendum est nobis Christianis, non esse præstantissimos nostrorum Divorum Actus verius & accuratius memoriæ mandatos sive ad cognitionem, sive ad imitationem tantæ virtutis!* Hac de caussa nonnulla in præsenti exponenda sunt, ut memoratus Historicorum delectus ob oculos habeatur.

8. Quatuor itaque sunt gradus Historicorum: primus scilicet eorum, qui ea, quibus interfuerunt, quæque geri viderunt, litteris tradiderunt, qua ratione Possidius Episcopus S. Augustini vitam didicit & scripsit. Etsi Joannes Clericus homo heterodoxus *tom. 12. in append. ad oper. S. August. pag. 621.* vitam sancti Doctoris scriptam a S. Possidio insimulat, quasi in Augustini exponendis gestis aliquid gratiæ dederit & amicitiæ. Verum calumniam ipsam strenue repellit Joannes Salinas Canonicus Regularis Lateranensis nuper bonorum omnium mœrore vita functus *in præf. ad vitam S. Doctoris scriptam a S. Possidio, quam notis illustravit.* Secundus gradus est eorum, qui non viderunt ea quæ narrant, sed ab iis acceperunt, qui viderunt; qua ratione S. Bonaventura composuit vitam S. Francisci, & S. Hieronymus S. Hilarionis. Tertius gradus est eorum, qui referunt ea quæ non viderunt, nec audiverunt ab iis qui viderunt, sed ab iis, quibus qui viderant, narraverunt; ad quod genus multa pertinent ex iis, quæ referunt Joannes Moscus *in prato spirituali*, S. Gregorius *in dialogis*, Ven. Beda *in historia Anglicana*. Quartus tandem gradus est eorum, qui ex historiis conditionis & gradus modo explicati monumenta quæ edunt, collegerunt. Porro Joannes Bollandus *in præfat. general. in vitas SS. tom. 1. Januarii cap. 3. §. 1.* post enumeratos prædictos gradus Historicorum loquit: *Et hi quidem omnes fidem merentur, si sunt viri boni, si prudentes, si pura eorum minimeque adulterata scripta sunt;* repetitque id ipsum *in præfat. ad vitas SS. tom. 1. Februarii cap. 1.* ubi addit, nonnullas etiam reperiri Sanctorum historias ex fama a Majoribus accepta, aut vulgaribus monumentis nec satis certis collectas, quas inquit se non respuere omnino, sed examinare & ad authenticarum historiarum calculos expendere.

9. Primum tamen fidei & auctoritatis pondus profecto debetur Historicis, qui res scripserunt, quibus interfuerunt, vel quas ab eis qui viderant, audiverunt, dummodo Historici ipsi probi fuerint prudentesque, & ideo fide digni. Beatus Theodoretus *in historia Religiosa* hæc habet *in præfat. histor. SS. Patrum: Ex iis porro, quæ dicenda sunt, aliqua ipse vidi; quæ autem non vidi, ab iis audivi qui viderunt, viris virtutis amantibus, dignisque habitis, qui illos viderent, & eorum doctrina fruerentur. Fide autem digni Evangelicæ doctrinæ Scriptores sunt non solum Matthæus & Joannes primi & magni Evangelistæ, qui Domini videre miracula; sed etiam Lucas & Marcus, quos qui ab initio viderant, & verbi ministri fuerant, non ea modo quæ passus est & quæ fecit Dominus, sed ea etiam quæ assidue docuit, accurate docuerunt. Nam & Beatus ipse Lucas qui spectator non fuerat, in principio operis sui dicit, se ea narrare, de quibus certior factus sit; & nos licet audiamus eum illa non vidisse quæ narrat, sed hanc doctrinam ab aliis accepisse, non minus illi & Marco credimus, quam Matthæo & Joanni. Fidem enim dum narrant merentur ambo, ut ab iis edocti qui viderant. Quare nos quoque narrabimus ea, quæ partim ipsi vidimus, partim iis qui viderant, eorumque vitam imitabantur, narrantibus credidimus. De his autem ideo pluribus verbis disserui, ut me vera narraturum persuaderem. Hinc vero deinceps narrare incipiam.* Cardinalis Baronius *ad an. 34. n. 173.* sic ait: *Non parum certe interest in veritate historica disquirenda, Auctorum qui res gestas scripserunt, quo vixerint tempore ... habere rationem, potissimumque, si hujusmodi Scriptores rerum perspectarum, ac eorum ætate editarum pietatem & virtutem cum doctrina & veritate conjunxerint.* Concordat Canus *de locis Theolog. loc. cit. Prima lex ex hominum probitate integritateque sumetur. Quæ omnino res locum habet, cum, quæ narrant Historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his qui viderunt, accepisse. Magnis quippe præclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus ejusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omnino illis habeatur.* Adhæret Mabillonius *de stud. Monast. part. 2. cap. 8. num. 10. Huc spectat ea triplex regula, quam Melchior Canus ibidem tradit ad dijudicandum inter Historicos, ut meliores a ceteris secernantur. Prima est ingenua quædam probitas, ex qua illi impotentes fiunt ad homines aliquando sponte fallendum, asseverando nempe, gestum aliquod se vidisse vel intellexisse, quod tamen ipsosmet penitus lateat. Quæ virtus non modo in sanctis piisque viris emicat, verum & in cunctis, qui cordis sinceritatem animique candorem jugiter profiteri gloriantur ... Secunda regula, quam affert Melchior Canus, est, Auctores potiori luminе ingeniique maturitate præditos iis omnibus præferendos esse, in quibus dotes istæ desiderantur. Enimvero satis non est nolle mentiri, sed insuper maturo judicio & exacta prudentia opus est, ut ad amussim res ponderentur, ne unquam decipi contingat, neve levi corde credatur, aut calamo exaretur, quidquid semel exauditum in mentem venerit.* His subscribit Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctitat. sect. 11. cap. 6. pag. 877. Attendendum quoque in Historico, an sui temporis, an vero præteriti & antiquioris sæculi historiam scribat, plus enim auctoritatis habebit, qui sui temporis res gestas refert: nam quæ acta sunt, dum Auctor vivebat, cognoscere ipse & perquirere diligentissime potuit; quæ vero illius ætatem præcesserunt, non nisi aliorum vel scripto vel relatione, (quibus sæpe judicium, aut sinceritas deest) perdiscit:* quod argumentum latius prosequitur *pag. 880. & 881.* Quare S. Maruthas Episcopus Tagritensis, qui claruit circa finem sæculi IV. (*tom. 1. Bibliothecæ Orientalis*; summo studio & eruditione collectæ a docto viro Assemano) describens historiam Martyrum sub Sapore coronatorum, ut ei fidem conciliet, inquit *pag. 183. Quidam sunt, qui temporibus nostris Martyrium consummarunt, quosque nos ipsi vidimus; alii vero ætatem quidem nostram antecessere, quorum tamen accuratam historiam ex ore senum Episcoporum, ac Presbyterorum summa fide dignorum accepimus, quippe qui æquales illis fuere, rerumque ab eis gestarum spectatores.* Quia vero quæri potest, quinam habendi sint pro viris, seu Historicis integris, prudentibus, & fide dignis; cum hæc qualitas etiam sit necessaria, ut, quamvis scribant, quæ viderunt, aut quæ ab his qui viderant, audiverunt, pondus auctoritatis habere valeant, respondet Canus *ib. c. 6. Scriptoris autem probitas & integritas (nam hoc quæret aliquis) in his, qui olim fuerunt, licet aliquando in scriptis ipsis eluceat, sed fama & gravi atque frequenti præteritorum hominum testimonio cognoscetur:* quem sequitur Langlet *in method. histor. stud. cap. 18. §. 3.* ubi observat, non alia de causa magnum auctoritatis pondus sibi vindicare historias Thucydidis, Xenophontis, Cæsaris, & Sallustii. Haberi autem non poterit tanquam prædictis qualitatibus pollens Historicus, qui scribit ea quæ favent Parti, cui ipse nimis addictus est; uti late prosequitur Bollandus *in præfat. ad Acta Januar. cap. 3.* Ad quod facit & illud S. Hieronymi *in epistola ad Salvinam tom. 1. n. 4. Ex quo colligitur, fidele esse testimonium, quod caussas non habet mentiendi.* Plura insuper ad hoc argumentum collecta videri possunt apud Theophilum Raynaudum *oper. tom. 14. de ortu infantium per sectionem Cæsaream pag. 246. sub num. 4.* Mabillonius etiam *loc. cit. num. 1.* sic loquitur: *In primis itaque operæ pretium est, Auctoris dotes sedulo perpendere, num scilicet idoneus sit ac sincerus; quo fine & ratione ad scribendum ductus fuerit; an aliquorum factioni aut sectæ adhæreat;* & *n. 2.* notat, aliquando fieri posse, ut Auctoris non contemporalis historia præferatur historiæ contemporalis; si hic videlicet fuerit negligens, rerum inscius, assentatione aliqua, aut proprii commodi spe illectus; ille vero maturitate, & prudentia ornatus, seriisque monumentis innixus suam historiam ediderit. Resumi quoque poterunt ea quæ *in 2. libro cap. 41. & cap. 42.* dicta sunt de fide historiarum, dum agebatur de judicio famæ sanctitatis in genere, & alia pariter huc traduci possunt, quæ infra adducentur, cum sermo instituetur de lectionibus propriis concedendis a sacrorum rituum Congregatione in honorem Sanctorum. Concordat Andreas Bosius *in introduct. ad notitiam Scriptor. Ecclesiast. cap. 5. num. 21. Nemo Scriptores Ecclesiasticos recte leget, laudabit, refellet, interpretabitur, & in usum transferet, nisi qui noverit, quo singuli tempore, locoque, qua conditione vixerint, cui sectæ ac vitæ instituto addicti fuerint, qua occasione, quo proposito, quo doctrinæ aparatu instructi, quo tempore, locoque sua exaraverint.*

10. Dictum est, primum fidei & auctoritatis pondus deberi Historicis, qui res scripserunt, quibus interfuerunt, vel ab eis qui viderant, audiverunt, dummodo tamen Historici probi fuerint prudentesque, & ideo fide digni;

digni; sed addi debet, in hoc primo fidei & auctoritatis pondere plus primis, quam secundis esse deferendum; quemadmodum late ostendit Pater Honoratus a Sancta Maria *in animadvers. super regul. & us. Critic. diss. 7. art. 9. pag. 612. & seqq. tom. 1.* Quod autem attinet ad alios Historicorum gradus, cum in tertio constituti fuerint, qui referunt ea, quæ non viderunt, nec audiverunt ab his qui viderunt, sed ab iis, quibus, qui viderant, narraverunt, licet de his quoque Bollandus afferat, quod fidem merentur, si sint viri boni & prudentes; nemo tamen est qui non videat, non posse eis tantum deferri, quantum diximus esse deferendum Historicis, qui vel scripserunt ea quæ viderunt, vel ea scripserunt quæ audiverunt ab his, qui viderant. Quoad ceteros vero Historicos scribentes ea quæ legerunt in præcedentium temporum historiis, eorum auctoritas pendet ab aliorum auctoritate; si etenim res, quas scribunt, hauserunt ab Historicis qui viderunt, si ab aliis, qui scripserunt, quæ audiverunt ab his qui viderant, si a ceteris, qui audiverunt ab his, qui item audiverant ab iis qui viderant, tanta erit horum Scriptorum auctoritas, quanta erit illorum, a quibus sua scripta sumpserunt. Facit ad rem celebre illud dictum Cardinalis Baronii in apparatu ad annales: *Quod in recentiore Auctore de rebus antiquis sine alicujus vetustioris testimonio profertur, contemnitur.* Proinde apte subdit Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 11. cap. 6. pag. 880. Dices, fidem talibus Historicis adhibendam esse, quia referunt ea quæ scripta reperernnt in aliis Historicis. Ad quod respondeo, fidem illis adhibendam quidem, verum non quia ipsi ita scripserunt, sed ex auctoritate vetustioris, a quo acceperunt; qui demum cujus meriti ac famæ, quaque fide dignus sit, serio considerandum: qua de causa Auctor posterior anteriorem Auctorem referre debet, a quo ille acceperit; quin etiam referre loca & verba, ut, fideliter observasse doctissimum Baronium in annalibus suis, videre licet. Qui vero Acta veterum priorum virorum aliter scripserit, nullius ponderis, aut momenti censebitur in re, de qua agimus.* Quod debet etiam sibi vindicare locum, quamvis non unus, sed plures Historici in quarto gradu constituti in una eademque re describenda concordent, teste Cardinali Baronio *ad ann. 1125. n. 12. Certe quidem non numero Historicorum veritatem historiæ consuevimus æstimare, sed quanta fide polleat primus Auctor cujuslibet assertionis. Nam, reliquos primum sequi Auctorem, & ejus vestigiis inhærere, frequentiori usu in more positum reperimus.* Adde illa, quæ habentur apud Mabillonium *de stud. monast. part. 2. cap. 8. num. 7. Inter relationum varietates cavendum est, ne ab uberiori duntaxat Auctorum copia alliciamur, sed potius ab ipsorum merito & gravitate; multoties enim fit, ut gravis, periti, atque sinceri Scriptoris auctoritas centum aliorum minoris fidei testimonio sit præferenda, qui nimirum absque matura discussione, ac diligenti rerum examine sibi succedentes subscripsere.* Adde etiam Dominum Langlet *in method. stud. histor. cap. 19. regul. 6.* Supra relatum Baronii axioma desumptum ex apparatu ad annales nonnulli sic interpretati sunt & intellexerunt, ut videlicet sibi vindicet locum, si maxima intercedat temporum distantia inter recentiorem Auctorem, & factum ab ipso narratum: puta, si aliquis recentior sine testimonio alicujus vetustioris aliquid referret pertinens ad Assyrios, Macedonas, aut Romanos. Ita habetur in secunda defensione Pandectarum Pisanarum *lib. 2. cap. ult.* At id strenue impugnatur tum ratione, tum exemplis ex eodem Cardinali Baronio depromptis in examine historiæ Pandectarum Pisanarum *part. 4. cap. 7.* Quocirca prædictum Baronii axioma admittendum est, quoties recentior factum narret sine testimonio vetustioris, etiamsi factum narratum ad tempora adeo remota non pertineat. Conringius in iterata dissertatione de jure coronandi *tom. 5. pag. 677.* inquit de Scriptoribus recentioribus: *Eorum auctoritas non majorem illi narrationi fidem facit, quam ille meretur, a quo eam habent. Neque enim in assertione quadam historica probanda numerus testium recentiorum, qui antiquiorem alium non adducunt, quidquam confert, sed ad eos semper respiciendum est, qui ætati illi, qua res facta esse dicitur, fuere quamproximi.* Et præclare Papirius Massonus *inter Scriptores Hist. Franc. collect. ab Andrea du Chesne tom. 1. in historia calamitatum Galliæ* subdit *pag. 109. & seq. Utrum autem credere antiquioribus Historicis oporteat, potius quam recentioribus, id nullam dubitationem habet, nec unquam habuit. Etenim historiarum Scriptores, qui propiores sunt tempori rerum gestarum, veriores debent videri. Nondum enim mendaciis, fabulisque anilibus, quas per otium vulgus fingit, locus esse potest, quibus fidem affert apud posteros sola diuturnitas lapsusque temporis, non modo profana, sed sacra etiam inficiens.*

11. Omittimus verba facere de eo Historicorum gradu a Bollando insuperaddito, qui Sanctorum historias scribunt ex fama a Majoribus accepta: non quia, quascumque traditiones humanas respuendas esse, censeamus, etiamsi vigeant in aliquo particulari loco; poterit enim earum usus in aliquo haberi pretio, si ipsarum examen præcedat, & si probi Auctores easdem testeotur: quare Launojus ipse, qui huic probationi infensissimus est, *in appendice ad dissert. de argumento negativo* tandem concludit: *Docemur, adhibendam non esse fidem Historico narranti, quæ nec vidit, nec audivit, nec ab aliis omnino Scriptoribus æqualibus vel supparibus, aut ab alio traditionis monumento accepit*: sed quia ad rem de qua nunc agimus, vix prodesse possunt, ut ex infra dicendis desumetur, cum probabilitate quidem non careant, sed vim concludentis probationis non habeant; veluti animadvertit P. Honoratus a Sancta Maria *tom. 1. cit. oper. dissert. 1. pag. 619.*

12. In dubio igitur Martyrii aut virtutum in specie, si agatur de causis procedentibus per viam non cultus, & in quibus non est locus subsidiariæ probationi, cum probatio constituenda sit in testibus de visu contestibus, Historici probi & integri, quamvis scripserint ea quæ viderunt, vel quæ audiverunt ab his qui viderant, vim probationis habere non poterunt, sed tantum adminiculi, majoris tamen aut minoris, juxta regulam auctoritatis ipsis præstandæ ex iis quæ in superioribus dicta sunt. Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 11. c. 6. pag. 882.* hæc habet: *Si vero contemporanei extiterint omnes qui ejusdem Acta conscripserint; ex ipsis hauritur aliquod indicium sanctitatis ad eum, quem diximus, effectum, quia ex fama communi sanctitatis aliquod sumitur indicium ad effectum Beatificationis & Canonizationis alicujus. Ex diversis autem ac pluribus Historicis Catholicis Servo Dei contemporaneis, diversarum præsertim gentium, provinciarum, ac nationum, indicium vehemens de fama virtutum & Actorum illius colligitur, quia fama consurgit ex diversorum dictis, qui credant, verum esse quod affirmant; quemadmodum non est dubium credidisse Historicos, qui illud etiam scripto ad posteros transmittunt. Diximus vero, in prædictis historiis aliquod sumi indicium sanctitatis, quia ex dictis spontaneis testium non citatorum, nec legitime interrogatorum non sumitur nisi indicium, ut Judex procedat per modum inquisitionis in aliqua causa. Inquisitio namque innititur conjecturis & indiciis, non vero certitudini de aliqua re.* Cui quidem assumpto favet etiam praxis sacræ Congregationis: passim etenim eidem a Postulatoribus exhibentur una cum testibus examinatis Historicorum relationes, quæ cum eis concordant; quas Consultores admittunt, non in linea probationis, sed in linea adminiculi.

13. Si agatur autem de causis procedentibus per viam casus excepti, vel in quibus propter temporis antiquitatem (juxta alibi dicta) sit locus probationi per testes de auditu, quando pariter disputatur dubium de virtutibus aut Martyrio in specie, ubi passim probationes subsidiariæ admittuntur, si Historici debent vim probationis obtinere, ita ut probatio nedum in dictis testium de auditu asserentibus, sed etiam in Historicis ipsis constituenda sit; oportere videtur, ut non modo sint probi, prudentes, & fide digni, verum etiam ut referant ea, quæ vel propriis oculis viderunt, vel ab iis qui viderant, audiverunt. Si etenim supplent vicem testium de visu, infertur, debere prædictis qualitatibus esse præditos. Porro, quæcumque certior evidentia haberi possit in hoc judicio, utpote gravissimo, exposcitur; nec in rebus tanti momenti specialia multiplicari debent: speciale siquidem est, ut testes de auditu & Historici vim sufficientis probationis obtineant; cui nempe specialitati alia addenda non est, Historicos videlicet sufficienter probare, quamvis non sint contemporales, & quamvis scripserint ea quæ non viderunt, nec ab his qui viderant, audiverunt.

14. Id comprobatur exemplis causarum Canonizationis, quæ processerunt per viam casus excepti, in quibus facta est virtutum approbatio, ex testibus de auditu & Historicis. In causa quippe S. Joannis de Capistrano post approbatum casum exceptum a decretis Urbani cum formiter assumptum fuit dubium de virtutibus, Historici pro eis comprobandis allati fuerunt quatuor socii dicti Sancti, qui ejus vitam distincte conscripserant: Frater videlicet Nicolaus de Fara, qui in fine operis

hæc

hæc habet: *Accipe itaque, Pater Sanctissime, banc, seu qualemcumque laudationem, quam comes quondam tui itineris Nicolaus in tuorum clarissimorum gestorum memoriam cudit*. Fr. Hieronymus de Utino, Fr. Christophorus de Valisio, & Fr. Petrus de Sopronio, qui vitam a Fr. Christophoro conscriptam approbavit: quibus etiam additi fuerunt alii Auctores gravissimi contemporales, qui ejusdem S. Joannis magna cum laude meminerunt, Pius scilicet Papa I. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Flavius Blondus, & alii.

15. In causa S. Catharinæ de Bononia post approbatum casum exceptum, propositum similiter fuit examini dubium de virtutibus, & præter testes de auditu potissimum fundamentum constitutum fuit in ejus vita scripta a Sorore Illuminata de Bembis, quæ titulo Beatæ illustratur in Martyrologio Franciscano Arturi. Fuit autem prædicta Soror Illuminata testis de visu eorum quæ scribebat, ut ex sequentibus ejus verbis desumitur: *Al nome del nostro eterno, e glorioso Iddio, e del Serafico nostro Padre S. Francesco, e della sua pianta vergine madre nostra Santa Chiara gloriosa insiememente colla Beato Catarina da Bologna, per lo cui dolce amore ho preso questo voler' a scrivere, e notare quello che colli miei occhi meritai vedere negli anni miei vissa con lei conversata con ogni verità e certezza, tanto breve, quanto a me sarà possibile*. Additi fuerunt Azzoguidus, Savonarola, Sabatinus, & Palæotus, qui ejusdem Sanctæ vitam exacte conscripserunt intra quinquagesimum annum ab ejus obitu, & ea quidem scripserunt, quæ ab his saltem qui viderant, audiverunt: præterquamquod scriptis mandarunt ea, quæ effecta sunt in civitate Bononiæ, in qua ipsi habitabant.

16. In causa item S. Peregrini Latiosi, approbato casu excepto, testes fuerunt exhibiti de auditu asserentes in dubio subinde disputato de virtutibus. Probatio autem historica innixa fuit contemporali gravissimo Auctori, Fratri videlicet Vitali de Avanziis, qui a Clemente VI. evectus in Priorem Generalem sui Ordinis Servorum, ab Innocentio VI. Nuntius Apostolicus ad Regem Hungariæ, deinde ad Sultanum Ægypti ablegatus, ab Urbano demum V. promoveri meruit ad Insulas Asculanam, & Theatinam. Cui contemporali Auctori nedum alii gravissimi Historici fuerunt additi, sed cum eo etiam concordare repertus est in fideli gestorum S. Peregrini enarratione Fr. Nicolaus de Pistorio, qui post annos trigiuta novem ab obitu dicti Beati vitam ipsius conscripsit.

17. In causa S. Agnetis de Monte Politiano post approbatum casum exceptum a decretis Urbani VIII. assumpta pariter disputatione super virtutibus, præter illustria testimonia de ejus sanctitate tum S. Catharinæ Senensis, tum S. Antonini Archiepiscopi Florentini, producta fuit historia ejus vitæ conscripta a Raymundo Capuano. Sancta scilicet Agnes mortua est anno 1317. historia autem ejus vitæ conscripta fuit a Raymundo Capuano circa annum 1350. ut indicat Jacobus Echard Ordinis Prædicatorum *tom.* 1. *Scriptor. ejusdem Ordinis pag.* 680. atque adnotarunt Bollandiani *tom.* 2. *Aprilis, ad diem* 20. *ejusdem mensis pag.* 761. Raymundus ille *Beatus* a nonnullis appellatur: at, utcumque id sit, vir utique fuit eximiis animi dotibus præditus, cum ad *Generalatum* sui Ordinis fuerit deinde assumptus, & Confessarius fuerit S. Catharinæ Senensis, cujus etiam vitam conscripsit, quæ causæ Canonizationis ipsius non parum profuit. Quocirca Rutilius Gallicinus Prosecretarius Congregationis sacrorum rituum tempore Clementis VIII. & intimus familiaris Cardinalis Gesualdi tunc ejusdem sacræ Congregationis Præfecti in relatione omnium gestorum super approbatione lectionum propriarum pro Officio tunc Beatæ, nunc Sanctæ Agnetis, inquit, eas desumptas fuisse ex vita scripta a Raymundo Capuano, de quo deinde sic loquitur: *Is fuit Capuanus ejusdem Ordinis Professor & Magister Ordinis vigesimus quartus, vir scientia & religione clarus, quo curante, Ordo Dominicanus ad observantiam Regularem anno 1389. revocatus est: de quo licet alia multa ad ejus laudem commemorari nunc possent, illud tamen hoc loco dixisse satis fuerit, quod ex tot sanctis Patribus, qui in eodem Ordine tum maxime florebant, potissimum sit ipse delectus a sanctissima Virgine Catharina Senensi, cujus Confessiones audiret, cujus etiam postea vitam conscripsit*. Porro Historicus hic a testibus de visu, & monumentis aptis gesta Agnetis desumpsit, ut ipse testatur his verbis: *Et, ut fides adhibeatur dicendis, noverit lector quicumque, quod, quidquid inferius inseritur, fuit mihi aut a videntibus ejus magnalia, & ab ipsismet audientibus fideliter & perfecte relatum, aut in scriptis inveni per manus Notariorum Imperialium, vel Religiosorum fidelium cum testium inscriptione probatum*.

18. In causa Beatæ (nunc Sanctæ) Julianæ de Falconeriis post approbatum casum exceptum, transitus eodem modo factus est ad discussionem virtutum. Testes itaque de auditu in processibus examinati sacræ Congregationi fuerunt exhibiti, extractumque fuit ab archivo monasterii SS. Annunciationis Florentinæ antiquum & celebre monumentum, conscriptum decem & octo diebus post obitum Beatæ, in quo mirabile refertur prodigium in ejus morte factum. Cum enim causa vomitus sacram recipere non posset Eucharistiam, & a Fr. Jacobo ejus Confessario impetrasset, ut eam ad se deferret, non ut reciperet; sed ut adoraret, admota pectori sacratissima Hostia amplius visa non est, mortuaque Beata, Hostiæ signum in ejus pectore inventum est una cum signo Crucis. Quod quidem prodigium simul cum relatione ceterarum virtutum Beatæ repertum fuit in monumentis quoque Fr. Nicolai Ordinis Servorum Pistoriensis, qui ea scilicet exaravit uno & quadraginta annis post obitum Beatæ; nec alii graves defuerunt Historici, eam rem comprobantes.

19. In causa porro S. Joannis Nepomuceni, approbato casu excepto a decretis Urbani, disputatum fuit dubium de Martyrio & causa Martyrii, quamobrem allati sunt testes de auditu, nec defuerunt Scriptores contemporales, opus videlicet manuscriptum ex archivo Metropolitanæ ecclesiæ Pragensis. Facta autem characteris recognitione, deerat nomen Auctoris. Sed, cum ageretur de chronico libro, res memorabiles ad prædictam Metropolitanæ Capitulum pertinentes diarii instar enarrante; quodque notatu dignum erat, cum scriptum fuisset, vivente adhuc Wenceslao, qui Joannem vita privavit, eo quia revelare noluit sacramentalem Confessionem Reginæ uxoris dicti Wenceslai, nominis defectus a me tanquam Fidei Promotore oppositus manuscripti codicis auctoritatem non infirmavit. Joannis quoque Martyrium distincte narratum fuit ab aliis Historicis, signanter vero a Wenceslao Hallecio, qui, licet historiam typis ediderit anno 1591. & ideo non fuerit Sancto contemporalis, eam tamen collegit ex antiquioribus & incorruptis monumentis, adhibito judicio & correctione trium illustrium virorum mandato Ferdinandi I. Imperatoris & Regis Bohemiæ, ut ipse Hallecius perspicue declarat in libri dedicatione eidem Ferdinando Regi facta. Vitæ demum S. Joannis conscriptæ a P. Balbino Presbytero Societatis Jesu, typisque impressæ anno 1670. magna habita fuit consideratio tum propter singularem ejus eruditionem & historicæ antiquitatis peritiam, quam meritis laudibus prosequuntur Bollandiani *tom.* 3. *Maji ad diem* 16. *pag.* 668. tum quia in prologo refert, se historiam desumpsisse ex testimoniis virorum, qui S. Joanni fuerunt contemporales: *At nihil ego quidem dubitem, tanti Martyris vitam pridem conscriptam in antiquitate fuisse; at Heresis, quæ B. Joannis mortem paulo post excepit, iisdem flammis, quibus templa & cœnobia omnia apud nos conciderunt, corrupisse videtur. Quæ igitur de B. Martyre afferemus, in manuscriptis plurimis ea ætate viventium hominum (quorum mibi suppetit copia) tum in typo expressis codicibus reperta, & in unum summa fide & religione collecta; non tam diligentiæ cuicui meæ, quam felicitati, quod inventa sint, adscribantur.* In superioribus quippe jam visum est, majorem quandoque auctoritatem sibi conciliare historiam non contemporalem, quam contemporalem, si illius Auctor vetera pervolverit monumenta, quæ hujus Scriptorem latuerunt; quemadmodum præter ibidem adducta ponderat Bollandus in *præfat. ad tom.* 1. *Februar. cap.* 2. *Habet prior quidem Scriptor antiquitatis prærogativam, in qua vis inest magna, ut quæ narrat, credibiliora videantur; alter tamen, etsi sæculo uno alterove posterior, plura potest vetera documenta examinasse, & adjuncta rei gestæ certius explorasse.* Quam ad rem conferunt allata a Ludovico Antonio Muratorio in sua ad historicam Miscellam eleganti præfatione *tom.* 1. *de rer. Italic. Scriptor. Nam & vetustissimus est ipse consarcinator, iisque temporibus scripsit, quibus complures historiæ supererant, quarum irreparabilem interitum nos serius nati inani querela dolemus .... Sicubi ergo nos deficiunt egregia Veterum monumenta, ad illos confugere juvat, qui, quanquam nonnullis post sæculis floruere, Veterum tamen libros feliciùs, quam nos, terere manibus potuerunt. Itaque Miscellæ quoque suus honor futurus est, eamque, ubi vetustiores historiæ aut silent, aut inter se dissentiunt, advocare*

care testem, atque illius ope uti, erit eruditi simulque prudentis Critici. Præclare quoque Abbas Venusinus Auctor vitæ S. Alferii Abbatis apud Mabillonium *part. 1. sæc.* VI. *SS. Ord. S. Benedicti pag. 729. in fine prologi* subdit: *Quia item nova scribendi tempora contemni solent, fidem dictorum relatoribus, non scriptis lector adscribat; quia etsi isto tempore scribimus, ea, quæ ab antiquis monasterii senibus sunt nobis dicta, narramus.*

20. Exceptis causis S. Joannis de Capistrano, & S. Catharinæ de Bononia, reliquæ supra memoratæ examen subierunt in sacrorum rituum Congregatione, & favorabile responsum super dubio virtutum a summis Pontificibus approbatum obtinuerunt, quo tempore fungebar munere Fidei Promotoris. Dimisso autem Promotoris officio, ipsoque (uti sæpe dictum est) delato ad Archiepiscopum Philippensem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchinum sacri Consistorii Advocatum, actum fuit de virtutibus in causis S. Catharinæ Januensis, & B. Joannis Cantii post approbatum pariter casum exceptum; itemque in ambabus hisce causis exhibiti fuerunt testes de auditu, quibus Historicorum auctoritas accessit. In causa quidem S. Catharinæ exhibita fuit ejus vita conscripta a Cataneo Marabotto ipsius Confessario, & ab Hercule Vernazza ejus discipulo decem post annos ab ejus obitu; in causa vero B. Joannis Cantii exhibita fuit historia ex libro Patris Petri Sgarga Societatis Jesu, & ejus vita Beati scripta ab Adamo Opatovin, qui, licet non essent contemporales, præ manibus tamen habuerunt antiqua scripta in pergamena charta, quæ summa cum diligentia conservata erant in archivo ecclesiæ Collegiatæ S. Annæ Cracoviæ. Non dissimili modo res se habuit in resolutione dubii super virtutibus Servi Dei (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani, & Francisci Caraccioli, & in resolutione dubii super Martyrio & causa Martyrii Ignatii Azevedi, & triginta novem aliorum e Societate Jesu, licet prædictæ causæ omnes procederent per viam non cultus: cum in ipsis (ut alibi dictum est) propter temporis antiquitatem, aliasque circumstantias factus sit locus probationi subsidiariæ. Ideoque, hucusque adducta in unum colligendo, concludendum esse videtur, in causis antiquis, aut procedentibus per viam casus excepti in disputatione dubii super virtutibus præter testes de auditu ad probationem admitti Historicos; uti etiam infertur ex indulto recitationis Officii in honorem B. Notkeri apud Bollandianos *tom. 1. April. ad diem 6. pag. 603. Et quia, hujusmodi diligenti inquisitione auctoritate Apostolica per nos præbita, centum quinquaginta quatuor utriusque sexus fide dignorum testium, necnon duorum vetustorum librorum evidenti testimonio de vitæ sanctimonia, & quamplurimis miraculis .... nobis legitime constitit & constat, idcirco &c.* Dummodo tamen Historici ipsi Servorum Dei, aut Beatorum gesta enarrantes sint fide digni, qualitatibus supra recensitis polleant, & scribant ea quæ vel viderant, vel audiverunt ab iis qui viderant; & idcirco contemporanei sint, vel, si posteriores sunt tempore, historiam suam hauserint a sinceris, antiquis, & contemporalibus monumentis.

21. Nonnulla sane afferri possunt exempla Canonizationum peractarum, discussis approbatisque virtutibus per testes de auditu & Historicos minime contemporales, ut S. Chunegundis Imperatricis, quæ facta fuit ab Innocentio III. in qua præter testes de auditu exhibita fuit ejus vita conscripta centum & duodecim annis post ejus obitum; ut S. Virgilii Archiepiscopi Salisburgensis, quæ facta fuit a Gregorio IX. in qua præter testes de auditu momentum constitutum fuit in ejus vita conscripta ab Eberardo Archiepiscopo pariter Salisburgensi post lapsum fere sex sæculorum; ut denique S. Hyacinthi, S. Raymundi, S. Isidori Agricolæ, & S. Andreæ Corsini, quarum nonnullæ expletæ fuerunt a Clemente VIII. aliæ ab Urbano VIII. in quibus item testibus de auditu addita fuerunt historica monumenta haud contemporalia. Veruntamen, ut mittamus, historica ipsa monumenta in omnibus prædictis causis allata potuisse a sinceris & synchronis monumentis, & constanti fama ac traditione esse collecta; vis major in eo constituenda est, quod posteriora derogant prioribus, ideoque novum non est, ut in hisce causis Beatificationis & Canonizationis exactiores vel nova lege vel consuetudine præscribantur diligentiæ, quæ antiquioribus temporibus ante institutionem Congregationis sacrorum rituum, vel, ea etiam instituta, ante decreta Urbani VIII. & Innocentii XI. non erant in usu. Quamobrem Postulatores, ne oleum & operam perdant, si post approbationem casus excepti causas prosequi velint, ut Canonizationem obtineant, sedulo exquirant, an adsint Historici vitam Beatorum enarrantes qualitatibus supra recensitis non destituti; quibus etiam addere poterunt subsequentium ætatum Historicos tanquam vetustiorum adminicula. Quod si Historicos primi generis non habeant, & habeant tantum secundi generis, sanum consilium mihi videtur, eos admonere, ut ab ulteriori opere desistant.

CAPUT NONUM.

In quo nonnullæ explicantur & resolvuntur controversiæ ad eamdem historiarum materiam pertinentes.

1. QUÆRES primo, an ad vim probationis in judicio Beatificationis & Canonizationis admitti debeant historiæ, seu Legendæ referentes aut virtutes heroicas aut Martyrium alicujus Servi Dei, vel Beati, quæ nunquam typis impressæ fuerint, sed eruuntur ex archivis aut ex bibliothecis. Huic autem quæsito respondendum esse videtur, licet opus sit manuscriptum, nec unquam fuerit editum, vim habere posse probationis aut adminiculi juxta regulas in superiori capite recensitas; dummodo tamen habitum fuerit a Majoribus pro genuino & integro & nequaquam vitiato, uti bene indicat Petrus Coustant Ord. S. Benedicti *part. 6. Vindiciar. cap. 1. Relictos a Majoribus nostris libros tamdiu pro genuinis, pro integris, pro certis ipsorum fœtibus haberi decet, quamdiu non constat spurios esse, adulteratos, aut incertos,* statimque docet *eum graviter peccare, qui receptum a Majoribus tanquam genuinum opus aliquod aut sine idonea approbatione accusat falsi, aut sine legitima causa suspectum habet.* Porro, etiamsi altum apud Majores fuerit de ejusmodi opere manuscripto silentium; non erit iccirco contemnendum. Examini igitur supponetur; fiet per Peritos juxta alibi dicta characteris recognitio, ut tempus videatur, quo Auctor scripsit; narrata in eo sedulo perpendentur, ut dignoscatur, an opus auctoritatis pondus habere debeat, an genuinum sit, an apocryphum, an interpolatum. Teste namque Auctore supplementi ad opus Cardinalis Bellarmini de Scriptoribus Ecclesiasticis *in præfatione*, multa adhuc latent in bibliothecis manuscripta, quæ lucem mererentur: *Adjeci multos Auctores hucusque incognitos, notatis eorum operibus manuscriptis, in quibus lateant bibliothecis, ut, si quando docti velint illos eruere e tenebris oblivionis, possint id facere, reficientes, ubinam gentium inveniantur; nullus etenim dubitat, quin multa etiam manuscripta opera sint longe præstantiora multis, quæ sæpius impressa sunt.* Et vero, si scripta omnia reticerentur, quæ longo temporum spatio in archivis & bibliothecis latuerunt, & quæ Eruditorum nostri temporis diligentia typis eduntur, actum esset de collectaneis veterum manuscriptorum nuper a Martene editorum; atque; ut cetera prætereamus, actum esset de illustri labore Patris Ruinart, qui in præfatione ad collectionem Actorum Martyrum §. 1. *num.* 10. fatetur, se nonnulla Acta edere, quæ lucem nondum aspexerant: *Tandem ad nostros sodales, aliosque amicos scripsi, ut, si qui essent in monasteriis aut urbibus, ubi degunt, veteres codices, diligenter scrutarentur sicubi forte aliqua occurrerent, quæ operi a me suscepto essent profutura. Quæ sane in re habere mihi videor, quod mihi gratuler, non solum ob diligentem ab amicis navatam operam, sed etiam ob ipsius operæ felicem successum. Sic enim res ex animi sententia cessit, ut præter aliquot Martyrum Acta quæ nondum lucem aspexerant, nunc primum e tenebris eruta, vix unum aut alterum ex his sacris monumentis habeatur, quod ad aliquem antiquum codicem, sæpius etiam ad plures, collatum & emendatum non fuerit.* Actumque esset de ingenti labore Labbei, qui in præfatione novæ bibliothecæ manuscriptorum librorum *tom.* 1. agens de contentis in suo opere subdit: *Omnia itaque quæ hic proferuntur, aut nunquam lucem viderunt profundissimis consepulta tenebris, & cum pulvere tineisque in mem-*

in membranis luctantia. Sed & concordat praxis Congreg. sacrorum rituum, de qua in quaestione sequenti.

2. Quaeres secundo, an auctoritate destitutum censendum sit opus referens virtutes aut Martyrium alicujus Servi Dei, vel Beati, si ignoretur, a quo scriptum sit, sive deinde opus praedictum fuerit typis impressum, sive semper manuscriptum in bibliothecis aut archivis tempore praeterito delituerit. Affirmans responsio desumi videtur ex *can. Sancta Romana, dist.* 15. ubi Gelasius Papa I. inquit, non legi in sancta Romana Ecclesia Acta Martyrum, quod ignorentur nomina eorum qui illa conscripserunt: *Sed ideo secundum auctoritatem antiquam vel consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum qui scripsere, nomina penitus ignorantur*. Porro (ut alibi visum est) eruditus Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus *de antiquit. Hortae pag.* 332. decretum illud Gelasio I. adscribendum probavit, & in ejusdem operis appendice idem decretum ex antiquissimo codice Palatino bibliothecae Vaticanae edidit collatum cum editione vulgata. Jacobus autem Petitus in notis ad Poenitentiale Theodori Cantuariensis *tom.* 1. *pag.* 106. ait, in hoc decreto Gelasiano contradictionem apparere: cum enim in eo asserat Gelasius, neminem Catholicorum dubitare de multiplicibus Martyrum tormentis, & invicta in eis perferendis tolerantia: (Item gesta Sanctorum Martyrum), *qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant* ... *Quis ita esse Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei & adjutorio universa tolerasse?* cumque postea subdat, eorum Acta non legi in sancta Romana Ecclesia, quod ignorentur nomina eorum qui ea conscripserunt; hinc infert Petitus, de manifesta contradictione non esse dubitandum. In collectione tamen codicis Herovalliani leguntur haec verba; *Gesta sanctorum Martyrum, qui mirabilibus cruciatibus & triumphis irradiant, & Catholicis viris conscripta sunt, omnimodis veneramur. Ea vero, quae ab Haereticis, vel idiotis composita, vel adulterata sunt, nullatenus recipiantur: quae in ipsis eorum dictis ab Ecclesiasticis viris sine mora deprehendi possunt*: & quatenus etiam vulgatam decreti lectionem sequi velimus, quae in hac parte fere concordat cum genuino decreto codicis Palatini existentis in bibliotheca Vaticana; Gelasius ait, se quidem venerari sanctorum Martyrum gesta, & neminem de eorum Passione, neminem de eorundem invicta tolerantia dubitare; sed Acta eorum in Romana Ecclesia publice non legi, cum sint anonyma; qua utique in re nulla apparet contradictio. Verumenimvero, quod attinet ad rem de qua nunc agimus, ex hoc Gelasiano decreto minime infertur, Martyrum & Confessorum historias in nullo vel modico pretio habendas esse, si ignorentur nomina eorum qui illas conscripserunt, tum quia Gelasius non ait, minime legi in sancta Romana Ecclesia Acta Martyrum ex hac unica ratione, quod ignorentur nomina Scriptorum, sed quoniam vel ab Infidelibus composita fuerunt, vel eorum dolo fuerunt interpolata: *Singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum qui scripsere, nomina penitus ignorantur, & ab Infidelibus, aut dictis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur. Sicut cujusdam Quirici, & Julitae matris ejus, sicut Gregorii, aliorumque Passiones ejusmodi, quae ab Haereticis probantur conscriptae. Propter quod (ut dictum est) ne vel levius subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur*: tum quia, si idem Gelasius paulo post subdit, historiam S. Silvestri & in Urbe & extra Urbem passim legi, quamvis Scriptoris nomen ignoretur: *Item Actus Beati Silvestri Apostolicae Sedis Praesulis, licet ejus qui scripsit, nomen ignoremus; a multis tamen in Urbe Romana Catholicis legi, cognovimus, & pro antiquo usu multae hoc imitantur Ecclesiae*: signum evidentissimum hoc est, contemnendas omnino non esse historias Sanctorum, etsi Scriptorum nomina ignorentur. Profecto, quando in sacrorum rituum Congregatione agebatur de virtutibus S. Julianae de Falconeriis, & de Martyrio S. Joannis Nepomuceni, ipse tanquam Fidei Promotor inter cetera opposui, contemporalibus Monumentis fidem praestandam non esse, quod Auctorum nomina ignorarentur, eademque oppositio facta est ab Archiepiscopo Philippensi Fidei Promotore, dum in Sacrorum quoque Rituum Congregatione agebatur de virtutibus Beati Joannis Cantii. Sed ab ipsa Sacra Congregatione oppositio haec neglecta fuit, utpote vindicata a Postulatoribus Monumentorum sinceritate, atque ostensa eorum gravitate, ita ut nihil suspicione dignum in eis reperiri potuerit. Novum etenim non est, a viris piis & eruditis, praeteritis saltem temporibus, vitas Confessorum, & passiones Martyrum fuisse conscriptas, minime apposito nomine Auctoris; quae forte nunquam typis editae fuissent, si eas edendi curam non suscepissent Socii Bollandiani, & tot alii eruditi viri, qui similibus editionibus suam operam praestiterunt. Joannes Abbas Sancti Arnulphi Metensis *in prologo ad historiam Translationis S. Gladesindis (quae extat in* 1. *part. saec.* 4. *Actor. SS. Ord. S. Benedicti pag.* 436.) ita loquitur de scriptura anonyma: *Nec scriptura illa, quamvis silenti feratur Auctore, viribus rerum aliquid detrahit; cum semine utique ac si raro aspersa non sterilem usibus nostris in immensum extendendam messem produxerit. Neque enim refert, quovis indicio ex quacumque caverunla gemma pulcherrima extrahatur, dummodo avaritiam mortalium usu expleat, & decore*.

3. Quaeres tertio, an fide Historicus carere dicendus sit, qui in vitas Sanctorum, aut passiones Martyrum Conciones quasdam inserit a se confictas, quas nedum probabile, sed etiam quodammodo certum est a Confessoribus ipsis, aut Martyribus factas non fuisse. Porro haec, & similia ad encomium potius, quam ad Historiam spectare posse videntur; historia autem & encomium inter se maximopere distant: quocirca Lucianus *tom.* 2. *oper. de modo scribendi historiam* inquit *pag.* 9. *Non angusto intervallo disterminata & separata sit ab encomio historia; sed magnum hisce murum esse interpositum, & ut Musicorum voce utamur, octava duplici, id est quod maximum est intervallo illa a se invicem distare: siquidem encomium scribenti illa sola cura est quomodocumque laudare, & exhilarare eum, qui laudatur, & si per mendacia finem illum consequi detur, parum curaverit; historia vero ne minimum quidem, quod forte inciderit mendacium ferat, non magis quam asperam arteriam recipere quidquam in illam glutitione delatum narrant Medicorum filii. Ignorare porro tales videntur, poeticae artis, & poematum aliud esse institutum, & sua quaedam praecepta; alia vero historiae*. Simeon Metaphrastes ingenti sane labore Sanctorum vitas collegit, quae extant in tribus tomis Aloysii Lipomani, quinto videlicet, sexto, & septimo, ex Graeca lingua in Latinam conversae interpretibus Guillelmo Sirleto S. R. E. Cardinali, Gentiano Herveto Aurelianensi Canonico Remensi, & Francisco Zino Veronensi. De tempore autem, quo Simeon scripsit, controversia est inter Eruditos; quanquam Leo Allatius inter Graecos praeteriti saeculi doctissimus composuit *commentarium suum de Simeonibus*, & contra veterum Scriptorum sententiam, qui volunt, Simeonem Metaphrastem nono saeculo sub Michaele III. Imperatore Constantinopolitano vixisse, pluribus contendit & probat, eum floruisse ab anno 1314. ad annum 1330. Idem etiam Allatius *in diatriba de Simeonum scriptis* genuinas Sanctorum vitas a Metaphraste conscriptas a supposititiis secrevit. Centum etenim & viginti duas Sanctorum vitas esse genuinos foetus Simeonis, centum & quindecim aliorum vitas in nonnullis codicibus falso Simeonis nomen prae se ferre, & alias quadringentas quatuor Sanctorum vitas & encomia in quibusdam codicibus manuscriptis perperam asserit Simeoni adscribi, & veros singulorum Auctores designat. Sequitur eum eruditus Pater de Graveson *in histor. Eccles. tom.* 4. *pag.* 203. Itemque de Simeone Metaphraste sic loquitur Cardinalis Bellarminus *de Script. Ecclesiast. pag.* 289. *Illud autem est observandum, a Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestae fuerunt, sed ut geri potuerunt. Addit enim Metaphrastes multa colloquia sive dialogos Martyrum cum Persecutoribus, aliquas etiam conversiones astantium Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur, denique miracula plurima & maxima in eversione templorum, & idolorum, & in occasione Persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres Historicos*. Cardinalis Bellarmini judicium sequitur Aubertus Miraeus *in auctar. de Scriptor. Ecclesiast. num.* 302. (*quod extat in Biblioth. Eccl. Alberti Fabricii*.) *Metaphrastes porro scripsit vitas Sanctorum, ut diximus, easque ad mensium dies digessit, sed non integra semper fide. Nam, ut Bellarminus in catalogo notavit, multa addidit ex proprio, non ut res gestae fuerunt, sed ut geri potuerunt*. Concordat Ruinart in praefatione generali ad Acta Martyrum §. 1. *num.* 8. *Celebris fuit apud Graecos Simeon cognomento Metaphrastes, qui Sanctorum Acta undique conquisita in unum collegit; quamvis hoc in eo viri eruditi merito reprehensione dignum judicent, quod eorum nonnulla variis interpolaverit additamentis, novaque aliquot, cum vetera deficerent, proprio marte cuderit*. Demum Bellarmini ju-

udicio plene subscribunt Baillet in dissertatione præliminari ad historias Sanctorum §. 28. & §. 29. Pro Metaphraste vero strenue pugnat Bollandus in 1. *tom. Februar. in præf. c,* 2. ubi sic loquitur: *Damus tamen aliquando utrasque* (vitas) *si multum discrepant, & si manuscripti antiquiores videantur, quia quæ adjecit Metaphrastes vir doctissimus, ea ex aliorum scriptis, quorum immensam copiam habebat, credi potest hausisse.* Adhæret ipsi Guillelmus Cave, licet heterodoxus, in opere *de Scriptor. Ecclesiast. in sæculo obscuro pag.* 408. ubi sic de Metaphraste scribit: *Jubente enim Constantino Augusto, vitas Sanctorum ante sua tempora scriptas undique conquisivit, conquisitas recensuit, elegantiores, tanquam lectorum conspectu dignas, calculo suo approbavit, neque illa in re mutatas divulgavit, minus elegantes vero partim nitidiori stylo vestitas, partim nova forma & methodo dispositas in ordinem redegit ac digessit*. Addendum etiam, quod Bollandus ipse in præfatione generali ad vitas Sanctorum *cap.* 1. §. 3. *in fin.* nimis severum putavit Bellarmini judicium de Metaphraste, nec reprobavit inserta ab isto colloquia Martyrum: *Vellem mitius de viro magno vir maximus pronunciasset. Unde constat, eum non vetera secutum esse monumenta? Omisisse potius multa, quæ non omnino probaret, existimo, quam aliquid addidisse ex propria ingenio. Retulerit tamen in suos commentarios aliquid, quod cum probatis veterum Patrum scriptis minus congruere videatur; homo erat, falli poterat. Colloquia Martyrum cum Persecutoribus unde constat habita non esse? Amplificarit ea sane ad legentium utilitatem ac voluptatem: quis jure id reprehendat? An est quisquam, qui id non permittat Historico? Livio, ceterisque licet Ducum orationes suos ad prælium adhortantium concinnare, sacro Scriptori non licebit mysteria nostræ religionis Gentibus tradita, ipsorumque confutatas superstitiones explicatius proponere?* Pro Metaphraste denique, & insertis in ejus vitas oeationibus strenue itidem pugnat Pater Honoratus a Sancta Maria *in animad. ad regul. & usum Criticæ t. 1. differt. 2. art. 4. §. 5. & seq.* Itaque mihi sane placet monitum S. Basilii *in orationem in S. Gordium Martyrem* (juxta antiquam versionem *tom. 1. edit. Paris. ann. 1628. pagina* 516.) *Illorum enim, qui in Fide claruerunt, historia simplex velut lucem quandam Dei cultoribus, ac virtutis iter ostendit.* Et infra: *Quod si reliquorum facta virorum eloquentiæ floribus ornantur, Sanctis tantum ad ea quæ maxima gessere demonstranda sat fuerit oratio simplex.* Attamen, si aliunde suppetant veritatis & sinceritatis præsidia, nec Metaphrasti, nec aliis, qui in suis historiis conciones & orationes tanquam a Maetyribus aut Confessoribus prolatas ediderunt, detrahendum auctoritatis pondus ex ea sola ratione censerem. Pompejus Trogus apud Justinum arguit Livium ac Sallustium, quod contra legem Historiæ peccaverint, dum suis operibus plures orationes inseruerunt, quas ipsi fecerant marte suo. Verum, non obstante Trogi censura, orationes Livii ac Sallustii non tantum sine nota, sed etiam cum Eruditorum laude imitati sunt gravissimi Historici, qui posteriori ævo scripserunt. Et Historici quidem Gentium laudantur, qui arrepta opportunitate, conciones interponunt & hortationes, quas ad milites a Ducibus factas, pugna imminente, referunt, absque eo quod hinc historica veritas aliquid deteimenti capiat; ut animadvertit Pater Famianus Strada *lib. 2. prolus. 3. part. 2. pag.* 225. *Audir, opinor Benci, ac plane intelligis, quo loco, & quatenus per Ciceronem liceat, dicendo, ut sese attollat Historicus. Locorum interdum situs, & sæpissime vero Ducum adhortationes, quippe quæ Poetarum e schola plerumque transferuntur, canorum aliquid in historia poscunt ac rubam. In ceteris autem partibus eodem tenore, hoc est temperate casteque, nec sine elegantia (quæ tamen rebus tacite inserviat, non contumaciter officiat) narrandum, ego quidem sentio, nec, dissentire Tullium, aut quemquam dicendi Magistrum, puto.*

4. Quæres quarto, an rejicienda sit Historia referens gesta Confessoris, aut Martyris, si in ea unus, aut alter error inveniatur. Porro, *negative* respondendum esse, videtur, juxta monitum Cardinalis Baronii in adnotationibus ad Martyrologium Romanum *ad diem 9. Octobr. Quod si, ob unum errorem vel alterum in vitis Sanctorum inventum, cetera quæ remanent, fide carere, diecrimus, profecto omnes fere Sanctorum vitas in maximum discrimen inducimus; cum pene in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur, sitque Canonicarum tantummodo Scripturarum singularis prærogativa, ut in eis cuncta vera, inconcussa, certaque narrentur.* Ideoque Bollandus in sæpe citata præfatione generali ad vitas Sanctorum mensis Januarii *cap.* 3. §. 4. bene adnotavit, si historia scripta sit ab Historico fide digno, & teste oculato, etiamsi in ea reperiatur aliquis error circa loca aut tempora, non ob id sperni debere: *At loca non congruunt, aut tempora, nec quidquam simile memorant Scriptores illius temporis. Explicationem consolis adhiberi oportere, vel excusationem, quasique effugium potius; quam omnino repudiet, quod ab hujusmodi Auctore compositum manifeste constet . . . . Non mirum etiam, spectatores loci notam, aut temporis præterire rei soli intentos.* Idemque antea docuerat, rejiciendam esse historiam, quæ repugnet omnibus earum ætatum, quibus extitisse Sancti dicuntur, Historicis, aut plerisque, ac maxime probatis; nequaquam vero esse rejiciendam historiam, quæ uni duntaxat antiquæ historiæ non congrueret; cum videamus, inter se se frequenter Scriptores dissentire, etiamsi res suæ ætatis, & quibus gerendis ipsi interfuerunt, conscribant. Quocirca Pater Mabillon. *de stud. monast. cap. 8. de studio sacræ, ac profanæ historiæ num.* 5. scite inquit: *Nec vice versa absolute proscribendus erit Auctor aliquis ob aliquot hallucinationis vel passionis defectus, ob styli asperitatem, aut alium quemdam naturalem defectum, dummodo sincerus solersque in reliquis comperiatur. Argomento sint Josephus Hebræus, qui egregios inter Historicos annumeratur, quamvis identidem calamo inter scribendum caespitavit, & Herodotus Halicarnassens, Ciceroni parens Historiæ, & Historicorum princeps, licet in ipso quamplurima commentitia inveniri fateatur.*

5. Quæres quinto, quid dicendum sit, si graves Historici intee se dissentiant. Ut enim sacra præscindamus, Herodianus Alexandrum Mammææ filium accusat, quem laudant Lampridius, alique; Dio facta Bruti & Cassii damnat, probat contra Plutarchus; Paterculus Sejanum extollit plerisque aliis exosum; Claudianus Rufinum proscindit Arcadii Præceptorem, quem Zosimus, Zonaras, Eutropius, & Paulus Orosius summis laudibus afficiunt. Putat igitus Pater Honoratus in opere sæpe citato *pag. 621. regul.* 4. adhærendum essa illis, qui referunt ea quæ magis sunt verisimilia. Verum, utcunque id sit, quod spectat ad præsentem materiam, adhibendam esse crederem regulam alibi expositam, cum de testibus agebatur: vel enim discrepantia est in substantialibus: tuncque Auctorum dissensus, si sint æqualis auctoritatis, efficit, ut res narrata incerta usquequaque sit; vel discordia est in accidentalibus, quo in casu de substantia facti rationabiliter dubitari non poterit. Sic nimirum in quæstione de missione S. Mauri in Gallias ratiocinatue Ruinart in opere Gallico, cui titulus, *Apologia missionis Sancti Mauri, cap. 8. §. 3.* Ait etenim, de ea non esse dubitandum, licet de anno adventus ejus non modica sit inter Eruditos controversia. Rursus, etsi in quæstione de S. Petri Apostolorum principis Romam adventu nonnulli male feriati de eo dubitant ex dissensu Auctorum; Lactantius quippe asserit, S. Petrum Romam venisse, cum jam Nero imperaret, Orosius autem adventum illius refert ad exordium regni Claudii, tamen Natalis Alexander *in histor. Eccles. sæculi 1. differt. 13. proposit. 3. pag.* 149. opposito sibi prædicto argumento sic respondet: *Historiæ falsitas colligitur ex Auctorum dissensu, si in historiæ substantia & præcipuis capitibus dissentiant, concedo: si in circumstantiis duntaxat quibusdam recensendis, nego. Enimvero sæpissime contingit, ut constet de veritate; de modo, aut tempore non constet. Quid certius Christi morte apud Christianos? Quid tempore, quo mortem subiit, incertius, si Veterum discordes sententiæ audiantur? . . . . Ita, quamvis incertum esse, concederemus, quo tempore pervenerit Romam Apostolorum Princeps, non sequitur, quod nullatenus Romam venerit, ibique Sedem fixerit suam. Porro, etsi dissentiant nonnihil Auctores circa epocham adventus S. Petri Romam, circa ipsum adventum nullatenus dissentiunt. Illa igitur dissensio non arguit historiam istam falsitatis.* Et optime prosequitur Calmet in sua dissertatione de itinere Romano S. Petri *tom. 8. com. pag.* 543. *Scriptorum igitur in anno, quo Petrus Romam venit, assignando discrepantia Adversariis nostris nequaquam favet. Hac in re duo nobis secernenda, quorum alterum ad rem pertinet, alterum accedit. Alterum nempe, an Petrus vere se Romam contulerit, quærit; alterum, quo anno eo venerit, quamdiu ibi constiterit, an per hanc, an per illam urbem transierit, investigat. Veteres quidem de primo unanimes conveniunt. Dissidium vero agitari potest de secundo, quin primum vel levissime concutiatur. An, quod de anno, quo Christus obiit, inter Veteres non conveniat, etiam de ejus morte ambigamus? Circumstantiarum,*

qua

qua factam ponunt, dissidium eidem potius confirmando, quam evertendo conducit. Post primam hujus Operis editionem typis impressum est eruditum opus Foggini *de itinere Divi Petri Romam*, ubi quæ modo dicta sunt, fatissime confirmantur: Item, quemadmodum supra, cum de testibus loqueremur, dictum est, contrarios non esse testes, si unus dicit id quod ab alio non dicitur; id ipsum de Historicis antiquioribus coætaneis, & omnibus fide dignis dicendum est; cum vel ex oblivione, vel ex alia causa potuerit unus ex his omittere, quod ab alio narratur. *In cap. 5. primæ epistolæ* S. Joannis leguntur hæc verba *ver. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt:* quibus quidem verbis nec Concilium Nicænum, nec veteres Patres, qui Arianorum hæresim impugnarunt, unquam usi sunt, Chrysostomus videlicet, Cyrillus, Hilarius, Augustinus; quin immo Richardus Simonius *cap. 18. hist. crit. nov. Testam.* testatur, se in bibliotheca Regis Christianissimi legisse septem veteres codices venerandæ antiquitatis, & quinque alios in bibliotheca Colbertina, in quibus verba prædicta desiderantur. At, cum Sancti Cyprianus, Athanasius, Fulgentius, & præter hos Tertullianus prædictis verbis porro usi sint, necnon etiam Robertus Stephanus, *in suo scripto edito anno* 1550. refletur, ex sexdecim codicibus Græcis, quos penes se habebat, septem tantum fuisse, in quibus prædicta verba non legebantur, quæ tamen in aliis novem reperta sunt, cum quibus adhuc concordant codices Græci, quibus usi sunt Auctores editionis Complutensis concinnatæ studio Cardinalis Ximenii; prædictorum verborum defectus in aliis codicibus, & abstinentia nonnullorum Patrum ab usu eorumdem verborum minus obstiterunt, aut obstant, quin in Catholica Ecclesia ea verba habeantur tanquam verba Divinæ Scripturæ, eo vel magis, quia congruæ non desunt rationes, ob quas Patres, qui verbis prædictis uti potuerunt, usi non sunt; de quibus Pater de Graveson *in tract. de sacra Scriptura pag. 324. & seqq.* & latissime Calmet *in dissertatione super hoc argumento composita tom. 8. pag. 553. & seqq.* In præsenti autem materia argumentum istud prosequitur Castellinus *de inquisit. mirac. in causis Martyr. p. 64.* ubi, postquam retulit, nonnullos Historicos tradere, S. Petrum Martyrem in agone mortis positum scripsisse proprio sanguine illa verba Apostolici Symboli *Credo in Deum*, nonnullus vero id minime tradere, ait: *Regulariter & ordinarie esse usitatum apud Scriptores etiam Ecclesiasticos, ut unus, vel alter non exprimat omnia & singula gesta alicujus viri Dei; sed, quod unus omittit, alter vero refert: quod observarunt etiam Evangelistæ scribentes gesta Salvatoris nostri; nam quod unus omisit, alius explicavit.* Edita est anno 1740. historia vitæ S. Petri Martyris a Petro Thoma Campana ex Ordine S. Dominici, in qua *lib. 3. cap. 1.* fuse narratur S. Petrum Martyrem, tunc Inquisitorem Mediolanensem, vulneribus confossum a Carino & Albertino, ipsi infensis propter zelum Catholicæ Fidei, quo Sanctus flagrabat, alta voce recitasse Symbolum Apostolorum, &, dum expiraret, protulisse verba: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Porro non esse dicendus Historicos inter se contrarius, si unus refert factum, quod ab alio omittitur, probat S. Hieronymus *in comment. in epist. ad Galatas cap. 1. col. 407. tom. 7. oper.* ubi de Antiocheno D. Petri Episcopatu ita loquitur: *Nec mirum est si Lucas hanc rem tacuerit, quum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit: & non statim est contrarium, si quod alius ob caussam dignum putavit relatu, alius inter cetera dereliquit.*

C A P U T D E C I M U M.

In quo aliæ explicantur controversiæ ad eamdem historiarum materiam spectantes.

1. UT ex capitis inscriptione deprehendi potest, eamdem prosequimur materiam, de qua in capite antecedenti. Quæres itaque primo, an fide careat Historicus posterioris ævi, qui aliqua refert, de quibus nullum fit verbum ab antiquioribus & coætaneis Historicis, qui probabiliter ea retulissent, si suo tempore contigissent. Salebrosa autem hæc est quæstio de vi negantis argumenti. Etenim adversus vim & efficaciam ejus pugnant Thiers in opere de hac re inscripto, Honoratus a S. Maria *de usu Criticæ dissert. 3. tom. 1. art. 2. & seqq.* Theophilus Raynaudus *operum tom. 18. fol. 345.* Pater Franciscus Bonæ Spei *in apologia pro Joanne Quadragesimo quarto pag. 110. n. 145.* & post primam hujus Operis editionem Hieronymus Tartarottus *in epistola de arte critica a num. 32. usque ad finem, tom. 21.* inter opuscula collecta a Patre Calogerà. Joannes Launojus contra in opusculo hac de re inscripto stat pro vi negantis argumenti, quem sequitur Papebrochius *in propylæo mensis Maji dissert. 5. pag. 30. num. 9.* ubi habet: *Quamvis in rigore dialectico non sequatur, Non est scriptum, vel dictum; ergo non est factum: (nec enim minus fuisse a Christo suscitatus Lazarus, licet hoc Joannes, æque ac alii tres Evangelistæ tacuissent etiam Apostolorum Discipuli, & his ætate proximi omnes) recte tamen sequitur, Hoc vel illud caret congrua antiquitatis & auctoritatis testimonio; ergo, factum esse, non est prudenter credibile: sicut non esset credibilis resuscitatio Lazari in universali omnium eorum silentio, qui rei gestæ vel interfuissent ipsi, vel ex præsentibus accepissent &c. Tanto autem fit certior & evidentior ex argumento negativo demonstratio, quanto notitia facti, de cujus credibilitate controvertitur, ad plures pertingere, & a pluribus Scripto consignari debuisset propter insignem sui claritatem.* Quæ ab ipso pariter Papebrochio resumuntur *in responsione ad exhibitionem errorum sibi oppositorum a P. Sebastiano a S. Paulo art. 19. num. 4. & seqq.* ubi in quæstione de Cypriano Papa affert illud Cardinalis Baronii *ad ann. 237. n. 11. Non audiendi penitus Recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quemdam Romanum Pontificem, cujus nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum ... vel apud Optatum Milevitanum; vel Augustinum, aut Cresconium, aliosve indices Vaticanos, nec apud Labertum de Canoaiz. Lib. III.* Græcos, ut *Eusebium, Nicephorum, Chronographum, vel alios; adeo ut ne digna quidem sit, quæ pluribus confutetur, sententia; quippe quæ nulla penitus utatur ratione, vel testimonio Antiquorum.* Alii quoque eruditione præstantes viri de negantis argumenti efficacia nequaquam dubitarunt, uti videri potest apud Patrem Guidonem Grandum *dissert. Camaldul. diss. 3. cap. 8. num. 7. & seqq.* apud Saxium *in disser. apolog. SS. Corporum Gervasii, & Protasii cap. 3.* apud Fr. Raymundum Missorium *in suis disputationibus criticis in duas celeberrimas epistolas SS. Firmiliani, & Cypriani cap. 1. n. 6.* necnon apud Ludovicum Antonium Muratorium *anecdot. tom. 2. cap. 21. pag. 347.* ubi hæc habentur: *Sed jam quosdam mihi reponentes audire videor, hanc argumentandi rationem enervatam, plumbeamque esse, quippe argumento, ut Logici appellant, negativo nil potest probari. Ita fortasse respondeant, qui Ecclesiasticam eruditionem neque a limine salutarunt, totumque cerebrum tricis scholasticis devovere. Nam, quantum roboris negativo argumento insit, tum luculentus hac de re Launoji tractatus prodit; tum universa Eruditorum respublica quotidie experitur. Et quo pacto, amabo, tot commenta, fabulaque explodi atque exsibilari possent, quæ in posteriorum temporum historias irrepsere, nisi Antiquiorum silentium pluris, quam imperita audaxque Recentiorum loquacitas, penderetur? Affirmant hi ad arbitrium suum, gestaque a temporibus suis remotissima somniant: illi vero ne ullam quidem, vestigiumque earum rerum reliquere, relicturi sane, si illarum notitiam habuissent. Et nos affirmantium potius imperitia, quam tacentium doctrina duci sinemus.*

2. Alii vero media quadam via procedentes putant, aliquando negans argumentum vi carere, aliquando vim obtinere. Distinguunt itaque thesim positivam a negativa: tum in positiva docent, negans argumentum vim non habere; secus autem in negativa. Exemplo res fiet clarior. Si aliquis nempe non contemporalis, sed remotus & recens Auctor dicat, talem rem tali tempore contigisse, hæc erit thesis positiva; quam si confirmare audeat argumento negativo, afferendo videlicet, nullum ex coætaneis & antiquioribus Historicis aliquid referre, quod obstet facto a se recensito, in hisce circumstantiis dicitur, argumentum negativum quocumque carere robore & efficacia. Contra, si aliquis probare velit, rem a recen-

recentiori Historico narratam neutiquam veram esse, thesis erit negativa; &, si Auctor eam argumento negativo confirmet, eo quia videlicet antiquiores, & coætanei de re prædicta locuti non sunt, negativum argumentum apta concludere dicitur in eadem disputatione. Sic docet eruditus P. Grandus *dissert.* 3. *Camaldul. cap.* 8. *num.* 9.

3. Ceteri denique distinguunt genus argumenti pure negativi ab argumenti negativi genere, quod habeat admistum aliquid positivi. Exemplum argumenti pure negativi est, si ex. gr. dicatur: Vocabulum extremæ Unctionis nullum apud Auctorem legitur ante duodecimum sæculum: ergo Episcopi Trecensis textus in vita S. Mauri, ubi ejusmodi dictio habetur, erit procul dubio adulterinus. Argumentum autem negativum cum positivo mistum erit, si dicatur: Nullus Auctor ante Martinum Polonum meminisse legitur Joannæ Papissæ, omnesque Auctores synchroni immediate post Leonem IV. ponunt Benedictum III. neutiquam vero Joannam: ergo hæc præsumpta Papissa merum est commentum a præfato Martino confictum. Illud enim, quod negativum est in hoc argumento, consistit in eo quod dictum est, nullum auctorem ante Martinum meminisse Papissæ; illud vero, quod positivum est, consistit in eo quod ceteri Auctores immediate post Leonem IV. ponunt Benedict. III. Porro major esse dicitur vis secundi, quam primi argumenti. Ut enim primum vi & robore non careret, oporteret, singulos evolvisse Scriptores, ex quorum silentio argumentum eruitur; necnon oporteret, nos certos esse, nullum omnino ex Auctoribus, qui rem de qua agitur pertractaverint, interiisse: fieri namque potest, ut Auctor, cujus scripta ad nos usque minime devenerunt, rei alicujus mentionem fecerit, quæ tamen a ceteris fuerit prætermissa. Ita docet P. Mabillonius *de stud. monast. cap.* 13. *t.* 2. §. *Quod ut plane*, & *seqq.* quem laudat & sequitur Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus *in dissert. de Corona Ferrea cap.* 8. *num.* 4. Legi etiam potest super commento præsumptæ Papissæ epistola Joannis Launoji ad Carolum Mauritium Tellerium, quæ est octava *t.* 5. *op. par.* 1. *pag.* 563. *& seqq.*

4. Porro usi sumus exemplo Martini Poloni, quem diximus primum fuisse, qui Joannæ Papissæ meminerit, ut in materia negantis argumenti uteremur exemplo, quo utuntur Auctores in superiori paragrapho allegati. Scimus enim, figmentum prædictum non a Martino Polono, sed ab Hæreticis proditum fuisse. Martini quippe scripta fœdata fuisse & adulterata, invicte argumentis ostenditur ab Echard *tom.* 1. *Script. Ord. Præd. ad ann.* 1278. *pag.* 361. *& seqq.* Extat exemplar operum Martini Poloni in bibliotheca Angelica Urbis dono eruditissimi viri Lucæ Holstenii. Exhibet editio illa vetustissimum manuscriptum ipsi Martino Polono pene coætaneum, summa fide & diligentia expressum, ubi de prædicta fabula Editor loquens hæc habet in præfatione: *Martinum Polonum a Basileensi Typographo eadem hac fabula audactum esse, solide satis probatur hoc argumento, quod a nostro antiquissimo, aliisque quamplurimis, quæ Suffridus Petri, & Josias Simlerus viderunt, exemplaribus, fabella ex Lutheranorum latibulis eruta, impressisque codicibus per magnam vel inscitiam, vel imposturam inserta, plane abesse, & semper abfuisse, omnium oculis videatur, & videri possit.* Additur, Marianum Scotum floruisse sæculo XI. & Martinum Polonum sæculo XIII. & a Launojo *in libello de auctoritate negantis argumenti* afferi, Marianum Joannæ Papissæ testimonium perhibuisse; ex quo inferri potest, figmentum nunquam Martino Polono uti primo Auctori esse adscribendum. At veritati ut obsequamur, quemadmodum Martinus Polonus a calumnia vindicatur, ita vindicari quoque debet Marianus Scotus, cum par utriusque sit causa. Auctor etenim præfationis operum Martini Poloni supra laudatus hæc habet de Mariano Scoto: *Marianus Leonem proximum & immediatum Antecessorem Joannæ, centesimum secundum, Benedictum vero proximum & immediatum ejusdem Joannæ Successorem centesimum tertium a S. Petro Pontifice, nullo pro Joanna numero relicto*, enumerat: ex quo proinde evincitur, vitiata fuisse exemplaria quoque operum Mariani Scoti Hæreticorum fraude fabulam Joannæ Papissæ obtrudere volentium. Marianum pluribus in locis vindicat Mabillonius, & purgat; qui non ita se gessit erga Martinum Polonum, quandoquidem non vidit monumenta, quibus ille a ceteris vindicatur.

5. Sed ut ad rem redeamus, si in adeo celebri controversia meus, qualiscumque sit, sensus exquireretur, dicerem primo, serio perpendendum esse, an re vera negotium sit redactum ad punctum argumenti negativi; et, si constet, negotium esse ad punctum argumenti negativi redactum, dicerem secundo, non indistincte admittendam esse, nec indistincte esse rejiciendam vim argumenti negativi. Dicerem autem primo, serio perpendendum esse, an negotium sit redactum ad punctum argumenti negativi; quia aliud est, aliquem dicere, se in Auctoribus & Scriptoribus æquævis aliquam rem non legisse; aliud vero, nullum extare Auctorem æquævum qui rem retulerit, & nullum æquævum monumentum, ita ut impossibile sit, id lectum fuisse ab Auctore posterioris ævi, uti bene indicat Mabillonius loco supra citato. S. Hieronymus *in præfat. ad librum de Scriptoribus tom.* 2. *oper. col.* 809. fatetur, se non vidisse opera nonnullorum, qui suo tempore scribebant. S. Maximus *in præfat. ad opera S. Dionysii Areopagitæ*, postquam sibi opposuit, Eusebium Pamphili ea non agnovisse, subdit, multos libros ad hujus manus non devenisse. Propius vero ad rem, de qua nunc agimus, sæculo XVI. non defuerunt nonnulli audaces homines, qui tanquam apocrypham traduxerunt visionem celeberrimam S. Francisci una cum Indulgentia quæ dicitur *Portiuncula*, de qua etiam *in quarto hujus Operis libro* habebitur sermo, sub obtentu potissimum, quod altum prædictarum rerum silentium sit in operibus S. Bonaventuræ, & aliorum contemporaneorum Auctorum. Sed, cum Baluzius *in miscellaneis tom.* 4. ex antiquis bibliothecis monumentum Auctoris contemporalis prædicta omnia narrantis ediderit, ex hoc facto clare desumitur, non ita facile dicendum esse, nullum ex æquævis Auctoribus hanc illamve rem referre, & ideo eam recentiorum Auctorum esse commentum; ut apte argumentatur Lenglet *in method. stud. histor. cap.* 19. *regul.* 5. Itam non desunt, qui translationem almæ Domus, in qua Verbum caro factum est, ex Galilæa factam in Liburniam inter fabulas ausi sint recensere ex defectu Auctorum contemporalium, qui prædictam narrent translationem. De hac scilicet translatione tractabimus pariter in quarto libro hujus Operis. Interea vero adnotasse fas sit, aut non deesse contemporales Auctores, teste citato Guidone Grando *cit. dissert.* 2. *cap.* 8. *num.* 12. *Cum vero & paucis post annis a sacræ Domus in Italiam adventu monumenta regionis illius in qua stationem posuit indubitata occurrant, & ipso quidem Antonino* (cujus potissimum silentio patroni argumenti negativi in hac controversia utuntur) *pene sesquisæculo antiquiora, ad quem nemo prudens pertinuisse dixerit, de re tum vulgatissima expressum testimonium suis historiis inserere; hinc, temere abusi sunt silentio contradictores ad Lauretani sacelli veritatem impugnandam, tam manifestum est:* aut Fluminenses annales, in quibus tota describebatur historia, ab Historico Domus Lauretanæ Angelita visos & perlectos, teste Antonio Salc in libro, quem inscripsit, *Sanctuarium Lauretanum*, sufficere, ne contemporalia monumenta deesse dicantur. Legi potest historica dissertatio Georgii Francisci Xaverii Marotti pro Deipara Tersactana, *part.* 2. *pag.* 24. *tom.* 2. *theatri historici sanctæ Domus Nazarenæ typis editi anno* 1733. & summa diligentia collecti a Petro Valerio Martorello olim Episcopo Feltrino. Nec enim urget prædictorum annalium emissio, quemadmodum loquitur *in append. dicti theatri pag.* 51. *cit. tom.* 2. Præstanda siquidem fides est Scriptoribus eximiis, Angelitæ videlicet supra memorato, & Tursellino, qui eos in conscribenda historia Lauretana præ manibus habuerunt, & ex iis suas narrationes desumpserunt: exemplo potissimum Dionysii Halicarnassei, qui opus composuit antiquitatum Romanarum, postquam illud spatio viginti duorum annorum præparaverat partim ex doctissimorum hominum colloquiis, partim ex laudatorum virorum commentariis, quos superiora sæcula tulerant; idem quippe Dionysius magnæ est auctoritatis, quamvis monumenta quæ viderat, postmodum deperdita sint. Quare Cardinalis Baronius *in præfat. ad annal. Ecclesiast.* sic loquitur de eodem Dionysio: *Ex quibus omnibus hoc unum exemplum, ut reliqua taceam, Dionysii Halicarnassei, quem honoris causa nomino, satis sit in medium protulisse; qui nulla validiori argumento lectoris fidem sibi conciliasse visus est, quam asserens, complures se annos Romæ versatum, ejusdemque Urbis vetera monumenta, & abdita quæque sedulo perscrutatum fuisse.* Denique magnis olim animorum motibus agitabatur controversia, utrum Summa Theologica, quæ nomen præ se fert S. Thomæ Aquinatis, ab eo fuerit composita, an potius a Vincentio Bellovacensi. Joannes nempe Launojus more suo sententiæ adhærebat, quæ favet Bellovacensi, innixus *sermoni* Clementis VI. qui S. Thomam laudans anno 1329. ad solemnia ejusdem recens canonizati, & ejus operum indicem texens, Theologicæ Summæ non meminit.

Sed,

Sed, cum eruditus ex Dominicana familia Theologus Jacobus Echard *in libro de S. Thomæ Summa suo Auctori vindicata pag. 439. & seqq.* clarissime demonstraverit, in eodem Clementis VI. sermone Summam S. Thomæ esse commemoratam: ex his omnibus plene evincitur, serio perpendendum esse ante omnia, an negotium sit redactum ad punctum argumenti negativi; cum aliquando silenter asseri contingat, nullum æquævum Auctorem rem retulisse, quamvis non desint qui retulerint. Sufficere profecto hæc deberent pro re de qua nunc agitur. At, quatenus alia desiderarentur, ea non deficiunt. Post primam hujus Operis editionem typis impressa est vita B. Benedicti XI. ab eodem Dominicanæ familiæ alumno Petro Thoma Campana, a quo supra diximus, editam etiam fuisse vitam S. Petri Martyris. De prædicto B. Benedicto XI. refertur, matrem ad se accedentem, pretiosis vestibus indutam, eum noluisse ad colloquium admittere; sed pauperibus indumentis vestitam admisisse, filiali observantia prosecutum. Pater Echard, & Quetif *tom. 1. Script. Ord. Præd. pag. 446.* id putant fabulosum, cum nullus Auctor æquævus, nec ipse Bernardus Guidonus prædicti facti meminerint. Citatus autem Campana *in vita prædicti Beati cap. 11.* ipsos redarguit, cum Taegius *part. 2. amplioris chronicæ Ord. S. Dominici*, Historicus satis accuratus & probus, testetur, se id legisse in quodam libro Bernardi Guidonis, qui tunc erat obvius, & hodie fortasse aut deperditus est, aut latet in aliquo pluteo alicujus bibliothecæ. Rursus fama erat, SS. Faustinum, & Jovitam, Patronos Brixianæ urbis, in armis aureis apparuisse ad ejusdem tutamen adversus Nicolaum Picininum Mediolanensium copiarum Præfectum, ipsam obsidentem ac maxima vi oppugnantem. Sed a plerisque dubitabatur de miraculo hujus insignis apparitionis, silentibus videlicet Historicis Brixianis æquævis, illudque narrante Elia Capreolo, qui octoginta integris annis post solutam obsidionem decessit, & fabulosa quædam suis commentariis inseruit: cum opera & studio Cardinalis Angeli Mariæ Querini binæ litteræ inventæ sunt Ludovici Fuscareni ad S. Laurentium Justinianum tunc Patriarcham Venetiarum, quæ rem totam in aperto ponerent. Etenim cum quatuordecim annis post Brixiam ab obsidione liberatam Fuscarenus ejus civitatis administrationem suscepisset sibi a Veneto Senatu demandatam, biduo post aditam provinciam rumor increbuit, consilium initum fuisse a quibusdam Religiosis viris inde asportandi Venetias corpora SS. Faustini & Jovitæ: ac nisi ipse Religiosos illos opportune servasset, populi ira ferroque periissent. Fuscarenus in allatis epistolis causam aperiens pii furoris, qui mentes Brixianorum incenderat, hæc habet: *Majores sunt, cum circumvallati, indesi fame laborarent, ultima experirentur pericula, visos ab hostibus Tutores sanctissimos aureis armis Brixiam tueri: quo miraculo attonitus Nicolaus Picininus, Dux fortissimus, potiundæ urbis spem perdidit, supplici petendi, aurumque habendi aviditatem remisit. Quas ob res difficilius his corporibus carerent.* Fuscareni epistolæ integræ insertæ sunt in epistola prædicti Cardinalis typis edita, & ad Patrem Cyprianum Benagliam Abbatem & Præsidem Generalem Congregationis Cassinensis data. Post quæ idem doctus Cardinalis hæc ad rem subdit: *Superest tandem, ut una mecum fatearis, argumentum, quod negativum criticæ artis Magistri vocant, quoque aliqui ex ipsis haud ita raro abutuntur ad convellendam monumentorum Ecclesiasticorum auctoritatem, facile accidere posse, ut omni ipsum auctoritate destitutum comperiatur. Certe triumphare quam maxime illud videbatur in subjecta huic epistolæ materia; nam veterum Scriptorum silentium eo vehementius in eadem torqueri poterat, quod plures modo supponant commentaria Brixianæ obsidionis tempore de obsidionis illius eventu conscripsisse. At quam vanus foret ille triumphus, detectæ a me Fuscareni litteræ ostenderunt. Undenam, per Deum immortalem, certo divinare se posse confidet Criticorum illorum natio, priscis illis monumentis, quibus ipsi præcipiti ausu bellum indicunt, testimonia hujusmodi olim defuisse, cum tot sæculorum lapsu, forte malo fato, aut omnino interierint, aut in tenebris adhuc delitescant?*

6. Dicerem deinde secundo, negotio redacto ad punctum argumenti negativi, non esse indistincte procedendum, nec ejus vim esse absolute admittendam vel rejiciendam, cum materia ipsa aliquando, aliquando temporum circumstantiæ ei fidem & auctoritatem conciliare possint. Joannes Diaconus trecentis post S. Gregorium Magnum annis vixit, & in ejus vita *lib. 2. cap. 44.* narrat, ejus precibus animam Trajani Imperatoris fuisse a pœnis Inferni liberatam, de quo etiam plura habentur apud Durantum *in notis ad cap. 14. libri 3. revelationum S. Birgittæ*. Porro nec Anastasius Bibliothecarius, nec Ado, nec Beda S. Gregorii studiosissimus hanc narrant historiam: eamque propterea tanquam fabulosam rejiciunt Baronius, Bellarminus, Capisucchius, Melchior Canus, aliique plures; & merito, cum Antiquorum silentium vim quoque a materia recipiat: credit enim Ecclesia, pœnas Inferni esse æternas, idque efficit ut exemptio ab hac lege, si alicui a Deo concessa dicenda sit, Ecclesiæ ipsius testimonio debet comprobari; sicuti ad rem bene adnotavit Natalis Alexander *in histor. Eccles. sæc. II. dissert. 1. pag. 321.* Ab illis quoque, qui argumento negativo adversantur, ejus efficacia admittitur in eo rerum eventu, in quo factum respiciat Universitatem, aut cœtum quemdam hominum: dicunt enim, si nonnulli ex ea Universitate, aut cœtu contemporales scripserint, eisque occasio se obtulerit narrandi factum, nullus autem ex eis factum retulerit, factum idem a recentiori Auctore expositum pro commentitio facile haberi. Ita Pater Honoratus a S. Maria *in cit. oper. de us. Critic. tom. 1. dissert. 3. art. 2. in fin.* Uno verbo, vis, aut inanitas argumenti negativi a circumstantiis pendere debere videtur, teste ipso Launojo insigni negantis argumenti defensore *in epist. ante dissert. de auct. neg. argum. part. 1. tom. 2. oper. Sunt tamen, qui, difficultatem in abnutivis nullam esse volunt, cumque, dum cominus urgentem sentiunt, devorare se putent, si per contemptum dixerint: Negativa sunt argumenta, quibus nihil concluditur. Sed, ut verum fatear, istud sine ullo discrimine vel delectu qui faciunt, eos esse in dialecticis mediocriter institutos, quotidie experimur; neque enim canonem illum, quo, ex negativis nihil concludi, statuitur, aliter, quam de memoria velut de pariculo, recitant; neque, quo intelligendus modo sit, usquam attendarunt. At enim, ut res spectetur ex se ipsa, nec admittenda nec rejicienda est quævis abnutiva ratiocinatio. In iis autem, quæ ex conditione facti, ex usu, & traditione pendent, si quadret in animum penitus subjectum mysterium, firmissima judicari debet, si non quadret, quia potest magis aut minus quadrare, aliquando probabilitatis habet aliquid, aliquando nihil: idque sapiens. Quo in discrimine regula nulla potest certa constitui; sed, quidquid est, totum viri sapientis, & æquanimi judicio relinquitur, ex quo recta & apposita ratiocinandi leges qualibet manarunt.* Postremo, ut eo magis statuatur, non esse indistincte admittendam aut rejiciendam vim argumenti negativi, minime omittendum videtur; opus esse, ut finis, ad quem dirigitur, dignoscatur; cum aliud sit, eo uti in materia simpliciter historica, aliud vero, eodem uti in causis Servorum Dei, de quorum Beatificatione aut Canonizatione tractatur. Contendente enim Fidei Promotore, malum aliquod patratum fuisse a Dei Servo producto testimonio alicujus recentis Auctoris, silentium Antiquiorum Postulatoribus prodesse poterit, si aliæ non desint circumstantiæ, eorum assumpto faventes: uti contigit in causa B. Gregorii X, de qua in secundo hujus Operis libro actum est; ubi macula Beato ipsi impacta a recentibus Auctoribus nedum deleta fuit silentio Antiquiorum, sed & ex pravis moribus Recentiorum qui rem narraverant, atque ex aliis circumstantiis ibidem expositis. Simile est illud, quod in negotio Osii Cordubensis contigit, quem plerique traduxerunt ut mortuum in peccato & sine pœnitentia: alii vero viri docti vindicarunt ostendentes, prædicti criminis originem a corruptis & falsis codicibus derivatam esse; quemadmodum videri potest apud Cardinalem de Aguirre *t. 2. Conciliar. Hispaniæ diss. 2. excurs. 14.* Contra, si Postulatores innixi testimonio Scriptoris non æquævi aliquid magnum producant a Dei Servo patratum, & Fidei Promotor æquævorum silentium opponat, durum profecto esset in eo facto figere pedem; cum firmæ & stabiles esse debeant eo in judicio probationes, & hujus quidem generis non essent illæ, quæ in eo rerum eventu Postulatoribus faverent. Quam ad rem subdit Mabillon. (*in tract. de stud. monast. cap. 13. tom. 2. §. Multum igitur*) *Hoc tamen non obstat, quin in similibus casibus liceat prudenter dubitare, usque dum novum aliquod lumen menti obveniat vel ad conceptum dubium proponendum, vel ad ipsum affirmative aut negative ultimo resolvendum.* Præterquamquod, si ex supradictis, in causis procedentibus per viam casus excepti, aut (juxta alibi dicta) antiquitatis privilegio fruentibus, etiamsi procedant per viam non cultus, in quibus locus est subsidiariæ probationi Historicorum, cum agitur de virtutibus aut de Martyrio, Historici aut debent scripsisse quæ viderunt, aut saltem quæ audiverunt ab iis qui viderant; sique ex infra dicendis Historici scri-

scribentes quæ viderunt, vel quæ ab iis qui viderant, audiverunt, inter contemporales recensentur; nemo est qui non videat, quæstionem de vi negantis argumenti sibi utique posse vindicare locum in alio rerum eventu, at minimè in eo de quo nunc agimus, quando videlicet Postulatores aliquid probare vellent de virtutibus aut Martyrio auctoritate recentioris Auctoris, silentibus æquævis. Facit pro re, de qua nunc agitur, dictum Hugonis Grotii *de veritate Catholicæ religionis tom. 3. oper. lib. 2. §. 22. Pro rerum diversitate diversa quoque esse probandi genera, alia in mathematicis, alia de affectionibus corporum, alia circa deliberationes, alia ubi facti est quæstio, in quo genere sane standum est nulla suspicione laborantibus testimoniis, quod ni admittatur, non modo omnis historiæ usus periit, Medicinæ quoque pars magna, sed & omnis, quæ inter parentes liberosque est pietas, ut quos haud aliter noscamus.*

7. Quæres secundo, an probati mores, & ejus sanctitas vim ineluctabilis auctoritatis in facto historico Scriptori præstent. Respondetur, prædictas qualitates plenissime demonstrare, eum nec voluisse consulto, nec potuisse mentiri. At, his tamen minime obstantibus, quemadmodum Auctor decipi potuit, sic ejus narratio examini est subjicienda, ideoque, ut vim veræ probationis obtineat, non poterunt omitti regulæ in superioribus recensitæ de fide Historicis præstanda. Ut cetera prætereantur, S. Joannes Damascenus *in oratione de iis, qui in Fide dormierunt &c. tom. 1. oper.* historiam paulo ante indicatam narrat de anima Trajani precibus S. Gregorii a pœnis Inferni liberata, & narrationem ipsam ita concludit *num. 16. Quodque hoc verum sit, atque ab omni criminatione alienum, totus Oriens Occidensque testatur.* De auctoritate autem S. Joannis Damasceni in ea re sic loquitur Cardinalis Baronius *ad an. 604. num. 40. Primum quidem ab omni impostura suspicione virum sanctissimum immunem reddimus, nihilque ab ipso commentitium esse factum, vel excogitatum, constanter asserimus; sed quod ipse vere factum accepit ac credidit, hoc ipsum, quomodo audivit, scriptis suis bona fide mandavit. At in his, quæ ad rerum gestarum veritatem spectant, quam frequenter accidat, falli etiam prudentissimos, non in antiquis tantummodo, sed & in his, quæ facta dicuntur in eodem loco, quo ipsi sunt, & quo vivunt, tempore, cum usus doceat pluribus demonstrare, supervacaneum esse putamus: ob idque nihil est, ut quantavis sive sanctitatis, sive doctrinæ cujuslibet prærogativa viri, quod non factum sit unquam, ut factum asserendo, ipsi veritatis præjudicium possit inferre: cum in his, quæ sunt facti, non dogmatis, poterit quisque sanctissimus atque doctissimus, Fideique orthodoxæ professor, atque defensor, aliquando falli.* Porro ad rem nostram prosequitur Canus *de locis Theologicis lib. 11. cit. cap. 6. pag. 321. Quamobrem, boni licet, ac minime fallaces viri, quia tamen nec Auctores vos, a quibus suos exscripsere libros, diligenter examinarunt, nec res justis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud Criticos graves atque severos auctoritate carent.* Ea quoque resumi poterunt, quæ *lib. 2. cap. 41.* dicta sunt, cum ageretur de oppositis a S. Bernardo adversus S. Willelmum Archiepiscopum Eboracensem, & de oppositis a S. Petro Damiano adversus Beatum Petrum Urseolum.

8. Quæres tertio, an auctoritate carere debeat Historicus, qui Beati vitam referens nonnulla ei miscet haud verisimilia, & forte risu digna. Exempla aliqua habentur apud Canum *lib. 11. de loc. Theol. cap. 6.* ubi sic loquitur *pag. 318. Ecquis enim credat, D. Franciscum pediculos semel excussos in se ipsum solitum esse immittere? Quod ad sanctitatem viri Scriptor pertinere putavit, equidem non puto, qui paupertatem sciam viro sanctissimo placuisse semper, sordes nunquam. Illud item quam ridiculum, Diabolum, Dominico Patri nostro semel obstrepentem a Divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus quoad illa absumpta non molestiam solum, sed incredibilem dolorem etiam afferret. Non possunt hujusmodi exempla numero comprehendi; sed in his paucis pleraque alia intelligentur, quæ Divorum clarissimorum historias obscurarunt. Non autem decebat, veras Sanctorum res gestas falsis & commentitiis fabulis contaminari.* Prudenter autem Bollandus *in præfat. generali ad vitas SS. mensis Januarii cap. 3. §. 4.* notat, nonnulla aliquando videri ridicula, quæ revera non sunt, multa item aliquando traduci tanquam incredibilia, quæ incredibilia non sunt; atque ideo rejiciendas non putat Sanctorum vitas, etiamsi illis aliqua ridicula, aut improbabilia inserta sint, sed corrigendas potius & emendandas. Tillemontius *in notis ad vitam S. Jacobi Minoris not. 13. tom. 1. secundæ editionis pag. 631:* inquit, in historiis certis nonnulla aliquando improbabilia reperiri, & hæc quidem esse dimittenda, at non alia, quæ non sunt tali nota signata, & *pag. 632.* addit, a modo ipso narrandi aliquando derivari apparentem quamdam inverisimilitudinem, cum videlicet narrans aliquando aliqua omittit, quæ si retulisset, inverisimilitudinis, & improbabilitatis nota cessasset; tandem concludit, Historicum illustrem ex consimilium aliquarum rerum narratione non esse deferendum, & auctoritate privandum, si aliæ concurrant circumstantiæ, quæ in reliquis fidem ejus dictis adstruant. Pater Honoratus a Sancta Maria *cit. tom. 1. diss. 3. art. 4.* sed fusius *diss. 6. art. 3. §. 2.* Tillemontium, & alios ibi recensitos redarguit, eo quia aliquando ea moderatione usi sunt, ne aliquas rejicerent historias, aliquando vero ea uti noluerint, ut alias abjicerent historias. Denique Pater Joseph Augustinus Orsi in sua erudita dissertatione apologetica pro Actis SS. Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum *pag. 84.* bene subdit: *Fuerint etiam ab Auctore coævo, ut fertur, & ipse in præfatione testatur, Sanctorum Martyrum Acta in litteras missa, & fere posteritati commendata, non inde tamen consequens esset, ea, quæ ad visiones pertinent, omnia esse avidis auribus, nulloque adhibito criterio excipienda. Quam facile est enim, ut hisce in rebus & boni viri fallantur!* Et aptissime Pater Touron Ordinis Fratrum Prædicatorum in vita S. Thomæ de Aquino impressa tempore primæ editionis hujus nostri Operis, & a Nobis postmodum lecta, animadvertit *lib. 3. cap. 8.* prudentiam Christianam nos admonere, ne simus nimis creduli absque examine; Christianamque pietatem non permittere, ut in spiritum incredulitatis inconsiderate ruamus, qui facit, ut tanquam falsa rejiciamus quæcumque nobis extraordinaria videntur. Scire quippe debemus, Deum aliquando manifestare merita Servorum suorum exterioribus sanctitatis indiciis: quapropter prostant effusiones gratiarum, & Divinæ communicationes in historiis SS. Pauli, Antonii, Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci de Assisio, Philippi Nerii, Francisci de Sales, Catharinæ Senensis, Teresiæ. Verum, utcumque hæc sint, cum præsens nostra indago (ut sæpe dictum est) coercita sit ad judicium virtutum aut Martyrii in specie in causis Canonizationis, existimarem, vim probationis obtinere debere historias vel conscriptas ab his qui viderunt, vel ab his, qui ab aliis qui viderant, audiverunt, dummodo Historici ceteris potiantur qualitatibus ad fidem sibi conciliandam necessariis, etiamsi ipsis eorum historiis aliqua vere improbabilia, aliqua revera haud verisimilia intermista sint; hæc enim possunt abjici, reliqua autem admitti. Quæ tamen (uti dici consuevit) cum grano salis crederem esse intelligenda atque explicanda, ut videlicet sibi vindicent locum, si improbabilitates inverisimilitudinesque non essent nimis frequentes & nimis crassæ: si enim essent nimis crassæ nimiumque frequentes, ex eis desumi possat, Historicum, licet contemporalem, & ea narrantem quæ vidit, aut quæ ab iis qui viderant, audivit, prudentia & justo rem unam ab alia discernendi judicio caruisse. Nec vero ab hac moderatione recedere potuerunt Critici severiores, teste ipso Joanne Clerico *tom. 2. artis criticæ sect. 2. cap. 5. n. 2. Non diffitemur posse doctum, & veri amantem virum interdum cæspitare, & indocta aut falsa quandoque, incuria aut credulitate proferre; sed, hoc rarum sit, necesse est, nec in rebus nimis aperte indoctis aut falsis situm.*

9. Quæres quarto, quinam dicendi sint Auctores contemporales. Huetius *in demonstrat. Evang. post præfat. defin. 1.* docet librum genuinum esse eum, qui ab eo Auctore scriptus est, a quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur; & in hoc capite dicit Herodoti historiam esse genuinam: librum autem coævum seu coætaneum esse illum, qui eo circiter tempore scriptus est, quo res in eo scriptæ contigerunt, uti est historia Thucydidis, quæ narrat ea quibus ipse interfuit, liber Xenophontis *de expeditione Cyri*, cui expeditioni idem qui scribit, interfuit. Scacchus *de not. & sign. sanct. sect. 11. cap. 6. pag. 881.* respondet, Historicos, qui vixerunt intra quinquaginta annos ab obitu Servi Dei, aut Beati, cujus vitam referunt, pro contemporalibus habendos esse. *Etenim si Historici vixerint posterioribus sæculis vel etiam ad quinquaginta annos a tempore, quo vixit Dei Servus de quo agitur, profecto indicium aliquod aut conjectura ab his sumpta alterius auctoritatis non erit, quam quæ ab Historicis sumitur, qui contemporanei fuerunt.* Tillemontius, & Baillet auctoritatem non detrahunt Historico, licet post sæculum scribenti. Launojus *in tract. de auctoritate negantis argumenti, in fin.*

in fin. tempus id protrahit ad annos circiter ducentos. Pater autem Honoratus *cit. oper. tom. 3. dissert. 2. art. 5.* ingenue admittit, historicam veritatem per tres utique aut quatuor hominum ætates suum tutum posse habere progressum, at periculis tamen deceptionis & hallucinationis expositum esse, si alicujus Scriptoris intra sæculum scribentis præsidio sit destituta. Verumenimvero, utcumque hæc sint, quod attinet ad probationem virtutum aut Martyrii in specie, quarum nempe rerum examen post approbatum casum exceptum in sacrorum rituum Congregatione assumitur, insistendum est praxi, quæ ad vim probationis non admittit nisi Historicos, qui scripserunt ea quæ viderunt, aut quæ ab iis qui viderant, audiverunt, qui in hac quidem re & ad effectum, de quo agimus, sunt Historici contemporales.

10. Quæres quinto, utrum satis sit, Historicos testari sanctitatem vitæ aut Martyrium, an potius requiratur, ut vitæ cursum, si de Confessore agatur, vel pœnam & causam aliasque circumstantias ad verum Martyrium necessarias referant, si de Martyre tractetur. Facilis autem videtur huic quæsito responsio: non enim post approbatum casum exceptum a decretis Urbani VIII. quæstio in sacrorum rituum Congregatione instituitur, an constet de fama sanctitatis aut Martyrii, sed an constet de virtutibus aut Martyrio in specie: quocirca necesse omnino videtur, ut Historici cursum vitæ, si de Confessore; & alia ad verum Martyrium spectantia, si de Martyre agatur, exponant; tum quia exempla supra relata causarum, quæ fuerunt in sacra Congregatione discussæ & resolutæ, id evincunt, tum quia nemo non videt, vetitum esse, in Judicio in specie probationibus inniti, quæ tantum ad generalia respiciunt.

11. Quæres sexto, an ad probationem virtutum admitti possint, quæ a Servis Dei, seu Beatis in vitis de se & a se conscriptis referuntur. Patres puta Societatis Jesu in scriptis reddunt rationem propriæ conscientiæ suis Superioribus, quæ sub sigillo retinetur omnibus abscondita, solumque aperitur Rectori spirituali, vel Confessario, vel ipsi Superiori, ut iis scilicet, quæ in annum in animabus subditorum contingunt, faciliorem & securiorem modum desumant ad hos regendos ac dirigendos in viam salutis æternæ, juxta ea quæ habentur *in primo examine generali c. 4. §. 34. impressionis Romanæ pag. 31. & 35. & §. 41. pag. 33. & in Constitutionibus par. 6. c. 1. a. 2. §. Omnibus itidem pag. 148. & in summario Constitutionum §. 41. tom. 1. pag. 307. in impressione Pragensi*, ubi sic legitur: *Nullam debent celare tentationem, quam Præfecto rerum spiritualium, vel Confessario, vel superiori non aperiant ... nec solum defectus aperiant, sed etiam pœnitentias, vel mortificationes, & devotiones, ac virtutes omnes, voluntate pura optantes, ab illis dirigi sicubi a rectitudine deflecterent, nolentes suo proprio sensu duci, nisi conveniant cum judicio illorum, quos Christi Domini nostri loco habent*. Et in ordinationibus generalibus *cap. 1. §. 17. tom. 2. pag. 124. dictæ impressionis*, & denique in instructionibus *cap. 2. §. 2. tom. 2. ejusd. impressionis pag. 404. In aperienda autem conscientia finis est, statum animæ suæ, nimirum defectus, passiones, propensiones, tentationes, virtutes ipsas & ei aperire, cui se ad majorem Dei gloriam dirigendos tradiderunt*. De consimilibus itaque relationibus, seu propriæ vitæ historiis actum aliquando est in sacrorum rituum Congregatione; in causa videlicet Servi Dei Alfonsi Rodriquez *Coadjutoris* temporalis formati Societatis Jesu, qui *Rationem suæ conscientiæ* descripsit, sed ex imperio Gabrielis Alvarez sui Superioris; in causa Servi Dei Cardinalis Bellarmini, qui *propriam vitam* descripsit, suadente Patre Mutio Vitellesco, & Patre Andrea Eudemonio; & in causa Servi Dei Alfonsi de Orosco Religiosi Professi Ordinem Eremitarum S. Augustini, qui *librum* quemdam *suarum Confessionum* exaravit suorum Superiorum, & Cardinalis Gasparis de Quiroga Inquisitoris Generalis Hispaniarum imperio. Et quidem, dum munere fungebar Fidei Promotoris, nonnullas a prædictis vitis, seu relationibus animadversiones atque oppositiones desumpsi, & signanter jactantiæ & inanis gloriæ; quibus porro a Postulatoribus satisfactum est. Veruntamen præsens indago non est in eo posita, an similes propriæ vitæ relationes obstent sanctitati, sed an habeant vim probationis; eo quia videlicet nemo est, qui in propria causa possit pro se testimonium ferre. Sancti homines, & Legis observantissimi testimonium utique de se ipsis perhibuerunt. David quippe de se ipso testatur *Psalm. 7. v. 4. & 5. Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala*. Quin & Jeremias *cap. 15. v. 16. & 17. Domine Deus exercituum, non sedi in consilio ludentium, & gloriatus sum a facie manus tuæ*. Et Apostolus Paulus aperte vociferatur *in 1. ad Corinth. cap. 4. v. 4. Nihil enim mihi conscius sum*. Et in Evangelio Joannis *cap. 8. v. 13. & 14.* Pharisæis Christo Domino opponentibus, quod pro se testimonium ferret, *Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum. Respondit Jesus, & dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio unde veni, & quo vado; vos autem nescitis unde venio, aut quo vado*. Hæc autem hypothesi nostræ aptari minime possunt: Christus etenim ex Deo erat, & Deus & Dei Filius; atque ideo, ut ait S. Joannes Chrysostomus *hom. 52. in Joan. tom. 8. oper. Deus sibi fide dignus testis*. Nec ad rem, de qua agimus, facere possunt cetera exempla recensita, cum sint virorum, quorum sanctitas in Divinis Scripturis admissa est. Quod etiam dicendum esset, & est de Sanctis, postquam Ecclesiæ judicio in album Sanctorum relati sunt: absonum quippe esset, vi probationis & auctoritatis ea privare, quæ de se ipsis retulerunt. Quæstio igitur est de his, qui adhuc canonizati non sunt, sed de quibus disputatur, an sint, necne, canonizandi; utrum videlicet, pendente Canonizationis judicio, validæ & sufficientes haberi possint probationes, quæ desumuntur ex relationibus, quas de se ipsis conscripserunt. Sulpicius Severus *dialog. 3. de virtutibus B. Martini n. 5.* sane testatur, se nonnulla scripsisse, quæ ab ipso Martino audiverat: *Miror autem, quemquam, qui vel tenuem sensum religionis habeat, tantum piaculi velle committere, ut putet, quemquam de Martino posse mentiri; Facessat a quoquam, qui sub Deo vivit, ista suspicio. Neque enim Martinus hoc indiget, ut mendaciis adferatur. Sed tamen totius sermonis fidem apud te, Christe, depromimus, nos nec alia dixisse, nec alia dicturos, quam quæ aut ipsi vidimus, aut quæ manifestis Auctoribus, vel plerumque, ipso referente, cognovimus*. Ipsi quoque SS. Martyres tormenta scripserunt, quæ a Tyrannis passi sunt. Ejusmodi enim Acta habemus, quæ S. Perpetua de suo ipsius Martyrio conscripsit; idemque Saturus, Flavianus, aliique passim Martyres de se ipsis præstiterunt; necnon Ignatius Martyr Romanos certiores fecit epistola de his, quæ in itinere a militibus perferebat; uti bene adnotavit Ruinart *in præfat. general. ad Acta Martyr. §. 1. num. 3.* Quid ergo dicendum erit? Nimirum, si mea exquiratur opinio, dicerem, probationis vim & efficaciam habere debere visiones, apparitiones, revelationes, quas sibi contigisse, Servi Dei referunt, nisi desint circumstantiæ alibi referendæ, quæ requiruntur, ut visiones ipsæ, apparitiones, atque revelationes inter cælestia dona sint recensendæ. Idem quoque dicendum crederem de ceteris rebus, quæ solo Dei Servorum testimonio probari possunt, si tamen ex aliis documentis constet de eorum virtutibus heroicis, vel de eorum Martyrio: his quippe præcedentibus probationibus aliunde petitis, absonum profecto esset, fidem non præstare his, quæ Servi Dei de se ipsis retulerunt. In quo pariter rerum themate hæc omnia admitterem, quamvis relata a Servis Dei potuissent per alios testes probari, si testes mortui essent, quo tempore processus confectus est: Apostolicum siquidem de virtutibus aut Martyrio judicium non in solis Servorum Dei de se ipsis relationibus, sed in tot aliis juratis testium depositionibus fundamentum haberet. Spectati itaque mores, continuumque & usque ad obitum protensum heroicarum virtutum exercitium auctoritatem conciliare poterunt apparitionibus & visionibus, quas Dei Servi referunt sibi obtigisse, necnon aliis rebus, quas narrant de se ipsis: ex quarum proinde qualitatum defectu inter apertissima mendacia, vel fanaticas Dæmonis illusiones referenda erit visio, quam Erasmus sibi factam retulit *in epist. 1230. ad Carolum Utenhovium tom. 3. part. 2.* Erasmus quippe, si non inter Lutheranos, saltem inter malos Catholicos locum obtinet, teste Cardinali Pallavicino *in histor. Concil. Trident. lib. 1. cap. 23. num. 7. & 8.* Verba autem Erasmi sunt hæc: *Putant mihi Franciscum iratum, quod eos notarim, qui cælum promittunt iis qui in veste Franciscana sepeliantur. Atqui nuper in somniis mihi post mediam noctem apparuit Beatus Franciscus vultu sereno atque amico, egitque gratias, quod ea traducerem corrigenda, quæ ipse semper fuisset detestatus, meque inter Ordinis amicos numeravit ... Abiens dixit, dextera porrecta, Milita strenue, brevi meorum eris*. Scimus nempe, laudabile quidem esse, ut nonnulli Christiani ad sepulturam deferantur induti habitu Regulari, licet Institutum Regulare professi non fuerint, dum viverent; si id fieri mandent venerationis cau-

nis causa erga aliquem Sanctum, qui fuerit ejus Instituti, cujus veste sua corpora indui mandarunt. Ulterius etiam scimus, nedum paradisi portas non aperiri ei qui sic indutus sepelitur, nisi fuerint ei a Domino remissa peccata quæ in vita patravit, sed etiam forte commendabilius futurum, si ea veste induerentur sæculares, qui laudabilem in sæculo vitam duxerint, veluti observat Theophilus Raynaudus *hetec. spiritual. tom. 16. pag.* 475. At, hæc fuisse Erasmo revelata a S. Francisco, ex rationibus supra relatis credi non potest nec debet.

12. Quæres septimo, quid dicendum sit de scriptura authentica non ad alicujus petitionem, nec ad effectum Canonizationis exarata, sed ad perpetuam rei memoriam, si assertiones contineat testium juratorum, & de visu miraculorum referentium, nec ulla sit de identitate controversia, an scilicet vim plenæ probationis habeat ad miraculum probandum: & quid pariter dicendum sit de scriptura referente antiquum miraculum manu Episcopi de visu referentis subscripta, aut ejus sigillo munita, an etiam miraculum probet? Cardinalis de Lauræa *t. 4. in 3. lib. sentent. disp.* 20. *de mirac. art.* 25. §. 6. *n.* 1169. *& seq.* quoad primam partem affirmanter respondet, hoc est plene per eam miraculum probari; quo vero ad secundam *n.* 1178. *& seq.* ait, semiplene probare, si nulla sit controversia de identitate, & juramento Episcopi munita sit. Pace autem tanti viri de assertorum ab eo soliditate maximopere dubitarem. Ut enim aliquid in judicio Beatificationis & Canonizationis vim plenæ vel semiplenæ probationis obtineat, si de probatione a testibus proveniente loquamur, ex alibi dictis oportet, ut testes auctoritate ordinaria examinentur, si Sedes Apostolica manum ad causam non apposuit, vel auctoritate Apostolica, si causa Canonizationis jam fuerit introducta; oportet, ut illi nedum sint jurati, sed etiam singillatim fuerint examinati, & quidem sub interrogatoriis, si potissimum res sit de Apostolico processu; oportet, ut uniuscujusque testis dictum, prout ab eo prolatum est, sacræ Congregationi exhibeatur: cumque hæc omnia in casibus propositis & resolutis a Cardinali de Lauræa contigisse non præsumantur, monumenta Notarii aut Episcopi non probationis, sed ad summum adminiculi vim habere poterunt. In causa B. Gregorii X. exhibita fuit tabella sub Innocentio Papa V. anno 1276. confecta, in qua singillatim miracula a Deo intercessione ejusdem B. Gregorii patrata enarrabantur. Facta nimirum in ea exponebantur, testesque de iis asserentes indicabantur, & in fine tabellæ habebantur hæc verba: *Et quia non posset hæc brevis charta multa ejus miracula ad plenum continere, ideo quicumque ejus miracula ad plenam noscere desiderat, ad Sacristam hujus ecclesiæ accedat, qui sibi plenos codices miraculorum prædicti Beatissimi Papæ libenter ostendet:* appensa quippe erat tabella ipsa ad sepulchrum Beati in Cathedrali ecclesia Aretina existens. Consimilis etiam tabella eodem anno exarata conservabatur in archivis ecclesiæ Aretinæ, in Vaticano, & Vallicellano. Itemque Joannes Molanus *in libro, cui titulus*, Natales Sanctorum Belgii, *sub die* 10. *Januarii*; Jacobus Burallius *in vitis Episcoporum Aretinorum*; Raynaldus *in annal. ad annum* 1276. Bartholomæus Fiseus *in floribus Ecclesiæ Leodiensis* auctoritatem hujus tabellæ maximopere commendaverant; necnon ipsi Rotæ Auditores in relatione causæ B. Gregorii censuerant, approbanda quidem esse miracula quæ referebantur in tabella, atque adeo a Postulatoribus omnia adducta sunt quæ poterant adduci, ad vim probationis tabellæ ipsi conciliandam. Actum autem fuit de hujus Beati miraculis, dum fungebar munere Fidei Promotoris, meque opponente, quod ea deficiebant quæ supra indicata fuerunt ut testium dicta vim probationis in hoc judicio habere possent, nulla miraculorum in tabella descriptorum habita est in sacrorum rituum Congregatione consideratio, sed quæstio redacta fuit ad examen duorum aliorum miraculorum, quæ fuerant in processibus Apostolicis, servatis omnibus servandis, comprobata, super quibus adhuc pendet judicium. Honorius III. *in cap. Venerabili, de testib. & attestat.* refert, ad se fuisse ab Episcopo, & Abbate, quibus processum super miraculis, quæ intercessione piæ memoriæ Mauritii Abbatis a Deo patrata dicebantur, commiserat, quamdam paginam missam, *Iidem autem Episcopus, & Abbas quamdam Nobis paginam transmiserunt propriorum sigillorum appensione munitam, in qua multa quædam & magna miracula continentur facta, ut dicitur, a Domino meritis dicti viri:* Paginam autem ipsam Honorius III. reprobavit ex sequenti ratione: *Quæ* (sermo est de miraculis) *licet probata per testes juratos & nominatas in ipsa pagina innuantur, non tamen apparet per paginam sæpe dictam, quod testes examinaverint singillatim, & quod eos super his de quibus testificati fuerunt, ac circumstantiis cum ea interrogaverint diligentia, quæ solet & debet in testium receptionibus adhiberi:* mandavitque, ut testes iterum interrogarentur, & ipsorum assertiones mitterentur: *Et depositiones eorum Nobis sub sigillis vestris inclusas fideliter transmittatis, ut in ipso negotio cum diligentia & maturitate procedamus:* quæ scilicet verba leguntur in quinta compilatione Decretalium, quam publici juris fecit Innocentius Cironius. Non admittit ergo hic summus Pontifex testium dicta tanquam habentia vim probationis, licet de veritate paginæ non dubitasset, nec de Judicum jurisdictione, sed tantum de rituali examine sub interrogatoriis. Item in causa S. Margaritæ de Cortona sacrorum rituum Congregatio benigne annuit, ut Cardinalis ejus Relator novam faceret visitationem & recognitionem sacri corporis. Accessit itaque Cardinalis Relator anno 1724. ad civitatem Cortonæ una cum Secretario sacræ Congregationis, factaque est nova visitatio; & præter ea quidem quæ ad corpus pertinebant, facta est adipis recognitio spatio longissimi temporis a corruptione servati; eaque omnia expleta fuerunt coram Cardinali Relatore, coram Secretario Congregationis, Episcopo Cortonensi, & aliis testibus fide dignis, necnon instrumentum ab Apostolico Notario exaratum est. Putabant autem Postulatores, se posse miraculosam adipis incorruptionem proponere examinandum in sacrorum rituum Congregatione ope tantum dicti publici instrumenti: sed, me uti Fidei Promotore opponente, in terminis miraculorum approbandorum pro Canonizatione necesse fuisse, ut articuli exhiberentur, ut cum Fidei Promotore communicarentur, ut Fidei Promotor interrogatoria componeret, ut expedirentur litteræ remissoriales, ut sub involucro, seu, ut dicitur, in *rotulo remissorialium* includerentur interrogatoria, & ut super iis testes examinarentur; Postulatores ab incepto destiterunt, servatisque servandis, processum construi curarunt juxta morem & praxim Sedis Apostolicæ.

13. Quæres ultimo, an extrajudiciales attestationes, quæ aliquando afferuntur pro virtutibus aut miraculis Servorum Dei, vim probationis in hisce causis habere valeant. Porro alibi visum est, prohibitum esse in decretis Urbani VIII. exquirere aut obtinere similes extrajudiciales attestationes, statutumque pariter esse, eas non facere aliquem gradum probationis, nec inseri posse in processus sive ordinarios, sive Apostolica auctoritate fabricandos; & ea quidem omnia confirmata fuisse in decretis Innocentii XI. in quibus insuper additum est, attestationes etiam antea obtentas, nedum in futurum obtinendas, nullum facere gradum probationis. Decreta hæc ergo non modo respiciunt futura, sed etiam præterita; licet enim de natura legis sit futura respicere, non præterita, juxta Glossam *in can. Ante triennium, dist.* 32. & *in cap. final. de Constitutionibus*, & *in l. Leges* 2. *C. de legibus*; id tamen non procedit, quando in eadem lege exprimitur nedum comprehensio futurorum, sed etiam præteritorum; uti probat textus *in l.* 27. *C. de usuris*, utque egregie adnotavit Henric. Boich. *in cap. final. sub num.* 4. *de Constitutionibus*. Dum fungebar munere Fidei Promotoris, in examine cujusdam celeberrimæ causæ dubitatum fuit, an pleræque extrajudiciales attestationes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium de virtutibus heroicis cujusdam Servi Dei plene testimonium reddentium vim probationis habere deberent, præcipue vero sub obtentu, quod exaratæ fuerant ante decreta Urbani VIII. Ego autem fui in ea sententia, ut non vim probationis, sed adminiculi haberent; primo, quia a jure communi descendit, ut testis sine juramento non probet; sicut habet textus *in cap. Nuper, de test.* & *in l. Jurisjurandi, C. de testib.* deinde, quia ab eodem jure communi descendit, ut testes sine interrogatoriis examinati vim probationis non habeant; veluti late ostendunt *in cap. Cum causam*, Joannes Andreas *num.* 12. *vers. Et propter hoc*, Antonius a Butrio *ibid. num.* 17. *in fin.* Ancaran. *num.* 12. *vers. Advertendum tamen*, Abbas *ibid. num.* 7. *in fin. tit. de testib. & attestat.* Nec enim hac in re ullo fruuntur privilegio S. R. E. Cardinales, juxta textum *in cap. Cum olim* 12. *de privilegiis*, ubi Papa sic loquitur: *Nos vero tam per depositiones testium, quam assertiones quorumdam Fratrum nostrorum liquida cognoscentes &c.* ad quem Glossa *v. Fratrum* ait: *Istis non creditur tanquam testibus, cum jurati non fuerint: quia inducti non fuerunt in testes, sed quia ipsi viderant privilegium, credit eis Papa tamquam Fratribus suis & honestis viris: sed non probationem,*

sed

sed præsumptionem inducunt, & coadjuvant testes inductos. Et late ad ipsum textum prosequitur Abbas *num.* 6. *Secundo nota limitationem ad illud dictum, quod testibus, non testimoniis judicandum est, id est, quod simplici assertioni sine juramento non est standum . . . ut intelligatur de plena probatione: sed quamdam præsumptionem bene inducant assertiones bonorum virorum sine juramento. Et licet Innocentius colligat hic ex textu, assertionibus Cardinalium credendum; tamen intelligo secundam prædictam distinctionem, ut credatur quoad præsumptionem quamdam inducendam*. Cum itaque tum Urbani, tum Innocentii decreta juris communis dispositiones confirmaverint, jure ac merito asseri posse videtur, attestationes extrajudiciales a viris etiam dignitate & probitate præclaris sive editas ante decreta, sive post decreta probationis vim habere non posse, sed tantum adminiculi.

CAPUT UNDECIMUM.

De Martyrio; & primum de Persecutore seu Tyranno.

1. POSTQAM actum fuit de probationibus ad causas Martyrum, seu Confessorum necessariis, rectus rerum ordo exposcit, ut sermo de Martyrio instituatur. Martyr idem est ac testis Fidei, & Martyrium significat testimonium seu confessionem Fidei Divinæ, quocirca S. Augustinus *lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 9. inquit: *Quia & ipsi Martyres hujus Fidei Martyres, idest hujus Fidei testes fuerunt, huic Fidei testimonium perhibentes . . . Pro ista Fide mortui sunt*. In superiori *lib.* 1. *cap.* 2. egimus de Martyrum differentiis juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam; & ne actum iterum agamus, ab inutili repetitione abstinemus. Nunc tantum operæ pretium esse videtur innuere, Martyrium esse voluntariam mortis perpessionem, sive tolerantiam propter Fidem Christi, vel alium virtutis actum in Deum relatum, juxta communem Theologorum sententiam, de qua infra, *cap.* 13. *num.* 2. Martyrio ergo duæ personæ debent intervenire, hoc est Persecutor seu Tyrannus, & Martyr; & Persecutor utique seu Tyrannus debet esse persona distincta a Martyris persona, cum Persecutor seu Tyrannus pœnam infligere, Martyr autem eam debeat sustinere: *In cujus glorioso agone* verba sunt S. Augustini vel alterius Auctoris *in serm.* 223. *tom.* 5. *in append.*) *duo nobis præcipue consideranda sunt . . . sævitia Tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur*. Colligitur id ipsum ex Joanne, 21. *v.* 18. ubi Christus dicit Petro: *Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis*; subditque Evangelista: *Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum*, quia nempe a Nerone esset crucifigendus. Concordatque illud Matthæi 10. *v.* 17. *Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & ad Reges ducemini propter me . . . Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*.

2. Duo autem hic statuuntur; alterum est, ut Martyrio Persecutor seu Tyrannus interveniat; alterum, ut idem Persecutor seu Tyrannus pœnam infligat. Porro adversus primum nonnulla urgent, quæ probare posse videntur, Martyrium dari posse sine Persecutore seu Tyranno. Aliqui enim Patres usurpantes propheticum oraculum Simeonis, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, putarunt, Beatissimam Virginem Mariam gladio ictam, & Martyrio sublatam fuisse, uti legere est apud Isidorum *lib. de vita, & morte Sanctorum cap.* 68. *pag.* 364. At, utcumque hoc sit, non desunt Theologi existimantes, eam Martyrem fuisse ob internum maximum dolorem, quem in Filii sui morte sustinuit; ut Ildefonsus de Flores *in append. ad tract. de inclito agone Martyrii*; ad quod facit & illud S. Bernardi *in serm. de duodecim prærogativis B. V. Mariæ num.* 14. *volum.* 1. *oper.* ubi ait: *Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Martyrem non immerito prædicemus*. Item alii Theologi censent, posse quem esse Martyrem, licet nec actu urgeat Tyrannus, nec mors sequatur; si quis ex. gr. intenso cupiat desiderio Martyrium obtinere, juxta illud Canonis 26. *de Pœnit. dist.* 1. in quo leguntur hæc verba: *In Dei Servis, apud quos cogitatur, & Martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus, Deo Judice, coronatur. Aliud est, Martyrio animum deesse, aliud, animo defuisse Martyrium*. Dantur quoque Martyres Patientiæ, de quibus S. Gregorius *hom.* 35. *num.* 7. *in Evang.* & S. Petrus Damianus *lib.* 6. *epist.* 30. inter quos profecto recenseri potest S. Pontifex Gregorius VII. qui post toleratas toto sui Pontificatus tempore maximas tribulationes, in ejus Actis apud Bollandianos *tom.* 6. *Junii pag.* 197. mortuus dicitur *Martyr & Confessor*. Dantur Martyres Religionis, hoc est Claustralis observantiæ, quæ Martyrium horrore quidem mitius, sed diuturnitate efficit molestius, de quo S. Joannes Damascenus *lib.* 4. *de Fide, cap.* 15. *in fine, tom.* 1. *oper.* Dantur Martyres Virginitatis, quæ Martyrii nomen & decus retulit apud S. Joannem Chrysostomum *in orat. de S. Thecla pag.* 749. & *in orat. de S. Barlaam n.* 1. *tom.* 2. *oper.* apud S. Ambrosium *lib.* 1. *de Virginib. cap.* 3. & apud S. Bernardum *serm.* 1. *de octava Paschæ n.* 7. Dantur Martyres Divinæ Charitatis, qui igne & zelo Divini amoris absumuntur: quod nempe Martyrium agnoscunt & laudant in Sancto Paulo S. Joannes Chrysostomus *homil.* 25. *in epist.* 2. *ad Corinthios* ad illa verba, *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* in Sancto Martino S. Laurentius Justinianus *in serm. de eod. pag.* 684. *in fin.* atque in Sancto Eleuchadio S. Petrus Damianus *in serm. de ipso to.* 2. *pag.* 18. Dantur Martyres, qui, longa ægritudine patientissime tolerata, mortui sunt: quocirca *in vita B. Veronicæ de Binasco* apud Bollandum *ad diem* 13. *Januarii tom.* 1. *cap.* 6. *n.* 8. hæc leguntur de Justina ejusdem socia: *Ea femina post assiduas orationes audivit vocem dicentem: Soror Justina loca Martyrum inhabitas. Obstupuit vehementer illa; quamobrem magis magisque orabat dicens: O mi Domine Deus, quo merito inter Martyres locum gloriæ accepisse Justinam crediderim, quando nullam ipsa a Tyranno perpessa fuerit supplicium? Vereor satis, ne vox illa Diaboli fuerit artificium. Oranti denique vox tertio repetit: Soror Justina loca Martyrum incolit: subintulitque: Nam ingentia pertulit supplicia, ægritudine dira nimis triginta annorum spatio perdurante*. Inter Martyres demum recensentur, qui peste laborantibus subvenientes, attracta lue, vitam cum morte commutarunt in illo eximio officio charitatis & misericordiæ. Quare in Martyrologio Romano *ad diem* 28. *Februarii* hæc habentur: *Ibidem* (scilicet Alexandriæ) *commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes libentissime mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit*. Apposite Carolus Delarue Presbyter & Monachus Benedictinus *in notis ad tom. primum editionis omnium operum Origenis tom.* 9. ita scribit: *Videtur Origenes illos tantum Martyrum nomine censuisse, qui morte sua veritatem obsignant. Sed id non perpetuum esse apud Veteres observavit Svicerus. Illi enim Martyres appellant primo eos qui atrocia subiere supplicia, a quibus tamen miraculose sunt servati, ut tres Juvenes in fornace Babylonica .... secundo Martyres qui fratres, & ægrotos visitabant, in morbis contagiosis præsertim ... tertio qui Martyres in carcere visitabant ... quarto qui Fidem veram confitentur, & operibus bonis ac vita innocentia eam elucere faciunt ... quinto qui bonorum temporalium privationem patienter ferunt ... sexto qui mori, quam magicis artibus ad recuperandam sanitatem uti, malunt*.

3. Verum nihil est ex modo recensitis, quod obstet assumpto: & initio quidem ducto a Beatissima Virgine Maria, de ea inquit S. Ambrosius *lib.* 2. *in Lucam n.* 61. *tom.* 1. *oper. Nec littera, nec historia docet, ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse*. Quod si loquamur de maximo dolore, quo affecta fuit in Passione dilectissimi filii sui D. N. Jesu Christi, doctrina est S. Thomæ, eam ob illum re vera Martyrem, proprie loquendo, dici non potuisse, sed ad summum improprie & per quamdam similitudinem. Verba S. Doctoris *in* 4. *sent. dist.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad quartam* sunt hæc: *Sicut delectationes tactus, circa quas est temperantia, præcipuum locum tenent inter omnes delectationes interiores & exteriores, ita dolores tactus omnibus aliis doloribus præeminent: & ideo difficultati illi, quæ accidit in sustinendo dolores tactus, puta, qui sunt in verberibus, & hujusmodi, debetur aureola magis, quam difficultati*

sustinendi interiores dolores; pro quibus tamen aliquis non proprie dicitur Martyr, nisi secundum quamdam similitudinem: & hoc modo Hieronymus loquitur, cum in sermone de assumptione ait, Dei Genitricem Virginem & Martyrem fuisse ex dolore de morte Filii sui. Sanctus idem Doctor id ipsum prosequitur 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 4. *ad primum*, cui subscribit Dominicus Soto *in* 4. *sent. dist.* 49. *quæst.* 5. *art.* 2. *pag.* 1037. *edit. Lovanien. an.* 1573. ubi ait: *Martyr, ut ait Isidorus, idem est Græce, quod testis, idemque Fidei; & Ecclesia non recipit alios ut testes Fidei, quam eos qui mortem in ejus testimonium pertulerunt. Appellavit autem eam* (hoc est Mariam) *Hieronymus Martyrem ob quamdam similitudinem, scilicet ob vehementissimum doloris sensum, quem in corde habuit de morte Filii; quod quædam fuit imago Martyrii*. Eumque late exornant Cardinalis Capisucchius *in controv. de Martyrio* §. 3. Hurtado *in resol. de vero Martyrio tract.* 3. *resol.* 22. §. 4. *pag.* 52. Cardinalis Gottus *Theolog. tom.* 13. *quæst.* 2. *de Baptismo, dub.* 2. §. 1. *sub num.* 4. Et quidem ex defectu Persecutoris seu Tyranni Beatissimam Virginem Martyrem re vera non fuisse, ceteris allegatis, firmat Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 18. *de Martyrio per pestem part.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. *Similiter Deipara ... defectu mortis a Persecutore irrogatæ non fuit formaliter Martyr, nec Martyrii aureolam est consecuta ... quamvis similitudinarie Martyr dicatur ob summos dolores Filii causa toleratos*.

4. Hinc ut transeamus ad eos qui ardenti desiderio Martyrium exoptantes, licet Martyrium morte non consummaverint, inter Martyres recensentur, sane Martinus de Magistris in tractatu, quem scripsit *de Martyrio quæst.* 1. *&* 4. docuit, non esse de ratione perfecti Martyrii actualem & exercitam mortis voluntariam passionem. Non est enim, inquit, in potestate Martyris irrogatio mortis violentæ, cum hæc proveniat ex malitia Tyranni, & tortoris: additque, quod sequeretur, ex duobus omnino æqualibus in tolerandi proposito, si in unum Tyrannus sæviret, non autem in alium motus ex amicitia aut alia causa, unum esse Martyrem, non alterum, ideoque esse merito æquales, sed inæquales præmio. Contrarium autem docuit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 4. ubi ait, ad perfectam rationem Martyrii requiri, ut aliquis mortem sustineat propter Christum; auctoritates vero oppositum firmantes ab eodem explicantur, ut sint intelligendæ de Martyrio per quamdam similitudinem. Item Cardinalis Cajetanus *in commentariis* late ostendit, non sufficere ad Martyrium nudum propositum moriendi, aut electionem executionis mortis, quæ etiam includat imperium voluntatis, cum hujusmodi electio non sit actus Martyrii nisi inchoative, nec habeat perfectam rationem Martyrii; quippe deficit actus exterior, in quo consistit ratio testimonii apud homines. Hæc porro doctrina Cajetani illustratur a Cardinali Capisucchio *in controv.* 27. *de Martyrio paragrapho secundo*. Doctrinam autem Martini improbabilem & temerariam appellat etiam Hurtado *in resolut. de vero Martyrio resol.* 35. §. 1. *& duobus seqq.* ubi ait, ardens desiderium, robustamque voluntatem, firmumque propositum sustinendi mortem pro Fide Christi, & Charitatis imperium de sufferendis tormentis usque ad sanguinis & vitæ profusionem pro tuenda Catholica veritate minime constituere vere & præcise Martyrem Catholicum, quem ut talem veneretur Ecclesia. Theophilus etiam Raynaudus *loc. cit. cap.* 1. *n.* 7. fuse ostendit solam internam Martyrii voluntatem, quantumvis luculentam, non sufficere ad Martyrium presse acceptum, licet meritum possit esse æquale in eo, qui mortem pro Christo desiderat, ac in eo, cui ipsa mors infertur, juxta illud S. Paulini *natali tertio S. Felicis*:

Cælestem nactus sine sanguine Martyr honorem,
Nam Confessor obit pœnas non sponte lucratus,
Acceptante Deo fidam pro sanguine mentem,
Qui cordis taciti scrutator serve paratos
Æquiparat passis: sat habens interna probasse,
Supplicium carnis justa pietate remittit.
Martyrium sine cæde placet; (si prompta ferendi
Mensque fidesque Deo caleat) passura voluntas
Sufficit; & summi est meriti testatio voti.

5. Res ipsa demum profundissime de more explicatur a D. Thom. *in* 4. *sent. disp.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad tertium*: *Quidam actus sunt, qui in ipso actu habent quamdam vehementiam delectationis, vel difficultatis; & in talibus actus semper addit ad rationem meriti, vel demeriti, secundum quod in actu oportet voluntatem variari ex vehementia actus a statu, in quo prius erat. Et ideo, ceteris paribus, actu luxuriam exercens plus peccat, quam qui solum in actum consentit, quia in ipso actu voluntas augetur. Similiter cum actus Martyrii maximam difficultatem habeat, voluntas Martyrii non pertingit ad illud meritum, quod actui Martyrum debetur, ratione difficultatis; quamvis possit etiam pervenire ad alterius præmium, considerata radice merendi, quia aliquis ex majori Charitate potest velle sustinere Martyrium, quam alius sustineat, unde voluntarie Martyr potest mereri sua voluntate præmium essentiale æquale, vel majus eo, quod Martyri debetur: sed aureola debetur difficultati, quæ est in ipsa pugna Martyrii, unde aureola voluntarie tantum Martyribus non debetur*. Et adhæret Vasquez *in* 1. 2. *D. Thomæ tom.* 1. *q.* 20. *art.* 4. *disp.* 76. *cap.* 3. *sub n.* 12. ubi hæc habet: *Dico eum, qui subit re ipsa Martyrium, si cetera sint paria, non plus mereri præmii essentialis apud Deum, quam eum qui illud re ipsa consequi non potest. Dico autem, si cetera sint paria, hoc est si voluntas sit æque intensa & perseverans; nam, ut supra dicebamus, accidere solet non raro, ut opere ipso voluntas vires resumat, & intensior aut diuturnior fiat. Ceterum, quod attinet ad præmium accidentarium laureolæ, bene concedimus aliquid consequi Martyrem qui re ipsa Martyrium passus est, quod non consequatur ille qui re ipsa passus non est*.

6. Alibi nempe agetur de *Aureola*, de qua loquitur D. Thomas. Interea vero adnotare fas sit pro majori confirmatione eorum quæ dicta sunt, plerosque Sanctos intensum habuisse Martyrii desiderium, attamen tanquam Confessores coli in Ecclesia, cum sanguinem pro Christo non fuderint, & intensissimum eorum desiderium suo caruerit effectu. De S. Dominico testem habemus S. Antoninum *in Summa Theolog. part.* 3. *tit.* 31. *cap.* 9. *de Martyribus col.* 1595. Similia legunt de S. Francisco, & de S. Teresia. Testatur Raynaldus ex probatissimis Auctoribus *ad an.* 1456. *n.* 58. S. Joannem de Capistrano morientem maximo dolore affectum esse, quod sanguinem suum & vitam pro Christi amore non fudisset, & quod toties in bello morti expositus inter Infideles eorum semper manus evasisset. De ardentissimo desiderio S. Romualdi obtinendi Martyrium plura referuntur a B. Petro Damiano in ejus vita, ubi narrat, iter arripuisse Hungariam versus, ut illud obtinere posset *cap.* 39. *Interea Romualdus audiens, quia Beatissimus vir Bonifacius Martyrium suscepisset, nimio desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Hungariam mox ire disposuit .... Deinde, licentia ab Apostolica Sede suscepta, & duobus e suis discipulis in Archiepiscopos consecratis, cum viginti quatuor Fratribus iter arripuit .... Euntes ergo, cum jam ipsis Pannoniarum finibus interessent, repente Romualdus languore correptus ulterius ire non potuit. Quamque diutius pateretur, si quando redire disponeret, protinus ex ægritudine convalescebat: sin autem ire ulterius tentaret, tota ejus facies protinus intumescebat, cibos quoque jam retinere, stomacho languescente, non poterat. Advocatis itaque Fratribus, ait: Perpendo nequaquam Divinæ voluntatis esse judicium, ut ultera progrediar; veruntamen, quia intentionis vestræ desiderium non ignoro, neminem vestrum redire compello*. De S. Martino sic loquitur Sulpicius Severus in epistola ad Aurelium Diaconum de ejus obitu: *Nam, licet ei ratio temporis non potuerit præstare Martyrium, gloria tamen Martyris non carebit, quia voto atque virtute, & potuit esse Martyr & voluit .... Sed, quamquam ista non tulerit, implevit tamen etiam sine cruore Martyrium*. De eo quoque Ecclesia sic canit: *O sanctissima anima, quam etsi gladius Persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit*. De ardenti denique Martyrii desiderio in S. Francisco Xaverio testis est Bernardinus Rosignolius *in tract. de actionibus virtutis lib.* 2. *cap.* 4. Cumque nec S. Martinus, nec alii modo memorati habeant in ecclesia cultum Martyris, uti ad rem ponderat Hurtado *in resol. de vero Martyrio resol.* 61. §. 9. ex eo infertur, ad verum Martyrium non sufficere enixum ejusdem desiderium, sed eos veros esse Martyres, qui pro confessione Christi nominis capitali sententia damnati fortiter occubuerunt; velut etiam animadvertit Guyet *de festis propriis Sanctorum lib.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 7.

7. Remanet, ut verba faciamus de ceteris Martyribus patientiæ, claustralis observantiæ, virginitatis, & de morientibus, dum peste laborantibus subveniunt. De patientiæ scilicet Martyribus, aliisque supra recensitis plura habentur apud S. Antoninum *loc. cit.* necnon apud Rotæ Auditores in relatione causæ Sancti Aloysii Gonzagæ *tit. de Fortitud. Quod autem Aloysius Martyrii lau-*

de

de claruerit, probatur duplici argumento. Primo ex ipsa Religiosi Instituti observantia; Religio enim Martyrii quædam species est, & Religiosi procul dubio Martyres queunt appellari .... Ipsa etiam virginitas, qua floruit Aloysius, Martyrii genus est; nam, ut inquit Sanctus Ambrosius, non ideo laudabilis virginitas, quia in Martyribus reperitur, sed quia & ipsa Martyres facit. Sed hæc minus proprie Martyria appellantur, uti quoque libenter admittit Theophilus Raynaudus *in citato tract. de Martyrio per pestem, in præfat. par. 2. pag.* 407. utque desumitur ex vita S. Anscharii Archiepiscopi Amburgensis *cap.* 17. apud Bollandum *ad diem* 3. *Februarii*, ubi narratur, cum tristis esset ob vitam Martyrio non consummandam, & eum discipulus consolaretur, ea potissimum ratione, quod labores ab ipso exantlati pro Ecclesia, & novissima gravis ac diuturna infirmitas pro Martyrio possent reputari, in suo nihilominus illum mœrore permansisse. In eodem *opere* prædictus Theophilus pluribus contendit, inter veros Martyres esse recensendos, qui moriuntur, morbo contracto, dum peste laborantibus auxilium præstant; quam etiam assumptionem late prosequitur *in Theologia antiqua de vera Martyrii ratione*; cui, ceteris Theologis allegatis, subscribit Joannes de Andrada Septensis Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum *in apologia pro vero & proprio Martyrio per pestem* inter opera ejusdem Theophili *tom.* 20. At inter ceteros libros proscriptos a sacra Congregatione anno 1646. extat liber ille Theophili *de Martyrio per pestem*. Theophili pariter sententia pluribus impugnatur ab Hurtado *de vero Martyrio resolut.* 62. Cardinalis insuper de Lauræa *in* 3. *lib. sent. part.* 2. *tom.* 3. *disput.* 20. *art.* 5. docet, quamvis laborans in adjuvandis Fidelibus tempore pestis, & morbum & mortem ex dicta causa contrahens lato modo dici possit Martyr, Martyrem tamen stricto modo & juxta Ecclesiæ praxim appellari non posse. Concordat Ludovicus Antonius Muratorius *in tract. de peste lib.* 3. *cap.* 6. ubi sic loquitur: *Quando anche la morte accada in così eroico e santo ministero, il morire, quantunque non sia propriamente un Martirio, pure è una similitudine o specie di Martirio.* Hos sequuntur Matthæucc. *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tit.* 4. *cap.* 1. §. 5. Anaclet. *in Theolog. moral. tr.* 7. *dist.* 1. *qu.* 6. *n.* 56. Frasseo *in Scoto Academico tom.* 10. *edit. Rom. tr.* 1. *disp.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. §. *Secunda conditio*, & optime Rosignolius *de action. virtutis lib.* 2. *cap.* 11. ubi sic loquitur: *Hoc mortis genus* (eorum videlicet qui moriuntur, dum inserviunt peste laborantibus) *quod propter incredibilem pietatem & robustam Fidem suscipiebatur, nihil a Martyrio splendore abesse videretur.* Ad rem denique de qua nunc agimus, maxime conferunt adducta per Cardinalem Capisucchium *in controv. de Martyrio* §. 11. ubi docet, Christianos modo prædicto morientes posse vere & proprie Martyres appellari, si Infidelis quidem Fidei Persecutor odio in ipsam Fidem eos addiceret servitio peste laborantium, ut sic, attracta peste, occiderentur: secus autem, si sponte sua, & charitatis argumento aliquis voluntariam præstans opem peste laborantibus, in hoc charitatis officio, contracto morbo, moriatur; cum in primo casu interveniat Tyrannus seu Persecutor, qui deficit in secundo: *Peste laborantes non dicuntur attactu suo mortem aliis infligere, sed dicuntur alios inficere, & in hoc ipso, in quo alios inficiunt, nullam habent intentionem eos occidendi, immo nec etiam inficiendi, & infectio illa naturaliter contingit ex attactu, vel habitu pestilentiali. Igitur mors, quæ contingit ex servitio peste laborantibus præstito, non est mors ab illo illata, neque ab alio inducta ex intentione occidendi, ac mortem inferendi in odium Fidei, aut alicujus Christianæ virtutis. Ergo hujusmodi mors deficit ex omni parte a vera ratione Martyrii; nam Martyrii nomine intelligenda est mors, & perpessio mortis ab alio illatæ ex intentione occidendi in odium Fidei, aut alterius virtutis Christianæ. Verum quidem est, quod, si Infidelis Fidei Persecutor Christianum in odium Fidei peste laborantium servitio addiceret ex intentione illum per pestem occidendi, Christianus sic per pestem occisus dici posset Martyr; nam, posito sic, mors illa a Persecutore esset illata in odium Fidei ex intentione occidendi.* Et concordat Berti, qui post primam hujus nostri Operis editionem suum conscripsit opus de Theologicis disciplinis, *tom.* 6. *lib.* 31. *cap.* 24. *anim.* 2. ubi hæc habet: *Eos etiam, qui inserviendo laborantibus pestilentia, illa inficiuntur, & obeunt. ... Ecclesia Martyribus non accenset, quoniam illos infecti non proprie necant in Fidei odium immanitate sua, animique proposito, sed pestifero halitu afficiunt morte, quam causa naturalis infligit. Quare* sententiam Theophili Raynaudi de Martyrio per pestem oppugnarunt posteriores Theologi; nec defendi potest, nisi Fidei Persecutor servitio peste laborantium addiceret Christianum hominem, ut contagione attracta periret.*

8. Porro nihil urget exemplum Presbyterorum & Diaconorum, quorum fit commemoratio in Martyrologio Romano *ad diem* 28. *Februarii*; quod pluribus exponit P. Magister Aloysius Maria Lucinus olim sanctissimæ Universalis Inquisitionis Commissarius in libro, cui titulus: *Examen & defensio decreti claræ memoriæ Cardinalis Caroli Thomæ de Tournon, pag.* 319. *& seqq. edit. Rom. ann.* 1729. Nec enim ibi dicitur, eos cultu Martyrum in Ecclesia coli, sed Fidem religiosam piorum eos venerari *veluti Martyres*: atqui particula *veluti* similitudinem potius, quam veritatem significat. Rursus *in not. ad Martyrol. loc. cit.* refertur a Cardinali Baronio epistola Dionysii Alexandrini scripta ad Hieracem Episcopum, in qua, loquendo de prædictis Presbyteris & Diaconibus, qui ministrantes peste laborantibus libentissime mortem oppetiere, habentur hæc verba: *Ex Patribus, qui virtute erant præstantissimi, in hunc modum mortem oppetiverunt, quorum nonnulli erant Presbyteri, alii Diaconi, quidam e populo virtutis ergo multum laudati; adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robustam fidem suscipiebatur, nihil a Martyrii splendore abesse videretur.* Verbum nempe *videretur* improprietatem denotat ejus rei, ad quam respicit, sive sit qualitas, sive substantia, quia *videtur* idem est, ac *apparet*, non ac *est*, juxta illud Ciceronis *lib.* 3. *de officiis, cap.* 7. (Panætius) *induxit eam, quæ videretur, non quæ esset, repugnantiam.* Ex quibus proinde infertur, eos omnes qui modo prædicto mortui sunt, veros Martyres non fuisse, sed instar Martyrum. Quo pariter sensu explicanda sunt ea, quæ leguntur in vita S. Bernardini Senensis apud Bollandianos *ad diem* 20. *Maji cap.* 1. ubi narratur, ab eo nonnullos fuisse invitatos, ut peste laborantibus servitium præstarent, his verbis; *Quid tam magnum, atque pulchrum, quam pacis tempore ad Martyrii coronam pervenire? Si morimur, pro Christo certe morimur; qua morte & merces augetur, & omne crimen excluditur, & omnis consummatio, & status vitæ Martyrii decoratur.* Quocirca in correctione a sacra Congregatione Indicis demandata, respectu libri Theophili Raynaudi inscripti *de Martyrio per pestem*, hæc habentur apud eumdem Theophilum *tom.* 20. *pagina* 256. *Addantur hæc verba: Hæc sunt, quæ pro commendanda charitate eorum, qui inter ministrandum peste contactis vitam amittunt, dicenda occurrunt. Cui charitati, qua major adversus proximum nulla est, cum propter Deum impenditur, eximiæ fortitudinis & Martyrii nomen convenit: non tamen in ea acceptione, qua Patres, Doctores, & Ecclesia vocant illos, qui in pugna & certamine cum Tyranno propter Deum vitam non resistentes ponunt, suntque magis explicite & formaliter testes, & ideo per excellentiam, sive antonomastice Martyres appellantur; qui soli cultum Martyrum in Ecclesia obtinuerunt, & Martyrum nomine in acceptione apud Ecclesiam hactenus usitata censentur. Illi privilegio hoc gaudent, ut gratiam ex opere operato consequantur, & ab omnis pœnæ reatu absolvantur: quod privilegium ad istos non ea probabilitate extendi potest quoad illos, quos atque certum est, aut extra controversiam, sed probabile tantum hoc privilegio gaudere.*

9. Anno 1591. Romæ extitit tanta annonæ caritas, atque inde contagio, ut sexaginta hominum millia perierint. Sanctus autem Aloysius Gonzaga se ægrorum servitio exposuit in nosocomiis Incurabilium, Consolationis, Lateranensi, S. Sixti, atque in alio, quod prope domum Petroniam apertum fuerat. At cujusdam amplexu & contagione, qui pestifera lue laborabat, infectus, feliciter vitam cum morte commutavit. Unicus enimvero inter Sanctos & Beatos fuit Aloysius, quem re vera constet in obsequio contagiosorum obiisse; cum viginti testes in processibus examinati de ea re tulerint testimonium. Rotæ igitur Auditores in examine causæ prædicti Sancti (in relatione *tit. de Fortitudine*) morbum eum ab Aloysio contractum, quo postea extinctus est, dum hominem amplexaretur qui contagium spirabat, considerarunt; &, exemplo desumpto ab his, qui die 28. Februarii memorantur in Martyrologio Romano, & de quibus supra locuti sumus, censuerunt, Aloysii mortem fuisse speciem quamdam Martyrii. Fusius etiam idem assumptum, congesta undique eruditione, comprobatum fuit a P. Andrea Budriolo Societatis Jesu Theologo & Canonizationis B. Aloysii diligentissimo Postulatore in suis scripturis *part.* 3. §. 4. ejusque mentio facta est in

bulla Canonizationis, quæ est Constitutio 114. *in nov. cod. Canoniz.* Cumque B. Aloysius inter Sanctos fuerit relatus, & ritu quidem non Martyris, sed Confessoris colatur, nil clarius asseri posse videtur, ut ostendatur, vere & proprie Martyres non esse, qui servitium præstantes peste laborantibus, morbo contracto, decumbunt. Item Servus Dei (nunc Beatus) Hieronymus Æmilianus ministrans peste laborantibus, lue correptus, apud Somaschenses mortuus est. Rotæ itaque Auditores in relatione causæ ipsius hæc habuerunt, loquentes de virtute Fortitudinis: *Postremo, cum Martyrium sit perfectissimus actus Fortitudinis, hinc intelligimus, Hieronymo perfectissimam non defuisse Fortitudinem, qui vitam propriam Charitatis fervore obtulit Deo in holocaustum sacrificans se ipsum in salutem proximi, dum pestilenti morbo laborantibus ministrans, eadem correptus lue, apud Somaschenses interiit, ut jam diximus; quam quidem mortem speciem esse Martyrii, testatur Dionysius Alexandrinus.* Nihilominus de causa hujus Servi Dei actum fuit in sacrorum rituum Congregatione, neque tamen uti Martyris, sed uti Confessoris. Nec omitti potest, S. Franciscum Solanum, cum una cum socio Bonaventura in pago Montoro provinciæ Andaluziæ assiduam peste laborantium curam suscepisset, atque, Bonaventura morbi contagione sublato, eam intrepide prosecutus esset, duplici glandula seu anthrace correptum fuisse; tum quodammodo miraculo servatum, nedum ministerium ipsum resumpsisse, sed ab eo nunquam cessasse, donec, reposito in vaginam ab Angelo percutiente gladio, sævientis pestilentiæ ignis extinctus fuit; uti legitur in compendio vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon Actorum in causa Canonizationis ipsius exhibito, cum eadem pertractaretur in sacris Consistoriis coram summo Pontifice; quod & resumitur in bulla Canonizationis, quæ est 113. *in nov. cod. Canoniz.* Neque tamen Postulatores unquam cogitaverunt de proponendo Martyrii articulo, quem utique proponere non omisissent, si moriens, contracta lue ex ministerio quod exhibet peste laborantibus, pro vero Martyre haberi posset; cum ex infra dicendis, qui a Deo miraculose liberatur a morte imminente, quam si subiisset, Martyr fuisset, Martyr esse non desinat, licet in pace quiescat.

10. Hucusque responsum fuit argumentis, quibus probari posse videbatur, non esse de necessitate Martyrii, ut Persecutor seu Tyrannus interveniat. Reliquum nunc est, ut illis satisfiat, ex quibus videtur inferri posse, non esse de necessitate Martyrii, ut Persecutor seu Tyrannus pœnam infligat. Plerique scilicet coluntur ut Martyres, qui suis sibi manibus mortem intulerunt; & forsitan quidem in hisce Martyriis Persecutor seu Tyrannus non defuit, cum nomine Persecutoris seu Tyranni ille etiam comprehendi possit, qui Martyribus occasionem præbuit sibi mortem inferendi; veluti docuerunt Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 18. *de Martyrio per pestem part.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. *&* 3. Silvius *in* 2. *quæst.* 64. *art.* 5. *in responsione ad quintum, vers. Petes, qua ratione, pag.* 425. *Petes, qua ratione coluntur ut Martyres, si non sunt occisæ a Persecutoribus Fidei. Respondeo, censeri occisas a Persecutoribus, quatenus illi sua persecutione fuerunt causa, ut in eas redigerentur angustias, moverenturque propter Fidem, aut Fidei virtutem, quam nolebant negare vel amittere.* Lessius *de justit. & jur. lib.* 2. *c.* 9. *dubit.* 6. *n.* 24. Gobat *Theolog. exprimental. cas.* 18. *sect.* 1. *num.* 181. *circa fin.* Quia vero Persecutor ille seu Tyrannus pœnam physice Martyrii non inflixit, sed Martyr ipse, sibi mortem inferendo, pœnam re vera sibimet intulit, argui posse videtur, non esse de necessitate Martyrii, ut Persecutor seu Tyrannus pœnam infligat. Sæculo Christi tertio Apollonia Martyrium passa est, quod describitur a S. Dionysio Alexandrino in epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium *lib.* 6. *histor. Eccles. cap.* 41. En verba Dionysii: *Sed & admirandam illam provectæ jam ætatis Virginem Apolloniam tunc comprehenderunt, & maxillas quidem ejus verberantes cunctos ei dentes excusserunt. Accenso autem extra urbem rogo, minabantur, vivam se illam combusturos, nisi una cum ipsis impia verba pronuntiaret. At illa veniam deprecari paulisper visa, atque interim dimissa celeriter in ignem insiliit & conflagravit.* Eodem sæculo III. Pelagia Virgo Antiochena, ejusdem mater, & sorores se aquis dederunt, ne libidine fœdarentur; natalisque dies Pelagiæ tabulis Ecclesiasticis in civitate Antiochena solemnis erat, etiam tempore S. Joannis Chrysostomi, uti colligitur ex ejus hom. 60. *tom.* 2. *oper. pag.* 585. Tum ipsam vero, tum matrem, & sorores cultum habuisse & habere, testatur Cardinalis Baronius *ad annum* 309. *a num.* 12. *usq. ad num.* 17. Die autem 9. Junii Sanctæ hujus Pelagiæ fit commemoratio in Martyrologio Romano. Principio sæculi IV. celebre fuit Martyrium Bernices, & Prosdoces, quæ cum matre sua Domnina comprehensæ, delusis militibus in fluvium se se dedere præcipites; quarum festum die 4. Octobris celebratur a Græcis, & S. Joannes Chrysostomus *tom.* 2. *oper. homil.* 70. *pag.* 643. *& seq.* mortem earum refert, & laudibus extollit. Die 24. Augusti memoria habetur in Martyrologio Romano trecentorum Martyrum tempore Valeriani & Gallieni, qui ne thura Jovi adolerent, ictu rapidissimo se injecerunt in ignem, & inter vapores calcis in pulverem redacti sunt, ex quo candidatus ille Beatorum exercitus *Massa candida* meruit appellari. Quare Prudentius *in hymno* 5. *de Sancto Cypriano* Martyrium Sanctorum Massæ candidæ his versibus eleganter describit, *v.* 76.

Fama refert, foveam campi in medio patere jussam,
Calce vaporifera summos prope margines refertam:
Saxa recocta vomunt ignem, niveusque pulvis ardet,
Urere tacta potens, & mortifer ex odore flatus.
Appositam memorant aram fovea stetisse summa
Lege sub hac, salis aut micam, jecur & suis litarent
Christicolæ, aut mediæ sponte irruerent in ima fossæ.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti.
Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum fundo tenus implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes.
Candida Massa debinc dici meruit per omne sæclum.

Utque cetera prætereantur, legitur in antiquioribus annalibus in lucem editis a Matthæo Westmonasteriensi, anno octingentesimo septuagesimo, cum in Scotiam venisset innumera multitudo Danorum, quorum Duces erant Hinguar & Stubba, diræ perversitatis homines, qui virgines Sanctimoniales ludibrio tradebant & constuprabant, Ebbam Collinghamensis cœnobii Abbatissam, ut cunctis Sororibus exemplum castitatis præberet, naso sibi cum labro superiori ad dentes usque novacula præciso, horrendum de se spectaculum astantibus præbuisse universis. Abbatissæ exemplum ceteræ Moniales secutæ sunt. Cumque Dani ad monasterium accessissent, inde cum festinatione recesserunt; injectoque igne, illud cum omnibus officinis, & Sanctimonialibus concremarunt, quæ inter Martyres receptæ cultu Martyrum in Ecclesia coluntur.

11. Adstipulantur exempla e veteri Testamento desumpta. Primo quippe libro Regum *c.* 31. *v.* 4. *&* 5. Saul se propria manu interemit: *Dixitque Saul ad Armigerum suum: Evagina gladium tuum, & percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi. Et noluit Armiger ejus; fuerat enim nimis terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum. Quod cum vidisset Armiger ejus, videlicet, quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.* Samson, ut est in libro Judicum *cap.* 16. *v.* 29. *& seq.* detonsus, & viribus cassus, & subinde excæcatus, invocato Domino, vires recuperavit, columnasque domus evertit, & ipse una cum aliis sub ruinæ pondere mortuus est. *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læva tenens ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes, & ceteram multitudinem quæ ibi erat; multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.* De morte Raziæ hæc habentur *lib.* 2. *Machab. cap.* 14. *v.* 39. *& seq. Volens autem Nicanor manifestare odium quod habebat in Judæos, misit milites quingentos, ut eum* (hoc est Raziam) *comprehenderent... Turbis autem irruere in domum ejus, & januam dirumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum jam comprehenderetur, gladio se petiit, eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi. Sed, cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum præcipitavit semetipsum viriliter in turbas; quibus velociter locum dantibus casui ejus, venit per mediam cervicem: & cum adhuc spiraret, accensus animo surrexit; & cum sanguis ejus magno fluxu deflueret, & gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit, & stans supra quandam petram præruptam, & jam exsanguis effectus, complexus intestina sua utrisque manibus projecit super turbas invocans Dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.*

12. Verumenimvero hactenus relata nihil urgent, cum nunc agatur de Martyrio juxta regulas ordinarias,

non

non de Martyrio juxta regulas extraordinarias; quæ ex speciali instinctu Divino causam habent. S. Hieronymus *tom. 6. oper. in cap. 1. Jonæ col. 402.* collaudat mortem ab aliqua sibi sponte illatam, ne castitatis detrimentum patiatur: *Unde & in persecutionibus non licet propria perire manu absque eo ubi castitas periclitatur.* At tertius S. Augustinus *lib. 1. de civit. Dei c. 26. t. 7. oper.* sic de sanctis prædictis feminis loquitur, quæ sibi mortem intulerunt: *Sed quædam, inquiunt, sanctæ feminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum se fluvium projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque Martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temere audeo judicare: utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, Divina persuaserit Auctoritas, nescio; & fieri potest, ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes, sed obedientes, sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere? Cum autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis obsequium pietatis accuset?* Idem S. Doctor *qu. 49. super libros Judicum t. 3. oper. col. 611.* docet, non debuisse Jephte exemplo Abrahæ immolare filiam: *Distat itaque hoc, quod Jephte fecit, a facto Abrahæ; quoniam ipse jussus obtulit filium, iste autem fecit, quod & lege vetabatur, & nullo speciali jubebatur imperio.* Et *quæst. 39. in Exodum tom. 3. oper.* docet, ex facto Hebræorum, qui vasa aurea & argentea Ægyptiorum tulerunt, non debere quemquam inde sumere exemplum proximos suos modo prædicto spoliandi bonis: *Hoc enim Deus jussit qui noverat, quid quemque pati oporteret; nec Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt.* Porro Coquæus *in notis ad cit. c. 26. lib. 1. de civ. Dei* notat, S. August. temperantius de prædictis Virginibus locutum fuisse, *de his nihil temere audeo judicare*; cum id exigeret ratio temporis, ob Circumcelliones videlicet, qui stulta Martyrii opinione passim sibi mortem inferebant. Itaque, ut Samsonis facinus, qui se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, a S. Doctore excusatur, eo quia id fecit, inspirante Deo; ita, Sanctæ Virgines, quarum Martyria celebrantur in Ecclesia, quæque, ne subjicerentur libidini perditissimorum nebulonum, se se in flumen præcipites dederunt, a culpa esse excusandas, neque e Martyrum catalogo esse delendas, cum id peregerint ex Divina inspiratione, idem Sanctus confirmat. S. Ambrosius *lib. 3. de Virginibus cap. 7. tom. 2.* Sanctarum Virginum meminit, Pelagiæ videlicet, matris, & sororum ejusdem, quæ, ne in Persecutorum manus devenirent, & pudicitiæ jacturam facerent, sibi mortem intulerunt: & eruditi Adnotatores *ad dictum cap. 7.* observant, Pelagiam, & ceteras modo memoratas esse illas, de quibus loquitur S. Augustinus. Theologi quoque uno consensu asserunt, mortes eas esse referendas ad specialem impulsum, seu Divinam inspirationem, inter quos Cardinalis Cozza *in comment. historico-dogm. in lib. S. Augustini de Hæres. part. 1. cap. 3. num. 177.* Gravina *in continuat. 2. part. Catholic. præscrip. tom. 4. pag. 336.* Clericat. *de Baptismo decis. 27. num. 12.* Quocirca Sotus *in 4. lib. sent. dist. 49. quæst. 5. art. 2. pag. 651.* oppositis sibi prædictis SS. Virginum exemplis respondet, *id Divino instinctu in exemplum egregiæ fortitudinis fecisse, ut Tyrannorum rabies admiratione vinceretur, dum viderent, pro Christo sic sexum illum fragilem mortem contemnere.* Quod & late prosequitur Cardinalis Baronius *in annal. ad an. 870. num. 41.* ubi factum perpendit Ebbæ Collinghamensis cœnobii Abbatissæ a nobis supra relatum. De Sophronia autem Romana femina narrat Eusebius, eam a Marito derelictam, & in manibus Maxentii Tyranni relictam tempus petiisse, ut Corpus suum decenter ornaret; at Cubiculum ingressam, cum sola esset, ense se ipsam transfixisse: at mulier hæc quidem Christiana erat, ejusque cum laude meminit Cardinalis Baronius *ad an. 309. num. 10.* non est tamen inter Sanctas relata; quod ex eo forte provenit, quia Ecclesia non habuit indicia, ut existimare posset, ipsam instinctu Spiritus Sancti sibi vitam ademisse; quemadmodum indicat Baillet *in dissertat. general. ad vitas SS. §. 79.* Quænam autem indicia sint, quibus Ecclesia induci potest, ut hæc, & alia hujusmodi speciali Spiritus Sancti impulsu facta credere possit, alibi explicabitur.

13. Quod attinet deinde ad exempla desumpta e veteri Testamento, omittendum est illud Saul, cum apertissima sit Sacræ Scripturæ testificatio de æterno ejus exitio. Libro quippe primo Paralipomenon *cap. 10. v. 13.* sic legitur: *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & non custodierit illud; sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec speravit in Domino: propter quod interfecit eum, & transtulit Regnum ejus ad David Filium Isai.* Non ita vero se habet res, loquendo de Samsone, cum ab Apostolo *in epist. ad Hebr. cap. 11. v. 32.* in album Sanctorum referatur: *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis.* Atque jam supra ex S. Augustino visum est, Samsonem sibi mortem intulisse, Deo jubente: & Sancto ipsi Augustino adhæret S. Thomas *2. 2. qu. 64. art. 5. ad quartum*, ubi proposita quæstione, utrum liceat se ipsum occidere, & opposito sibi facto Samsonis, ita respondet: *Ad quartum dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in primo de civitate Dei, nec Samson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter Spiritus Sanctus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat; & eamdem rationem assignat de quibusdam sanctis feminis, quæ tempore persecutionis se ipsas occiderunt, quarum memoria in Ecclesia celebratur.* Demum quoad factum Raziæ Augustinus Calmet *in dictionar. Bibl. v. Razia*, censet, id utique in sacra Scriptura referri, sed non commendari: & S. Augustinus observans, Donatistas, dum sibi mortem voluntarie infligebant, se excusare consuevisse exemplo Raziæ; atque adeo hujus factum discutiens *epist. 204. n. 6. & 7. t. 2. oper. col. 766.* ait, vitium ei, non virtutem, auctorem fuisse, ut gladio primum, tum vero præcipitio sibi mortem quæreret: *Qui cum esset apud suos nobilis, & multum in Judaismo profecisset, (quæ sibi in comparatione justitiæ Christianæ damna & stercora fuisse dicit Apostolus), & propter hoc idem Razias Judæorum Pater appellaretur, quid mirum est, si tanquam homini elatio superba subrepsit, ut mallet manu propria perimi, quam post illam in suorum adspectibus celsitudinem, sustinere indignam in hostium manibus servitutem?* & *to. 9. oper. lib. 1. in Gaudentium cap. 31. col. 654.* sic prosequitur: *Quocirca humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre, non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi Martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum ... At enim sanctarum Scripturarum auctoritate laudatus est Razias. Quomodo laudatus? Quia fuit amator civitatis ... Istam vero ejus mortem mirabiliorem, quam prudentiorem, narravit; quemadmodum facta esset, non tanquam facienda esset, Scriptura laudavit.* Subscribit his D. Thomas *2. 2. quæst. 64. art. 5. ad quintum*, in qua pariter quæstione Sanctus idem Doctor late ostendit, illicitum omnino esse, se ipsum occidere, cum homo non sit dominus vitæ suæ. Quamobrem, si adsit Dei præceptum, qui sibi mortem infert, non peccat: non decernit enim de se sine consensu Domini, sed agit ut instrumentum Dei, qui habet jus perfectissimi dominii in vitam, quique eam opera ipsius hominis eadem ex sua beneficentia fruentis destruere potest; quemadmodum fuse exponit Cardinalis de Lugo *de Just. & jur. dispus. 10. sect. 1. num. 10. & num. 13.* & late prosequitur Cardinalis Capisucchius *in sæpe cit. controv. de Martyrio §. 9.* atque optime exornat Fr. Joannes Laurentius Berti Eremita Augustinianus in suo opere *de Theologicis disciplinis*, post primam nostri Operis editionem typis Romanis impresso anno 1742. *tom. 6. lib. 31. cap. 24. num. 2.*

C A-

CAPUT DUODECIMUM.

De pœna a Persecutore seu Tyranno infligenda.

1. AD verum Martyrium constituendum duo in Persecutore requiruntur: primum, ut re ipsa mortem inferat, aut saltem ponat causam necessariam mortis; mortis, inquam, naturalis, non autem alius mortis, quæ talis habetur in Foro externo, qualis est eorum, qui injusta excommunicatione puniuntur, quique, si invicta patientia eam toleraverint, Martyres a nonnullis minus proprie fuerunt appellati; de quibus Pater Lupus *in schol. ad lib. Tertulliani de præscript. cap. 4. pag.* 131. Alterum, ut id faciat ex odio in Fidem, vel in aliquam rem, quæ ad Fidem spectet. In capite itaque præsenti de primo ex prædictis requisitis agemus; aliqua autem in sequenti de secundo tractabuntur, de quo fusior habebitur sermo, cum quæstio instituetur de causa, non relativa ad Persecutorem seu Tyrannum, sed ad Martyrem ipsum.

2. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 4. proponit quæstionem, *Utrum mors sit de ratione Martyrii*: cui sic respondet: *Ad Martyrium ergo pertinet, ut homo testificetur Fidem, se opere ostendens omnia præsentia contemnere, ut ad futura & invisibilia bona perveniat. Quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despicere. Consueverunt enim homines & consanguineos & omnia bona possessa contemnere, & etiam dolores corporis pati, ut vitam conservent; unde & Satan contra Job induxit, Pellem pro pelle, & cuncta, quæ homo habet, dabit pro anima sua, id est pro vita sua corporali: & ideo ad perfectam rationem Martyrii requiritur, quod aliquis mortem sustineat propter Christum*. Similia traduntur ab eodem S. Doctore *in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 3. quæstiunc. 2. Sicut inest quadam pugna spiritui contra interiores concupiscentias, ita etiam inest homini quædam pugna contra passiones exterius illatas: unde, sicut perfectissimæ victoriæ, qua de concupiscentiis carnis triumphatur, scilicet Virginitati, debetur specialis corona, quæ aureola dicitur, etiam perfectissimæ victoriæ, quæ habetur de impugnatione exteriori, debetur aureola. Perfectissima autem victoria de exterioribus passionibus consideratur ex duobus. Primo ex magnitudine passionis: inter omnes autem passiones illatas exterius præcipue locum mors tenet, sicut & in passionibus interioribus præcipuæ sunt venereorum concupiscentiæ; & ideo, quando aliquis obtinet victoriam de morte, & ordinatis ad mortem, perfectissime vincit. Secundo perfectio victoriæ consideratur ex causa pugnæ, quando scilicet pro honestissima causa pugnatur, quæ scilicet est ipse Christus. Et hæc duo in Martyrio considerantur, quod est mors suscepta propter Christum*.

3. Idem S. Doctor *in 4. sent. loc. cit. ad* 7. expresse pariter docet, Martyrem esse eum, qui accepto lethali vulneri supervivit: *Dicendum, quod, si aliquis propter Fidem vulnus mortale accipiat, & supervivat, non est dubium, quod aureolam meretur*: & præterea pro veris Martyribus habendos esse illos, qui carceres, exilia, ærumnas pro Christo patiuntur, dummodo continuatæ hæ usque ad obitum, & ad mortem perduxerint: *Si .... vulnera non mortalia susceperit, & adhuc carcerem sustinens moriatur, adhuc aureolam meretur; unde & quorumdam Sanctorum Martyria in Ecclesia celebrantur, qui in carcere mortui sunt, aliquibus verberibus longe ante susceptis, sicut patet de Marcello Papa &c. Si vero non continuetur usque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur Martyr; sicut patet de Silvestro, de quo non solemnizat Ecclesia, sicut de Martyre, quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit*. Item 2. 2. *quæst. 124. art. 4. ad 3. & 4. Fortitudo principaliter consistit circa pericula mortis; circa alia autem consequenter: & ideo nec Martyrium proprie dicitur pro sola tolerantia carceris, vel exilii, vel rapinæ divitiarum, nisi forte secundum quod ex his sequitur mors &c. Meritum Martyrii non est post mortem, sed in ipsa voluntaria sustinentia mortis, prout scilicet aliquis voluntarie patitur inflictionem mortis. Contingit tamen quandoque, quod aliquis post mortalia vulnera pro Christo suscepta, vel quascumque alias tribulationes continuatas usque ad mortem, quas a Persecutoribus patitur pro Fide Christi, diu vivat, in quo statu actus Martyrii meritorius est, & etiam ipso eodem tempore, quo hujusmodi afflictiones patitur*. Cui S. Thomæ doctrinæ cohæret communis Theologorum sententia, qui docent, Martyrem, rigorose loquendo, non esse illum, qui ex odio in Fidem cruciatur quidem, non tamen occiditur, sed illum esse Martyrem, qui lethalia vulnera perpessus, a Deo miraculose sanatus est; itemque inter Martyres esse recensendum, qui ex odio in Fidem conjectus in carcerem, aut exilio ex eadem causa mulctatus, moritur ex ærumnis carceris vel exilii. Sotus *in 4. sent. dist. 49. qu. 5. art. 2. pag.* 1037. Cardinalis Capisuccbius *in controv. de Martyrio* §. 4. & 5. Salmanticenses *in cursu Theolog. tom. 3. tract. 9. de beatit. disp. 3. dub. 2. per tot. & signanter* §. 2. Suarez *in defens. Fidei Catholicæ lib. 6. cap. 11. num.* 19. & 20. Hurtado *in resolut. de vero Martyrio resol. 35. assert. 2. §. 2. & in ultimo asserto* §. 5. Theophilus Raynaudus *in tract. de Martyrio per pestem part. 2. cap. 1. §. 4. & seqq.* Clericat. *de Baptismo dec. 27. num.* 8. §. *Tertius gradus*, Frasseo *in Scoto Academico tom. 10. tract. 1. disp. 1. art. 1. qu. 3. §. Notandum tertio*, Anaclet. *in Theolog. moral. tract. 7. dist. 1. qu. 6. num.* 52. & 53. Cardinalis Gotti *Theolog. tom. 13. quæst. 2. de divisione Baptismi dub. 2. num. 4. & seqq.* Maurus *Theolog. tom. 3. lib. 11. tract. 12. quæst. 93. num. 4. & seqq.* Mortem autem esse de necessitate Martyrii, passim docent Scribentes de Canonizatione, Contelorius videlicet *cap. 14. num. 33. & 34.* Matta *part. 2. cap. 11. num.* 5. Sed reliqua etiam supra recensita enarrantur a Patre Matthæuccio *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatification. & Canonization. tit. 4. cap. 1. §. 1. num.* 46.

4. Confirmantur hæc omnia exemplis ab Ecclesiastica historia petitis. Joannes Evangelista senio confectus quievit, sed tanquam Martyr celebratur ab Ecclesia die 6. Maji propter cruciatum, quem Romæ passus est. In ferventis etenim olei dolium conjectus, Divina protegente eum Gratia, illæsus evasit. Et profecto, cum Christus Dominus Matthæi *cap. 20. v.* 23. dixisset, *Calicem quidem meum bibetis*, hoc est Martyrium pro me sustinebitis, uti explicant omnes, testatur S. Hieronymus *tom. 7. oper. col. 155. & seqq. in comment. ad dictum caput*, id impletum fuisse, quando Joannes in ferventis olei dolium missus est: licet enim tunc mortuus non fuerit, quia tamen voluntarie se morti obtulit in Fidei testimonium, & causa illa erat ex se sufficiens ad mortem inferendam, nisi miraculose fuisset impedita, satis id est, ut calicem Christi dicatur bibisse, ideoque inter Martyres sit recensendus. Porro Patrum de Martyrio S. Joannis testimonia collecta legi possunt apud Tillemont *tom. 1. in histor. Eccles. sex primorum sæculorum, in vita S. Joannis Evang. art.* 5. & apud Hurtadum *de vero Martyrio tract. 3. resol. 22.* §. 2.

5. Sancta Thecla *Protomartyr* a Patribus appellatur, cum prima fuerit ex feminis, quæ Martyrium pro Christo subierit, atque adeo, quando iidem Patres excellens aliquid de femina dictum volebant, eam Theclæ nomine insignibant, uti fuse videri potest apud Cardinalem Baronium *in not. ad Martyrol. Roman. ad diem 23. Septembris*, & *in annal. ad an. 47. num.* 13. Fuit nempe illa ad bestias damnata; sed incolumis evasit non sine speciali ope Divina: quod describitur a S. Ambrosio *tom. 2. oper. lib. 2. de Virginibus cap.* 3. his verbis: *Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata naturam etiam bestiarum Virginitatis veneratione mutavit; namque parata ad feras, cum adspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat, lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificantem sono, quod sacrum Virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, & propriæ oblita naturæ naturam induerat, quam homines amiserant*. Putant tamen nonnulli, eam re vera Martyrium morte sua consummasse: sed alii probabilius censent, ipsam divinitus a periculis mortis liberatam se in solitudinem contulisse, & ibi senio confectam in pace quievisse; inter quos Tillemont *tom. 2. in vita S. Theclæ pag.* 63. & *in not. 4. ad eamdem*, & Bailler *in ejus vita ad diem 23. Septembris*, ubi scite animadvertit, quod, si tormentorum vi mortua fuisset, ipsius nomen haberetur in Canone Missæ, in quo nomi-

nimirum recensentur illi Martyres, qui per Tyrannos sunt interfecti.

De S. Felice Nolano hæc habentur in Martyrologio Romano ad diem 14. Januarii: *Nolæ in Campania Natalis Sancti Felicis Presbyteri, qui, ut Sanctus Paulinus Episcopus scribit, cum a Persecutoribus post tormenta in carcerem mitteretur, & cocbleis ac testulis vinctus superpositus jaceret, nocte ab Angelo solutus atque eductus fuit; postmodum vero, cessante persecutione, cum vitæ exemplo ac doctrina multos ad Fidem Christi convertisset, clarus miraculis in pace quievit*. In vetusto quoque Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio edito a Francisco Maria Florentinio ad prædictam diem sic legitur: *Nolæ Campaniæ Passio Sancti Felicis*. Quapropter, quamvis in nonnullis Missalibus, & Sacramentariis Felix ipse Nolanus non uti Martyr, sed uti Confessor colatur, de quibus apud Menardum *in not. ad Sacramentar. S. Gregorii*; de ejus nihilominus uti Martyris cultu authentica non desunt monumenta, teste Ruinart. *in admonit. ad vitam & Passionem ejus inter Acta Martyr. nu. 2. pag. 214. Felicem sub Martyris titulo colit Ecclesia Romana in Martyrologia, & Officiis Ecclesiasticis*. Item S. Paulinus *in natal.* 3. de eo sic canit, uti supra dictum est:

Cælestem nactus sine sanguine Martyr honorem,
Nam Confessor obit pœnas non sponte lucratus,

& natali 11. *inter anecd.* Ludovici Antonii Muratorii *tom.* 1. *pag.* 24.

Confessor Felix, & Presbyter, ore Magister,
Elogio Martyr, merito, officioque Sacerdos.

Nec omittendum est exemplum S. Gregorii magnæ Armeniæ Episcopi, de quo in Martyrologio Romano *ad diem 30. Septembris*: quievit enim in pace, postquam invicta multis ante annis pro Christo tulerat tormenta. Colitur autem ritu Martyris in officio, quod auctoritate Congregationis sacrorum rituum aliquibus in locis in ejus honorem recitatur, non nisi quia tormenta quæ pro Fide tulit, adeo magna, adeo sæva fuerunt, uti citra miraculum Dei non potuerit ea ferre, & postea longa annorum serie vitam ducere, ut infertur ex ipsis ejusdem cruciatibus, qui in antiquis Orientalis Ecclesiæ Martyrologiis narrantur. Martyrologiorum verba referuntur *in ejus historia Romæ typis impressa ann.* 1717. ab Antonio Maria Bonuccio Societatis Jesu Theologo.

7. Addi potest celebris epist. 58. S. Cypriani *ad Lucium Romanum Pontificem col.* 207. juxta editionem studio & labore Stephani Balutii illustratam: *Neque enim in tribus pueris minor fuis Martyrii dignitas, quia morte frustrata* (vel ut alii legunt, *Martyrio frustrati*) *de camino ignis incolumes exierunt, aut non consummatus Daniel extitit in suis laudibus, quia qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus a Domino vixit ad gloriam. In Confessoribus Christi dilata Martyria non meritum confessionis minuunt, sed magnalia Divinæ protectionis ostendunt. Repræsentatum videmus in vobis, quod apud Regem fortes atque illustres Pueri prædicaverunt, ipsos quidem paratos esse ardere flammis, ne Diis ejus servirent, aut imaginem, quam fecerat, adorarent; Deum tamen quem colebant, quemque & nos colimus, potentem esse, ut eos de camino ignis eximeret, & de Regis manibus, ac de pœnis præsentibus liberaret.*

8. Itaque, si S. Joannes Evangelista, si S. Thecla, & alii modo recensiti Martyres fuerunt, licet in pace quieverunt, eo quia videlicet tormenta pro Christo passi sunt, quæ mortem intulissent, nisi Divina omnipotentia eos miraculose liberasset; si Daniel, si Pueri Martyres fuerunt, quamvis hi e camino ignis ardentis, ille ab ore leonum fuerint divinitus servati; non videtur, obsistere debere Martyrio miraculosam a tormentis liberationem, eorumque, qui ad ea sufferenda erant parati, in pace subinde quietem; uti præter supra memoratos bene advertit Guyet *de festis propriis SS. lib. 2. cap. 7. quæst.* 9.

9. Sequuntur exempla pariter ab Ecclesiastica historia desumpta eorum, qui in carcere, aut exilio mortui sunt ex ærumnis usque ad obitum continuatis, quique etiam uti Martyres coluntur; de quibus multa habentur in libro eruditi viri Antonii Gallonii *de cruciatibus SS. Martyrum*, ubi memorat Martyres exilio damnatos, alios addictos operibus ædificiorum, & purgationi cloacarum, alios denique ad metalla destinatos. Scilicet de S. Marcello legitur in libro Pontificali variantibus lectionibus & notis locupletato ab Joanne Vignolio *in vita dicti Marcelli pag.* 72. & 73. quomodo *contemnens atque deridens dicta & præcepta Maxentii*, qui eum adigere tentabat, ut Dæmonibus sacrificaret, *damnatus sit in catabulum*, hoc est publicum stabulum animalium, ut eis deserviret; & quomodo *tandem in servitio animalium nudus, amictus cilicio, defunctus* sit. De S. Martino Papa habemus eum captivum in Græciam fuisse deportatum, atque adeo *in libro Pontificali pag.* 263. *& seq.* sic de eo legitur: *Deinde directus est sæpe dictus Sanctissimus vir in exilium in locum, qui dicitur Chersona, & ibidem ut Deo placuit, in pace Christi Confessor vitam finivit*. Et *in fine collectaneorum* Anastasii, quæ Sirmondus publicavit, sic habetur: *Obiit autem idem Sanctissimus ter Beatus Apostolicus Martinus Papa recens re vera Confessor & Martyr Christi Dei nostri in eadem exulatione Chersonæ juxta ejusdem ad Dominum Deum petitionem, quam obtulit ei cum lacrymis exiens de navi, & calcans terram illam, id est, ut in ea finiret vitam, bonum certamen certans, cursum Martyrii consummans, & bonam fidem servans*. Legi potest Pagi senior *ad Cardinalem Baronium ad an. 654. num.* 2. Additur ab aliquibus exemplum S. Silverii Pontificis, qui in exilio ærumnis confectus, & inedia consumptus die 20. Julii diem clausit extremum, cujusque memoria sub titulo Martyris quotannis eo die celebratur ab Ecclesia: sed, cum Procopius *in historia arcana cap. 1. pag. 4. tom.* 2. loquens de Antonina Belisarii uxore dicat, *Fuit illi minister sceleris quidam ex famulis Eugenius nomine, qui & commissi contra Silverium piaculi satelles fuerat*; Alemanous *in not. ad librum prædictum* observat, Procopium indicare, Silverium fuisse non inedia, sed ferro necatum: uti legi etiam potest apud Pagi juniorem *in breviar. Rom. Pontif. tom. 1. in vita Silverii num.* 6. Aliaque consimilia exempla collecta fuerunt a Guyet *de festis propriis SS. lib. 2. cap. 7. quæst.* 10. ex quibus omnibus infertur, nedum Martyres habendos esse, qui a tormentis miraculose liberati sunt, & superstites in pace quieverunt, sed etiam eos, qui ex ærumnis usque ad obitum continuatis in carcere vel exilio mortui sunt.

10. Nec enim urgent exempla a nobis alibi relata, hoc est *lib. 1. cap. 2. num.* 7. exempla, inquam, eorum, qui in sacra antiquitate Martyris titulum, licet adhuc viventes, sibi arrogarunt propter tormenta, quæ pro Fide Christi pertulerant, ac si hinc inferri posset, nec mortem, nec miraculosam a morte liberationem requiri, ut quis Martyrum catalogo adscribi possit. Iterum quippe dicimus, in primæva Ecclesia Martyris nomen etiam eis fuisse attributum, qui tormentis superstites fuerant, uti præter *loc. cit.* adducta desumitur *ex libro* Tertulliani *ad Martyres* juxta adnotata a Pamelio, & ex S. Cypriano *epist. 8. ad Martyres, & Confessores Jesu Christi*, & *epist. 11. col.* 54. ubi ait: *De hoc & ad Clerum & ad Martyres, & Confessores litteras feci*; & *epist. 14. col. 59. Litteras feci, quibus Martyres, & Confessores consilio meo, quantum possem, ad Dominica præcepta revocarem*; & demum *epist. 30. col. 94. Illud præterea vellemus addiscere, si Martyres non propter aliud Martyres fiunt, nisi ut non sacrificantes teneant Ecclesiæ usque ad effusionem sanguinis sui pacem*. Porro ex his & similibus sufficienter non infertur, mortem regulariter non requiri ad Martyrem constituendum; primo, quia in ipsa sacra antiquitate nonnulli etiam, qui post tormenta gravissima superstites fuerunt, titulum Martyris constanter refugerunt. Scribit enim Eusebius *lib. 5. c.* 2. & ex eo Cardinalis Baronius *ad an. 179. n.* 30. nonnullos pro Fidei defensione acerba tormenta perpessos, bestiis objectos, ignito ferro exustos, vulneribus inflictis excruciatos, non tamen se ipsos Martyres prædicasse, nec cuiquam copiam fecisse sic eos appellandi, allata præ ceteris sequenti ratione: *Martyrum etiam, qui jam ad Christum ex hac corporis custodia migravissent, nos non gravate in memoriam redegerunt, dixeruntque, „ Illi jam vere sunt Martyres, „ quos Christus propter Fidei confessionem ad se recipere „ dignatus est, & quorum Martyrium ipso præclaro vitæ exitu, tamquam sigillo certissimo, obsignavit, nos autem tenues solum, & abjecti Christi nominis Confessores". Atque Fratres obsecrabant cum lacrymis ut preces pro illis ardenter & obnixe Deo funderent; quo ipsa decessu e vita opus, quod Deus tam benigne in illis incepisset, cumulate expleretur. Et quamvis, non modo libera responsa Gentilibus dando, sed etiam patientia, magnanimitate, fidenti animi robore contra omnes cruciatus se generosos, & strenuos palam ostendendo, vim & virtutem Martyrii perspicue declarassent, tamen timore Dei referti Martyrum appellationem, qua Fratres donare illos voluissent, abs se repellere studebant*. Secundo, quia plures juxta antiquum Ecclesiæ morem dantur Martyrum gradus; aliisque omissis, unus est *initiativus*, hoc est eorum,

qui

qui post tormenta, quæ passi sunt, fuerunt superstites; alter est usquequaque absolutus & perfectus, eorum scilicet, qui ob Fidem, vel virtutem a Fide dictatam mortem subierunt vel in ipsis cruciatibus, vel postea virtute cruciatuum, aut ærumnarum inflictarum; uti adnotavit Cardinalis de Laurea in 3. *lib. Sentent. tom.* 3. *part.* 2. *disput.* 20. *art.* 4. *num.* 37. *& seqq.* cumque in præsenti sermo fit de ultimo gradu Martyrii, & ideo de Martyrio per veritatem, non per similitudinem, de Martyrio, inquam, non *initiativo*, sed consummato, unusquisque facile dignoscere poterit, subsistere ea, quæ in hoc capite dicta sunt, non obstantibus exemplis in contrarium allatis.

11. Quæres autem primo, an sicut inter Martyres recenseri debet, qui lethalia vulnera perpessus, a Deo miraculose sanitatem recepit, juxta ea quæ in superioribus dicta sunt, ita inter Martyres recenseri debeat ille, qui tormentis expositus nullum dolorem nullumve cruciatum, Divina eum protegente Gratia, expertus est. Cardinalis Capisucchius *in cit. oper.* §. 5. docet, hunc ad summum *inchoative*, non autem *rigorose* Martyrem dici posse; eo quia, licet animum perfecte paratum habuerit ad mortem pro Christo subeundam, & mortem ipsam acceptaverit in causa mortis ex sui natura illativa, cum tamen cruciatus passus non sit, Martyr rigorose dici non potest: quæ etiam doctrina fuit Cardinalis Cajetani *ad* 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 4. *in fin.* Contrarium vero late docetur a Theophilo Raynaudo *tom.* 18. *in tract. de Martyr. per pestem part.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. *& seqq.* ubi, postquam dixit, hominem miraculose a morte liberatum inter Martyres esse recensendum, cum per eum non steterit, quominus Christo pro nobis mortem passo mortem rependeret, subdit, id ipsum dicendum esse de illis, qui tormentis expositi, Divina eos protegente Gratia, nedum liberi a morte evaserunt, sed etiam pœnam corporis afflictivam non subierunt, quin & jucunde in tormentis, quasi in deliciis, versati sunt: *Nec aliter senserim de plerisque, quos lethalibus vulneribus non affectos, causis tamen eorum certo illativis expositos, mera Dei providentia indemnes præstitit, cujusmodi fuere permulti, qui ab immissis in eos feris nullam subiere molestiam, & alii, quibus medium fornacis factum est in locum amœnissimum, & quasi vento roris perflante temperatum.*

12. Enimvero in Actis SS. Tryphonis & Respicii *apud Ruinart pag.* 139. legitur, fuisse eorum pedes clavis fixos jussu Aquilini Præfecti, dolorem autem eos non sensisse: *Aquilinus dixit: Deferantur clavi, & configantur pedes eorum. Quod cum factum fuisset, per medium civitatis in asperitate hiemis, in vehementia tempestatis trahebantur. Non enim eis Diabolus nocere potuit, sed magis ac magis confortabantur in Domino. Aquilinus dixit; Quid est? Non sentitis tormenta? Sancti responderunt: Non; quia clavi non sunt fixi in pedibus nostris, sed quasi in calceamentis.* Item in Passione S. Theodoti Ancyrani conscripta ab Auctore Nilo teste oculato *tom.* 4. *Maji Bollandiani ad diem* 18. *cap.* 4. *pag.* 164. hæc habentur de illo: *Postquam autem verberatus fuit, & omnis generis tormenta sustinuit, nihil ex plagis pati videbatur, sicut & ipse nobis verbis affirmabat. Illudebat enim percutientibus cum risu, velut inertia dissolutis, Præsidemque, ut vile mancipium, alloquebatur. Cumque lassarentur qui eum cruciabant, ipse velut plagis factus robustior, canebat hymnos, donec denique capite minutus, jussus est igne comburi.* Demum ex passione S. Basilii Ancyrani *apud Bollandum ad diem* 2. *Jan. p.* 84. habetur, ipsum conjectum in ardentem caminum, Divina eumdem protegente Gratia, illæsum evasisse. Sed apud Bollandianos plura consimilia leguntur exempla, Sanctorum videlicet Trophimi, & Theophili, qui e camino ignis ardentis liberati, & sine læsione egressi sunt; S. Christophori, qui stetit in medio igne, & facta est flamma tanquam ros de cælo descendens; S. Pantaleonis, qui fuit in ligno appensus, & ferreis laniatus ungulis, admotis ejus lateribus etiam lampadibus igneis, quique ope Divina liber evasit, lassatis manibus lictorum, & lampadibus extinctis; SS. Martyrum Monachorum Liberati Abbatis, Bonifacii Diaconi, atque aliorum, qui Carthagine in Africa passi sunt accenso & sæpius extincto igne eorum pedibus apposito: uti videri potest *tom.* 5. *Julii pag.* 386. *tom.* 6. pariter *Julii pag.* 148. *& pag.* 417. *& tom.* 3. *Augusti pag.* 455. *&* 456.

13. At, quia responderi facile posset, modo memoratos atrocissima quidem non sensisse tormenta, atque adeo per miraculum a tormentorum dolore fuisse liberatos, sed demum Martyres esse, eo quia postea violenta morte pro Fide Christi affecti sunt; opportunius idcirco esse videtur aliorum subdere exempla, qui Martyrum catalogo adscripti sunt, licet in pace quieverint, postquam nedum illæsi, sed etiam sine ullo dolore, Deo eos protegente, vim tormentorum evaserunt. Sidrach nimirum, Misach, & Abdenago, qui statuam adorare noluerunt, jussu Nabuchodonosor in ardentem fornacem conjecti sunt. *Angelus autem Domini* (uti legitur Danielis *cap.* 3. *v.* 49. & 60.) *descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit:* attamen hos S. Cyprianus *epist.* 58. *sup. all.* inter Martyres recensuit; cum quo concordat Tertullianus *in Scorp. cap.* 8. ubi, post relatam historiam dictorum trium Puerorum Hebræorum, ita concludit: *O Martyrium & sine Passione perfectum! Satis passi, satis exusti sunt, quos propterea Deus texit, ne potestatem ejus mentiri viderentur.* Ex eodem quoque Tertulliano S. Hieronymus *in libro contra Jovinianum t.* 2. *col.* 280. sic de S. Joanne Evangelista loquitur: *Refert autem Tertullianus, quod Romæ missus in ferventis olei dolium purior & vegetior exiverit, quam intraverit:* & ipsum quidem S. Joannem jam supra dictum est in catalogo Martyrum recenseri; quocirca in Sacramentario Gallicano apud Mabillon. *in museo Ital. tom.* 1. *pag.* 294. ejus festum celebratur una cum festo S. Jacobi ejusdem fratris, qui jussu Herodis capite minutus est pro Christo, & uterque titulo Martyris insignitur, cum uterque calicem Domini biberit: *Deus* (verba sunt Collectionis) *qui Beatissimis Apostolis tuis Jacobo, & Joanni gloriam Martyrii bibitionis tui calicis prædixisti: ut & confirmares responsionem, quam Fides pura protulerat: prosit patrociniis, ut digneris exaudire suffragiis.* Sanctæ pariter Theclæ, aliorumque exempla supra relata favent assumpto; quibus porro addi potest exemplum S. Theodori Martyrum catalogo adscripti, de quo Rufinus *lib.* 10. *histor. Eccles. cap.* 36. & ex eo Ruinart *in Actis Martyrum sinceris, & selectis pag.* 515. Sub Juliano scilicet Daphnis in suburbano Antiochiæ juxta fontem Castalium litabatur Apollini, qui nulla dabat responsa: asserentibus autem Dæmonis Sacerdotibus, silentium hoc causam habere a sepulchro Babylæ Martyris, quod fano erat vicinum, Julianus jussit illud auferri, & a Christianis alio asportari. Cumque hi arcam Martyris deferentes cum exultatione canerent hymnum, *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui confidunt in simulacris suis:* mandavit ille, ut caperentur, carceribus traderentur, & pœnis atque cruciatibus affligerentur. Sallustius Juliani Præfectus adolescentem Christianum Theodorum nomine in carceres conjecit, atque, ut loquitur Rufinus *loco cit.* eum *a prima luce usque horam decimam tanta crudelitate, & tot mutatis carnificibus torsit, ut nulla ætas simile factum meminerit.* Is vero in equuleo sublimis, vultu sereno & læto, Psalmos cantavit; tum monitu Sallustii ab Imperatore Juliano tandem dimissus est. Itaque de eo memoratus Rufinus hæc refert: *Hunc Theodorum ipsi nos postmodum apud Antiochiam vidimus, &, cum requireremus ab eo, si sensum doloris habuisset, ex integro dicebat, se quidem doloris parum sensisse, adstitisse autem quemdam juvenem, qui sudanti sibi linteo candidissimo & sudores abstergeret, & aquam frigidam frequenter infunderet, & ita se esse delectatum, ut tunc mæstior factus sit, quando deponi de equuleo jussus est.*

14. Opponi utique posset exemplum S. Benedicti Monachi, cujus nomen describitur in Martyrologio Romano *ad diem* 23. *Martii*, de quo videlicet hæc habentur apud S. Gregorium Magnum *lib.* 3. *dialog. cap.* 18. *tom.* 2. *oper. Frater quidam mecum est in monasterio conversatus, in Scriptura sacra studiosissimus, qui me ætate præibat, & ex multis, quæ nesciebam, me ædificare consueverat. Hujus itaque narratione didici, quod fuit quidam in Campania partibus intra quadragesimum Romanæ Urbis milliarium nomine Benedictus, & quidem ætate juvenis, sed moribus grandævus, & in sanctæ conversationis regula se fortiter stringens, quem Totilæ Regis tempore cum Gothi reperissent, hunc incendere cum sua cella moliti sunt; ignem namque supposuerunt: sed in circuitu arserunt omnia, cella vero illius igne comburi non potuit. Quod videntes Gothi, magisque sævientes, atque hunc ex sua habitaculo trahentes, non longe aspexerunt succensum clibanum, qui coquendis panibus parabatur, eumque in illo projecerunt, clibanumque clauserunt. Sed die altero ita illæsus inventus est, ut non solum ejus caro ab ignibus, sed neque extrema ullo modo vestimenta cremarentur.* Verum hoc Benedicti exemplum sibi etiam opponit Guyet *de festis propriis SS. lib.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 9. Cumque,

eo

eo minime refragante, ipse persistat in opinione, ut a tormentis nihil læsi, & nihil doloris passi Martyrum catalogo adhuc sint adscribendi, ego quoque in eodem sensu persisterem; tum quia, cum certa sit Benedicti sanctitas, incertum tamen est, quo ritu colatur, utrum scilicet Martyris, an Confessoris; tum quia, quatenus ritu Confessoris coleretur, operæ pretium esset examinare, utrum id factum sit & fiat ex particulari consuetudine alicujus Ecclesiæ, an potius auctoritate sanctæ Sedis, seu Congregationis sacrorum rituum; cum novum non sit, ritum, re discussa, mutari, qui, re non discussa, irrepserat. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, Prior & Beneficiarii ecclesiæ S. Juliani civitatis Ulyssiponensis Occidentalis, qui de communi Martyrum ab antiquo tempore recitabant Officium in honorem S. Juliani, & S. Basilissæ conjugum, supplices preces exhibuerunt pro concessione lectionum particularium. Prædictorum tempe Sanctorum commemoratio fit in Martyrologio Romano *ad diem 9. Januarii*; & profecto, quia Basilissa, quæ in pace quieverat, multa & gravia passa fuerat, Martyria titulo cohonestata est a Cardinali Baronio *in not. ad Martyrol.* & a Guyet *loc. cit. qu.* 8. Quia autem Basilissa nec in tormentis mortua fuerat, nec aliquid passa erat, quod esset ad mortem inductivum; die 6. Septembris 1727. responsum sane fuit pro gratia lectionum propriarum, retento Martyrum ritu, sed ita tamen, ut non solum Juliani, & Basilissæ, sed etiam Sociorum fieret mentio; de vero quippe Martyrio Juliani, & Sociorum nulla poterat esse dubitatio: porro, quamvis Basilissa Martyr re vera non fuerit, dictum tamen est, id nullo modo obstare posse concessioni Officii sub ritu Martyrum, quum optime Juliano, & Sociis conveniret.

15. Quæres secundo, an pro Christo vulnere passus, & quidem lethali, si Medicorum cura liber evaserit, Martyr censendus sit: item, an inter Martyres adscribi debeat, qui vulnus pro Christo non lethale quidem recipit, sed nihilominus ex incuria mortuus est. Porro, quod attinet ad primum, dicendum est, eum Martyrem non esse, uti bene respondet Soto *in 4. sent. dist. 49. quæst. 5. art. 2. pag. 630. Si vero vulnus tale fuerit, ut Medicorum judicio æstimaretur lethale, nihilominus tamen aliqua exquisitissima medicina, & diligentia evaserit; non est Martyr; quia Ecclesia nullum Medicorum judicium, sed solam mortem tanquam sufficiens testimonium approbat Martyrii*. Quod autem spectat ad secundum, vel passus vulnus non lethale potuit facile peritum advocare, quem non advocavit, & tunc Martyr non est, cum videatur mortem plus nimio appetivisse, & se interemisse; vel non potuit facile peritum advocare, tuncque, cum non teneatur tantam diligentiam adhibere, ut curetur; si moriatur, & cetera concurrant ad Martyrium requisita, e Martyrum albo deleri non poterit; quemadmodum prosequitur Soto *loc. cit.* Doctrina est etiam D. Thomæ *in 4. sent. dist. 49. quæst. 5. art. 3. quæst. 2. ad septimum*, ubi dicit, incuriam & negligentiam propriam pro vulnere curando non obstare Martyrio, nisi talis fuerit, ut culpam mortalem induceret. Ex quo fit, ut, si negligentia non sit vulnerati, sed aliorum; ille, qui moritur, Martyr dicendus sit: nullum etenim crimen commisit, & vulnus quidem pro Christo accepit, quod fuit illi mortis occasio, ipsaque mors ei fuit extrinsecus illata; quamvis vulnus non lethale infligens absolute non occiderit, neque culpam contraxerit homicidii; veluti perpendit Cardinalis Capisucchius *in sæpo cit. controv. de Martyrio §. 4. in fin.* In Actis Martyrii SS. Viginti Monachorum in Laura Sanctæ Sabæ prope Hierosolymam, qui Martyrio coronati sunt sæculo Ecclesiæ IX. *apud Bollandianos ad diem 20. tom. 3. Martii cap. 6. num. 64.* hæc habentur de seniore, qui vulneris curam recusavit: *Fuit ex senioribus aliquis, cui cum manus dirum plane in modum gladio fuerit vulnerata, desperante de ejus curatione Medico, ferrumque postulante, ut tam a brachio prorsus abscinderet, conspiciens is, quantos dolores sustinerent, & quanta cum difficultate sanarentur, qui sub Chirurgi manu versabantur Patres, renuit omnino curationem: unde, putrefactis carnibus, vermiumque scatentibus multitudine, intra non multos dies ex hoc corpusculi hujus terreni, vanisque obnoxii passionibus emigrans ergastulo in expertem doloris atque laboris sedem Christo Jocundus transivit, Sanctisque appositus Martyribus vicenarium numerum adimplevit*.

16. Quæres ultimo, utrum juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, si hodie aliqui Dei Servi per miraculum liberati a tormentis, quæ ipsis naturaliter mortem intulissent, in pace morerentur, vel alii ex ærumnis usque ad mortem continuatis & pro Christo inflictis diem clauderent extremum, Beatificationis autem & Canonizationis ipsorum causa introduceretur, Martyrum catalogo essent adscribendi, an potius inter Confessores recensendi. Soto *loc. cit.* proposita prima quæstione, eam reliquit judicio Ecclesiæ definiendam: *Si manifeste constaret, solo supernaturali miraculo fuisse* (hominem) *post tale vulnus servatum, si enim hoc evidens esset, fortasse haberetur pro Martyre, postquam illa tanquam mors naturalis reputaretur; quamvis neque hoc certo statuerim, sed judicio Ecclesiæ relinquendum est*. Re itaque ad Ecclesiæ judicium redacta; quandoquidem, præmissis probationibus vulneris seu tormenti mortiferi, necnon miraculosæ liberationis probationibus, demonstrandum esset, atque, ut dicitur, *concludenter* probandum, sic liberatum toto tempore, quo supervixit, Charitate nunquam cecidisse, & se in virtutibus heroicis exercuisse, ita ut mors ipsius fuerit insignis, sancta, & pretiosa in conspectu Domini; in hoc proinde rerum themate nemo est qui non videat, maximopere etiam ponderandum esse, & discutiendum, utrum is in classe Confessorum, pro qua nempe omnia concurrerent requisita, an in Martyrum classe reponendus esset.

17. Difficultas hæc ipsa agnoscitur a Theologis: quocirca, ut eam evadere possint, nonnulli respondent, sic morientem in catalogo Martyrum esse describendum; eo quia, si Deus eum miraculose a morte liberavit, dicendum est quoque, ipsum in gratia confirmasse, ut apud Hurtado *in resolut. de vero Martyr. resolut. 35. assert. ultima* §. 4. quem sequitur Cardinalis Gotti *Theolog. tom. 13. quæst. 2. de Sacram. Baptis. dub. 5. §. 3. num. 20.* Item Suarez *tom. 3. in 3. part. D. Thomæ quæst. 69. art. 10. disput. 29. sect. 3. pag. 356* docet, verisimile non videri, Deum privare hominem effectu gratiæ suæ propter miraculum, quod in eo vult operari, & ideo dari gratiam homini ratione tormentorum quæ patitur, atque in ea confirmari, pro ea saltem occasione, aut pro eo tempore, quo naturaliter vivere posset: idemque Auctor, ad ulteriora progrediendo, dicit, incertum quidem esse, an prædictus homo pro reliquo vitæ tempore in gratia confirmatus remaneret, pie tamen credi posse, nunquam Deum esse miraculose liberaturum Martyrem a morte, quin illum in gratia confirmet; tum quia hoc donum est valde consentaneum dignitati Martyrii; tum quia consentaneum quoque esse videtur Divinæ providentiæ, ut, postquam miraculose (ut ita dicamus) hominem revocavit a janua paradisi, atque a beatitudine, quam statim acquisivisset, ipsum in acquisito beatitudinis jure confirmet.

18. Verum tantum abest, ut ex his & similibus tollatur difficultas, ut eadem potius in ipso rei eventu augeatur. Quomodo enim Ecclesiæ constare poterit, hominem a morte per miraculum liberatum pro reliquo vitæ tempore fuisse in gratia recepta a Deo confirmatum? Nullum enimvero hujus confirmationis in Divinis oraculis, aut Ecclesiæ definitionibus extat documentum. Innititur tantum assertum Theologorum speculationibus, quæ rem probabilem utique ac verisimilem, sed certam minime efficiunt; eo vel magis, cum exempla non desint eorum, qui non sine miraculo a morte quam pro Christo passuri erant, liberati; lethalibus criminibus se postea inquinarunt; quemadmodum desumitur ex his, quæ referuntur a Procopio *lib. 1. de bello Vandal. cap. 8. Christianos Africæ tam crudeliter tamque injuste nemo vexavit, quam Honoricus. Cum enim illos ad sectam Arianam compelleret, quoscumque parum ad obsequendum promptos deprehendebat, igne aliisque suppliciis excruciatos necabat. Multis linguam faucium tenus abscidit, qui nostra etiam ætate superstites Byzantii explanate loquebantur nullum capientes sensum illius pœnæ. Ex his duo rem haber ausi cum meretricibus sermonis usum amiserunt*. Ideoque si probatio ab actibus externis est desumenda, & si actus externi in continuato virtutum exercitio consistere debent, hinc profecto oritur difficultas, an sic morientium causa esset introducenda, ut illi honorem Confessorum, non autem Martyrum consequerentur, habita scilicet ratione tormentorum, ut eo magis de eorum Fide, Spe, & Charitate, aliisque virtutibus in gradu heroico constaret Ecclesiæ.

19. Quæ dicta sunt de miraculose a morte liberatis, sibi vindicant locum etiam quoad eos, qui ex ærumnis usque ad obitum continuatis & pro Fide Christi inflictis moriuntur; ut puta in Menologio Græcorum, necnon in Romano Martyrologio *ad diem 23. mensis Julii* commemoratio fit eorum, qui in Bulgaria interfecti sunt sub Nicephoro & Staurario Imperatoribus, quorum nonnulli carceribus & fame consumpti expirarunt. Si enim de his

aut aliis simili morte morientibus agendum esset, nedum probari deberet eos carceribus fuisse mancipatos & tortos pro Fide Christi, atque ex eadem causa carceres & ærumnas libenter acceptasse, sed eadem pariter voluntate & virtutum exercitio perseverasse toto tempore, quo carceres & ærumnas passi sunt. Quare Postulatores cauti esse deberent, & sedulo inquirere, an eis magis expediret pro eorum Beatificatione & Canonizatione instare non uti Martyrum, sed uti Confessorum, habita nempe ratione ærumnarum, quas passi sunt pro astruendis virtutibus Fidei, Spei, & Charitatis in gradu heroico, juxta ea quæ antea dicta sunt. Porro huc recidit, quod habetur apud Guyet *de festis propriis SS. lib. 2. cap. 7. quæst. 14.* ubi, proposita quæstione jam supra relata, an morientes in obsequio peste laborantium inter Martyres recenseri possint, sic inquit: *Potest denique aliquis, si in eo munere diutius perstet, labi in peccata aliqua, quæ obsequio illo non perinde, ac sanguinis effusione, deleantur. Quæ quidem omnia peculiari probatione indigent; adeo ut quæ in aliis Martyribus ad Canonizationem sola requiritur mortis informatio, in iis sufficere non videatur, sed alia quoque morum, ac vitæ prius transactæ sit adjungenda.*

20. In primo hujus Operis libro *cap. 29. & 30.* actum est de causis Martyrum apud sanctam Sedem, & sacrorum rituum Congregationem pertractatis, in qua pariter sacra Congregatione nonnullæ adhuc pendent Martyrum causæ, Ignatii videlicet Azevedi, & triginta novem aliorum Martyrum e Societate Jesu, item Alfonsi Nevarrete Ordinis Prædicatorum, Petri de Avila Ordinis Minorum S. Francisci, Petri de Zuniga Ordinis Eremitarum S. Augustini, Caroli Spinulæ Societatis Jesu, &c. Rodulphi etiam Aquavivæ Societatis Jesu, aliorumque in Martyrio Sociorum, & Joannis tandem de Britto, atque Andreæ Bobolæ pariter Societatis Jesu Presbyterorum: & quidem tum in causis jam resolutis, tum etiam in causis quæ adhuc pendent, quotquot inter Martyres recensiti fuerunt, vel de quibus petitur, ut recenseantur, mortem sub ipso tormentorum pondere pro Christo passi sunt. Tantum, dum munere fungebar Fidei Promotoris, actum fuit de causa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei (nunc Sancti) Josephi a Leonissa Sacerdotis Ordinis S. Francisci Capuccinorum, de quo videlicet ferebatur, nec probationes deerant ex processibus desumptæ, eum obtenta a Patre *Generali* suæ Religionis facultate petendi Constantinopolim, ut in ea civitate *Missionarii* officio fungeretur, ibidem ad unci supplicium a Turcarum Tyranno damnatum, ut fumo supposito moreretur, postquam triduo jejunus ab unco pependisset, ab Angelo sub pueri specie fuisse liberatum; vulneribusque sanatis, in Italiam rediisse, cicatricibus in talo & manu dexteris ad perpetuum Martyrii testimonium apparentibus. Postulatores quippe in suis scripturis nonnulla ad Martyrium suadendum attulerunt: at, excitatis difficultatibus tum quoad facti probationem, tum quoad necessitatem probandi perseverantiam & exercitium virtutum usque ad obitum, qui multos post annos accidit, causam ejusdem Servi Dei non uti Martyris, sed uti Confessoris postea prosecuti sunt, subscripto dubio de virtutibus, quod favorabiliter resolutum fuit, uti colligitur ex decreto edito a san. mem. Clemente Papa XII. die 15. Augusti 1734. Ex quo exemplo bene infert Berti *de Theolog. disciplin. tom. 6. lib. 31. cap. 24. num. 2.* eos, qui in suppliciis moriuntur, esse veros Martyres; qui supervixerint, tanquam Martyres non haberi, nisi certissime constet, illos mortem divinitus evasisse, nec superatis tormentis excidisse a charitate & gratia: Josephum autem a Leonissa post unci cruciatus superstitem, adscriptum fuisse albo Beatorum, non quidem tanquam Martyrem ob non expletam consummatamque passionem, sed tanquam Confessorem ob virtutum præstantiam. Et quatenus fas sit, post nova, antiquiora superaddere exempla, exemplum desumi potest ex S. Anthusa Virgine, quæ sub Constantino Copronymo ob cultum sanctarum Imaginum verberibus cæsa, & exilio relegata, quievit in Domino. Colitur die 27. Julii tanquam Sancta Virgo, non autem tanquam Martyr; uti videri potest *tom. 6. Julii* apud Bollandianos *pag. 447.*

21. Dices autem, si, juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam supra memoratam sic morientes catalogo Martyrum fuerunt adscripti, absonum videri posse, si in pari causa idem hodie non haberetur judicium. Verum ita opponenti reddi posse videtur responsio ex S. Augustino desumpta, & supra relata, cum ageretur de iis, qui pro Christo sibi mortem intulerunt, & quos Ecclesia inter Martyres veneratur; fieri videlicet potuisse, & factum esse, ut Divina auctoritas fide dignis testificationibus innixa suaserit Ecclesiæ, eorum memoriam sic esse honorandam. Id ipsum itaque & de his dicimus, qui mortui sunt, postquam a tormentis miraculose fuerunt liberati, aut ærumnis & cruciatibus usque ad obitum continuatis vitam cum morte pro Christo commutarunt, fuisse videlicet Martyrum catalogo adscriptos, eo quia Divina auctoritas fide dignis testificationibus, sic eos esse honorandos, Ecclesiæ suasit: & id ipsum quoque dicimus hodie fieri ab Ecclesia debere, si consimiles non deessent testificationes. Sed, cum istæ, juxta præsentem rerum cursum non habeantur, nisi modo in superioribus indicato, hoc est per documenta continuatum virtutum exercitium usque ad obitum comprobantia, hæc sunt, quæ nobis dubitationem ingerunt, an harum causarum Postulatoribus in eo rerum eventu expediret eas introducere, & prosequi, ut Beatificandi, & Canonizandi catalogo Martyrum potius, quam Confessorum adscriberentur; & eo quidem magis, quando non modicum, sed magnum temporis intervallum inter tormenta, aut ærumnas, & obitum Dei Servorum intercessit. Extant apud Bollandianos *tom. 4. Julii* Acta S. Frederici Episcopi & Martyris *pag. 468. num. 42. & seqq.* Percussus hic fuit in extis, & abeuntibus homicidis, viribus, quibus poterat, vulnera restrinxit; advocatoque Clero, vivens sarcophagum intravit, atque psalmodias, quæ solent cantari ad exequias mortuorum, ipse primum incepit, & resupinus aspiciens cælum, ad ea verba: *Hæc requies mea in seculum seculi; hic habitabo, quoniam elegi eam*, ad Superos migravit.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De causa Martyrii quoad Persecutorem seu Tyrannum.

1. MARTYREM non facit pœna, sed causa, ut infra demonstrabitur, cum agetur de causa Martyrii relative ad ipsum Martyrem. Causa vero nedum Martyrem, sed etiam Persecutorem seu Tyrannum respicere debet, atque adeo tum mortem infligens, tum eamdem subiens moveri debent e causa, quæ sit apte & ad Martyrium sufficiens. Quando agitur de Martyrio, disputandum proponitur dubium in sacrorum rituum Congregatione, *An constet de Martyrio & causa Martyrii*: & de Martyrii quidem causa inquiritur, quænam fuerit in Tyranno, ut mortem infligeret, & quænam in Martyre, ut mortem obiret. Inter celebres Martyrum causas in sacra Congregatione pertractatas ea est Martyrum Japonensium, hoc est Servorum Dei Alfonsi Navarrete Ord. Prædicatorum, Petri de Avila Ord. Minorum S. Francisci, Petri de Zuniga Ord. Eremitarum S. Augustini, Caroli Spinulæ Societ. Jesu, ac Sociorum respective tum eorumdem Ordinum, tum etiam Sæcularium pro Fide Catholica diversis temporibus in Japonia interemptorum, uti supra dictum est. Fuit autem in hac causæ disputationi propositum dubium, *An constet de Martyrio ex parte Tyranni*. Et sane post acrem disputationem editum est hoc decretum: *Proposito per Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalem Azzolinum Ponentem in sacrorum rituum Congregatione ordinaria seu particulari ex dispensatione Apostolica dubio, An constet de Martyrio ex parte Tyranni in casu & ad effectum, de quo agitur, in causa prædictorum Servorum Dei, eadem sacra Congregatio, auditis votis DD. Consultorum in duabus præteritis Congregationibus die 27. Januarii 1685. & 30. Augusti 1686. audito pariter Reverendiss. D. Fidei Promotore in voce & in scriptis, discussoque prædicto dubio, censuit, constare de Martyrio ex parte Tyranni, si Sanctissimo Domino nostro placuerit: Die 25. Januarii 1687. Et, facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua benigne annuit: Die 3. Februarii 1687.* Nec enim Imperatoris Japonensis edictum, quo vetuit, sibi subditos habere commercium cum Portugallicis, ex alia provenit ratione, quam, quia ipsi Prædicatores & Legis Christianæ Magistros in eas oras induxerant, & secretis foverent auxiliis; ut adnotavit Cardinalis Gottus *de vera Ecclesia tom. 1. cap. 3. §. 4. num. 14.* & latissime comprobavit Marcellus Severolus

lus utriusque Signaturæ Referendarius & sacræ Consistorialis Aulæ Advocatus in suo elaborato juris responso, quod edidit in causa prædictorum Martyrum Japonensium: quæ porro causa usque adhuc ulteriorem progressum non habuit. Quamvis vero in aliis deinde Martyrum causis, Martyrum videlicet Brasiliensium, Rodulphi Aquavivæ & Sociorum, S. Joannis Nepomuceni, & S. Fidelis a Sigmaringa, quæ fuerunt discussæ, quo tempore fungebar munere Fidei Promotoris, nullum editum fuerit decretum, *Constare de Martyrio ex parte Tyranni*; in omnibus tamen prædictis causis sub dubio, *An constet de Martyrio & causa Martyrii*, sedulo etiam pertractata est causa, quæ Persecutorem seu Tyrannum impulit ad mortem infligendam, ut videretur, an esset apta Martyrio.

2. Porro, cum Martyrium sit voluntaria mortis perpessio, sive tolerantia propter Fidem Christi, vel alium virtutis actum in Deum relatum, uti tradunt Joannes Viguer *instit. Theolog. tit. de virtute Fortitudinis cap.* 6. §. 1. *v.* 1. Castellin. *de certit. glor. SS. cap.* 8. *punct.* 20. §. 4. *pag.* 394. Rocca *de Canonizat. SS. cap.* 35. Henriq. *Summæ Theolog. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *de Baptismi sacramento cap.* 37. *num.* 3. & 4. Less. *de justit. & jur. lib.* 3. *de Fortitudine dub.* 3. *num.* 20. *vers. Primo requiritur*, Bordon. *controv. moral. tom.* 3. *controv.* 13. 32. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 3. *part.* 3. *de Fide disput.* 20. *art.* 6. *n.* 61. & *seqq.* causa requisita ex parte Tyranni, & apta ad Martyrium debet esse odium in Fidem, vel in opus bonum, prout a Fide Christi præscriptum. Ita Henriq. *cit. cap.* 37. *n.* 4. *Eadem pia causa intercedere debet ex impia intentione Tyranni, qui minister est hujus cruenti baptismi, nempe, ut ille occidat hominem in odium aut contemptum Fidei aut religionis, aut alterius virtutis*. Benedictus Pereira *in elucidar. sacr. Theolog. moral. & juris utriusque lib.* 2. *elucidat.* 23. *sect.* 1. *num.* 2464. *in fin. Quinta* (conditio) *est, ut adsit Tyrannus, qui mortem inferat in odium Christi; vel contemptum Fidei, aut alterius virtutis*. Verricell. *de Apostol. Mission. tit.* 1. *de Fide quæst.* 29. *sub n.* 6. *Ex parte Tyranni autem requiritur, ut in odium Fidei, vel in odium talis operis boni, prout a Fide Christi præscripti & præcepti, inferat mortem, seu in odium Fidei, quatenus præcipit tale opus*. Cardinalis Capisucchius *controv.* 27. *de Martyrio* §. 16. *pag.* 741. *Exigitur ergo ad verum Martyrium in Persecutore intentio inferendi mortem propter Fidem ... in ordine scilicet ad opus, quod ex propria ratione relationem habeat ad Fidem*. Cardinalis de Lauræa *cit. disput.* 20. ubi, postquam *artic.* 6. docuit, ad Martyrium verum & consummatum mortem requiri a Persecutore inflictam ob causam Fidei, *seq. art.* 7. *num.* 104. subdit: *Dico secundo: Exercitium alicujus virtutis præceptæ aut consultæ a Fide, quæ dici potest Fidei professio in facto, est vera causa Martyrii, si ex illo exercitio accidat per Tyrannum mors*; & *num.* 105. *Ergo exercitium cujuscumque virtutis, vel observantiæ legalis dictatæ a Fide est causa Martyrii, si propter ipsas accidit mors a Persecutore*. Gobat *Theolog. experimental. tract.* 2. *cas.* 18. *sect.* 1. *num.* 602. & *seqq. Alius vero necem inferat non principaliter studio &c. stimulatus odio Fidei, seu in odium Fidei &c. Etenim per odium Christi, quo vocabulo Theologi consueverunt uti in hac materia, intelligitur infectatio & persecutio Christi vel directa & immediata, ut, cum Turca dicit Christiano: Nega, Christum esse Deum, aut te Mahumeti victimam dabo: vel indirecta & mediata, quæ est, quando vita alicui eripitur ob exercitium operis boni, & aliquo tandem modo ad Fidem propugnandam, tuendam, illustrandamve tendentis, ab homine tamen inique prohibiti*. Concordantque Suarez *in defens. Fidei Catholicæ adversus Regem Angliæ lib.* 6. *cap.* 11. *per tot.* Lessius *de justit. & jur. lib.* 3. *cap.* 11. *dubr.* 3. *num.* 20. *vers.* 1. Bordon. *controv. moral. tom.* 3. *cit. controv.* 13. *n.* 33. *vers. Tertio dixi*, Raynaud. *oper. tom.* 18. *de Martyrio per pestem part.* 2. *cap.* 1. *num.* 11. & *num.* 12. Hurtado *in resol. de vero Martyr. resol.* 31. *per tot.* Maurus *Theolog. t.* 3. *lib.* 11. *tract.* 12. *qu.* 93. *n.* 8. Nec umquam de hac re fuit controversia inter Fidei Promotores, & causarum Postulatores; admissa quippe semper fuit ab utrisque necessitas causæ in Persecutore, seu Tyranno, causæ, inquam, positæ in odio adversus Fidem, aut virtutem a Fide præscriptam, ut alibi fusius explicabimus; proinde solum fuit controversia, an Persecutor ab odio in Fidem motus fuerit ad Dei Servum morte plectendum, contendentibus nempe Fidei Promotoribus, ab alia causa, Postulatoribus autem excipientibus, a solo in Fidem odio ad mortem infligendam inductum fuisse.

3. Sed, ut ea, quæ hucusque dicta sunt, facilius percipiantur, nonnulla quæsita sunt proponenda, & explananda. Quæres itaque primo, utrum de ratione Martyrii sit, ut Persecutor, seu Tyrannus sit Gentilis, an etiam possit esse Hæreticus, & fortasse Fidelis, & Catholicus. Respondetur autem, Persecutorem, seu Tyrannum non solum pro Martyrio esse posse Paganum, vel Idolorum cultorem, sed etiam iniquum Christianum. Matthæi quippe 10. *v.* 18. legitur: *Ad Præsides & ad Reges ducemini propter me*: deinde *v.* 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium*. Priora siquidem verba a Patribus referuntur ad Persecutores Gentiles; postrema vel ad Seductores hæreticos, vel ad malos improbosque Christianos: uti colligitur ex Chrysostomo *homil.* 34. *pag.* 325. *edit. Comell.* ex S. Augustino *in Psal.* 9. *num.* 27. & *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 32. si videlicet Gentilis, aut Hæreticus mortem inferant ob odium Fidei, & Catholicus ex odio in aliquam virtutem, quæ ad Fidem reducatur, & sic ex patrocinio iniquitatis: Quocirca non solum inter Martyres recensentur S. Petrus Martyr, Martyres Gorcomienses, & alii ab Hæreticis interfecti, sed etiam Stanislaus Cracoviensis, Thomas Cantuariensis, & Joannes Nepomucenus, licet primo a Boleslao Rege Polonorum, secundo ab Henrico Anglorum Rege, tertio a Rege Germaniæ Wenceslao, qui omnes erant Catholici, mors fuerit inflicta, eo quia videlicet inflicta est ex odio in virtutem, quæ ad Fidem practice referebatur; ut alibi explicabimus, utque ad rem animadvertit Hurtado *de ver. Martyr. res.* 39. ubi hæc habet: *Ad verum & proprium Martyrium non requiritur, quod Persecutor sit Infidelis, aut Hæreticus formaliter; sat est, si petat aliquod injustum, aut quod exequatur aliquid, quod sit contra Dei Legem, aut Ecclesiæ potestatem aut libertatem, pro cujus defensione a Rege Christiano & Catholico S. Thomas Cantuariensis gladiis impiorum Martyr occubuit. Hoc est omnino certum & indubitatum &c. Non exigitur, quod quis sit Hæreticus, aut Infidelis, ut mortem inferat in odium Fidei, prout operans est; omnis enim peccat, si contra præcepta supernaturalia operetur contra Fidem, prout est operans, & practice illuminans ad recte operandum, prout oportet*. Ad quod etiam conferre possunt exempla aliorum plurimorum Martyrum, qui sub Henrico VIII. Angliæ Rege, & sub Elisabetha Angliæ Regina mortui sunt, quique nomen Martyrum habent apud Scriptores Ecclesiasticos, licet nunquam fuerint introductæ causæ de eorum Martyrio in sacrorum rituum Congregatione; ut habent Sanderus *lib.* 1. *de Schismate Anglicano*, Thomas Bozius *de signis Ecclesiæ lib.* 12. *cap.* 22. Cardinalis Gottus *de vera Ecclesia tom.* 1. *cap.* 3. §. 5.

4. Quæres secundo, utrum de ratione Martyrii sit, ut Persecutor ipse seu Tyrannus ad necem moveatur odio in Fidem, an satis sit, si accusator Fidei inimicus per calumniam aliquod crimen opponat Dei Servo, ita ut Judex putans, crimen esse verum, mortem huic decernat, non utique ex odio in Fidem, sed opinione, se verum crimen vindicare. Respondetur, ad Martyrium sufficere, si Judex putet, se juste procedere, dummodo crimen falso oppositum prodeat ab accusatore, qui calumniam struxerit ex odio in Fidem directe, vel oblique. Ita notabiliter prosequitur Cardinalis Capisucchius *cit. controv.* 27. §. 16. *pag.* 742. his verbis: *Quoad intentionem vero, quam diximus, ex parte Persecutoris requiri ad Martyrium, animadvertendum, intentionem inferendæ mortis in odium Fidei aliquando esse in eo duntaxat, qui Tyrannum impellit ad necem inferendam; & hoc sufficit ad inducendum Martyrium: unde, si contingat, quod quis ex odio Fidei calumnietur Christianum apud Tyrannum de crimine, ob quod Tyrannus Christianum occidat, Christianus sic occisus Martyr erit, si appareat, calumniatorem in odium Christianæ Fidei Tyrannum impulisse ad ejus mortem, etiamsi Tyrannus ob prætensum delictum duntaxat, & non in odium Christianæ Fidei mortem inferat*.

5. Ad rem de qua nunc agimus, meminisse opus est, primis Ecclesiæ seculis Christianos accusatos fuisse, quod carne humana vescerentur, & quod usquequaque illicitis impudicitiis inquinati essent; quare toties in Actis Martyrum, & opusculis veterum Patrum Thyestearum epularum, & Œdipeorum concubituum mentio recurrit: quæ omnia collecta legi possunt in tractatu Christiani Kortholti *de calumniis Paganorum in veteres Christianos sparsis*. Ab his vero Christiani se egregie vindicaverunt, quemadmodum colligi potest ex apologiis Justini, Quadrati, Athenagoræ. Sed hæc opinio, quæ Magistratuum animos semel invaserat, ita invaluit, ut non solum, si contigissent calamitates, Christianorum scele-

ribus adscriberentur, quapropter Tertullianus *in apolog. cap.* 40. inquit: *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem:* verum etiam nonnulli memoratorum criminum per calumniam ab inimicis Christiani nominis accusati, tanquam eorum rei atrociter torti fuerint, qui in osculo Domini mortui Martyrum catalogo sunt adscripti. In epistola Ecclesiarum Viennensis, & Lugdunensis de Martyrio Sancti Pothini Episcopi, & aliorum plurimorum ex Eusebii historia Ecclesiastica *lib.* 5. *cap.* 1. *& seqq.* hæc habentur *pag.* 201. *Capti sunt etiam quidam nostrorum Servi, qui Gentiles erant, quandoquidem Præses, nos omnes requiri, palam jusserat. Qui Dæmonis impulsu cum tormenta reformidarent, quæ Sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipsum eos incitantibus, Thyesteas quasdam cœnas, & incestos Œdipi concubitus, & alia, quæ nec proloqui nobis, nec cogitare fas est, ac ne credere quidem sustinemus, apud homines unquam gesta fuisse, adversus nos ementiti sunt. His in vulgus sparsis, omnes continuo in nos adeo efferati sunt, ut, si qui forte cognationis causa moderati erga nos hactenus extitissent, tunc acerbissima indignatione commoti adversus nostros infremerent. Complebatur itaque id, quod a Domino prædictum fuerat his verbis: Veniet tempus, cum, quicumque vos occiderit, cultum offerre videbitur Deo. Exinde sanctissimi Martyres ejusmodi tormenta sustinuerunt, quæ nulla unquam oratione exprimi possint, Satana ambitiose contendente, ut ab illis quoque aliquid impie diceretur.* Ideoque in eadem epistola S. Blandina tormentis affecta clamabat: *Christiana sum; & nihil apud nos mali geritur:* ut videlicet ejusmodi calumniæ a Christianis averteret. Prædictis quoque primis Ecclesiæ sæculis Christianos falso fuisse accusatos, quod essent Imperatorum inimici, colligitur ex Passione S. Victoris, in qua Martyr ita loquitur *apud Ruinart in Act. Martyr. num.* 8. *pag.* 257. *Si de injuriis Cæsaris & Reipublicæ agitur, nunquam* (inquit) *Cæsari, nunquam Reipublicæ nocui; non honori Imperii quodquam detraxi, non ab ejus me propugnatione retraxi. Quotidie pro salute Cæsaris & totius Imperii studiose sacrifico: quotidie pro statu Reipublicæ coram Deo meo spirituales Hostias macto.* Quocirca Justinus *apolog.* 1. *num.* 12. non dubitavit sic alloqui sui temporis Imperatores: *Vobis autem adjutores omnium hominum maxime, & auxiliarii ad pacem sumus, qui hæc docemus, fieri omnino non posse, ut Deum lateat maleficus, aut avarus, aut insidiator, aut virtute præditus, ac unumquemque ad æternam sive pœnam sive salutem pro meritis actionum suarum proficisci.*

6. Item Alexander Severus Imperator persecutionem in Christianos promulgatis edictis nunquam excitavit; permisit enim, esse Christianos, teste Lampridio, & Imaginem Christi habuit in suo larario, ut idem Lampridius testatur, & passim ad suum palatium Christianos admisit; veluti post Eusebium refert Tillemont. *in vita Imperatoris Julii Maximini pag.* 285. Tempore etiam prædicti Imperatoris, Christiani occupaverant Romæ quemdam locum, qui publicus fuerat; cumque Popinarii dicerent, eum sibi deberi, rescripsit Alexander, melius esse, ut quomodocumque illic Deus coleretur, quam Popinariis dederetur, uti ex Lampridio refert Cardinalis Baronius, qui existimat, Callistum Pontificem eo in loco ecclesiam erexisse in honorem partus Sanctissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, quæ creditur esse ecclesia adhuc Romæ existens S. Mariæ trans Tiberim. Sub Imperatore quidem Severo quinta, vel juxta alios sexta, persecutio excitata fuit adversus Christianos; de qua narrat Eusebius *lib.* 6. *histor. cap.* 1. *per omnes ubique locorum Ecclesias ab Athletis pro pietate certantibus illustria confecta fuisse Martyria.* Itaque a nonnullis plures recensentur Martyres passi sub Alexandro: sed plerique alii accuratiores contendunt, eos passos fuisse sub Septimio Severo, incaute autem translatos fuisse ad Alexandri tempora, quod & ipse Severus fuit appellatus, cum ex supra relatis constet, Alexandrum Severum Heliogabali successorem Christianis favisse, uti ponderat Ruinart *in præfat. general. ad Act. Martyr. num.* 48. Veruntamen, utcumque hæc sint, negari non potest, aliquos Christianos Martyrii palmas consecutos fuisse sub Alexandro Severo; ceteris quippe prætermissis, S. Callistus Papa, qui, eo imperante, vivere desiit, inter Martyres recensetur in Calendario Bucheriano: at tum hic, tum alii forte passi sub Alexandro Severo, eo quidem annuente passi sunt, sed non ex ejus odio in Fidem Christianam, a qua ipse non abhorrebat; putabat nempe, se delictorum ab eis commissorum vindictam sumere deferens consiliis & suasionibus Domitii Ulpiani Christianorum hostis infensissimi, & aliorum Jurisconsultorum, qui falsa crimina Christianis opponentes, ipsos morte dignos esse, asserebant; uti bene observat Cardinalis Baronius *ad ann.* 225. *num.* 4. *Perfacile namque fuit, velamento justitiæ, aliisque prætextibus honestissimis ex mille propemodum occasionibus comparatis, iis, qui prudentissimi ac pariter æquissimi haberentur, quorum apud Principem, & alios summa cum fide esset existimatio, lacessere absque etiam Christianitatis titulo ad libitum Christianos, cum præsertim Princeps pene puer esset, cui ea recta justaque videri potuissent, quæ tot virorum insignium una sententia confirmasset, ac potissimum quod Ulpianus ceteris æqui amantissimus visus ardentius ingessisset.*

7. Quæres tertio, utrum de ratione Martyrii sit, ut Persecutor seu Tyrannus expresse fateatur, se mortem infligere ex odio in Fidem, an satis sit, ut, quidquid agit, agat ex odio prædicto, licet asserat, se ex alia causa moveri, quæ in se vera non est, nec aliquid habet cum Fide commune. Respondetur, satis esse ad Martyrium, si re vera Persecutor seu Tyrannus ab odio in Fidem moveatur, licet aliam causam omnino disparatam præ se ferat, propter quam se mortem inflixisse dicat. Borell. *de Regis Catholic. præstant. cap.* 71. *sub num.* 39. Leusæus *de libert. Christian. lib.* 15. *cap.* 9. *circa fin.* Vercell. *de Apostol. Mission. tit.* 1. *quæst.* 30. *num.* 3. Theophilus Raynaudus *in cit. oper. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 14. *& seqq.* Hurtado *in resol. de ver. Martyr. resolut.* 39. *num.* 3. Maurus *tom.* 3. *Theolog. lib.* 21. *tract.* 12. *quæst.* 93. *num.* 10. Cardinalis Capisucchius *in controv.* 27. *de Martyr. quæst.* 1. §. 16. *pag.* 741. ubi ait, hæc procedere, si probetur, vere ex odio in Fidem, non autem ex alia causa motum fuisse. Cardinalis Gottus *Theolog. tom.* 13. *quæst.* 2. *de devotione Baptismi dub.* 2. §. 1. 2. 5. itemque *de vera Ecclesia tom.* 1. *cap.* 3. §. 5. *n.* 16. Anaclet. *Theol. moral. tr.* 7. *dist.* 1. *quæst.* 6. *n.* 52. & quotquot scripserunt de Anglica persecutione, ut Suarez *in defens. advers. Regem Angliæ lib.* 6. *cap.* 11. Auctor responsionum pro Catholicis, sive is sit Cardinalis Alanus, sive alius, ad Persecutores Anglos contra libellum inscriptum, *Justitia Britannica*, in præfatione ad lectorem *n.* 4. *& cap.* 3. *vers. Tertio merito, pag.* 64. Auctor apologiæ Martyr. Anglican. *a principio, & per totam, typis impressa in libello inscripto: Concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia, pag.* 303. Sander *de Schismate Anglicano lib.* 2. *&* 3. Philopater *in respon. ad edictum Reginæ Elisabeth sect.* 2. *num.* 33. 49. *&* 50. *& sect.* 4. *per totam.*

8. Favet quoque Ecclesiæ disciplina. Nero quippe Imperator persecutionem primum movit in Christianos, teste Tertulliano *in Scorpiaco cap.* 15. *pag.* 833. *Vitas Cæsarum legimus: orientem Fidem Romæ primus Nero cruentavit;* & *in apolog. cap.* 5. *pag.* 51. *Consulite commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maxime Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur: qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.* Nimirum Urbis incendium contigit sub Nerone, de quo sic Tacitus 15. *annal. pag.* 276. *Sequitur clades, forte, an dolo Principis, incertum. Nam utrumque Auctores prodidere. Sed omnibus, quæ huic Urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior.* Et *loc. cit. Eo in tempore Nero Antii agens, non ante in Urbem regressus est, quam domui ejus, qua Palatium, & Mœcenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret.* At porro, ut populi invidiam declinaret, vertit illa in Christianos, qui durissimis tormentis cruciati fuerunt. *Ergo abolendo rumori* (prosequitur Tacitus *pag.* 279.) *Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat .... & pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Concordat Sulpitius Severus *sacr. histor. lib.* 2. *cap.* 29. *Interea, abundante jam Christianorum multitudine, accidit, ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto. Sed opinio omnium invidiam incendii in Principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innovandæ Urbis quæsisse. Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones, quin & novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi crucibus adfixi, aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hoc initio in Christianos sæviri cœptum.* De hac etiam persecutione plura haben-

habentur *in exercis*, 9. Florentinii *ad vetustius Martyrologium a se editum*, *ad diem 6. Maji*, qua die habetur prædictorum Martyrum commemoratio his verbis, *Primi initiorum Martyrum*; & clarius id desumitur ex Martyrologio Romano, quo in præsenti utitur Ecclesia, cum *ad diem 24. Junii* habeantur hæc verba: *Romæ commemoratio Sanctorum plurimorum Martyrum, qui sub Nerone Imperatore de Urbis incendio per calumniam accusati, diversa mortis genere ab eodem jussi sunt sævissime interfici; quorum alii ferarum tergis contecti laniatibus canum expositi sunt, alii crucibus affixi, aliique incendio traditi, ut, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis deservirent. Erant hi omnes Apostolorum discipuli, & primitiæ Martyrum, quas Romana Ecclesia fertilis ager Martyrum ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum.* Fuerunt itaque ad mortem damnati Christiani modo memorati ex odio in Fidem & religionem, quam primus omnium Nero (uti supra dictum est) persecutus fuit, sed alia prolata per eum mortis causa, incendii videlicet Urbis falso eis impacti: cumque, hoc minime obstante, inter Martyres recenseantur, signum evidentissimum est, eos esse Martyrum catalogo adscribendos, qui re vera ex odio in Fidem mortem subeunt, licet eam infligentes aliam causam præ se ferant.

9. Consimilia passim occurrunt in sacris historiis. Aliis quippe consulto omissis, nemo est qui Julianum cognomento *Apostatam* inter Christianorum Persecutores non recenseat, quamvis, ut inquit S. Gregorius Nazianzenus *orat. 3.* sibi tantum retinuerit partes suadendi atque alliciendi, permiseritque populari turbæ, & civitatibus vim ac tyrannidem, atque hoc modo majorem concitaverit procellam, quam si apertis cædibus Ecclesiam fuisset persecutus. Sub eo itaque Martyrii corona decorati fuerunt inter ceteros SS. Juventinus & Maximinus, qui nihilominus coluntur tanquam Martyres, & celebantur etiam tempore S. Joannis Chrysostomi, qui in eorum festo homiliam habuit ad populum Antiochenum, & sic incipit, *tom. 2. pag. 578. Nuper Beatus Babylas cum tribus pueris nos hic congregabat: hodie vero par Sanctorum Militum in acie exercituum Christi constituit. Nuper quadriga Martyrum, hodie biga.* Porro eorum Martyrium plene exponitur a Theodoreto *histor. Eccles. lib. 3. cap. 15.* ubi refert, eos a Juliano interrogatos sic respondisse: *Nos in vera pietate educati, o Imperator, & præstantissimis legibus obtemperantes, quas scilicet Constantinus, ejusque filii tulerunt, ingemus nunc abominatione cuncta abs te repleri cernentes, & scelestis sacrificiis cibos potumque contaminari. Hoc nos & domi deflevimus, & nunc apud te lamentamur; hoc enim unum in tuo Imperio moleste ferimus.* Post quæ prosequitur Theodoretus: *His auditis, mitissimus ille & sapientissimus: sic enim a suis similibus appellabatur: clementiæ larva deposita, impietatis vultum detexit, & gravibus illos atque acerbis tormentis excruciatos hac vita privavit; immo, ut verius dicam, infelicitate illius temporis liberavit, & victoriæ coronas eis conciliavit. Causam vero supplicii prætexuit, non pietatem, pro qua interfecti sunt, sed linguæ petulantiam. Ideo enim punitos esse dixit, quod Imperatorem contumelia affecissent, atque hæc ita divulgari præcepit, cum nomen atque honorem Martyrii veritatis Athletis invideret. Horum alter Juventinus, alter vero Maximinus vocabatur.* Id ipsum pluribus prosequitur Cardinalis Baronius *ad an. 362. num. 136.* Similiter de Ariano Imperatore Valente sic ait S. Gregorius Nazianzenus, *orat. 32. num. 14.* (Valens Juliano) *nihilo humanior illa fuit, immo ea etiam acerbior, quod Christi nomen ferens Pseudochristus erat, Christianisque probrum ac dedecus: quibus & facere impium, & pati ingloriam erat, quod nec injuriam quidem accipere viderentur, nec illustre Martyrii nomen cruciatibus accederet, verum hic quoque fucus veritati fieret, ut qui tanquam Christiani patiebantur, tanquam impii cruciatu afficerentur.* Verba scilicet hæc ostendunt, Imperatorem Valentem Christianis invidisse nomen & gloriam Martyrii, & idcirco eos cruciasse prætextu falsorum criminum, licet eos vere cruciaret ob Catholicæ Fidei professionem, quemadmodum observat Pater Christianus Lupus *in not. ad lib. Tertulliani de præscript. cap. 4. pag. 129. & seqq.* Quæ quidem omnia palam faciunt, nequaquam obstare Martyrio, si mors re vera infligitur ex odio in Fidem, licet Persecutor, se eam infligere ex alia causa, profiteatur. Quocirca Pater Papebrochius *in respons. ad P. Sebastianum a S. Paulo art. 11. §. 17.* postquam *num. 148.* docuit, inter Martyres plerosque recenseri, qui directe propter Fidem occisi non sunt, *num. 149.* sic concludit: *Quod si illis id conceditur, quanto potiori jure concedemus iis, quibus mortem constat fuisse illatam a Gentilibus vere in Christianæ Fidei odium, licet hi alio prætextu id fecerint? Sic Ecclesia ut Martyres veneratur eos, quibus sub Nerone, aut Diocletiano Romanæ Urbis, aut palatii Nicomediensis incendium imputatum per calumniam fuit, nec minori jure damus eumdem honorem cunctis sub Juliano Apostata passis.*

10. Maria Stuarta Jacobi V. Regis Scotiæ filia, quæ mortua Maria Angliæ Regina, titulos & insignia Regum Angliæ assumpsit, etsi ea Angli ad Elisabetham detulissent, pietate & Catholicæ religionis professione celebris & illustris, post primas nuptias celebratas cum Francisco Franciæ Delphino, eo mortuo, in Scotiam reversa, ad alia vota transivit, matrimonio contracto cum Henrico Stuarto Darleo juvene ex Regio sanguine prognato, & religione Catholico, ipsoque per insidias & dolos necato, invita & mœrens nupsit Comiti Bothuelio. Non est hic profecto locus ærumnas referendi, quas infelix Regina factiosorum hominum conspiratione in Scotia passa est, vel cum in castro Dumbarum, vel cum Edemburgi in domo Tribuni, vel cum in arce lacus Levini sub arcta custodia detenta est: satisque erit commemorare, ipsam, in fugam conversis militibus qui eam ab arce lacus Levini liberatam comitabantur, cum paucis qui cum ea remanserant, ad Elisabetham Angliæ Reginam devenisse. Comiter primo excepta fuit; sed subinde variarum suspicionum & fictorum criminum specie quæsita, in Angliæ interiora Truburium abducta est, & Solopiæ Comiti in arctiorem custodiam tradita. Resque adeo progressa est, ut, secuta interea celebri conjuratione Antonii Bambectoni adversus Reginam Elisabetham, & Maria tanquam ejus participe Hæreticorum insidiis traducta, ad ipsam quæ mutato carcere detinebatur in castro Fadringaxa in Comitatu Horthamtoniæ, quadraginta septem viri ex Consilio Reginæ Elisabethæ, & ex Parlamento quod eo tempore Londini habebatur, uti Judices devenerint, qui eam tanquam ream examini subjecerunt. Ipsa autem aliquandiu respondere detrectans, cum se Reginam diceret, & soli Deo se vitæ suæ rationem reddere teneri, tandem respondens, accusationes omnes diluit, seque innocentem probavit: quod tamen iniquos judices non absterruit, qui in eam, tanquam ream convictam, sententiam iniquissimam mortis pronuntiarunt, quæ sua profecto executione non caruit. Si de hujus Reginæ Martyrio, quæstio institueretur, quæ usque adhuc instituta non est, adversus Martyrium plana esset oppositio ex sententia desumenda, & ex ceteris quæ impie adversus eam Hæretici debacchati sunt, & præcipue Georgius Bucchananus in infami libello, cui titulus est, *Detectio Mariæ*; quem tamen Camdenus, Scriptor licet heterodoxus, *in annal. Elisabethæ Anglorum Reginæ* strenue redarguit. At si vera mortis causa examinetur, cum illa constituenda sit in odio Catholicæ religionis, quæ ipsa superstite in Angliæ perstitisset, si invicta perpendatur constantia, qua oblatam repulit deserendæ Catholicæ religionis conditionem; si admirabile animadvertatur robur, quo mortem sustinuit; si attendantur, prout attendi debent, protestationes ante obitum & in obitu emissæ, se semper Catholicam vixisse, & propter Fidem Catholicam libentissime mori; si non omittantur, prout omitti non debent, evidentissimæ rationes, quibus ostenditur nedum falsitas criminum Mariæ Reginæ oppositorum, sed etiam iniquam mortis sententiam, specie tenus calumniis innixam, vere processisse ex odio Catholicæ religionis, & ut hæretica dogmata in Angliæ regno immota persisterent, nihil fortasse deerit ex iis quæ pro vero Martyrio sunt necessaria. Legi potest Henricus Spondanus *in annal. ad annum 1567. n. 6. & 7. ad annum 1570. n. 2. ad annum 1587. n. 2. & 3.* cum quo concordant Georgius Conæus *in vita Reginæ Mariæ*, Famianus Strada *de bello Belgico*, Romualdus Scotus *in notis ad libellum de supplicio & morte Mariæ Stuartæ*, Antonius Herrera *in lib. de rebus gestis in Anglia & Scotia, dum viveret Maria*, aliique, qui de eodem argumento scripserunt, duobus voluminibus a Samuele collectis editisque Londini anno 1725. quibus omnibus operæ pretium esse censuimus superaddere epistolam, quam Regina imminentis sibi mortis conscia summo Pontifici Sixto V. scripsit; cujus autographum Gallico sermone compositum in archivo castri Sancti Angeli asservatur, quamque in Latinum sermonem conversam nec ab ullo alio, quem sciamus, typis impressam in appendicibus exhibemus, ut quæ modo de Maria Regina exposita sunt, irrefragabili documento confirmentur.

11. Quæres quarto, utrum de ratione Martyrii sit, ut Persecutor seu Tyrannus ex odio in Fidem, vel aliquam

quam virtutem, quæ ad Fidem referatur, expressis verbis mandet, Dei Servum occidi, an potius satis sit, ut talia verba proferat, quibus incitati satellites in necem conspirent, & Dei Servum occidant. Respondetur, hoc postremum sufficere: sic enim res se habuit in Martyrio S. Thomæ Cantuariensis. Rex quippe Henricus commotus accusationibus Episcoporum contra ipsum Thomam, quem turbatorem regni, persecutorem Episcoporum, omnium bonorum destructorem, Regisque inimicum inclamabant, in ea prorupit verba furore plena, quibus excitati satellites mortem Sancto Archiepiscopo intulerunt, teste Hereberto in Quadripartita: *Sæpe sæpius ex ira inflammatus in funestam vocem erumpens, omnes quos nutrierat, qui familiaritatis gratia & beneficiorum collatione sibi obnoxii fuerant, maledixit, quod ipsum de uno Sacerdote non vindicarent, qui ipsum & regnum suum sic turbabat, & suis dignitatibus exauthorare & exhæredare quærebat.* Aliud desumi potest exemplum a Martyrio Thomæ Prioris Sancti Victoris Parisiensis, de cujus morte S. Bernardus sub persona Stephani Parisiensis hæc scribit ad Innocentium Papam II. uti legi potest in *epist.* 159. ejusdem S. Bernardi *vol.* 1. *oper. Vir Religiosus Prior Sancti Victoris Magister Thomas in obsequio charitatis, in itinere quod indixerat pietas, in opere sancto, in Sanctorum comitatu, in Dominico die, certe in sinu meo, & inter manus meas crudeliter ab impiis pro justitia excerebratus est factus obediens usque ad mortem.* Et quidem in *epist.* 158. cum ad ejus notitiam devenisset, occisorem Sedis Apostolicæ auxilium implorasse, *Fera pessima, quæ devoravit Joseph, canum nostrorum importunitatem non ferens, ad vestræ dicitur defensionis auxilium confugisse*; excusationem autem ex eo desumpsisse, quod non ipse, sed alii interfecerant, ita subdit: *Sed nunquid ergo, inquis, occidi eum? Non utique tu, sed tui, & propter te. An & per te videat Deus & judicet. Si excusabilis tu es, cujus dentes arma & sagittæ, cujus lingua gladius acutus, proinde nec Judæi de Christi morte culpandi sunt, quippe & ipsi manus continuere cauti.*

12. Quæres quinto, an ad Martyrium satis sit, Tyrannum ad inferendam mortem moveri ex odio adversus Fidem Christi, quamvis occasionem mortis desumat ex alia re, quæ ad ipsam Christi Fidem aut nihil pertineat, aut non nisi ex accidenti pertineat. Affirmando respondetur, cum actus non ab occasione, vel a causa impulsiva, sed a causa finali veram sui speciem desumat. Celebratur in Martyrologio Romano *ad diem* 16. *Maji* Martyrium S. Abdæ, sive Audæ Martyris, de quo nempe Theodoretus *l.* 4. *hist. Eccl. c.* 39. narrat, ab eo fuisse destructum *Pyreum*, templum videlicet a Persis igni consecratum, vocatum autem ab Isdegerde Persarum Rege, & suaviter admonitum, ut *Pyreum* destructum reædificaret, idque facere recusantem Martyrio fuisse coronatum. Theodoretus porro *Pyrei* destructionem improbat: *Hic zelo immoderato impulsus, Pyreum destruxit.* Et postea: *Ego vero, Pyreum quidem intempestive ab Episcopo destructum fuisse fateor*: attamen, cum hujus templi destructio fuerit occasio mortis Abdæ Episcopi, cumque Theodoretus ipse concludat, de ejus vero Martyrio non esse dubitandum, non quia templum destruxerit, sed quia jussus noluit illud reædificare: *Quod vero eversum fanum minime instauraverit, sed mori maluerit, quam id præstare, id equidem admiror, & coronis dignum judico: Igni enim templum extruere non minus esse censeo, quam eumdem adorare*; ideoque vera causa mortis ab idololatria, quam Tyrannus profitebatur, proindeque ab odio adversus Fidem Catholicam derivata fuerit; unusquisque facili negotio cognoscere poterit, sufficere ad Martyrium, si Persecutor ad necem inferendam moveatur ab odio in Fidem, licet occasio mortis provenerit ex alia re, quæ ratione circumstantiarum ad Fidem non pertineret. Clarius id ipsum comprobatur ex causis BB. Josaphat Polocensis, & Petri de Arbues: licet enim in prima Antonius Cerrus tunc Fidei Promotor strenue opposuisset, Josaphat mortem non ab odio in Fidem, sed ab inclusione in carcere cujusdam schismatici Sacerdotis derivatam fuisse, in secunda autem Petrus Franciscus de Rubeis pariter Fidei Promotor collectis probationibus ostendere conatus esset, mortem non fuisse ex odio in Fidem Petro inflictam, sed ex eo, quia qui eum occiderunt, contendebant, non esse in regnum Aragoniæ inducendum tribunal sanctissimæ Inquisitionis una cum jure confiscandi bona delinquentium, & quia duo ex sicariis odio Servum Dei prosequebantur, quod eorum patrem, & sororem, quos innocentes reputabant, carceribus Inquisitionis fecerat mancipari; excipientibus nihilominus Postulatoribus, & per invicta argumenta demonstrantibus, odium in Fidem fuisse veram causam mortis prædictorum Dei Servorum; atque adeo, quæ a Promotoribus adducta erant, ad mortis occasionem esse referenda; sacrorum rituum Congregatio censuit, constare de Martyrio & causa Martyrii, & uterque in Beatorum Martyrum numerum juxta alibi dicta relatus est. Denique in ecclesia Patrum S. Dominici in civitate Septempedana colitur B. Camilla Gentili, de cujus tamen cultu nullum usque adhuc judicium prolatum est vel a Sede Apostolica, vel ab Episcopo. Vitam scilicet ipsa cum morte commutavit circa annum 1486. ejusque cum laude meminerunt Michael Piò in libro, cui titulus, *De nobili progenie Patris Sancti Dominici in Italia, fol.* 250. Valerius Cancellotti *in historia ms. civitatis Septempedanæ*, & Joannes Baptista Cancellottus hujus filius, qui nomen dedit Societati Jesu, *in vita S. Severini Episcopi Septempedani fol.* 223. & *in vita Ven. Dei Servæ Franciscæ d'Alferone fol.* 39. Fertur autem Beata hæc Camilla fuisse a proprio viro interempta, cum adversus ejus præceptum sermonem habuisset cum Brandina Grassi sua genitrice. Hinc, cum a me petitum fuerit, quomodo conficiendus esset processus super ejus cultu immemorabili, ipse, quas potui & scivi, opportunas notitias præbui. Cum vero petitum subinde esset, an ea titulo Martyris decorari posset, quod, contemptis mariti minis, voluerit juxta Domini præceptum matrem honorare, caute tum dixi esse procedendum: cum etenim maritus Pierozzum Grassum Brandinæ consanguineum occidisset, & implacabili odio prosequens familiam Grassam uxori idcirco prohibuisset, ne cum Matre loqueretur; inferret quidem posse videbatur, Camillam sine sua culpa fuisse interemptam, sed de ejus Martyrio maximopere poterat dubitari, cum mors nullo modo ei inflicta fuisse videatur ex odio in Fidem.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De modo, quo probari potest, Persecutorem seu Tyrannum ex odio in Fidem motum fuisse ad mortem Martyri infligendam.

1.  STENSUM fuit in capite antecedenti, necesse esse ad Martyrium, ut mors a Tyranno infligatur ex odio in Fidem: nunc autem operæ pretium esse videtur ea exponere, quæ apta sunt ad id comprobandum.

2. Itaque id primo demonstrari potest ex sententia Persecutoris seu Tyranni, si mortem publica auctoritate decreverit. Præsto sunt Acta S. Justini *apud Ruinart. pag.* 50. *n.* 5. in quibus Præfectus talem sententiam pronuntiavit: *Qui Diis sacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt, flagello cæsi ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodum leges præcipiunt*; Acta S. Symphoriani Martyris *apud Ruinart. pag.* 71. *n.* 6. in quibus Judex furore succensus sic inquit: *Symphorianus publici criminis reus, qui Diis nostris sacrificare detrectans, majestatis sacrilegium perpetravit, sacris etiam altaribus irrogavit injurias, gladio ultore feriatur, ut, dum criminis funesta resecantur, Deorum pariter & legum vindicetur injuria*; Acta Proconsularia Martyrum Scillitanorum *apud Ruinart. pag.* 75. *n.* 5. in quibus Proconsul sic loquitur: *Speratum, Narzalem, Citinum, Veturium, Felicem, Acyllinum, Lætantium, Januariam, Generosam, Vestinam, Donatam, & Secundam, Christianos se esse, confitentes, & Imperatori honorem & dignitatem dare recusantes capite truncari, præcipio*; Acta S. Maximi Martyris *apud Ruinart. pag.* 133. *n.* 2. in quibus sic legitur: *Tunc Proconsul dedit in eum sententiam dicens: Eum, qui sacris legibus assensum noluit accommodare, ut magnæ Deæ Dianæ sacrificaret, ad metum reliquorum Christianorum obrui lapidibus, præcepit divina clementia*: Acta SS. Luciani & Marciani *apud Ruinart. pag.* 143. *num.* 7. in quibus Sabinus Proconsul dedit adversus eos sententiam dicens: *Quoniam Lucianus & Marcianus transgressores divinarum nostrarum legum, qui se ad Christianam vanissimam legem transtulerant, hortati a nobis atque conventi, ut adim-*

plen-

plentes invictissimorum Principum præcepta sacrificarent, & salvarentur, & contemnentes audire noluerunt, flammis exuri, præcipio; Acta Proconsularia S. Cypriani *apud Ruinart. pag.* 186. *n.* 4. in quibus Galerius Maximus sententiam protulit his verbis: *Diu sacrilega mente vixisti, & plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, & inimicum te Diis Romanis & sacris legibus constituisti, nec te pii & sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Cæsar ad sectam cæremoniarum suarum revocare potuerunt: & ideo, cum sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti. Sanguine tuo sancietur disciplina*: Quibus dictis, decretum ex tabella recitavit: *Thascium Cyprianum gladio animadverti, placet: Cyprianus autem Episcopus dixit: Deo gratias*; Acta Passionis S. Petri Balsami, quæ ita habent *pag.* 442. *n.* 2. *ibid. Tunc Præses dictavit adversus eum Sententiam dicens: Petrum admodum contemnentem invictissimorum Principum jussa propter Legem Dei sui Crucifixi sententiam subire crucis, præcipio*; Acta denique S. Eupli Diaconi & Martyris, in quibus legitur *pag.* 362. *n.* 3. *ibid. Calvisianus intra velum interius ingrediens sententiam dictavit, & foras egressus, afferens tabellam, legit: Euplium Christianum edicta Principum contemnentem, Deos blasphemantem, nec resipiscentem, gladio animadverti jubeo. Ducite eum. Tunc appensum est ad collum ejus Evangelium, cum quo apprehensus fuerat, proclamante hac præcone, Euplius Christianus inimicus Deorum & Imperatorum.* Porro sententiæ a Judice prolatæ adversus S. Restitutam Virginem & Martyrem extat exemplum in Actis ejusdem, quæ ex duplici manuscripto Caracciolus edidit, & Jacobus Castellius notis illustravit, ac typis edidit Neapoli anno 1742. *pag.* 28. ubi etiam *pag.* 162. *& seq. in notis* morem illustrat tituli, qui circumferebatur cum noxio, in quo breviter capita criminum continebantur, ut clarius populo causa, propter quam damnatus erat, innotesceret.

3. Secundo ex ipsa disceptatione demonstratur habita inter Tyrannum, & Martyrem in Actis descripta, ex qua clare desumitur, mortem fuisse *a* Tyranno inflictam Martyri propter odium in Fidem Christianam, utpote cultui ex. gr. idolorum adversam. Præsto sunt Acta Passionis SS. Pionii & Sociorum Martyrum, in quibus hæc habentur *apud Ruinart. pag.* 126. *num.* 19. *Igitur post paucos dies Smyrnam Proconsul, ut mos erat, rediit, oblatumque Pionium sic cœpit audire: Quis vocaris? Respondit Pionius: Pionius. Rursum Proconsul: Sacrifica. Ille respondit: Minime. Rursus Proconsul: Cujus Secta es? Pionius respondit: Catholica &c. Rursum Proconsul: Sacrifica ergo. Ille respondit: Ego Deum vivum adorare didici. Tum Proconsul: Omnes Deos colimus, & Cœlum, & eos, qui in eodem sunt. Quid autem aera aspicis? Sacrifica. Ille respondit: Non aspicio aera, sed Deum, qui aera fecit. Rursus Proconsul: Dic, quis fecit? Ille respondit: Non licet prodi. Rursus Proconsul: Necesse est, te Jovem dicere, qui in cœlo est, cum quo Dii, Deæque omnes sunt. Ergo sacrifica illi, qui est Deorum omnium, Cœlique Regnator.* Et n. 20. *Post hanc B. Martyris fixam firmamque sententiam, Proconsul, diu habitis cum Consiliatore sermonibus, cursus ad Pionium verba convertit: Perstas in proposito, & pœnitentiam nec sero testaris? Respondit ille: Minime. Rursus Proconsul: Haves liberam potestatem; quid te facere expediat, majore consilio, & longa deliberatione metire. Ille respondit: Minime. Tunc Proconsul: Quoniam festinas ad mortem, vivus pafsurus incendium es; & recitari jussit ex Tabula: Pionium sacrilegæ Visum mentis, qua, se Christianum esse, confessus est, ultricibus flammis jubemus incendi, ut & hominibus metum faciat, & Diis tribuat ultionem.* Præsto etiam sunt, ut multa alia omittantur, Acta SS. Martyrum Fructuosi Episcopi, Augurique, & Eulogii Diaconorum, in quibus eorum Passio sic describitur: *apud Ruinart. pag.* 191. *n.* 2. *Æmilianus Præses dixit: Fructuosum Episcopum, Augurium, & Eulogium intromittite. Ex officio dictum est: Adstant. Æmilianus Præses Fructuoso Episcopo dixit: Audisti, quid Imperatores præceperunt? Fructuosus Episcopus dixit: Nescio; quid præceperunt? Ego vero Christianus sum. Æmilianus Præses dixit: Præceperunt, Deos coli. Fructuosus Episcopus dixit: Ego unum Deum colo, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eo sunt &c. Æmilianus Præses Augurio Diacono dixit: Noli verbis Fructuosi auscultare. Augurius Diaconus dixit: Ego Deum omnipotentem colo. Æmilianus Præses Eulogio Diacono dixit: Numquid & tu Fructuosum colis? Eulogius Diaconus dixit: Ego Fructuosum non colo, sed ipsum colo, quem & Fructuosus. Æmilianus Præses Fructuoso Episcopo dixit: Episcopus es? Fructuosus Episcopus dixit: Sum. Æmilianus dixit: Fuisti; & jussit, eos sua sententia vivos ardere.* Sæculo III. illustre fuit Martyrium S. Mercurii. Ejus Acta Auctorem habent S. Simeonem Logothetam, & Laurentium Surium interpretem *ad diem* 25. *Nov. t.* 6. Prædictus Simeon florebat sæculo X. Alia Acta Passionis S. Mercurii scripta fuerunt ab Archisio, qui Beneventi morabatur sæculo VIII. Et hæc postrema Acta edita fuerunt, & notis illustrata a Victorio Giovardi, & typis Romanis impressa anno 1730. in eis autem *pag.* 25. ita legitur: *Aut sacrifica Diis* (verba sunt Tyranni) *quia ad hoc adduci te præcepi; aut, si non feceris, acerrimis mortium generibus excruciatus, biothanatus* (quæ vox significat morientem non morte naturali, sed violenta) *abibis in æternum.* Ad hæc autem B. Mercurius respondit: *Ego in hoc veni, non ut vincar, sed ut vincam, & coronam victoriæ percipiam a Domino meo Jesu Christo, qui me fecit una tecum dimicare.* Et concordant hujus ejusdem Martyris Acta carmine descripta a Landulpho Archiepiscopo Beneventano, Scriptore sæculi XII. quæ etiam dictus Giovardus edidit, & notis quoque illustravit.

4. Tertio ex beneficiis seu muneribus Martyri a Tyranno ante mortem oblatis, si a proposito resiliret. Passio magni Martyris Theodori exposita a S. Gregorio Nysseno *t.* 3. *oper.* in sua oratione rei præsenti maximopere favet. Cum enim Martyr imperterritus, minis non cessisset Tyranni: *Et scito* (verba sunt S. Gregorii *pag.* 1015.) *inquiunt, scito, quod, si consilium nostrum obedienter admittere volueris, protinus te ex obscuro nobilem, ex humili despectoque & inglorio honoratum efficiemus, ac tibi Pontificatus dignitatem promittimus.* In Passione quoque S. Quirini, de qua infra (*apud Ruinart. p.* 484. *n.* 2.) Maximus Præses inquit: *Eris Sacerdos magno Deo Jovi.* Rursus S. Basilius Magnus in oratione de S. Gordio Martyre *t.* 2. *op. p.* 146. *n.* 5. artes Præsidis narrat, quibus utebatur ut eum a vera religione removeret: *Cum autem non possent eum terroribus expugnare, resque fieri non posse, mutato consilio blanditiis aggrediebantur. Tale est enim artificium Diaboli, timidum perterrefacit, fortem extollit. Ejusmodi erant tunc quoque malefici Præsidis versutiæ. Nam posteaquam vidit eum minis nihil cedere, dolis ipsum atque illecebris circumvenire conatur. Pollicebatur munera, alia dabat, alia ab Imperatore tribuenda esse promittebat, locum in militia illustrem, largitiones pecuniarum, quidquid velit.* Idem S. Basilius in homil. de SS. Quadraginta Martyribus *t. cit. p.* 151. *n.* 4. Tyrannum repræsentat sic eos ad Fidem deferendam hortantem: *Juventutem vestram ne prodatis, neve cum morte intempestiva hujus vitæ jucunditatem commutetis. Nam ab re fuerit eos, qui in bellis fortiter agere consueverunt, maleficorum more interire.* Deinde pergit Basilius: *Ad hæc pollicebatur pecunias. Rursus dabat honores ab Imperatore, dignitatumque distributiones, atque sexcentis ipsos versutiis expugnare nitebatur.* In Actis demum SS. Martyrum Claudii & Asterii Lysias Præses inquit *pag.* 234. *n.* 1. *Domini nostri Imperatores jusserunt, Christianos sacrificare Diis, contradicentes puniri; cedentibus autem, honores & munera polliceri.* Claudius autem sic subdidit: *Munera eorum temporalia sunt; confessio vero Christi æterna est salus. Tunc Lysias Præses, in equuleo eum suspendi jussit.*

5. Quarto ex impunitate, seu liberatione Martyri a Tyranno oblata in eo rerum eventu, in quo a Fide Christi recederet. Præsto sunt Acta SS. Epipodii & Alexandri *pag.* 66. *num.* 8. ubi, interempto Epipodio Martyre, Persecutor recenti adhuc cruore respersus, Beatique Alexandri sanguinem sitiens, hunc *receptum in carcere, comperendinato examine, die interposito jussit suo præcepis offerri, ut ejus suppliciis non solum rabiem suam, verum etiam insaniam commoti & sævientis populi temperaret. Quem tamen etiamnunc hac percunctatione tentavit. Adhuc in potestate tua est, ut evadas Prædecessorum exempla, videasque quæ teneus: ita enim persecuti Christicolas sumus, ut pæne te solum arbiter relegisse. Nam præter alias cæsorum catervas, etiam stultitiæ tuæ collega succubuit; atque ideo tibi consulens, immortales Deos thuris accensione venerare.* Præsto sunt Acta Passionis S. Quirini Episcopi & Martyris, in quibus Amantius Præses sic eum alloquitur *pag.* 439. *num.* 4. *Ætatem tuam dolemus maculare verberibus; tamen sensum tuum optamus emendari sermonibus, & præmio promissa vita corrigere, ut reliquo senectutis tuæ tempore juxta legum Imperialium sanctionem Diis serviens perfruaris.* Quirinus vero ita respondet: *Quid de ætate dubitas; quam Fides inviolata reddere potest omnibus suppliciis fortio-*

tiorem? Nec tormentis frangitur mea confessio, nec vitæ præsentis delectatione corrigitur, nec timore mortis, quamvis acerbæ, mentis meæ soliditas perturbatur. Præsto sunt Acta Martyrii S. Nicephori, ex quibus habetur, Sapricium a Præside demandatum fuisse, ut vel Diis sacrificaret, vel mortem subiret, & Sapricium quidem imminente morte perterritum sacrificasse, & temporalem mortem evasisse *pag.* 211. *num.* 6. *Tunc dicunt lictores Sapricio: Flecte genua tua, ut caput tibi amputetur. Dicit autem eis Sapricius: Quare? Dicunt ei lictores: Quoniam noluisti Diis sacrificare, sed contempsisti edictum imperatoris propter hominem qui dicitur Christus. Hæc cum audisset miser Sapricius, respondit lictoribus dicens: Nolite me ferire; facio enim, quæ jusserunt Imperatores, & Diis sacrifico*. Post hæc autem S. Nicephorus lictoribus dixit *num.* 8. se Christianum esse, & proinde Martyrii palma fuit decoratus. *Unus autem ex lictoribus currens renunciavit Præsidi dicens: Sapricius quidem pollicetur, se Diis sacrificaturum. Et vero illic quidam alius, qui vult mori propter eum qui dicitur Christus, clamans & dicens libere, Christianus sum, & Diis vestris non sacrifico, nec obedio edictis Imperatorum. Postquam hæc audiit Præses, in eum tulit sententiam dicens: Si non sacrificat Diis immortalibus, prout jusserunt Imperatores, jubeo eum mori gladio. Tunc accipientes Sanctum Nicephorum eum capite truncarunt, ut Præses jusserat*. Præsto sunt Acta SS. Victoris, Alexandri, Feliciani, atque Longini Martyrum, quibus sic sermo fit de Passione S. Victoris *pag.* 159. *num.* 10. *Cumque peroraσset Martyr, impiissimi Præsides rationum pondere oppressi, Adhuc, inquiunt, Victor, philosophari non desinis? Unum tibi elige, aut placare Deos, aut cum summa infelicitate deperire. Si sic, inquit, proponitis, quod docuimus verbis, exempla firmandum est. Deos sperno, fateor Christum. Quæcumque potestis, date supplicia, cumulate tormenta*. Memoratu denique dignum est multorum millium Martyrum exemplum relatum apud Nicephorum *histor. lib.* 7. *cap.* 6. quorum commemoratio habetur in Martyrologio Romano *ad diem* 25. *Decembr. Nicomediæ Passio multorum millium Martyrum, qui cum in Christi natali ad dominicum convenissent, Diocletianus Imperator januas ecclesiæ claudi jussit, & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure præ foribus poni, ac præconem magna voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent & Jovi thus adolerent: cumque omnes una voce respondissent, pro Christo se libentius mori, incenso igne consumpti eo die nasci meruerunt in cælis, quo Christus in terris pro salute mundi nasci dignatus est*. Hic autem in transitu adnotare fas sit, juxta Romanas leges pœnitentiam non excusare delictum, & præcipue reo jam constituto ad tribunal Judicis; uti habetur in *l. Qui ea mente* 65. *ff. de furtis*, & *in l.* 3. *C. de Apostatis*. Ad summum sera hæc pœnitentia prodesse poterat, & forsitan hodie etiam potest pro pœna temperanda, teste Tiraquell. *de pœnis temperandis caus.* 28. *n.* 4. *tom.* 5. Tanta autem erat multitudo eorum, qui Christo nomen dederant, ut existimatum fuerit esse necessarium, ut Christianis etiā coram Judice constitutis venia daretur, si a fide Christi recederent: unde Plinius *lib.* 10. *epist.* 97. *in fin.* Trajano suadet, ut venia multitudini detur, si a Christo recedat: *Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si fiat pœnitentiæ locus*. Cui Trajanus respondit: *Quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret*. Legi potest Jacobus Castellius in suis adnotationibus ad Acta S. Restitutæ Neapoli impressis anno 1742. *pag.* 102. Et, si fas est veteribus recentiora admiscere, prodesse posse videtur exemplum Thomæ Mori Martyris, licet adhuc non vindicati. Editum fuerat a Senatu Anglicano decretum, quod Thomas approbare non poterat, de Rege videlicet capite Ecclesiæ Anglicanæ; & ex hoc, & aliis ipsi oppositis Judex inferebat, eum decreto regni hostiliter adversari, Regis potestatem abnegare, læsæ majestatis reum esse. Cancellarius qui Moro successerat, & Nortfolciæ Dux eum compellarunt, promittentes veniam a Rege, si, ut ipsi ajebant, voluisset resipiscere, & animi pertinaciam deponere. Morus autem ad hæc reposuit: *Amplissimi viri, magnas quidem ex animo hanc humanitati vestræ gratias ago; Deum tamen omnipotentem ex animo oro, ut in hac orthodoxa, qua sum, sententia ita me confirmet, ut usque ad mortem in ea perseverem*: uti habetur in ejus vita *tom.* 4. *part.* 2. *oper.* Thomæ Stapletoni *pag.* 1046. *cap.* 18.

6. Quinto, probationem mortis ex odio in Fidem illatæ firmam & luculentam esse, dicendum est, si ex Actis Martyrii concludenter, ut ajunt, ostendatur, inflictam fuisse Dei servo, eo quia Christianus erat; vel quia noluit aliquid facere, quod recessum a Fide Christiana significaret, aut aliquam rem a Fide Christiana vetitam, aut quæ ratione circumstantiarum stare non posset cum præceptis Christianæ religionis, aut religioni Christianæ detrimentum afferret; vel quia aliquid fecit cum religione Christiana concors, quod injustis Tyrannorum legibus vetitum fuerat. Exemplum eorum, quibus mors inflicta fuit, eo quia Christiani erant, refertur ab Eusebio *histor. Ecclef. lib.* 4. *cap.* 17. *pag.* 577. in qua sic describitur Martyrium SS. Ptolemæi, Lucii, & alius Anonymi: *Centurioni cuidam amico suo persuasit* (sermo est de Martyrum accusatore) *ut Ptolemæum comprehenderet: eumque in vincula conjiciens hoc unum interrogaret, esset ne Christianus; cumque Ptolemæus, utpote amantissimus veri, & ab omni fraude ac mendacio alienus, Christianum se confessus esset, eum Centurio custodiæ mancipavit, diuque in carcere afflixit. Oblatus tandem Urbicio Judici Ptolemæus id unum similiter interrogatus est, utrum esset Christianus. Ille vero, qui, per Christi doctrinam cuncta se bona consecutum esse, intelligeret, illam cælestis ac Divinæ virtutis institutionem iterum confessus est .... Cum vero Urbicius, Ptolemæum ad supplicium duci, jussisset, Lucius quidam, qui & ipse Christianus erat, adeo injustam audiens sententiam sic Urbicium allocutus est: Quid causæ est, inquit, ut hominem neque adulterii, neque stupri convictum, nec homicidam, nec furem, nec raptorem, nec ullius denique sceleris reum, nominis duntaxat Christiani vocabulum confitentem condemnaveris? Hujusmodi forma judicii non convenit temporibus Imperatoris Pii, nec Philosophi Cæsaris filii, nec Senatui Romano. Tum Urbicius nullo alio responso hominem dignatus, sic eum alloquitur: Tu quoque inquit, Christianus esse mihi videris. Cumque Lucius, ita esse, respondisset, jussus est itidem ad supplicium duci; statimque, magnam se gratiam Urbicio debere, professus est, quippe qui hujusmodi malis Dominis liberatus, ut ajebat, ad optimum Patrem Regemque esset migraturus. Sed & tertius quidam cum accessisset, eodem supplicio condemnatus est*. Conferunt etiam ea quæ habentur apud Sozomenum de Martyrio S. Simeonis Episcopi & aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum in Perside *lib.* 2. *hist. Ecclef. c.* 9. & *seqq. pag.* 57. Cum etenim senex quidam Eunuchus nomine Usthazanes, qui fuerat nutritor Regis Saporis, & Præpositus domus Regiæ, solem adorasset, licet esset Christianus, deinde pœnitens facti errorem publice retractasset, Sapor ira succensus caput illi præcepit amputari. *Qui cum ad id supplicium duceretur a spiculatoribus, rogavit eos, ut paululum expectarent, quasi quidpiam Regi indicaturus esset. Vocatoque ad se Eunucho quodam fidelissimo, mandat, ut ista Sapori nuntiaret. Quanta semper benevolentia ab ineunte ætate ad hoc usque tempus erga familiam tuam, o Rex, affectus fuerim, dum parenti tuo, ac tibi, qua par erat cura ac diligentia ministrarem, nullis mihi testibus opus esse arbitror, apud te præsertim, qui rem explorate nosti. Pro omnibus igitur officiis, quæ vobis grata ac jucunda aliquando præstiti, hanc mihi mercedem redde, ut ignaris non videar tanquam infidelis erga regnum tuum, aut tanquam in maleficio aliquo deprehensus, subire supplicium. Utque id palam fiat, præco clamans significet universis Usthazanem capite truncari nullius quidem flagitii reum in palatio compertum unquam, sed Christianum, & qui a Rege induci non potuerit, ut Deum suum negaret*. Et Eunuchus quidem ista nuntiavit, & Sapor, juxta petitionem Usthazanis præconem proclamare, jussit.

7. Exemplum aliorum, quibus mors inflicta fuit, eo quia noluerunt aliquid facere, quod significaret recessum a Fide Christiana, constitui potest in his qui a Tyranno morte affecti sunt, quia noluerunt Diis immolare, uti supra dictum est. In qua pariter classe recensendi videntur illi, quos Tyranni ad mortem condemnarunt, eo quia vesci noluerunt cibis qui fuerant Diis immolati, inter quos præcipue enituerunt Agatho, Agape, Chionia, Irene, Cassia, Philippa, & Eutychia. In Actis siquidem Passionis earum Scriba sic locutus est *pag.* 348. *n.* 3. *Scito, mi Domine* (alloquebatur Dulcetium Præsidem) *Agathonem, Agapem, Chioniam, Irenem, Cassiam, Philippam; & Eutychiam nolle his vesci, quæ Diis sunt immolata. Eas igitur ad tuam Amplitudinem adducendas esse, curavi*. Etenim quadruplicis generis erant idolothyta: primum quidem, cum Ethnici mensis appositi, priusquam de cibo gustarent, aliquam partem de pane vel extis projiciebant in ignem, & vinum igni inspersum Jovi libabant, juxta illud Virgilii Eneid. 4. v. 206.

Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem.

Secun-

Secundum erat, cum animal mensæ destinatum prius idolo mactabatur, idque vel verbis, & invocando nomen idoli vel factis, animal scilicet in apertis campis jugulando, ut Dæmones, qui præesse ruribus censebantur, sparso sanguine, quem idcirco nullo cooperiebant pulvere, vescerentur. Tertium erat, cum de animali mactato portio aliqua numini dabatur, tum residuæ partes in cibum Sacerdotum, vel offerentium cedebant, juxta illud Ovidii 12. Met. v. 154.

Sacra tulere suam: pars est data cetera mensis.

Quartum constituebatur in his quæ Gentium religio Dæmonibus reservabat, non ritu quidem speciali, sed generali decreto & opinione, ut erat sanguis & suffocatum, quæ Dæmonibus communi fide & assensu addicebantur. Cum autem hæc omnia Christianis prohibita fuissent in Apostolicis decretis Concilii Hierosolymitani, quippe quæ essent signa & irritamenta idololatriæ, & abstinere conveniens esset ab omnibus his quæ falsæ religionis professionem redolebant, juxta illud Apostoli 1. *Cor.* 10. *v.* 20. *Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum*; non solum prædicti, sed alii quoque Martyrium ex eadem causa subierunt. Quare apud S. Joannem Chrysostomum *homil. in S. Lucianum tom. 2. oper. pag.* 524. Martyrium extollitur S. Luciani Presbyteri Antiocheni, qui fami a Tyranno expositus, & post longam inediam ad mensam invitatus idolothytis refertam comedere recusavit; & in epistola Ecclesiæ Gothicæ Sanctus quidam Presbyter, & Sanctus Sabas cibos idolis immolatos ab Athalarico Tyranno sibi missos ad comedendum constantissime respuerunt.

8. Quod autem attinet ad exemplum illorum, quibus mors illata est, quia aliquid facere noluerunt a Fide Christiana vetitum, celeberrimum est Martyrium S. Polycarpi Episcopi relatum in epistola Ecclesiæ Smyrnensis, *apud Ruinart. pag.* 29. *num.* 9. In ea enim Tyrannus ait: *Debes jurare per Cæsarem, Cæsarisque fortunam &c. Tunc Polycarpus ore semicluso, & quasi non suo, sed alieno sermone loqueretur, clausis pæne faucibus, populum qui in arena erat respexit universum, impium vel profanum, tractoque ex intimo corde suspirio, majestatem cæli intuens ait: Tolle impios. Et cum assiduus præceptor assisteret, enuntians: Jura fortunam Cæsaris, & posteris relaxari &c. ait: Quid me cogis jurare per Cæsarem? Aut professionem meam fortasse non nosti? Palam me Christianum dico, & quo magis irasceris, ego gaudeo. Tu si vis Legis hujus scire rationem, diem da a qua incipies audire vel discere.* Sciendum quippe est, non licuisse Christianis jurare per fortunam, aut genium Cæsaris, quod hæc a Gentilibus pro Diis haberentur, quamvis per Cæsaris salutem eis jurare permissum esset, ut ait Tertullianus *apolog. cap. 32. pag.* 63. Quocirca in Martyrio S. Potamianæ Virginis Alexandrinæ in historia Palladii ad Lausium *apud Ruinart. in Act. Martyr. pag.* 103. *num.* 2. refertur, eam sic allocutam fuisse Tyrannum: *Per caput Imperatoris, quem tu times, si statuisti sic me supplicio afficere, ut jusseris me exui.* Et in Actis SS. Marciani & Nicandri Martyrum *pag.* 486. *num.* 3. postquam Præses dixit: *Ecce pro desiderio vestro morti trademini.* Marcianus inquit: *Per salutem tibi petimus Imperatorum, ut nos citius mittas; nec enim suppliciorum formidine id te, ut facias, adjuramus, sed ut cito nostro desiderio potiamur.* Illi quoque, qui ad mortem a Tyranno damnati sunt, eo quia, cum essent Christiani & Exceptoris officio fungerentur, officium id deseruerunt, ne sententias capitales scriberent quæ a Persecutoribus adversus reliquos Christianos proferebantur, ad hanc classem referri possunt: inter quos recensetur S. Cassianus Martyr Tingitanus, in cujus Actis *pag.* 267. habetur, graphium & codicem in terram projecisse, cum Aurelium Auricolanum audivit sententiam mortis proferentem adversus S. Martyrem Marcellum. Quare nedum in Martyrologio Usuardi, & Galesinii, sed etiam in Martyrologio Romano sequens de eo profertur *ad diem* 3. *Decembris* elogium: *Tingi in Mauritania Passio Sancti Cassiani Martyris, qui Exceptoris diu gerens officium, tandem cælitus inspiratus, execrabile duxit, Christianorum neci deservire; unde renuntians eidem officio, sub Christiana confessione triumphum meruit obtinere Martyrii.* Repeti etiam hic posset exemplum S. Genesii de quo *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4.

9. Exemplum pariter eorum quibus mors a Tyranno illata est, eo quia aliquid facere noluerunt, quod ratione circumstantiarum stare non poterat cum præceptis Christianæ religionis, colligi potest ex Actis Martyrii S. Maximiliani *pag.* 263. *num.* 1. qui morti damnatus est, quoniam noluit militem agere: *Mihi non licet militare, quia Christianus sum.* Maximilianus quippe militiam non respuit, quasi per se mala esset; cum inter SS. Martyres multi, qui sub Imperatoribus ethnicis militabant, relati sunt; Quadraginta videlicet Martyres a S. Basilio Magno *in homilia supra citata* memorati; Arcadius, cujus obitus describitur in libro *de agonibus Martyrum*; Bonosus & Maximianus, quorum memoria celebratur in Martyrologiis Usuardi, Galesinii, & Baronii, & alii plures; sed ob occasiones peccandi, quas ipsi militantes sub Imperatoribus ethnicis frequenter experiebantur. Quocirca in Actis S. Marcelli Centurionis & Martyris *pag.* 265. *n.* 1. sic legitur: *In civitate Tingitana, procurante Fortunato Præside, advenit natalis dies Imperatoris. Ibi cum omnes in conviviis epularentur atque sacrificarent, Marcellus quidam ex Centurionibus legionis Trajanæ profana reputans illa convivia, rejecto etiam cingulo militari coram signis legionis, quæ tunc aderant, clara voce testatus est dicens: Jesu Christo Regi æterno milito. Abjecit quoque vitem & arma, & addidit: Ex hoc militare Imperatoribus vestris desisto, & Deos vestros ligneos & lapideos adorare contemno, quæ sunt idola surda & muta. Si talis est conditio militantium, ut Diis & Imperatoribus Sacra facere compellantur, ecce projicio vitem & cingulum, renuntio signis, & militare recuso.* Legi potest dissertatio Patris Lupi *de antiqua disciplina Christianæ militiæ pag.* 251. *& seqq. tom.* 1. ubi congesta undique eruditione ostendit, Christianis licuisse militem agere etiam sub Principe ethnico; debuisse autem militiam deserere, & cingulum militare abjicere, si sacrilega Principis jussa evadere non potuissent.

10. Quod postea spectat ad mortem Martyri inflictam, eo quia aliquid facere noluit, quod Christianæ religioni detrimentum afferret, reminisci opus est, bellum sacris Codicibus indictum fuisse ab hostibus Christianæ religionis, cum animadvertissent Divinarum Scripturarum lectiones plurimum valere ad confirmandos Fidelium animos in suo proposito; mandatumque propterea fuisse, ut ubique terrarum flammis absumerentur. Edictum hoc per omnes Imperii Romani provincias promulgatum multos Ecclesiæ Martyres peperit; sed præcipue in Africa, ubi complures hac occasione mortem pertulere. Idem edictum pervenit ad civitatem Tubzocensem, cui Felix Episcopus præerat; cumque ipse sacros Libros tradere constanter renuisset, ad diversa tribunalia etiam trans mare ductus, die tandem 30. Augusti apud Venusium Apuliæ urbem gladio percussus Martyrium complevit, atque adeo in Actis Passionis ipsius Persecutor sic eum alloquitur *pag.* 313. *num.* 2. *Felix Episcope, da libros, vel membranas, quascumque habes. Felix Episcopus dixit: Habeo, sed non do. Magnilianus Curator dixit: Prius est, quod Imperatores jusserunt, quam quod tu loqueris. Da libros, ut possint igne aduri. Felix Episcopus dixit: Melius est, me igne aduri, quam Scripturas Deificas; quia bonum est obedire Deo magis, quam hominibus. Magnilianus Curator dixit: Prius est, quod Imperatores jusserunt, quam id quod tu loqueris. Felix Episcopus dixit: Prius est præceptum Domini, quam hominum.* Consimilia habentur in Martyrio Vincentii Archidiaconi, quod a vetere Poeta Prudentio *peristeph. hymno* 2. *v.* 177. describitur, in quo Dacianus Præses his verbis sanctum Martyrem compellat:

Si tanta callum pectoris
Praedurat obstinatio,
Pulvinar ut nostrum manu
Abomineris tangere,
Saltem latentes paginas,
Librosque opertos detege,
Quo Secta pravum seminans
Justis crematur ignibus.

Martyr autem ita respondat:

Quem tu, maligne, mysticis
Minaris ignem litteris,
Flagrabis ipse hoc justius;
Rhomphæa nam cælestium
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.

11. Concordant Acta Saturnini Presbyteri & Sociorum, quæ primum quidem ex sincerissimis Proconsularibus Actis sumpta in Ecclesia legebantur, deinde, cum sæculo IV. interpolata fuissent, beneficio vetustissimorum manuscriptorum codicum emendata fuerunt a Balutio, & publici juris facta *tom.* 2. *miscellan. Pagina*

quippe 57. *n.* 2. in eis sic legitur: *Temporibus namque Diocletiani & Maximiani bellum Diabolus Christianis indixit isto modo, ut sacrosancta Domini Testamenta Scripturasque Divinas ad exurendum peteret &c. Sed non tulit exercitus Domini Dei immane præceptum, sacrilegamque jussionem perhorruit, & mox Fidei arma corripuit, descendit in prælium non tam contra homines, quam contra Diabolum pugnaturus.*

12. Demum exemplum eorum, quibus Tyranni mortem intulerunt, eo quia aliquid fecerant cum religione Christiana concors, quod injustis eorum legibus vetitum fuerat, habemus ex Actis SS. Saturnini, Dativi, & aliorum plurimorum Martyrum in Africa jam supra commemoratorum. In his enim SS. Martyres judicio postulati, quod sacram *Synaxim* contra Imperatoris præceptum egissent, sic Proconsuli responderunt. Proconsul nempe Felicem interrogavit *pag.* 343. *n.* 12. *& seqq. Si in collecta* fuisset. Felix autem respondit: *Quasi Christianus sine dominico esse possit, aut dominicum sine Christiano celebrari? An nescis, Satanas, in dominico Christianum, & in Christiano dominicum constitutum?* Et post alia: *Ego devota mente celebravi dominicum, collectam cum Fratribus feci, quia Christianus sum.* Cumque deinde Proconsul a Saturnino quæsivisset, an interfuisset, *Tu, Saturnine, interfuisti?* Saturninus respondit: *Christianus sum.* Proconsul inquit: *Non a te quæro hoc, sed utrum egeris dominicum.* Cui respondit Saturninus: *Egi dominicum, quia Salvator est Christus.* Dominicum quippe sacra mysteria designabat, juxta illud S. Cypriani *in epist.* 63. *ad Cæcilium col.* 231. *Numquid ergo dominicum post cœnam celebrare debemus?* hoc est, numquid Divinum Sacrificium celebrare post cœnam debemus? quemadmodum scite explicat Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrol. Rom. ad diem* 25. *Decembris.*

13. Hactenus relata desumpta sunt ex Actis sinceris Martyrum a Ruinartio collectis, eaque maximopere prodesse possunt in examine causarum, quæ in sacrorum rituum Congregatione pertractantur, & signanter, quando proponitur dubium de Martyrio, & causa Martyrii. In causa Viginti sex Martyrum Japonensium Ord. B. Francisci Fratrum Discalceatorum, ut ostenderetur, mortem fuisse Dei Servis ab Imperatore Japoniæ inflictam ex odio in Fidem, magnum momentum repositum fuit in sententia mortis ab eo lata, quæ in processum compulsorialem Manilæ confectum inserta erat, & de qua Rotæ Auditores in relatione causæ exhibita summo Pontifici Urbano VIII. *art.* 2. In causa B. Joannis de Prado magnum pariter momentum repositum fuit in contestatione ab ipso habita cum Infideli Rege Marochitano, qui ipsum propria manu interfecit, de veritate Christianæ religionis, & falsitate sectæ Mahumetanæ. In causis BB. Josaphat Polloceosis, Petri de Arbues, Fidelis a Sigmaringa magna sane diligentia ostensum fuit a Postulatoribus, mortem ipsis non ex alia causa inflictam fuisse, quam quia Catholicam religionem promovebant, Hæreses insectabantur, & ad Hæresim abjurandam populum, prædicando, incitabant. In causa eorum Martyrum Japonensium, in quibus (uti dictum est) responsum fuit, constare de Martyrio ex parte Tyranni, strenui Postulatores finem persecutionis, & media, quibus persecutionis finis quærebatur, probationibus & conjecturis in aperto posuerunt, ut, mortem a Tyranno inflictam ex odio in Christianam Fidem provenisse, demonstrarent. In *moralibus* etenim finis est, qui dat esse rei & speciem actionis, & ex mediis adhibitis sæpe dignoscitur, qualis fuerit finis a Persecutore seu Tyranno intentus; uti late explicant Suarez *in defens. Fidei Cathol. adversus errores Anglicanæ sectæ lib.* 6. *cap.* 10. *per tot.* præsertim vero *a num.* 4. *usque ad* 8. & Hurtado *in resolut. de ver. Martyr. resolut.* 39. *n.* 4. In quadam causa nonnullorum qui Martyrio coronati dicebantur, dum munere fungebar Fidei Promotoris, memini, in magno pretio fuisse difficultatem ab Antecessoribus meis & a me ipso excitatam, mortem scilicet non fuisse inflictam ex odio in Fidem, cum Religiosis unius Instituti fuerit a Tyranno inflicta, non autem aliis alius Instituti; licet omnes ob Evangelii prædicationem morte multandi videri potuissent, si mors ex odio in Fidem, non autem ex alia ratione causam habuisset. In universum denique nomine odii in Fidem intelligi dicitur directa & immediata Fidei insectatio ad extorquendam a Fidelibus veræ Fidei negationem, aut Divinæ Legis violationem. Item nomine odii in Fidem intelligitur insectatio alicujus ob opus ex Christi doctrina necessarium. Demum nomine odii in Fidem intelligitur insectatio ob exercitium operis ex se boni, & aliquo tandem modo ad Fidem propagandam, sive tuendam, sive illustrandam tendentis, at lege humana iniqua prohibiti; uti late prosequitur Theophilus Raynaudus *in sæpe cit. tractatu de Martyrio per pestem part.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. Miserabilis quoque, infausta, & extraordinario insolitoque modo mors a Persecutoribus & Tyrannis obita, si non probationem, adminiculum saltem suppeditare poterit, ut pie credamus, ab eis Dei servos fuisse morte multatos ex odio in Fidem Catholicam, aut in aliquam rem ad Fidem relatam. Scatet nimirum hujus generis conjecturis totus liber Lucii Cæcilii Firmiani Lactantii *de mortibus persecutorum*, ubi *c.* 2. agit de morte Neronis, *cap.* 3. de morte Domitiani *cap.* 4. de morte Decii, *cap.* 5. de morte Valeriani, *cap.* 6. de morte Aureliani, *cap.* 7. 17. 19. *&* 42. de morte Diocletiani, *cap.* 8. 29. *&* 30. de morte Maximiani Herculei, *cap.* 35. de morte Valerii Maximiani, *cap.* denique 47. *&* 49. de morte Maximini.

14. In Actis S. Cæsarii ad mortem damnati a Luxurio, qui potestatem acceperat ab Imperatore Trajano, legitur *apud Surium* 1. *Novembris pag.* 4. *tom.* 6. Cæsarium Luxurio dixisse: *Me quidem aqua* (fuit enim sacco inclusus una cum S. Juliano Presbytero, & in mare demersus) *quæ regeneravit tanquam filium suum ex se renatum suscipiet.... Te vero, Luxuri, hodie comedet coluber, ut cognoscat omnis hæc regio, quod vindicet. Dominus sanguinem servorum suorum, & virginum* (Domitillæ videlicet, Euphrosynæ, & Theodoræ) *quas tu ignibus concremasti.* Post demersos autem Sanctos in mare, Luxurius equo insidens, ad villam suam pransurus festinans, cum quamdam præteriret arborem, serpens lapsus est per caput ejus inter collum & tunicam, atque inde ad ventrem, lateraque ejus lacerans, usque ad cor illius penetravit. Totus igitur intumescens jacebat humi; sed tamen, priusquam animam efflaret, vidit oculis suis psallentes Angelos, & admodum honorifice corpora SS. Juliani & Cæsarii ex undis exportantes. Mortem a serpente illatam Luxurio Ado & Usuardus traduxerunt ad Acta S. Hiacynthi Martyris in Portu Romano, de quo Martyrologium Romanum *ad diem* 26. *Julii*. Sed eorum lapsum refellit Joannes Marangoni in suis illustrationibus ad Acta S. Victorini Romæ editis anno 1740. *pag.* 45.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De reliquis in Martyre necessariis ante Martyrium.

1. MARTYRIUM dicitur Baptismus sanguinis, juxta illud Marci 10. *v.* 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Quamvis enim Martyrium sit actus Fortitudinis & Charitatis, id nihilominus sibi vindicat locum quoad adultos: secus autem quoad infantes, qui sine Baptismo fluminis moriuntur, cum quoad hos sufficiat, occisos fuisse ex odio in Christum; ita ut dubitandum non sit in eis de vi & efficacia Martyrii, quin suppleat vices Baptismi aquæ, & quin per consequens peccatum originale quoad culpam & pœnam ex opere operato deleat. In Martyrio quippe configuratur homo ad Christi Passionem & mortem per *configurationem realem*; at in Baptismo aquæ configuratur ad Christi Passionem & mortem per *configurationem sacramentalem*. Plures congeri possent ad id facientes Patrum & Theologorum auctoritates: sed satis esse poterit doctrina S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 123. *art.* 1. *ad primum*, ubi hæc habet: *Martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti; nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit Baptismatis: unde, sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occisis propter Christum meritum Martyrii operatur ad palmam Martyrii consequendam.* Quæ pariter doctrina ab eodem S. Doctore traditur 3. *part. quæst.* 66. *art.* 12. & *in* 4. *sent. dist.* 4. *qu.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. eamdemque late exornat Cardinalis Bellarminus *de sacram. Baptismi lib.* 1. *cap.* 6. §. *Probabilior sententia*; & hanc communem esse & veram Theologorum sententiam, ostendit Vasquez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 2. *quæst.*

68. *art.*

68. *art.* 3. *disput.* 153. *cap.* 7. §. *Communis tamen &c.*

2. Conferunt quoque ea quæ *lib.* 1. *cap.* 14. *a nobis* allata sunt de pueris ab Herode interfectis, quos diximus cultum Martyrum habere in Ecclesia. Quare inquit S. Augustinus *lib.* 3. *de libero arbitrio cap.* 23. *n.* 68. *col.* 638. *tom.* 1. *oper. Etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.* Quem ceteri Patres sequuntur collecti ab erudito viro Antonio Sandino *in histor. familiæ sacræ ex antiquis monumentis collecta, & Patavii edita anno* 1734. *pag.* 60. & Ecclesia *in Oratione festi eorundem* sic loquitur: *Deus, cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt &c.* Nec enim cultum Martyrum omnes simul & indiscriminatim habere possent, si in eorum aliquibus Martyrium ex opere operato culpam & pœnam non delevisset: Dictum est omnes simul & indiscriminatim cultum Martyrum habere non posse; qui etenim octavam diem a die suæ nativitatis excesserant, & ideo circumcisi fuerant, nec peccato originali, nec ejus pœnæ obnoxii esse poterant, sive deinde Circumcisio gratiam conferret ex opere operato juxta sententiam Scoti, cui adhæret Hugo de Sancto Victore *lib.* 1. *de Sacramentis part.* 12. *cap.* 2. *tom.* 3. sive ex opere operantis juxta doctrinam D. Thomæ 3. *part. quæst.* 62. *art.* 6. *ad tertium, & quæst.* 70. *art.* 4. *per totum.*

3. Ab horum porro puerorum exemplo inferunt Theologi, infantes omnes, qui pro Christo occiduntur, veros esse Martyres. Vel etenim, ut ipsi subdunt, aliquod speciale intercessit privilegium in pueris ab Herode interfectis, vel nullum; si nullum, concludunt, omnes infantes, etsi carentes usu rationis, dummodo pro Christo occidantur, esse posse Martyrii capaces: si vero privilegium intercessit, ajunt id non personis, sed causæ fuisse concessum, & ideo sibi debere vindicare locum quoad omnes, qui in eadem causa versantur; quemadmodum fuse legi potest apud Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 3. *disput.* 29. *sect.* 1. *pag.* 344. *edit. Lugdun. an.* 1614. Joannes Major *in cap.* 2. *Matthæi dub.* 2. *circa litteram* considerat, infantes ab Herode occisos obiisse in primo Christi adventu in orbem, & idcirco specialem aliquam prærogativam obtinere potuisse, ad quam alii infantes progressu temporis, pro Christo occisi, non sunt admittendi: exemplo Principis, qui in primo ingressu in aliquam insignem urbem liberat detentos in carceribus, quod alias non præstat. Sed hæc voluntaria & gratis excogitata coarctatio beneficentiæ Christi in infantes pro Fide cæsos quolibet carere videtur fundamento. Quocirca et præferendus videtur Vasquez, qui *in* 3. *part. S. Thomæ tom.* 2. *quæst.* 68. *disput.* 153. *cap.* 7. *art.* 3. hæc habet: *Porro quamvis non tam certum sit id quod diximus de aliis infantibus pro Christo occisis, quam de illis qui hac ex causa ab Herode interfecti sunt, quia pro interfectis ab Herode Ecclesiæ traditionem & doctrinam Patrum pleniorem habemus, nihilominus indubitatum apud nos esse debet, eamdem rationem esse de omnibus, qui post adventum Christi propter ipsum occisi sunt.* Sententias Scholasticorum pro hac re affert, & etiam Patrum, & signanter S. Bernardi *serm.* 66. *in Cantica*, cui addi potest sermo unicus ejusdem S. Bernardi *in nativitate SS. Innocentium vol.* 1. *pag.* 794. *n.* 2.

4. Item, ad ulteriora progrediendo, passim iidem Theologi docent, infantes etiam in maternis uteris occisos, veros esse Martyres, & gratiam sanctificantem accipere, sive ex odio in Fidem occidantur simul cum matre, sive eadem superstite. Neque enim in contrarium urget textus *in can. Qui in maternis, de consecrat. dist.* 4. ubi dicitur: *Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest.* Respondent quippe, textum loqui de Baptismo aquæ, non autem de Baptismo sanguinis; atque adeo ab uno fieri non posse illationem ad alium, Baptismus aquæ consistat in ablutione, Baptismus autem sanguinis in morte, & aquæ ablutio fieri vere non possit in pueris adhuc in utero matris existentibus, mors vero iisdem, licet in maternis uteris existentibus, vere infligi possit, & infligatur. Ita Hurtado *in resolut. de vero Martyrio resolut.* 20. §. *His rejectis*, Cardinalis Capisucchius *in sæpe cit. controv. de Martyr. quæst.* 2. §. 3. *per tot.* Bonacina *oper. moral. tom.* 1. *disput.* 2. *de Baptismo quæst.* 1. *punct.* 1. *proposit.* 2. *num.* 7. late Theophilus Raynaudus *de Martyrio per pestem part.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. Vasquez *tom.* 2. *in* 3. *part. disput.* 153. *cap.* 7. Clericat. *de Baptis. decis.* 27. *num.* 8. *& decis.* 52. *n.* 3. Tantum inter infantes, & adultos hanc statuunt differentiam, ut Martyribus adultis *Aureola* competat, quæ non competit Martyribus infantibus, juxta doctrinam D. Thomæ *in* 4. *sent. dist.* 49. *qu.* 5. *quæstiunc.* 2. *ad* 12. ubi postquam retulit opinionem illorum, qui docebant, Innocentibus ab Herode occisis Divina virtute acceleratum fuisse usum rationis, & ideo Martyres fuisse voluntate & actu, & *Aureola* (quæ scilicet opinio ab eodem S. Doctore perhibetur 2. 2. *qu.* 124. *art.* 1. *ad primum*) opinionem istam refellens sic scribit: *Sed alii dicunt, quod fuerunt Martyres actu tantum, & non voluntate; quod videtur sentire Bernardus distinguens tria genera Martyrum, & secundum hoc Innocentes sicut non pertingunt ad perfectam rationem Martyrii*, (in quantum scilicet Martyrium est actus virtutis & fortitudinis) *sed aliquid Martyrii habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo; ita etiam Aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem, in quantum scilicet gaudent, se in obsequium Christi occisos esse, ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, & carnis integritate.*

5. Conjunctio scilicet hominis cum Deo per ejus perfectam visionem & fruitionem dicitur corona aurea, sive absolute *aurea* per modum nominis substantivi, sicuti corona triumphalis lauro conserta per modum nominis substantivi dicitur laurea. Porro, cum beatitudini essentiali, gaudio videlicet de conjunctione cum Deo, aliud præmium accidentale addatur, id est gaudium quoddam de operibus factis, quæ habent rationem victoriæ excellentis, juxta doctrinam D. Thomæ *in* 4. *sent. dist.* 49. *quæst.* 5. *art.* 5. gaudium hoc *Aureola* dicitur, quasi parva corona: *Aureola est quoddam privilegiatum præmium privilegiatæ victoriæ respondens.* Cumque privilegiata victoria tres præcipue pugnas respiciat, pugnam scilicet contra carnem, quando nimirum pugnans victoriam obtinet abstinendo a delectationibus venereis; pugnam contra mundum, cum quis a mundo persecutionem patitur pro Christo usque ad mortem; & pugnam contra Diabolum, cum aliquis hostem hunc non solum a se, sed etiam a cordibus aliorum removet, quod fit per doctrinam & prædicationem: hinc est, quod, quidquid Fridericus Spanhemius *in suis dubiis Evangelicis part.* 3. *dub.* 89. impie adversus *Aureolas* effutire ausus sit, juxta doctrinam memorati Sancti Doctoris triplex datur *Aureola*, una Virginum, alia Martyrum, tertia Doctorum, de quibus plura collecta videri possunt apud Scotum in 4. *sent. dist.* 49. *quæst.* 5. *art.* 2. *conclus.* 1. Theophilum Raynaudum *tom.* 18. *lib. de Martyrio per pestem part.* 2. Cardinalem Capisucchium *in controv. de Martyrio qu.* 2. §. 24. *& plurib. seqq.* Maurum *Theolog. tom.* 3. *lib.* 11. *tract.* 12. *quæst.* 100. Quocirca, si in infantibus pugna deest, docent Theologi, eos utique veros Martyres esse, *sed Aureolam* Martyrii non obtinere.

6. A Nobis alibi, hoc est *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. & 4. nonnulla allata sunt exempla puerorum ex odio in Fidem Christianam occisorum, qui inter Martyres recensentur. Sed alia quoque addi possunt. In Martyrologio Romano *ad diem* 16. *Junii* sic legitur: *Tharsi in Cilicia Sanctorum Martyrum Quirici & Julittæ matris ejus sub Diocletiano Imperatore, quorum Quiricus triennis puellus, cum matrem, quæ ante Alexandrum Præsidem nervis durissime cædebatur, implacabili luctu lugeret, ad gradus tribunalis illisus interiit.* Quæ profecto desumpta non sunt ex Actis SS. Quirici & Julittæ proscriptis a S. Gelasio Papa *in can. Sancta Romana, dist.* 15. sed ab aliis Actis sincerioribus, uti observat Cardinalis Baronius *in not. ad dictum Martyrol.* Epistola quippe Theodori Episcopi Iconii, quam Franciscus Combefisius ex codice Græco Regiæ bibliothecæ Parisiensis edidit anno 1660. quamvis sit labentis sæculi VI. monumentum, & SS. Quiricus & Julitta principio sæculi IV. Martyrium passi sint, meruit tamen, ut inter sincera Martyrum Acta recenseretur a Ruinartio, qui de eorum quoque memoria & cultu in utraque Ecclesia, Latina & Græca, testimonium perhibet: cum Theodorus narrationem suam a viris fide dignis hauserit, qui eam ab aliis antiquioribus probatis viris audiverant, quemadmodum adnotarunt Tillemont *tom.* 5. *pag.* 349. & Baillet *ad diem* 16. *Junii, & in tabula critica ad dictum diem*, Bollandiani quoque *tom.* 7. *Maji ad diem* 29. *pag.* 17. Beati Cyrilli pueri Passionem ex codice ms. Velseri patritii Augustani evulgarunt; & *tom.* 3. *Julii ad diem* 12. *pag.* 462. typis ediderunt Acta B. Andreæ pueri a Judæis trucidati in odium Fidei in Valle Œniana prope Œnipontum in Comitatu Tyrolensi an. 1462. una cum historia cultus eidem exhibiti. Eusebius Cæsariensis juxta editionem Sirmundi *tom.* 4. *Bibliot. veterum PP. lib.* 2. *de Resurrectione pag.* 18. pluribus exponit Martyrium

S. Romani, quod fubiit in civitate Antiochena: & Prudentius *hymno* 14. *v.* 671. *& seq.* gloriofum canit certamen feptennis circiter pueri, qui cum S. Romano paffus eft. Duorum puerorum illuftri loco natorum, qui pro Chrifto mortui funt, ex germanis Actis S. Luciani Martyris mentio habetur apud Cardinalem Baronium *in annal. ad an.* 315. *num,* 15. *&* 16. Victor *de perfecutione Vandalica lib.* 5. *tom.* 8. *Bibliot. veter. PP. pag.* 693. narrat, in ea perfecutione mulieres, & præcipue nobiles, contra jura naturæ nudatas, cruciatas fuiffe; præ ceteris autem Dionyfiam reliquis matronis pulchriorem unicum filium, in tenera adhuc ætate conftitutum, & timore pœnarum territum auctoritate materna ita increpaffe, ut in certamine confeffionis fpiritum Deo reddens, Martyrio fuerit coronatus; qui quidem puer Majoricus appellabatur, & de eo plura legi poffunt apud citatum Card. Baronium *in annal. ad an.* 484. *num.* 82. Idem denique Cardinalis *in annal. ad an.* 925. *a num.* 1. *usq. ad* 7. ex Raguel tefte contemporaneo præclarum Pelagii pueri Martyrium, quod fæculo x. contigit, exponit. *Eodem cit. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. diximus, nonnulla exempla ibi relata non undequaque prodeffe, ut concludatur, infantes, qui in odium Fidei occiduntur, inter Martyres effe recenfendos; & hoc ipfum afferimus etiam de celebri exemplo modo expofito SS. Quirici & Julittæ. Licet enim Quiricus propter ætatem infans dici potuerit, Divinæ tamen Gratiæ auxilio, non infans, fed ut adultus haberi potuit & debuit; etenim ex citata epiftola Theodori *pag.* 421. *num.* 3. habetur, quod *accepto Prætor manu puero, blande deliniens, a fletu cobibere omnino nitebatur, genibusque impofitum accipere ofcula conabatur, Puer vero intentis in matrem luminibus, Prætorem abs fe fubmovebat, ac caput avertebat; manibusque obnitens, Prætoris faciem unguiculis fcalpebat; velut denique caftæ turturis pullus, æmulam Sanctus Cyricus vocem pronuntiavit, eamdem ipfam matris prædicationem edens, ac clamans: Chriftianus fum, Calcibus quoque Judicis latus petebat.* Tandem *eod. lib.* 1, *cap,* 14. diximus, in ipfo rei eventu expectandum effe judicium Sedis Apoftolicæ, fi contingeret, ut apud eam caufa inftitueretur fuper Beatificatione formali, aut folemni Canonizatione alicujus pueri interfecti in odium Fidei. Hoc ipfum nunc reperimus: cum nullum adfit exemplum præcedens hujufce rei, cui Sedes Apoftolica inniti poffit. Nonnulla quippe ex relatis exemplis (uti vidimus) non faciunt ad rem: nonnulla funt antiqua, & excedunt tempora Alexandri III. qui (ut alibi vifum eft) novam formam induxit in caufas Canonizationum: & illud Simeonis pueri Tridentini, a Judæis occifi in odium Fidei, de quo *eod. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. & fuper cujus obitu authenticus extat proceffus in archivo fecreto caftri S. Angeli de Urbe, quem Bollandiani ceterique omnes qui de eo fcripferunt, ignorarunt, non ad formalem (uti vidimus) referri poteft Beatificationem, & multo minus ad folemnem Canonizationem, fed ad quamdam æquipollentem Beatificationem. Et in ipfo rei eventu ferio ponderandum effet, Beatificationes & Canonizationes non folum fieri, ut certos habeamus apud Deum pro nobis interceffores, fed ut etiam gloriofa eorum gefta imitari poffimus, quæ porro imitationis ratio in hypothefi ceffat. Vel enim imitatio refpicere dicenda eft infantes, vel adultos, Infantes autem refpicere non poteft, cum non fint confilii capaces. De adultis dici fortaffe poffet, eos ad Martyrium quodammodo incitari poffe ex Martyrio infantium, cogitantes, fi in infantili ætate conftituti potuerunt mori pro Chrifto, potiori ratione hoc ipfum facere poffe adultos. Sed, fi ferio res perpendatur, nulla ex cæde infantium excogitari poteft imitatio in adultis; cum libera voluntas adulti nequeat exemplum fumere ad imitandum ab infante, qui moriendo nullum elicit actum voluntatis, quo Martyrium velit & acceptet, infans autem citra periculum negandi, fructum moriendi habere poffit, uti loquitur Auctor homiliæ de S. Blandina, quem Eucherium effe Baronius *in Martyrol. ad diem* 2. *Jun.* putavit; in Biblioth. vero PP, Lugdun. Eufebius Gallicanus dicitur (*tom.* 6. *ejufd. Bibl. pag.* 632.)

7. Defcendendo autem ad ipfos adultos, de quorum Martyrio fæpe agitur in facrorum rituum Congregatione, doctrina Ecclefiæ eft, ut Martyrium in adultis suppleat vicem Baptifmi aquæ, fi iftum non receperint, deleatque peccatum originale, & peccata actualia quoad culpam & pœnam; atque adeo in his, qui Baptifmum aquæ receperunt, peccata delent actualia quoad culpam & quoad pœnam temporalem æque & æternam. Res explicatur a S. Cypriano *in præfat. ad lib. de exhortat. Martyr. col.* 514. ubi ait: *Nos tantum, qui, Domino permittente, primum Baptifma (* aquæ fcilicet, feu fluminis *) credentibus dedimus, ad aliud quoque fingulos præparemus, infinuantes & docentes, hoc effe Baptifma in gratia majus, in poteftate fublimius, in honore pretiofius; Baptifma in quo Angeli baptizant; Baptifma in quo Deus, & Chriftus ejus exultant; Baptifma, poft quod nemo jam peccat; Baptifma quod Fidei noftræ incrementa confummat; Baptifma, quod nos de mundo recedentes ftatim Deo copulat. In aquæ Baptifmo accipitur peccatorum remiffio, in fanguinis Baptifmo corona virtutum.* Concordat S. Auguftinus *lib.* 13. *de civit. Dei cap.* 7. (*tom.* 7. *oper.*) ubi hæc habet: *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Chrifti confeffione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum fi abluerentur facro fonte Baptifmatis. Qui enim dixit, Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum; alia fententia iftos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: Qui me confeffus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eft; & alio loco: Qui perdiderit animam fuam propter me, inveniet eam.*

8. Aftruitur id ipfum aliis Ecclefiæ monumentis. Antonius enim Epifcopus civitatis Conftantinæ in epiftola, quam fcripfit Arcadio, qua ipfum hortatus eft, ut forti perferret animo, quæ Fidei Chriftianæ caufa Tyrannus in perfecutione Vandalica illaturus erat mala, his verbis ufus eft relatis a Cardinali Baronio *in annal. ad ann.* 437. *Confl:ge fortiter pro anima tua, quæ aut femper vivit, aut femper perit. Ecce dimiffa funt tibi peccata tua, & omnes iniquitates tuas Deus pro hac pugna delebit, quæcumque ufque hodie committere potuifti.* Et in fine *n.* 15. fubdidit: *Expectat te Ecclefia Catholica Martyrem fuum, ut honorificet, ficut Stephanum fuum. Vide, ne confundat nos in hoc fæculo. Vide ne humilies nos in confpectu Adverfariorum. Suftinet tecum Dominus Chriftus. Suftinet tecum Ecclefia. Efto fecuriffimus de corona. Non timeas penitus præterita, quæcumque committere potuifti, peccata.* Porro his cohærenter videmus Ecclefiam pro Martyribus nec preces, nec Sacrificia offerre Deo, utpote quibus eos cognofcit non indigere, fed eorum opem & gratiam apud Deum implorat, juxta illud alio in loco allegatum Innocentii III. *in cap. Cum Marthæ, de celebrat. Miffar.* ubi ait: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Quod defumptum eft ex S. Auguftino (*tom.* 3. *oper. part.* 2.) *tract.* 84. *in Joan. col.* 709. *Ideo quippe ad ipfam menfam non fic eos* (Martyres videlicet) *commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiefcunt, ut etiam pro eis oremus, fed magis, ut ipfi pro nobis, ut eorum veftigiis adhæreamus.* Quæ profecto fuffragia ab Ecclefia non omitterentur, fi ipfa non crederet, per Martyrium deleta fuiffe quæcumque peccata quoad culpam & quoad pœnam tum temporalem tum æternam, eorumque animas ftatim ad Dei vifionem admiffas effe. Sola inter Theologos remanet adhuc controverfia, utrum ea a Martyrio præftentur ex opere operato, an ex opere operantis; cum nonnulli ea adfcribant actui Charitatis, juxta doctrinam D. Thomæ 3. *p. q.* 66. *art.* 12. *ad fecundum*, ubi ait: *Effufio fanguinis non habet rationem Baptifmi, fi fit fine Charitate, ex quo patet, quod Baptifmus fanguinis includit Baptifmum flaminis.* Et rurfus 2. 2. *qu.* 124. *art.* 2. *ad fecundum: Martyrium eft actus Charitatis, ut imperantis, Fortitudinis autem, ut elicientis.* At alii, videlicet Cajetanus, Sotus, Bellarminus, Suarez, aliique apud la Croix *tom.* 1. *lib.* 6. *part.* 2. *tract.* 2. *num.* 238. docent, Martyrium *juftificare* non ftricte ex opere operato, ficuti Sacramenta, fed quafi ex opere operato, ex quodam fcilicet privilegio propter imitationem Paffionis Jefu Chrifti, qui falutem æternam promifit ei, qui vitam fuam propter fe pofuiffet, quod fit, ftatim ac mors fuftinetur pro Fidei defenfione,

9. Verum, ut prædictis infignibus prærogativis Martyrium potiatur, nonnullæ difpofitiones, quæ mortem præcedunt, & de quibus quidem in hoc capite agimus, funt neceffariæ, five gratia in Martyrio conferatur ex opere operantis, five ex privilegio & quafi ex opere operato. Loquimur fcilicet de adultis, atque adeo quemadmodum in adultos Baptifmus fluminis gratiam confert ex opere operato, &, ut cum fructu ab eis recipiatur, nonnullæ præviæ difpofitiones requiruntur juxta Concil. Trident. *feff.* 6, *de juftificat. c.* 6. ita id ipfum dicendum eft de Baptifmo fanguinis, hoc eft de Martyrio, nonnullas videlicet præcedere debere difpofitiones, ut optatus effectus haberi poffit, etiamfi quafi ex opere operato & ex privilegio in eo gratia conferatur, & peccata remittantur.

10. Ideoque, fi adultus fit Catechumenus, oportet, ut ante Martyrium, fi poffit, Baptifmum fluminis recipiat.

Item,

Item, si adultus sit baptizatus, & peccata commiserit, oportet, ut ante Martyrium, si possit, eorum expleat confessionem Sacerdoti; si vero non possit, ut de eis doleat; & demum, si possit, sacram recipiat Eucharistiam. Sunt etenim hæc omnia a jure Divino præcepta constitutis in articulo mortis, neque ea solvere Martyrium potest. S. Cyprianus *epist.* 54. *col.* 172. scribit: *Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit*: Et paulo post: *Quomodo potest ad confessionem paratus aut idoneus inveniri, qui non prius pace accepta receperit Spiritum Patris, qui corroborans servos suos, ipse loquitur & confitetur in nobis?* Doctrina hæc est etiam D. Thomæ *in* 4. *lib. sent. dist.* 4. *q.* 3. *art.* 3. *ad primum*, ubi ait: *Ad primum ergo dicendum, quod Baptismus sanguinis, & Baptismus pœnitentiæ habent vim eamdem regenerandi cum Baptismo aquæ, quia Baptismus sanguinis & pœnitentia non valent ad regenerationem, nisi ei qui habet Baptismum aquæ in proposito, scilicet quando articulus necessitatis, non contemptus religionis Sacramentum excludit, ut in littera dicitur* (scilicet Magistri sententiarum) *& sic quodammodo agunt in vi Baptismi aquæ*, & *in quæstiunc.* 3. *in corpore* ait: *In his, quæ sacramentalia sunt, Baptismus sanguinis non supplet vicem Baptismi aquæ, sicut est impressio characteris, & hujusmodi; sed in eo, quod est res tantum supplet totaliter vicem Baptismi aquæ, quando articulus necessitatis Sacramentum excludit*: idque etiam docet 3. *p. p.* 66. *art.* 11. *in corpore*. Concordant Soto *in* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 2. ubi *in* 3. *concl.* inquit: *Si ille, qui Martyrio expositus est, inducias habet, ut possit peccata recolere, tenetur quidem verbi gratia, dum est in carcere. Immo, si copia suppetit Sacerdotis & temporis, confiteri tenetur* (*si singulare est Confessionis præceptum in articulo mortis, de quo dist.* 18. *disputabitur*). *Quod si tantum temporis non habeat, possit tamen habere dolorem in genere, ad id etiam obligatur. Nam martyrium non aliter potest vicem Pœnitentiæ supplere, quam vicem Baptismi: non autem hujus vicem supplet, nisi, ubi ejus copia haberi non potest. Si enim sub ipsum agonis articulum offerretur Martyri Baptismus, quem renueret, re vera non esset orthodoxus Martyr* ... *Pari ergo modo, si tempus habet pœnitendi & Pœnitentiam renuit, contemptor est & virtutis & Sacramenti, atque adeo tunc nullus fervor Martyrii absque Pœnitentia sufficiet*. Estius *in* 4. *lib. sent. dist.* 4. §. 21. *tom.* 2. *pag.* 98. *Respondendum videtur ex Patrum testimoniis satis apparere, quod sentiant, Martyrium per se efficax esse ad abluenda peccata & præstandam salutem. In primis autem id liquido convincitur ex Martyrio infantum. Quocirca dicendum, Martyres non baptizatos habere quidem satis remedii ex Martyrio, ut videlicet a peccatis abluti vitam habeant; sed, quia Baptismus omnibus est in præcepto, ideo illum suscipere tenentur, si possint*. Auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap.* 4. ubi inter dispositiones ad Martyrium requisit in adultis dolorem peccatorum admissorum, & susceptionem sacramenti Pœnitentiæ, si fieri possit. *Nam Martyrium non liberat ab obligatione præceptorum, quorum unum est Pœnitentiæ susceptio ante mortem*. Et late prosequuntur Theophilus Raynaudus *in tract. de Martyr. per pestem, oper. tom.* 18. *cap.* 5. *pag.* 445. & *pag.* 453. Hurtado *in resolut. de ver. Martyr. resolut.* 30. §. 1. & §. 2. fuse & optime Cardinalis Capisucchius *in controv. de Martyr. quæst.* 2. §. 11. & *plurib. seqq.* Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 3. *part.* 2. *art.* 6. *num.* 65. & *seqq.* & *art. ult. num.* 281. & *num.* 286. & *seqq.* Cardinalis Gotti *Theolog. tom.* 13. *quæst.* 2. *de Baptism. dub.* 4. §. 1. Juvenin. *de Sacram. disput.* 2. *de Baptism. quæst.* 8. *cap.* 3. *vers. Respondeo, concessa majori*, Tournely *de sacram. Baptism. art.* 2. *pag.* 230. *edit. Paris. an.* 1727. Berti *de Theolog. discipl. tom.* 6. *lib.* 31. *cap.* 24. §. 3. Disputatur quidem inter Theologos, an qui peccatorum recordatur, quæ commisit, & confessus non est, nec pœnitentiam egit, si ea formaliter (ut ajunt) non detestetur, sed eliciat amorem Dei super omnia, tum sine Confessione decedat, ex isto actu amoris Dei justificationem obtineat. Porro nonnulli censent, ad justificationem sufficere detestationem peccatorum inclusam in actu dilectionis Dei super omnia: Hadrianus *quolibet.* 7. *quæst.* 4. Vega *lib.* 6. *super Concil. Trident. cap.* 34. & *seqq.* Major *dist.* 14. *quæst.* 1. Alii autem volunt, tutius & probabilius esse, ad justificationem non sufficere Actum Charitatis, sed requiri actualem contritionem & detestationem peccati non confessi, & cujus quis recordatur: Soto 3. *part. relect. de Pœnit.* Verum, cum hæc disputatio procedat extra tempus, quo præceptum urget Pœnitentiæ, sicuti animadvertunt Cardinalis de Lugo *disput.* 5. *de Pœnit. sect.* 7. *num.* 95. & Aversa *de Pœnit. quæst.* 3. *sect.* 8. hinc fit, ut, urgente præcepto confitendi & pœnitendi, cum instat articulus mortis, non obstante supradicta disputatione, semper verum sit, conscium peccati mortalis non remissi, cujus recordatur, teneri ejus formaliter pœnitere, si tempus suppetat; & etiam id confiteri, si habeat copiam Confessarii; ita ut ad illius justificationem non sufficiat aut actus dilectionis Dei super omnia, aut Martyrium libenter susceptum; uti præter supra allatos late prosequuntur Silvius *in* 3. *part. quæst.* 66. *art.* 11. & *quæst.* 88. *art.* 2. Gordonus *tom.* 2. *lib.* 6. *quæst.* 19. *cap.* 4. Candidus *tom.* 2. *disp.* 24. *art.* 4. *dub.* 6. & *seqq.* Præposit. *in* 3. *part. D. Thomæ quæst.* 67. *art.* 3. *dub.* 8. & *quæst.* 86. *art.* 2. Et cohærentes ad hæc, propositis coram Nobis post prima scripta ad summum Pontificatum evectis duabus Martyrum causis, Venerabilium videlicet Rodulphi Aquavivæ & Sociorum e Societate Jesu, ab Idololatris insularum Salsetarum occisorum in odium Fidei, & Ignatii Azevedi & triginta novem Sociorum ex eadem Societate Jesu in odium Fidei occisorum a Socia Duce piratarum; in prima, in qua jam a nobis editum est decretum, constare videlicet de Martyrio & causa Martyrii, multum perpendimus præparationes habitas ad illud: a Rodulpho quippe & Sociis renovata fuerunt vota Religionis paulo ante Martyrium, Rodulphus, Paciecus, Berno, & Aranea Corolinum profecturi, ubi mortem subierunt, in Orineusem sedem convenerunt, ubi Confessione præmissa, primi quatuor, qui erant Sacerdotes, sacrum peregerunt; & Aranea, qui non erat Sacerdos, Confessione præmissa, sanctissima Euchasistia refectus est: & in secunda, quæ diebus proxime elapsis coram Nobis proposita est, & in qua decretum quoque supra relatum edidimus, Martyrium & causam Martyrii approbans, inter actus ad Martyrium præparatorios non in modico certe fuit pretio, quod spatio quinque mensium qui mortem præcesserunt, omnes spiritualibus exercitiis S. Ignatii exculti sunt, & antequam navem conscenderent, omnes Confessionis & Communionis sacramenta receperunt, & dum prospero vento navis veheretur, continue ipsi verba miscebant de beatitudine Martyrum in cælis sanguinis pretio comparata.

11. Præter hæc, alia quædam proponuntur a Theologis quæsita. Primum est, an qui moriturus est pro Christo, & Baptismum fluminis non recipit, nec habet commoditatem recipiendi, teneatur habere desiderium eum consequendi. Estius nempe *loc. cit.* dicit, sufficere, si non contemnat, sed non requiri, ut expetat, cum salutem expectet ab alio, eoque excellentiore remedio: exemplo ejus, qui necessitate aliqua prohibetur ab adimplenda lege positiva aut jejunii, aut vigiliæ; non tenetur enim desiderio aspirare ad eam implendam, sed satis est ut non contemnat; nisi forte lex talis esset, quæ remedium præscriberet necessarium ad salutem, quemadmodum est lex Baptismi extra casum Martyrii. Probabilius tamen esse videtur, in Catechumeno, qui fluminis Baptismum non recepit, nec satis habet commodi ad recipiendum, ut moriens pro Christo inter Martyres excipiatur, votum Baptismi fluminis necessario requiri, ex late adductis per Clericat. *cit. decis.* 27. *n.* 9. *de Baptism.* Secundum est, an qui conscius est alicujus peccati, nec habet copiam Confessarii, instante mortis executione ipsi pro Christo inferendæ, teneatur peccata commissa detestari, & actum elicere contritionis. Cardinalis Bellarminus *loc. cit.* sufficere dicit attritionem, cum satis sit dispositio quæ est necessaria ad Baptismum aquæ; & sequitur eum Bonacina *oper. moral. tom.* 1. *disput.* 2. *de Baptism. quæst.* 1. *punct.* 1. *proposit.* 2. *num.* 8. cui adhæret Anaclet. *Theol. mor. tract.* 7. *dist.* 1. *quæst.* 6. *num.* 58. Cardinalis autem de Lauræa *in* 3. *sent. par.* 2. *tom.* 3. *disput.* 20. *art.* 9. *num.* 141. dicit, id non esse certum, sed probabile: & quidem Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 3. *disp.* 29. *qu.* 69. *art.* 10. *sect.* 3. & post eum Maurus *Theolog. tom.* 3. *lib.* 11. *qu.* 98. *num.* 9. docent hominem, qui est in peccato mortali, instante occasione seu necessitate moriendi pro Christo, debere præmittere contritionem peccatorum per formalem detestationem eorum, & dilectionem Dei super omnia, cum in re tanti momenti non teneatur relinquere medium certum pro incerto. Adhæret his Hurtado *cit. oper. resolut.* 31. §. 3. ex quo scilicet ita certum non est, attritionem supra naturam sufficere cum Martyrio, sicuti certum est, eam sufficere cum sacramento Pœnitentiæ: atque adeo iidem admittunt, attritionem sufficere posse per accidens, sive intercedente bona fide per ignorantiam probabi-

babilem juris, aut facti, eosque sequitur Raynaudus *loc. cit. pag.* 554. Soto *loca* pariter *sup. alleg. in cit. conclus.* docet, hominem raptum ad Martyrium, si atrocitas mortis ejus occupat mentem, veniam apud Deum per mortem impetrare, licet sit in peccato, dummodo non sit in ejus actuali oblectatione, quam vocant *complacentiam*, aut proposito, cum prædictus homo habeat actum Charitatis, qui includit Pœnitentiam, licet ea non sit formalis: & eum sequitur Cardinalis Gotti *loc. cit.* ubi ait *n.* 3. *Probabile esse, aliquando sufficere contritionem virtualem inclusam in fervore dilectionis, qua quis pro Deo & Christo eligit animam suam ponere: tunc enim, si subito a Persecutore rapiatur, nec illi occurrat suorum peccatorum memoria, illo actu, quo vult ex amore Christi vitam suam prodigere, censetur virtualiter detestari, quidquid Deo & Christo displicere potest*. Veruntamen Estius *cit. lib.* 4. §. 4. *pag.* 203. in medio relinquit hanc controversiam de sufficientia virtualis contritionis in eo rerum eventu: at Hurtado *in resolut. de ver. Martyr. resol.* 31. §. 8. virtualis contritionis sufficientiam admittit, si memoria peccatorum non occurrit.

12. Hæc autem indicasse satis sit, cum internos actus respiciant, de quibus Ecclesia non judicat. Quocirca resumentes materiam actuum externorum, qui judicio subsunt Ecclesiæ, his cohærenter quæ paulo superius ex Theologis desumpta sunt, dicimus primo, si occasione examinis alicujus causæ in sacrorum rituum Congregatione, in qua de Martyrio & causa Martyrii alicujus Servi Dei adhuc Catechumeni ageretur, Fidei Promotor ostenderet, eum potuisse recipere aquam Baptismi, sed non recepisse, imponendum fore causæ silentium ex rationibus supra indicatis. Prodest quoque huic assumptioni Passio SS. Montani, Lucii, & aliorum Martyrum Africanorum inter Acta sincera collecta a Ruinart. *pag.* 201. *nu.* 2. in quibus sic legitur de Donatiano & Primolo Catechumenis: *Post popularem tumultum, quem ferox vultus Præsidis in necem concitavit, postque sequentis diei acerrimam persecutionem Christianorum prævaricatam apprehensi sumus Lucius, Montanus, Flavianus, Julianus, Victoricus, Primolus, Renus, & Donatianus Catechumenus, qui baptizatus in carcere statim spiritum reddidit, ab aquæ Baptisma ad Martyrii coronam immaculato itinere festinans. Necnon & circa Primolum similis consummationis exitus contigit, nam & ipsum ante paucos dies habita confessio baptizavit*. Concordat apud eumdem Ruinart Passio S. Genesii ex mimo Martyris, qui exhibens ludum Diocletiano Imperatori de mysteriis Christianæ observantiæ, in medio theatri quasi ægrotus decumbens Baptismum postulavit, tum non simulate ac ficte, sed ex puro corde Baptismum ipsum a ministro recepit, deinde Martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit. Item quoad Baptismum flaminis ante Martyrium, celebre est exemplum SS. Rogatiani & Donatiani Martyrum, quorum Passio est inter *citata Acta pag.* 247. *num.* 5. *Beatus autem Rogatianus, sine Baptismatis gratia se præventum esse, contristatur; sed hoc sibi ex Fide credidit esse pro Lavacro, si fratris sui Catholici osculum mereretur. Quo comperto, Beatus Donatianus pro germano his verbis fudit preces ad Dominum dicens: Domine Jesu Christe, apud quem hoc obtinent prompta vota, quod facta, quia, ubi non potuisse impedit, sufficere creditur voluisse, cum nobis donasti eligere, tibi soli posse servasti, sit famulo tuo Rogatiano pura Fides donum Baptismatis; &, si contigerit, persistente Præside, crastina die nos feriente gladio interire, sanguinis effusio fiat ei Chrismatis sacramentum*.

13. Dicimus secundo, si occasione quoque examinis alicujus causæ in sacrorum rituum Congregatione, in qua de Martyrio ageretur, constaret, Dei Servum aliquod grave peccatum commisisse, de eo autem dolorem non habuisse, vel, habita copia Confessarii, sacramentalem Confessionem non explevisse, non posse in eadem causa ad ulteriora procedi, urgentibus rationibus supra adductis. Narrat S. Petrus Damiani *opusc.* 47. *cap. ult.* quasdam meretrices fuisse Martyrio affectas ob repudiatos turpes amplexus Saracenorum, licet passim Christianos admisissent; subditque Theophilus Raynaudus *cit. oper. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 25. Martyres esse non potuisse, nisi peccatum quoque cum Christianis essent aversatæ: quod quia fecerint, dubitari non potest, cum narretur, Christum eis apparuisse, & ad extremum certamen animasse. Occurrit Passio quoque S. Afræ, quæ circa annum 304. e postribulo Martyr effecta, suo exemplo comprobavit, neminem a spe salutis excludi, qui fructus dignos pœnitentiæ, etiam post vitam gravioribus criminibus contaminatam, produxerit. Tyrannus itaque illi imperavit, ut Diis sacrificaret. Afra autem respondit *pag.* 400. *num.* 1. *& seq. Sufficiunt mihi peccata mea, quæ ignorans Deum gessi; hoc autem, quod me jubes facere, nunquam factura sum*. Ad hæc Tyrannus reposuit: *Meretrix es, sacrifica; quia aliena es a Deo Christianorum*. At Afra ait: *Dominus meus Jesus Christus dixit, se pro peccatoribus descendisse de cælo. Nam & Evangelia ejus testantur, quod meretrix rigaverit lacrymis pedes ejus, & indulgentiam acceperit, & meretrices & Publicanos nunquam despexerit, quos etiam secum manducare permisit*. Tyrannus fore dixit, ut si sacrificaret, multas pecunias a peccatoribus acciperet. Afra vero ait: *Pecunias exsecrabiles jam nunquam accipiam; nam & quas habui, quasi sordes abjeci, quia non erant de bona conscientia*. Fuerant pariter cum Afra in peccatis sociæ Digna, Eunomia, & Eutropia, quæ similiter post eam Martyrium subierunt, ut habetur in Passione S. Afræ inter *Acta sincera Martyrum* collecta a Ruinart. Demum Joannes & Benedictus Monachi atque discipuli S. Romualdi, statim ac persenserunt adventum Persecutorum, confessionem invicem fecerunt, etsi forte levium peccatorum sibi essent conscii, & S. Crucis se cœperunt vexillo communire; uti legitur apud Cardinalem Baronium *in annal. ad an.* 1000. *num.* 15.

14. Dicimus tertio, idem judicium ferendum esse de causa Martyris, qui sacram Eucharistiam recipere potuisset ante Martyrium, & non recepisset. In Actis sinceris & selectis SS. Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum *ap. Ruinart.* inter ceteras visiones narratur, Christum Dominum habitu pastoris oves mulgentis apparuisse, & de caseo, quem mulgebat, dedisse Perpetuæ quasi buccellam, quam ipsa accepit junctis manibus, & manducavit, tum universi astantes dixerunt: *Amen*. Post quæ, Fratribus rogantibus, utrum essent morituri, an salvi emittendi, respondit, Passionem esse futuram, nec ullam in sæculo spem habendam. Ritus enimvero perceptionis Eucharistiæ adumbratus cernitur in buccella Perpetuæ porrecta, in ejus devota acceptione & manducatione, atque in vocibus circumstantium acclamantibus, *Amen*. Quocirca Petrus Possinus (*loc. cit. pag.* 92.) inquit: *Ego existimo inde, quod in visione adumbratus erga Perpetuam ritus fuerat Eucharistiæ ministrandæ, quæ cum novissima tum usu dari soleret iis quos certum erat brevi morituros, recte in Perpetua & ipsius fratre ita interpretati sunt, ut significatam eo viso Confessorum mox secuturam necem arbitrarentur*. Quod etiam, animadverterunt Bollandiani ad eadem Acta SS. Perpetuæ & Felicitatis *ad diem* 7. *Martii cap.* 5. *pag.* 633. *tom.* 1. Opportuna sunt verba quoque *epistolæ* 54. *col.* 171. apud S. Cyprianum: *At vero nunc non infirmis* (sermo est de illis, qui semel in persecutione lapsi, tum numero pœnitentium adscripti, a novis Persecutoribus pro Christi Confessione interficiendi videbantur.) *At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus Communicatio a nobis danda est; ut, quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis & Corporis Christi muniamus; &, cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra Adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus, eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus? Aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesiam poculum Domini jure Communicationis admittimus?* & paulo post: *Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit*.

15. Hic porro non inutile nec inopportunum videtur nonnulla inferre de his, quæ olim a Fidelibus præstabantur ergo Dei servos in carceribus detentos & Martyrium expectantes. Fideles nempe ad carceres, in quibus hi detinebantur, conveniebant, ut eos visitarent; cumque non ante, sed aliquando incaute id fieret, S. Cyprianus *epist.* 4. *col.* 31. modum, qui sequitur, præscripsit: *Nam, etsi Fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum, & visitandum Confessores bonos, quos illustravit jam gloriosis initiis Divina dignatio, tamen caute hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam puto esse faciendum, ne ex hoc ipso invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, &, dum insatiabiles totum volumus, totum perdamus*. Opera potissimum Diaconorum prædictis Dei servis necessaria ad victum & ve-

& vestitum ex Fidelium eleemosynis subministrabantur, quod adeo effusa liberalitate aliquando factum est, ut nonnulli vino, quod myrrha conditum Confessoribus exhibebatur, ut fortiores in tormentorum tolerantia essent, inebriati Præsidibus de Fide eos interrogantibus responsum dare non potuerint. De prædicta scilicet Diaconorum cura illustre extat documentum *in fragmento historiæ Passionis Sanctorum Dativi, Saturnini, & Sociorum* apud Albaspinæum *post observat. ad S. Optatum pag.* 291. scripta a quodam Donatista, in qua Mensurius Episcopus graviter redarguitur, quod uteretur opera Cæciliani Diaconi, quem, licet per enormem calumniam, nonnulli insimulabant, quod cibos Martyribus non pararet, uti tenebatur, sed deferentes per vim averteret: *Etenim hic Tyranno sævior, carnifice crudelior idoneum sceleris sui ministrum Diaconum suum elegit Cæcilianum; idemque lora & flagra cum armatis ante fores carceris ponit, ut ab ingressu atque aditu cunctos, qui victum potumque in carcerem Martyribus afferebant, gravi affectos injuria propulsaret; & cædebantur a Cæciliano passim, qui ad alendos Martyres veniebant. Sitientibus intus in vinculis Confessoribus, pocula frangebantur ante carceris limina, cibi passim lacerandi canibus spargebantur.* De ebrietate vero ejus, qui Præsidi interroganti respondere non potuit, testis est Tertullianus *de jejuniis adv. Psychic. cap.* 12. his verbis: *Postremo ipso tribunalis die, luce summa, condito mero tanquam antidoto præmedicatum ita enervastis, ut paucis ungulis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat, quem Dominum confiteretur, interroganti Præsidi respondere non potuerit amplius, atque ita, de hoc jam extortus, cum singultus & ructus solos haberet, in ipsa negatione decessit.* Quamobrem, ut hæc scandala amoverentur, S. Cyprianus *cit. epist.* 4. enixe commendavit, ut necessaria tantummodo Confessoribus indigentibus, non autem superflua subministrarentur. *Quantum autem ad sumptus suggerendos sive illis, qui gloriosa voce Dominum confessi in carcere sunt constituti, sive iis, qui pauperes & indigentes laborant, & tamen in Domino perseverant, peto, nihil desit; cum summula omnis, quæ redacta est, illic sit apud Clericos distributa propter ejusmodi casus, ut haberent plures, unde ad necessitates & pressuras singulorum operari possint.* Et *epist.* 5. *col.* 33. postquam iterum dixit, subministranda esse eis quæcumque necessaria, subdidit: *Modo ut sciant ex vobis, & instruantur & discant, quid secundum Scripturarum magisterium Ecclesiastica disciplina deposcat, humiles & modestos & quietos esse debere, ut honorem sui nominis servent, &, qui gloriosi voce fuerunt, sint & moribus gloriosi, faciant se dignos, ut in omnibus Dominum promerentes ad cælestem coronam laudis suæ consummatione perveniant.*

16. Temporalem Diaconorum curam sequebatur cura spiritalis Sacerdotum, qui carceres ingrediebantur, ut coram Confessoribus in illis detentis Sacrificium Deo offerrent: & hic quidem etiam sæpe memoratus S. Cyprianus *in alleg. epist.* 4. prudenter admonuit, ut non semper iidem Presbyteri carcerem ingrederentur Missas celebraturi, sed, mutatis personis, alter alteri succederet ad invidiam declinandam: *Consulite ergo & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit; ita ut Presbyteri quoque, qui illuc apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent, quia & mutatio personarum & vicissitudo convenientium minuit invidiam.* Ad Sacerdotes præterea pertinebat, salutaribus monitis detentos in carceribus ad mortem pro Christo ferendam præparare: & Tertullianus quidem Presbyter Carthaginensis hoc officio forsitan functus est, cum *in libro ad Martyres* inscripto dicat *pag.* 190. se non cibum & potum, sed utilia quædam spiritalia eis subministrare velle: *Inter carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quæ vobis, & Domina Mater Ecclesia de uberibus suis, & singula Fratres de operibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid, & a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum. Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest.* Tum, postquam protestatus est, se non esse dignum, ut eos alloqueretur, ait, operam suam non inutilem esse futuram, cum experientia constiterit, Gladiatores ad pugnam aliquando fuisse utiliter incitatos etiam ab illis, qui præliandi artem & robur non habebant: *Nec tantus ego sum, ut vos alloquar: veruntamen & Gladiatores perfectissimos non tantum Magistri & Præpositi sui, sed etiam idiotæ, & supervacue quique adhortantur de longinquo, ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint.* Item in Ecclesiasticis monumentis laudabilis fit commemoratio Sacerdotum Germanici, Numidici, Tertulli, qui supra expositam Martyrum spiritalem curam strenue gesserunt: de Germanico enim legitur in epistola ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi *apud Ruinart. pag.* 33. *n.* 3. *Fortissimus enim Germanicus eorum timiditatem tolerantia sua corroboravit*; de Numidico in Clerum Carthaginiensem cooptato sic loquitur S. Cyprianus *epist.* 35. *col.* 111. *Nam admonitos nos & instructos sciatis dignatione Divina, ut Numidicus Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginensium numero, & nobiscum sedeat in Clero luce clarissima confessionis illustris, & virtutis ac Fidei honore sublimis, qui hortatu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante se misit*; idemque S. Cyprianus *epist.* 37. meminit Tertulli Presbyteri, quem vocat fidelissimum & devotissimum pro solicitudine, & cura, quam Fratribus in carceribus pro Christo detentis in omni obsequio operationis impertiebatur. Nec Episcopi ipsi se ab onere similia peragendi liberos esse existimarunt, eo quod Sacerdotes & in carceribus sacra facerent, & spiritalia monita Martyribus suppeditarent; quemadmodum desumitur ex epistola Cleri Romani ad S. Cyprianum, quæ est 31. inter eas prædicti Sancti. En ejus verba *col.* 99. *In quo loco maximas tibi atque uberes gratias referre debemus, & reddimus, quod illorum carceris tenebras litteris tuis illuminasti, quod ad illos venisti, quod modo introire potuisti, quod illorum animos sua fide & confessione robustos tuis allocutionibus litterisque recreasti, quod felicitates eorum condignis laudibus prosecutus accendisti ad multo ardentiorem cælestis gloriæ cupiditatem, quod pronos impulisti, quod, ut credimus & optamus, victores futuros viribus tui sermonis animasti; ut, quanquam hoc totum de Fide confitentium, & de Divina indulgentia venire videatur, tamen in Martyrio suo tibi ex aliquo debitores facti esse videantur.*

17. Theologorum asserta, Martyrum exempla, veteris Ecclesiæ quoad Martyres disciplina apertissime ostendunt, in causis Martyrum inquirendum esse, si tempus illis non defuit, quomodo se ad Martyrium præparaverint, & an media necessaria atque utilia ad æternam salutem adipiscendam adhibuerint. Etenim, quatenus ulteriora hujusce rei documenta exquirantur, profecto non desunt. Martyrium Emmerami Episcopi Ratisponensis sub Theodoro Principe Bavariæ contigit principio sæculi VIII. Oculi nimirum S. Episcopo radicitus evulsi, nares, & aures amputatæ, manus, & pedes detruncati, verenda impudenter abstracta, ferroque in os injecto lingua est præcisa: atque ita, corpore trunco relicto, cum satellites abiissent, & ille a Vitali Presbytero ad refrigerium aquam postulasset, Vitalisque respondisset, melius sibi videri, mortem optare, quam recreationem; Emmeramus, collecto spiritu, ut potuit, sic reposuit, ut est apud Cardinalem Baronium *in annal. ad an.* 702. *n.* 8. *Non tibi in mentem venit, sæpe me dixisse, neminem ad mortem festinare debere, sed potius optare, ut differatur, ut possit piis intercessionibus faciem Domini præoccupare, ut detur spatium infirmis ad agendam pœnitentiam propter ea, quæ humana infirmitas perpetravit?* Suffragantur exempla causarum, quæ in sacrorum rituum Congregatione examen subierunt. In causa enim Viginti sex Martyrum Japonensium, in causa Martyrum Gorcomiensium, in causis SS. Joannis Nepomuceni ac Fidelis de Sigmaringa, & B. Joannis de Prado, cauti Postulatores ex processibus desumpserunt probationes gestorum ab illis, ut se debitis modis ad mortem præpararent. Anteactam quoque vitam Martyrum, & virtutes ab ipsis exercitas ante Martyrium pro felici exitu causæ, si probationes non desint, expedit exponere; licet enim nemo possit de condigno (ut dicitur) Martyrium mereri, juxta illud S. Petri Chrysologi *tom.* 7. *Biblioth. PP. Lugd. serm.* 152. *pag.* 962. *Attendat auditor, attendat, ut intelligat, Martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam*; de congruo tamen Martyrium cruentum aliquis mereri potest, si per longum usum Martyrii incruenti cruento proluserit, juxta illud S. Eucherii, sive Eusebii Gallicani (*tom.* 6. *Bibl. PP. Lugd. pag.* 671.) sub init. *homil. de S. Romano*: *At vere perdiutinam servitutem, veteremque militiam, & emeritam devotionem gratiam laboribus comitari, & cooperante Retributore, munificentiam virtutibus prævenire, ac meritis invitare, quam ardua difficultas, tam gloriosa felicitas est.* Exempla etiam hujusce rei a nobis allata sunt *lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 2. quibus addi potest causa B. Josaphat Archiepiscopi Pollocensis: in relatione quippe Rotæ Auditorum exhibita Urbano Papæ VIII. *part.* 3. fuse enarrantur virtutes ab eo exercitæ ante & post receptum Episcopatum, necnon alia, quæcumque ab eo facta sunt, imminente tempore mortis.

18, Di-

18. Dictum est autem, expedire ad felicem exitum causæ Martyrum, sed non est dictum, esse necessarium, ut morum & virtutum ratio habeatur. In aliquo siquidem rei eventu contingere potest, ut aliquis magnis sceleribus obstrictus, si pro Fide Christi mortem subeat, Martyrum catalogo adscribi possit, uti *cit. lib. 1. cap.* 29. ostensum est. Porro præter exemplum S. Afræ supra memoratum, & alia S. Jacobi Intercisi, necnon Calli & Æmilii, qui prius Christum negaverant, relata *cit. lib.* 1. in epistola Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis *de Martyrio S. Photini Episcopi & aliorum plurimorum*, hæc habentur *apud Ruinart. pag. 57. n. 13. Ceterum ingens gloria accessit Christo per eos, qui prius quidem negaverant, tunc vero confitebantur Fidem Christi præter spem atque expectationem Gentilium*. Item *in homil. supra cit.* S. Basilii Magni *de SS. Quadraginta Martyribus tom. 2. oper.* refertur, unum ex eis, relicto balneo aquæ frigidæ, in balneum aquæ calidæ se injecisse, & Fidem deseruisse; Lictorem vero, statim ac vidit, illum defecisse, se ipsum in desertoris locum substituisse, &, abjectis indumentis, se se cum ceteris commiscuisse, clamantem, *Christianus sum*, numerumque Martyrum implevisse, & alios mœstos ob socium amissum fuisse consolatum. S. Hieronymus *in epist. ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis t. 1. oper. col. 529. n. 11.* fatetur, Pamphilum Martyrem cum Origene multos errores asseruisse, sed sic eum excusat: *Quo modo, inquies, Martyrio dignus fuit? Scilicet, ut Martyrio deleret errorem, ut unam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto orbe Martyres, antequam cæderentur, variis subjacuere peccatis!* Tertullianus *in apolog. advers. Gentes, in fin. pag. 81.* de Martyre sic loquitur: *Quis exoptat? ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur.* Suffragatur S. Ambrosius *lib. 1. de Pœnitent. cap. 11. col. 403. tom. 2. oper.* ubi hæc habet: *Plurimos comperimus se denuo reformasse post lapsum, & pro nomine Dei passos. Num possumus bis Martyrum consortia negare, quibus Dominus Jesus non negavit? Audemus igitur dicere, non esse his vitam redditam, quibus Christus coronam reddidit? Sicut ergo post lapsum plerisque, si patiantur, corona redditur; ita, si credant, & Fides redditur. Quæ Fides Dei donum est, sicut habes scriptum (Philip. 1. 29.) Quia a Deo vobis datum est, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut pro illo patiamini. Numquid is, qui Dei donum habet, potest non habere indulgentiam? Non una autem, sed duplex gratia est, ut omnis qui credit, & patiatur pro Domino Jesu. Habet igitur qui credit, suam gratiam; habet autem alteram, si Fides ejus Passionibus coronetur. Neque enim priusquam pateretur Petrus sine gratia fuit, sed ubi passus est adquisivit alteram.* Huc referri possunt quæ *superiori lib. 2. cap. 29. num. 2.* a Nobis dicta sunt de S. Cypriano, qui sequens opinionem Agrippini Carthaginiensis Episcopi docuit, Baptismum ab Hæreticis collatum non solum illicitum, sed etiam invalidum. Ibi enim ex S. Augustino demonstravimus, probabiliter existimari posse eum ante mortem sententiam retractasse. Nunc autem addimus, eumdem sanctum Doctorem *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 18. col. 94. tom. 9. oper.* non omisisse, quod S. Cypriani lapsus a ceteris præscindendo, abundanter deletus dici debebat per subsequens Martyrium: *Ad Martyrii coronam meruit pervenire, ut si qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur.* Et paulo post: *Quod .... in Catholica unitate permansit, & Charitatis ubertate compensatum est, & Passionis falce purgatum.* S. Eulogius *tom. 15. Biblioth. veterum PP.* in suo memoriali Sanctorum alibi relato *lib. 3. cap. 17. pag.* 282. testatur, S. Auream exterritam minis Tyranni Mahumetani, ore Christum negasse, & deinde intrepidam & constantem Christianæ Fidei confessione de Tyranno triumphasse, & fuso sanguine culpam suam eluisse; ipsamque tanquam Martyrem coli, pluribus referunt Bollandiani *tom. 4. Julii pag.* 651. Refert etiam Raynaldus *ad ann.* 1333. *num.* 44. Stephanum Hungarum Minoritam in urbe Saray voluptate & insidiis victum ad Mahumetanos defecisse, tum flagitii pœnitentem, abjurata publice superstitione, ab ardenti fornace, in qua idcirco fuerat clausus, illæsum exivisse, postea a furentibus Saracenis gladiis, bastis, securibus oppressum animam Deo reddidisse, & post mortem miraculis claruisse. Idem Raynaldus *ad ann.* 1358. *num.* 7. Martyrium refert Thomæ Hungari, qui, postquam ad Mahumetanos defecerat, Christi Fidem imperterrito animo confessus est, quamobrem ab Ægyptio Soldano Alexandriæ cæsus gloriosam Martyrii palmam promeruit una cum tribus Minoritis Nicolao, Francisco, & Petro, quorum sacra corpora, dum a carnificibus secabantur, cælesti fuerunt splendore circumfusa. Insuper P. Joseph Augustinus Orsi sæpe a nobis cum laude commemoratus e duplici codice manuscriptorum bibliothecæ S. Marci civitatis Florentinæ edendam curavit, & notis illustravit *Narrationem Martyrii Beati Antonii, seu Antonini de Ripolis sui Ordinis Prædicatorum*, conscriptam a Francisco Castilionensi, & Jacobo Cardinali Papiensi dicatam, in qua pretiosa Antonii mors exponitur, cruciatusque, constantia in cruciatibus, & perseverantia in Fide fuse referuntur; licet Antonius frequenti populo, & præsente barbaro Rege anno 1459. calamitate defessus gloriosissimum Christi nomen, & sanctam ejus Fidem abnegasset. Denique, dum munere fungebar Fidei Promotoris, actum fuit de introducenda causa Martyrii Fr. Alipii a S. Joseph Clerici Professi Congregationem Fratrum Eremitarum Discalceatorum S. Augustini, qui postquam Catholicæ Christianæque Fidei publicum nuntium remisisset, gloriosa ductus pœnitentia sanguinem pro Christo fudit. Petierunt scilicet Postulatores causæ introductionem, at eam obtinere non potuerunt; non eo quia oppositio a me facta præteritæ defectionis a Fide aliquod pondus habuerit, sed quia alia requisita ad *signaturam Commissionis*, seu ad causam introducendam deficiebant.

19. Cohærenter ad hæc delato ad Nos post nostram assumptionem ad Pontificatum examine controversiæ a Fidei Promotore excitatæ, an in causa Ven. Servi Dei Joannis de Britto Societatis Jesu Sacerdotis ad ulteriora procedendum esset, ad discussionem videlicet dubii super Martyrio & causa Martyrii, quandoquidem in Missione Madurensi ritibus usus fuerat illarum regionum auctoritate Sedis Apostolicæ prohibitis; Nos post audita suffragia Cardinalium sacris ritibus Præpositorum, in Congregatione habita coram Nobis respondimus, ad ulteriora esse procedendum, non solum quia fuerant a Dei Servo adhibiti, non utcumque, sed prout a Sede Apostolica ad eam diem fuerant permissi, sed etiam quia quicumque reatus deletus censendus erat per subsequens Martyrium, ususque prohibitus retractatus per retractationem, non atramento, sed sanguine scriptam; veluti desumitur ex decreto a Nobis relato *lib. 2. cap. ult. num. 11. hujus Operis*.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De Martyrii desiderio, ejus acceptione, spontanea ad ipsum oblatione, & fuga, urgente persecutione.

1. ANTEQUAM ad mortem, & mortis causam discutiendam deveniamus, nonnulla alia in hac Martyrii materia sunt ponderanda, quæ Martyrum mortem præcedunt. Porro horum primum est, an possit aliquis Martyrium exoptare, atque a Deo petere; secundum, an de ratione Martyrii sit, ut Martyr mortem per actum voluntatis acceperit; tertium, an possit se morti offerre; quartum, quando fugere possit, aut teneatur; quintum, an Martyr possit Tyrannum provocare; sextum, an obstet Martyrio, si Martyr pugnet, aut obsistat morti sibi inferendæ. Nonnulla videlicet ex his *in hoc capite* examinabuntur, alia autem *in proxime subsequentibus*.

2. Ducto itaque initio a Martyrii desiderio, Martyrium laudabiliter desiderari potest: inquit enim Apostolus 1. *ad Timoth. cap. 3. v. 1. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; & S. Gregorius ait, hoc fuisse dictum ab Apostolo, quo tempore ille, qui plebibus præerat, primus ad Martyrii tormenta ducebatur; eumque sequitur S. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art. 1. ad primum*. Item, nisi ita res foret, Christus nos ad Martyrium non esset cohortatus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus*, inquit S. Pe-

S. Petrus *epist.* 1. *cap.* 2. *v.* 21. Atque alia hujusmodi apud Theologos passim legi possunt. Sed & historica si consulimus Ecclesiæ monumenta, Celerinus Confessor, quem S. Cyprianus *epist.* 22. *col.* 78. commendat, a moderatione præsertim, humilitate, & verecundia, ita scribit ad Lucianum Confessorem *epist.* 20. *col.* 70. *Peto ut sim dignus & ego coronari cum numero vestro.* Et rursum: *O te felicem suscipere vota tua, quæ semper desiderasti vel in terra dormiens. Optasti pro nomine illius in carcerem mitti, quod nunc tibi contigit, sicut scriptum est: „ Det tibi Dominus secundum cor tuum.* S. Hieronymus de vita Pauli Eremitæ (*tom.* 2. *oper. col.* 3. *n.* 2.) inquit: *Sub Decio & Valeriano Persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine felici cruore Martyrium pertulerunt, multas apud Ægyptum, & Thebaidem Ecclesias tempestas sæva populata est. Voti tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti. Verum Hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora, & ut ipse, qui ab ipso passus est, Cyprianus ait, volentibus mori non permittebatur occidi.* In Actis sinceris SS. Montani, Lucii, & Sociorum, cum Flavianus in carcerem, Martyrio dilato, revocatus esset, tum ipse, tum Socii id ægre tulerunt. Quare Montanus (ut est *in actis apud Ruinart. pag.* 205. *n.* 15.) *cum autem jam carnifex immineret, & gladius super cervices ejus libratus penderet, expansis ille ad cælum manibus, voce clara, ita ut non tantum ad aures plebis, sed & Gentiles quoque ipsos sonus vocis feriret, oravit rogans & deprecans, ut Flavianus, qui per suffragium populi de comitatu eorum remanserat, sequeretur die tertia.* Nec alia erant vota matris Flaviani, de qua pariter *in Actis v.* 16. subjungitur: *Hærebat lateri ejus incomparabilis mater, quæ præter Fidem, qua ad Patriarchas pertinebat, in hoc etiam se Abrahæ filiam comprobavit, quod filium suum & optabat occidi, &, quod interim remansisset, contristabatur intimo dolore.* Ipse vero Flavianus his verbis matrem consolabatur: *Scis, mater merito carissima, ut semper tentaverim, si confiteri contigisset, Martyrio meo frui, & frequenter catenatus videri, & sæpe differri? Si ergo contigit quod optavi, gloriandum est potius, quam dolendum.* Resumi etiam possunt quæ in superioribus dicta sunt de Martyribus ex desiderio; quæ omnia demonstrant, probe, merito, & laudabiliter Martyrium desiderari, & ad Deum preces fundi posse pro eo obtinendo. Etenim oppositio ex eo deducta, quod non possit Martyrium desiderari & peti, quin desideretur & petatur peccatum Tyranni, cessat statim ac animadvertitur, nos posse a Deo petere, ut nos ipsos constituat in occasione Fidem profitendi coram Tyranno, cum id contingere possit sine ejus peccato; atque adeo posse petere, ut nos in ea occasione positos confirmet Gratiæ suæ auxilio, & efficaciter adjuvet ad Fidei veritatem non negandam; utque, si ea de causa pati oporteat, confortet & adjuvet nos ad tormenta atque ad mortem patienter & libenter sustinendam; uti bene advertit Cardinalis de Lugo *de just. & jur. tom.* 1. *disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 45. Eamdem quæstionem pertractans Hurtado *in resol. de ver. Martyr. resol.* 38. §. *unic. in fin.* ait, peccatum Tyranni non cadere sub Martyrii electionem, sed præsupponi; eoque præsupposito, Martyrii desiderium esse meritorium. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 3. *par.* 2. *disp.* 20. *ar.* 11. *num.* 192. docet, optare Martyrium pro Christi gloria, & quærere media quæ possunt ad illud conducere, non modo esse licitum, sed etiam perfectissimum opus supererogationis. Concordat cum Hurtado Estius *in lib.* 2. *sent. dist.* 23. §. 2. *Huc pertinent desideria Sanctorum appetentium Martyrium, & provocantium Diabolum ad certamen. Non enim desiderant actus malos Diaboli, aut malorum hominum sive per internas suggestiones, sive per externas persecutiones, minas, terrores, tormenta sollicitantium ipsos ad peccata, sed præsupposita illorum malitia, desiderant ipsas afflictiones, quæ, ut tales, a Deo sunt, & proinde bonæ.* Additur Silvius in 2. 2. *D. Thomæ quæst.* 59. *ar.* 3. *ad quintum*, ubi sic loquitur: (Martyres) *licet voluntarie patiantur comparatione ad Deum & Ecclesiam, non tamen per comparationem ad Tyrannos, seu Tyrannorum actiones, quas non cupiunt ipsos facere, quamvis præsupposita ipsorum malitia velint eas pati.* Denique Christus ipse Dominus noster, exemplar Martyrum, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, 1. *Timoth. cap.* 6. *vers.* 13. suam voluit Passionem, licet ea quidem sine peccato crucifigentium haberi non posset.

3. Acceptio mortis per actum voluntatis mortem antecedit vel tempore, vel ratione; & idcirco de ea agimus in hoc capite. Scilicet, quamvis eodem voluntatis acto, quo quis mortem acceptat, eam acceptet ex aliqua ratione, cum tamen in illo eodem actu intelligi possint duæ rationes quodammodo distinctæ, id est altera generalis, quæ sit absolute acceptio mortis, altera specialis, quæ sit acceptio mortis Fidei defendendæ causa, quæ actui speciem tribuit, & ipsum constituit in specie Martyrii; agimus in præsenti solum de generali mortis acceptione per actum voluntatis; & quærimus, an sit de essentia Martyrii; alibi autem sermo instituetur de ratione acceptionis.

4. Putant itaque nonnulli, non requiri mortis acceptionem per ullum actum voluntatis. Et quidem, ut est *in lib.* 1. *c.* 41. *n.* 26. *& plurib. seqq.* de eo, quod inter Paschalem II. contigit, & Henricum IV. Imperatorem, cum Paschalis privilegium revocasset, quod Imperatori concesserat, dicebat, se privilegium concessisse timore mortis, quam suis imminere videbat; Goffridus vero Abbas Vindocinensis & Cardinalis Tituli S. Priscæ *lib.* 1. *epist.* 7. *tom.* 21. *Biblioth. PP. pag.* 7. scribens ad eumdem Paschalem ajebat, non debuisse privilegium concedi juribus sacris adversum, sed opportunius fuisse aliorum mortem permittere, quæ Martyrii splendore fuisset illustris, quam privilegium elargiri. Porro, quia prævidit, opponi posse, quod qui mortui fuissent, occubuissent inviti, subdidit, hoc minime obstante, Martyres futuros fuisse: *Si objicitur, quod inviti forsan paterentur, & idcirco eorum Passio crederetur infructuosa, quod spontanea minime videretur &c. Si aliter non possent, contra suam voluntatem mori debuissent, quia nec sic Martyrii palma fraudari potuissent. Innocentes etenim Sancti, qui nec voce, nec voluntate Martyrium quæsiisse leguntur, quoniam pro Domino pertulerunt, corona Martyrii non privantur. Hos sancta Ecclesia non solum Martyres esse, verum etiam Martyrum flores confitetur. Unde firmiter credendum est & nullatenus dubitandum, quod supplicium mortis pro Fide Christi homini collatum, etiamsi pro carnis infirmitate noluerit, & tamen non negaverit, Martyrii vindicat nomen & præmium.* Alibi quoque, hoc est *cit. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 3. allata est epistola S. Cypriani ad Tibaritanos, in qua ait, Martyrem esse illum, qui Tyrannum fugiens, & se in solitudinem recipiens, a fera vel latrone occiditur. Quibus auctoritatibus innixus Hurtado *cit. oper. tract.* 5. *resol.* 26. §. 1. contendit, nullam, saltem in homine justo, requiri Martyrii acceptionem per actum voluntatis, & etiam dormientem, aut phreneticum, si a Tyranno interficiatur ex odio in Fidem, Martyrem esse, licet ante somnum, vel phrenesim de Martyrio non cogitaverit. Verum communior est, eaque retinenda Theologorum sententia, quæ in adulto Martyrii acceptionem per actum voluntatis exposcit, ut, si pro Fide Christi interficiatur, Martyr sit. Ad hoc enim facit illud Matthæi 16. *v.* 24. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Negatio siquidem sui, crucis assumptio, sequela Christi actum voluntatis exposcunt. Facit etiam ratio, quia Martyrii susceptio est actus meritorius vitæ æternæ, & idcirco debet esse voluntarius & liber.

5. De voluntate, seu de acceptione Martyrii per voluntatem quæritur etiam, utrum debeat esse actualis, an possit esse virtualis, & etiam habitualis, & an sufficiat interpretativa. Pie enim præsumi potest, Christianum, oblata occasione Martyrii, id pro Fide Christi fuisse subiturum, uti præsumi potest, dormientem, aut phreneticum Pœnitentiam, & extremam Unctionem, urgente mortis periculo, fuisse petiturum, licet nulla præcesserit voluntas formalis ante somnum, vel phrenesim, Pœnitentiæ atque extremæ Unctionis. Exclusa autem interpretativa, eo quia non ita facile præsumi potest, aliquem pro Christo tormenta & mortem esse passurum, sicuti præsumi potest, eum fuisse petiturum Sacramenta, si id facere potuisset; actualis est optima, virtualis sufficit, quæ non sit retractata & influat in actum, & sufficere quoque dicendum est habitualem, puta, si quis aliquando Martyrium optasset, postea nihil de eo cogitans, sed prædicans, aut aliud quid meritorium faciens, per insidias occideretur ex odio in Fidem; hic enim utique Martyr habendus esset, & id ipsum etiam dicendum esset de eo qui dormiens occideretur, si formalem prius habuisset voluntatem Martyrium subeundi. Quibus admissis, nemo est qui non videat, non posse eum inter Martyres recenseri, qui, licet prius nihil de Martyrio cogitasset, dormiens a Tyranno ex odio in Fidem occideretur, etiamsi justus esset, cum rationes, quæ probant necessitatem acceptionis Martyrii per actum voluntatis, æquale robur habeant, sive de justo tractetur, sive de peccatore; Theophilus Raynaudus *de Martyrio per pestem par.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. *&* 7. Bonacina *oper. moral. tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.*

quæst. 1. *punct.* 1. *proposit.* 2. Lessius *in lib. de Fortitud. c.* 4. *num.* 24. Mausus *Theolog. tom.* 3. *lib.* 11. *quæst.* 95. *num.* 1. *&* *num.* 3. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. par.* 2. *tom.* 3. *disput.* 20. *art.* 6. *num.* 76. *& seq.* fuse Cardinalis Capisucchius *in controv. de Martyrio par.* 1. §. 13. Cardinalis Gotti *tom.* 13. *quæst.* 2. *dub.* 3. §. 1. Anaclet. *Theolog. moral. tract.* 7. *dist.* 3. *quæst.* 6. *num.* 44. *&* 45. & optime Rotæ Auditores in relatione causæ B. Josaphat Pollocensis *par.* 2. ubi scite animadverterunt habitualem acceptionem non sufficere, si nomine *habitualis* ea intelligatur, quam formalis numquam præcessit: *Acceptatio etiam mortis requiritur in Martyrio, & voluntaria ejusdem tolerantia, quia, cum sit actus virtutis, debet esse omnino voluntarius, ut inquit Divus Thomas, & Philosophorum est inconcussum axioma; alioquin mors pœna diceretur, non Martyrium: & volitio seu acceptatio debet esse plusquam habitualis, neque interpretativa tantum, atque adeo quæ aliquando fuerat actualis & vere exercita, perseverans saltem moraliter, prout dicitur de Sacramentis, & passim per Theologos: unde fit, eos, qui dormientes occiduntur pro Christo, non esse proprie Martyres, nisi materialiter; homo quippe dormiens non est proprie voluntarius.* Dum munere fungebar Fidei Promotoris, proposita fuit in sacrorum rituum Congregatione antepræparatoria causa Ven. Dei Servi Joannis Juvenalis Ancinæ Salutiarum Episcopi, & de more discutiendum propositum fuit dubium de virtutibus. Postulatores itaque putabant, agi posse de Dei Servo non tantum uti Confessore, sed potius uti Martyre, cum occubuerit ex veneno sibi propinato a Sacerdote, quem propter scandalosam cum nonnullis Monialibus conversationem severe redarguerat. Ipse vero opposui, Joannem Baptistam Spadam sacræ Consistorialis Aulæ, & Fisci, & Cameræ Advocatum super prædicto facto scribentem sensisse, id non esse sufficienter probatum, ut habetur in ejus *consil.* 150. *tom.* 1. cumque etiam in meis animadversionibus addidissem, etiamsi factum probatum esset, deficere probationem acceptionis Martyrii, quippe quia Dei Servus occubuerat ignorans, sibi venenum fuisse propinatum; oppositio hæc suo non caruit effectu. Consultores nimirum suum tulerunt suffragium in eadem causa hujusce Servi Dei non uti Martyris, sed uti Confessoris. Quocirca fortius confirmatur sententia de necessaria Martyrii acceptione per actum voluntatis, de qua supra. Nec vero doctrinæ isti Vindocinensis epistola ullum obstaculum præbere potest; quia ille nititur Martyrio Infantium qui fuerunt ab Herode occisi, cum unusquisque bene percipiat, non valere illationem ab infantibus ad adultos. Pariter, quod attinet ad epistolam S. Cypriani, vel Sanctus ipse intelligendus est & explicandus non de Martyribus stricto, sed lato modo sumptis, quemadmodum advertunt Cardinales Capisucchius, & Gotti: vel credendum, in rerum eventu a S. Cypriano ponderato præcessisse formalem acceptionem Martyrii; ita ut fugiens persecutionem aut aliquando Fidem confessus sit, aut confiteri voluerit, sed fugam arripuerit, ne se exponeret periculo negandi, sive ut aliis auxilium præstaret, ne deficerent, quemadmodum subdit Cardinalis de Lauræa.

6. Sed hæc indicasse satis sit, cum ad Forum potius internum respiciant, quam ad externum. Admisso quippe, occisum, dum somno esset correptus, ex odio in Christum, Martyrem esse posse coram Deo, si præcedentem formalem voluntatem subeundi Martyrium habuisset; difficilem nihilominus ejus causa progressum haberet, si in sacrorum rituum Congregationem introduceretur, cum hæc liquidas probationes mortis, & causæ mortis tum in Martyre, tum in Tyranno exposcat, necnon probationes perseverantiæ usque in finem, ut infra videbimus: quæ quidem probationes non videntur posse reperiri in ejusmodi rerum eventu. Quocirca, ad ulteriora procedendo, quæritur, an Martyri liceat se offerre Martyrio, & an spontanea ad ipsum oblatio obstet ejusdem merito.

7. Porro spontanea ad Martyrium oblatio juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam erat vetita. In Actis Proconsularibus S. Cypriani Episcopi & Martyris *apud Ruinart. n.* 1. *pag.* 188. sic Paternus Proconsul interrogat S. Cyprianum: *Volo ergo scire ex te, qui sint Presbyteri qui in hac civitate consistunt. Cyprianus Episcopus respondit: Legibus vestris bene atque utiliter censuistis, delatores non esse. Itaque detegi & deferri a me non possunt. In civitatibus autem suis invenientur. Paternus Proconsul dixit: Ego hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit: Cum disciplina prohibeat, ne quis se ultro offerat, & tuæ quoque censuræ hoc displiceat, nec offerre se ipsi possunt, sed a te exquisiti invenientur.* Antea id ipsum idem S. Cyprianus docuerat *epist.* 83. *col.* 342. *Nec quisquam vestrum aliquem tumultu Fratribus moveat, aut ultro se Gentilibus offerat; apprehensus enim & traditus loqui debet.* Hanc eamdem S. Cypriani doctrinam memorat S. Augustinus *contra epistolam Gaudentii lib.* 1. *num.* 40. *col.* 657. *tom.* 9. *oper. His sacris Litteris eruditus Beatus Cyprianus in confessione sua dixit, disciplinam prohibere, ne quis se offerat.* Item spontanea hæc oblatio ante SS. Cyprianum & Augustinum reprobata fuit in epistola Ecclesiæ Smyrnensis sæpe citata de Martyrio S. Polycarpi *apud Ruinart. num.* 4. *pag.* 28. *Tunc unus, Cointus nomine, Phrygius, superveniens forte de patria, pronus ad patiendum voluntate, festinans, cruento Judici se sectirus objecit. Sed voluntatem vicit infirmitas. Missis namque ad se feris, & ipso aspectu timore perculsus, cœpit nolle quod voluit, & conversus ad Diaboli voluntatem probare illud, ad quod venerat destruendum. Huic itaque Proconsul multis pellectionibus sacrificare persuasit. Ideo non eos Fratres laudare debemus, qui se ultro offerunt, sed eos qui inventi latentes in Passione potius perseverant. Sic nos namque Evangelicus sermo confirmat, & hoc hortatur exemplo, quo videmus cessisse ultroneum, & vicisse compulsum.* Demum neque Mensurio Carthaginensi Episcopo placuit, nonnullos se Persecutoribus offerre, & dicere, se habere Scripturas sacras, quas tradere nolebant: qua de causa decrevit, eos non esse Martyrum catalogo adscribendos, licet fuissent a Tyrannis interfecti; contra vero, cultum Martyrum esse illis deferendum, qui a Persecutoribus intercepti mortem potius subire voluerunt, quam sacros Codices prodere, teste S. Augustino in breviculo collationis cum Donatistis *collat. tertiæ diei cap.* 13. *col.* 568. *tom.* 9. *oper.* ubi narrat, lectas fuisse epistolas Mensurii Episcopi, in quibus habebatur, *Eos, qui se offerent persecutionibus non comprehensi, & ultro dicerent, se habere Scripturas, quas non traderent, a quibus hoc nemo quæsierat, displicuisse Mensurio, & ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos;* lecta quoque fuisse *Scripta* Secundi Tigisitani *ad eumdem Mensurium*, ubi & ipse exposuit, quæ Persecutores in Numidia egerant, & qui comprehensi, & Scripturas sacras tradere nolentes, multa mala passi, & gravissimis suppliciis excruciati, atque occisi fuerant, quos honorandos pro Martyrii corona commendaverat; uti est in historia Donatistarum Cardinalis Norisii *part.* 1. *oper. tom.* 4. *pag.* 18.

8. Ab hac tamen regula pariter juxta antiquam disciplinam excepti erant illi, qui Fidem abjuraverant: ipsis enim permittebatur, ut se offerrent Tyranno, & prælium redintegrarent: ut scilicet qui pro tribunali Christum abnegaverant, eo ipso in loco illum confiterentur. Quare idem S. Cyprianus *in epist.* 52. *col.* 149. *ad Antonianum* dicit, se lapsis promiscue pacem dare noluisse, ut publica potius coram Tyrannis confessione & sanguine suo, quam habita a Sacerdotibus absolutione patratum scelus abluerent: *Nam, cum acies adhuc inter manus esset, & prælium gloriosi certaminis in persecutione ferveret, toto hortatu & pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, & maxime Lapsorum mentes classico quodam nostræ vocis fortiter animandæ, ut pœnitentiæ viam non solum precibus & lamentationibus sequerentur; sed quoniam repetendi certaminis & reparandæ salutis dabatur occasio, ad confessionis potius ardorem & Martyrii gloriam nostri increpiti vocibus provocarentur.* Plura que ad id comprobandum collecta legi possunt apud Verricellum *de Apostol. Mission. tit.* 1. *quæst.* 9. *sect.* 3. *num.* 29.

9. Rursus in historia Ecclesiastica non desunt aliorum exempla, qui tanquam Martyres coluntur, etiamsi se Tyrannis obtulerint. De Christianis sui temporis Lucianus *de morte peregrini num.* 13. *pag.* 337. ait: *Persuaserunt enim sibi miseri in universum quidem se futuros esse immortales, & perpetuo tempore victuros: unde etiam contemnunt mortem vulgo, suaque se sponte occidendos præbent.* Justinus *apol.* 2. *num.* 12. narrat, cum Platonis doctrina delectaretur, ac de criminibus in eos conjectis audiret, eorum innocentiam perspexisse, quod nemo libidinosus & intemperans *mortem amplecti possit, ut bonis suis careat, ac non potius omnino in hac vita semper versari, & Magistratus latere conetur, nedum seipsum deferat morte mulctandum.* Tertullianus *ad Scapulam cap.* 1. *pag.* 129. inquit: *Cum omni sævitia vestra concertamus etiam ultro erumpentes, magisque damnati, quam absoluti gaudemus.* S. Joannes Chrysostomus *homil. in SS. Juventinum & Maximinum tom.* 2. *pag.* 579. hanc reddit rationem, cur Julianus Apostata apertam noluerit moliri contra Christianos persecutionem: *Cum videret res nostras Martyrum morte clariores*

(fieri),

(fieri), *& ea causa non solum viros, sed & teneros pueros virginesque innuptas : & in summa ex omni sexu & ætate quosdam pro religione ad mortem prosilire ... omnes enim, dicebat, ad Martyrium, quasi ad alvearium apes, volabunt*. Celebre demum est nomen Phocæ Martyris, qui, cum lictores hospitio accepisset, qui dicebant, se missos ad Phocam interficiendum, promisit, se die crastino illis Phocam ostensurum; tum, loco ad sui sepulturam præparato, astans eis dixit : *Ego ille ipse sum* (*apud Ruinart. pag.* 492.). Hæc nimirum & alia hujusmodi erudite collecta legi possunt in dissertatione apologetica P. Josephi Augustini Orsi pro SS. Perpetua & Felicitate *pag.* 155. *& seqq.* quibus addi potest, in Martyrologio Romano *ad diem* 24. *Martii* fieri commemorationem SS. Martyrum Timolai, Dionysii, Pausidis, Romuli, Alexandri, alterius Alexandri, Agappi, & alterius Dionysii, de quibus in Menologio Græcorum jussu Basilii junioris Imperatoris sæculo x. conscripto legitur, eos sponte sua accessisse ad Præsidem urbis Cæsareæ, qui tunc torquebat Christianos, & coram ipso stantes, se Christianos confessos esse; ut & ex dicto Menologio adnotarunt Bollandiani in eorum vita *ad diem* 24. *Martii pag.* 478. *tom.* 3. Addi etiam potest, in eodem Martyrologio Romano *ad diem* 25. *Januar.* commemorationem fieri S. Projecti Episcopi & Martyris, de quo in ejus vita scripta a Coætaneo *apud Bollandianos ad dictam diem* refertur, ipsum de loco, in quo orabat, Persecutores vocasse, qui Amarinum, sive Marinum occidentes putaverant, se occidisse Projectum, eisque dixisse : *Ecce hic est, quem quæritis; facite, quod cupitis*. Subdit autem citatus Pater Orsi *pag.* 157. eos, qui se obtulerunt ultro Tyrannis, id fecisse ex speciali Spiritus Sancti impulsu: *Eodem Spiritu & illos actos fuisse, qui se ipsos ultro Tyrannis optulerunt, vel majori, quam debuissent, libertate utentes ad sæviendum magis magisque inflammarunt, & eorum postea memoriam inter Sanctos Martyres semper coluit Ecclesia, pro certo tenendum est, nisi innumeros Martyres e sacris fastis expungere nostro arbitratu velimus.* Enimvero Caprasius Martyr, cujus festum in Martyrologio annuntiatur die 20. *Octobris*, rabiem persecutionis declinans in spelunca latebat, nec ad aream certaminis properavit, nisi postquam postulatum a Deo signum obtinuit, quod ex lapide speluncæ limpidissima aqua manaret, ut in eodem legitur Martyrologio. At, cum de speciali Spiritus Sancti impulsu & inspiratione cogitandum sit, vel cum actus ex sui indole & natura bonus non est, quo spectant eorum exempla, qui sibi mortem intulerunt, de quibus supra actum est, vel cum circumstantiæ non adsunt, quæ actum bonum & meritorium constituere possint; omisso nunc examine impulsus & Divinæ particularis inspirationis (de qua alibi) videndum est, an aliquæ sint circumstantiæ, quæ spontaneam Martyrio oblationem bonam & laudabilem possint efficere. Hujusmodi circumstantiæ non desunt. Si enim quis, se sponte sua offerendo Martyrio, alios ad idololatriam ruentes se retrahere posse putet, sic agendo probabiliter & merito se offeret; exemplo S. Romani inter Palæstinenses Martyres recensiti, de quo Eusebius Pamphili Cæsariensis Episcopus in libro de Martyribus Palæstinæ *cap.* 2. *pag.* 409. *tom.* 1. narrat, eum Antiochiam ingressum, cum innumerabiles viros simul ac mulieres una cum parvulis templa Deorum adeuntes & sacrificantes vidisset, zelo Divini cultus propius accessisse, eosque increpando objurgare cœpisse, ob quam causam illico comprehensus Martyrio coronatus est. Item, si aliquis, se sponte sua ad Martyrium offerendo, exemplo suo nutantes in Fide Christianos se putet posse confirmare, pie & laudabiliter se offeret. S. Basilius Magnus in oratione de S. Gordio Martyre *num.* 3. ait, eum ad vasta deserta, & hominibus invia loca contendisse; tum, postquam se jejuniis, vigiliis, orationibus probe exercitatum & ad certamen instructum animadvertit, ad urbem rediisse, quo die equestre spectaculum populo parabatur in honorem Martis, cui nedum Judæi & Gentiles, sed etiam Christiani qui negligenter vivebant, intererant, & stantem in eminentiori parte theatri ingenti voce exclamasse: *Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant*; quibus verbis se in eum venisse locum significavit minime coactum, sed ultro se certamini exhibuisse. Nihil demum vulgatius in Actis Martyrum, quam voces illæ ultroneæ: *Christianus sum: mori volo*: & cetera hujusmodi, uti bene adnotavit Balutius *in notis ad cap.* 11. *Auctoris de mortib. Persecutor.* (*tom.* 2. *miscellan. pag.* 371.)

50. Ex annalibus Cardinalis Baronii habemus acerrimam contra Christianos excitatam fuisse persecutionem a Rege Abdarameno Mahumetano Cordubæ in Hispania, multosque Martyres in ea coronatos fuisse, qui sponte se obtulerant Martyrio; hortante autem Recafredo Episcopo qui a Fide defecerat, coactam fuisse Synodum Episcoporum, in qua damnatum fuit Martyrium eorum qui se sponte sua obtulissent, atque adeo prohibitum fuit, ne in posterum fieret hæc oblatio; quod Concilium Conciliabulum potius *Satanicumque conventum* dicendum affirmat Cardinalis Baronius *ad an.* 852. *num.* 11. *& num.* 16. *Fuit Conventus iste non in Spiritu Sancto legitime Concilium congregatum, sed consilio perfidorum jussu Regis impii hostis Christianorum collectum, in quo nec quod Deo esset placitum, tractatum vel definitum fuit, sed, Pseudoepiscoporum unanimi conspiratione facta cum Principe* (Saracenorum), *vetitum est Martyrium, demptusque est cultus SS. MM. erecta perfidia, atque depressa confessio*. Et profecto S. Eulogius Presbyter, qui postea Martyr fuit, *in memoriali pro his Sanctis Cordubensibus exarato* (*tom.* 15. *Biblioth. Patrum*) sic de spontanea Martyrum oblatione loquitur *lib.* 1. *pag.* 248. *Sunt autem plerique Fidelium, & (heu, proh dolor!) etiam Sacerdotum, temere horum Confessorum gloriam adimere non verentes, qui jubent, eos non recipi in catalogo Sanctorum, inusitatum scilicet atque profanum asserentes hujusmodi Martyrium, quippe quos nulla violentia Præsidialis Fidem suam negare compulit, nec a cultu sanctæ piæque religionis amovit, sed propria se voluntate discrimini offerentes, ob superbiam suam (ita dicunt) quæ initium est omnis peccati, interempti suarum parricidæ effecti sunt animarum.* Cumque ipse S. Eulogius S. Sebastiani, SS. Justi & Pastoris, S. Eulaliæ Virginis Barcinonensis, qui se sponte sua Martyrio obtulerunt, attulerit exempla, & *in eod. memoriali Sanctorum* ostenderit, Fidem ex silentio tunc periculis fuisse expositam, ejusque depressionem consecuturam fuisse, nisi veritatis testes suæ Fidei professionem hostibus vel nolentibus, ingessissent, hostesque etiam ipsos generosa confessione provocassent, subdit *pag.* 250. *Et idcirco, ut quidam Sapientium meminit, inter primas dignitates regnorum cælestium sunt ponendi, qui ad Passionem venerunt non quæsiti, & excellentis voti est inter tormenta prosilire, ubi non est criminis latuisse. Sed in veritate crimen esse fatendum est latitare, si virtus excellentiæ meriti est ultro procedere; quando Fidei nostra confessio prædicationem exigit & testimonium postulat*; causa etiam ista procul dubio apta, & fortasse necessaria dicenda erit, ut quis se possit offerre Martyrio: atque eo quidem magis, cum Martyres prædicti Cordubenses cultum Sanctorum obtineant in Martyrologio Romano, recurrentibus singulorum natalibus diebus; uti observat Cardinalis Baronius *ad an.* 852. *n.* 12. & prosequuntur Rotæ Auditores in relatione B. Josaphat Pollocensis *part.* 2. §. *Ex his sequitur*. De Martyribus Cordubensibus, & de scriptis S. Eulogii pro eisdem vindicandis, legi potest Mabillon. *in annal. Benedict. tom.* 3. *pag.* 11. *num.* 26.

51. Præterea; si magnum aliquod malum instet, quod per spontaneam oblationem averti possit, de merito ejusdem oblationis non videtur esse dubitandum, eamque non obstare Martyrio, dicendum erit. Rumor Alexandriæ invaluit, S. Petrum Alexandrinum, qui in carcere pro Fide Christi detinebatur, ex decreto Maximini Imperatoris esse interficiendum. Christiani itaque Alexandrini, quorum numerus immensus erat, iniquo ferentes animo, suum Episcopum esse interficiendum, propero cursu ad carceres devenerunt, ut militibus resisterent. Quamobrem Tribunus militum opportunum esse existimavit expectare, ut, nocte adveniente, populus, qui præ foribus carceris stabat, ad propria remearet. Sed, populo stationem non relinquente, Petrus tum amore Martyrii quo flagrabat, tum timore, ne sui Christiani cum militibus manus consererent, hominem misit ad Tribunum secreto eum admonens de modo, quo collectam frustraretur multitudinem, si videlicet a parte posteriore carceris summa nocte cum lapicidis per posticum via secreta veniret, & murum eo loco perfoderet, quo se intus pulsantem audiret. Pariete sic effosso, Petrus per foramen clanculo egressus, sese militibus expectantibus exhibuit. Cum vero milites reveriti majestatem viri de eo feriendo hæsitarent, demum vix inter eos inventus est unus, qui, pretio recepto quinque solidorum aureorum, exerto gladio, Petri caput ictu valido amputavit; uti fuse refertur a Cardinali Baronio *ad an.* 310. Denique idem judicium ferendum est, quando quis se offert, ne pro eo alii Fideles ad supplicia & tormenta trahantur. S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 3. appellat S. Marcum Episcopum Arethusium athletam voluntarium, atque ejus gesta his verbis exponit *tom.* 1. *oper. pag.* 88. *Cum populum adversum se incitatum .... cerneret, primum*

confusjcendæ fugæ consilium init &c. At, postquam, multos sua causa duci atque abstrahi, multos etiam ob persequentium crudelitatem in animæ periculo versari, intellexit, tum vero alias ob cautionem suam periclitantes negligere minime sustinuit; ac proinde præstantissimum maximeque philosophicum consilium capit. Ex fuga enim redit, seseque ultro plebis arbitrio tradit, atque adversus temporis difficultatem velut aciem instruit. Similiter S. Eulogius *lib. 2. memorial. Sanctor. cap. 8. pag. 261.* narrat, SS. Virgines Floram & Mariam Cordubenses Martyres, quæ persecutionem fugientes se in tutiora loca receperant, postquam cognoverunt, aliis propter se persecutionem imminere, sponte sua se Tyranno obtulisse, & glorioso Martyrio coronatas fuisse.

12. Sed cum antiquiori disciplina concordant etiam nostrorum Theologorum assertiones. Non solum enim volunt, si ex signis alibi referendis constare possit, aliquem se obtulisse Martyrio ex speciali Spiritus Sancti impulsu, nullam aliam pro ejusdem oblationis defensione causam esse exquirendam, ut habent Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. par. 2. tom. 3. disp. 20. art. 11. num. 188.* & Theophilus Raynaudus *de Martyr. per pestem par. 2. cap. 5. num. 17.* verum etiam causas admittunt, ob quas aliquis se potest offerre Martyrio. S. Thomas 2. 2. *quæst. 124. art. 3. ad primum* ait: *Est enim aliquis casus, in quo Martyrium perferre non est de necessitate salutis, puta cum ex zelo Fidei, & charitate fraterna multoties leguntur Sancti Martyres sponte se obtulisse Martyrio.* Admittit itaque S. Doctor, zelum Fidei, fraternamque charitatem esse causas sufficientes, ut quis laudabiliter se possit offerre Martyrio: & quidem sanctum ipsum Doctorem ceteri communiter sequuntur, nominatim vero Silvester *in Summa, v. Martyrium, vers. Et Martyrium oblatum*, Cardinalis de Lugo *de justit. & jur. tom. 1. disput. 10. sect. 1. num. 39.* Gobat *Theolog. experiment. tract. 2. cas. 18. sect. 1.* Thomas a Jesu *de procuranda omnium Gentium salute lib. 5. dub. 3. vers. Secundum, & tanquam certum*, Joannes Petrus Verhost *in comment. ad lib. 1. Machabæorum cap. 2. pag. 86.* ubi: *Tametsi absque speciali Spiritus Sancti impulsu, aut alia gravissima causa in argumentum Divini honoris cessura nemini fas sit provocare Tyrannum, aut se ipsum ad Martyrium sponte offerre, facile tamen, immo & persæpe occurrere potest legitima ratio, quæ tum excuset, tum etiam obliget non resistentem, seu non fugientem, cum possit;* Clemens Tosi in suo opere, cui titulus *Il Gentilesimo confutato* (*volum. 2. pag. 735. & seqq.*) Verricell. *de Apostol. Mission. tit. 1. quæst. 9. sect. 3.* ubi ipsas speciatim exprimit causas, propter quas aliquis laudabiliter & merito se potest offerre Martyrio; fuse & optime Rotæ Auditores in relatione de Martyrio B. Josaphat *par. 2. §. Ex his sequitur*, ubi: *Ex his sequitur, Christifidelibus permissum esse sponte ac libere ex instinctu Sancti Spiritus, & dum gravis & proportionata causa concurrit, se exponere Martyrio pro Christi nomine tempore congruo subeundo, & hujusmodi mortem patientes esse vere Martyres.* Quam assumptionem pluribus prosequuntur & optime pariter Fortunatus Scacchus *in suo opere ms. de Confessoribus, & Martyribus cap. 2.* ubi, ponderatis nonnullis exemplis aliquorum, qui se Martyrio obtulerunt, subdit: *Communis responsio Doctorum est, Spiritu Sancto impellente, tunc Dei famulos sponte se obtulisse Martyrio &c. Ego vero stante regula Ecclesiæ, quæ docet non licere, nisi rationabilis causa id postulet, sponte se offerre Martyrio, quæ rationabilis causa debet esse major Dei gloria, & Fidei Christianæ propagatio, videamque, illos Dei famulos ut Martyres ab eo usque tempore veneratos fuisse in Ecclesia, dixerim, non casu, non sponte, non temerarie, sed ad majorem Dei gloriam, ac ex necessitate aliqua Fidei profitendæ illos se obtulisse Martyrio.* Ad hæc resumi hic etiam posset materia Confessorum, de quibus *lib. 1. cap. 2. num. 5.* Verum, ut omnia demum paucis complectamur, quo rectum de spontanea oblatione feratur judicium, considerare opus est dispositionem ejus, qui se Martyrio offert, & finis attendendus est, ob quem spontaneam sui ipsius facit oblationem; veluti ad rem ratiocinatur supra allatus Verricellus *de Apostol. Mission. de Fide quæst. 9. sect. 4. sub num. 43.* ubi ait: *Dispositio ejus, qui se Martyrio offert:* (est advertenda) *nam in deliciis enutritus, carnis vitiis irretitus, temere lapsus periculo se exponit, & hic tentat Deum; & de his accipiendus est Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 20. ubi ait: Lex Martyrii est, ne nos ultro ad certamen accedamus; hoc enim temerarii, ac præcipitis animi est &c. Finis quoque spectandus est: qui enim ultimate, & primario Martyrium intendit, illicite agit, estque id Circumcelliones imitari: quare finis primarius debet esse Dei gloria, Fidei exaltatio, Persecutoris confusio, Infidelium conversio, Ecclesiæ pax, Fidelium confirmatio &c. Denique effectus ultroneæ confessionis spectandi sunt: nam, si ex ea nulla Dei gloria, neque Fidei exaltatio, neque Proximorum salus speratur, quod contingeret, si quis secreto absque arbitris sponte Tyrannum adiret, & interficeretur, tunc illicitum est se morti objicere.*

13. Spontaneæ oblationis, de qua hucusque locuti sumus, examen, fugæ consideratio sequitur; an videlicet, urgente persecutione generali adversus Christianos, vel particulari adversus aliquem Dei servum, teneantur isti, aut saltem fugere possint, & iram declinare, ita ut, si deinde fuerint comprehensi, & mortem pro Christo subierint, antecedens fuga nequaquam obstet, quin Martyrum catalogo adscribantur. *Libro primo cap. 2. num. 4.* jam adnotavimus Tertullianum *in lib. de fuga ad Fabium cap. 12. & 13.* in ea fuisse sententia, ut tempore persecutionum licitum non esset fugam arripere; at particularem Tertulliani opinionem fuisse communi Ecclesiæ consensu reprobatam: nunc autem operæ pretium est, fusius hæc eadem explicare. De hac scilicet re plura legi possunt apud Cardinalem Baronium *ad an. 205. n. 11. & seqq.* apud Suarez *de Fide, Spe, & Charitate disput. 14. sect. 3. nu. 10. & seqq.* apud Cardinalem de Lugo *de virtute Fidei disp. 14. sect. 2. num. 41.* apud Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. sent. part. 2. tom. 3. disput. 20. art. 14.* apud Cardinalem Petram *tom. 3. pag. 127. & seqq.* apud Cardinalem Gotti *Theolog. tom. 10. dubit. 8. quæst. 4. de actu externo Fidei §. 1.* apud Maurum *Theolog. tom. 3. lib. 11. quæst. 97. num. 7.* apud Theophilum Raynaudum *in cit. oper. cap. 5. n. 91. & seqq.* apud Hurtadum *in resolut. de vero Martyr. resolut. 29. §. 1.* apud Marihæuccium *in pract. Theologo-Can. tit. 5. cap. 1. §. 4.* apud Guttierr. *Canonicar. quæst. lib. 2. cap. 24. n. 26.*

14. Summatim autem ea recensendo, quæ a prædictis Auctoribus fuse adducta sunt, dicimus primo fugam per se loquendo licitam esse. Matthæi quippe 10. *v. 23.* Christus dixit Apostolis: *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Agebatur autem de persecutione contra Fidem, cum antea mala recensuisset, quæ passuri erant in prædicatione Evangelii: *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Item Christus Dominus sæpe fugit, & se subtraxit capturæ, quam Judæi machinabantur, & quidem ratione Fidei quam prædicabat; uti legitur Matthæi 12. *v. 15. & 16.* post Joannis Baptistæ necem; Joannis 8. *v. 59.* cum tulerunt lapides, ut jacerent in eum; Joannis 11. *v. 54.* postquam Lazarum suscitavit, *& aliis in locis*, ut Lucæ 4. & Joannis 7. *v. 1.* ubi dicitur ambulasse in Galilæam, *non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* De Apostolis quoque legitur, eos metu Judæorum sese occultasse; atque adeo *Actor.* 12. habetur, Petrum carcerem & mortem ab Herode sibi paratam, Angelo ostium aperiente, evasisse, *& in 2. Corinth. 11. v. 33.* Paulus ut fugeret e manu Aretæ Regis, se demitti curavit per fenestram in sporta. Celeberrima demum est apologia S. Athanasii (*tom. 1. oper. part. 1. pag. 320.*) qui cum fuga evasisset manus Syriani Ducis, & id ei in crimen verteretur a Leontio Antiocheno, Narciso Neroniadis, & Georgio Laodiceno Arianorum antesignanis, exemplo Christi, Apostolorum, & veterum Patrum demonstravit, tempore persecutionum fugiendum esse. Ratio autem est, quia talis fuga nullo modo est negatio Fidei, sed potius est virtualis Fidei confessio: fugiens quippe, imminente persecutione, multa incommoda patitur; & qui propter Fidem patitur, Fidem profitetur. Patrum testimonia collecta videri possunt apud citatos Auctores, a quorum idcirco recitatione abstinemus.

Dicimus secundo, Episcopos, ceterosque animarum curam habentes vetitum esse in persecutione fugere, si gregis conjunctionem ex sua præsentia, ex fuga autem prævideant dispersionem. Probatur id ex Joannis 10. *v. 11.* *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Quare in can. *Scisciaris 7. quæst. 1.* sic legitur: *Si perniciosum est, proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus? Ubi non dicimus, quod Persecutorum non fugiamus* (*maxime Paganorum*) *insidias cum ad tempus sæviunt, & ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem divinitus assequuntur, præsertim cum eis prodire ultro non debeamus; & multos Prophetas, & Apostolos, ipsumque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clarius constet; sed quod*

præci-

præcipue nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, immo qui & horum Pastores sumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere, pro certo conveniat, &, cum tranquillitas reddita Divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox gregem requirere, & in unum colligere, & ejus animos, cælestis patriæ pace, ac potissimum securitate prædicata, sursum erigere debemus, & tamdiu super eorum cautela oportet nos esse sollicitos, ut si Dei judicio præsentis temporis commoda fortassis amittunt, futuræ vitæ se sperent gaudia absque ambiguitate percipere sempiterna. Egregie porro de more res explicatur a S. Thoma 2. 2. *quæst.* 158. *art.* 5. his verbis: *In qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem; & ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel personæ periculum corporaliter gregem deserere.* Itaque qui præsunt curæ animarum, urgente persecutione, ex justitia stare tenentur, & fugere non possunt, aut se occultare, si hæc cessura sint in spirituale detrimentum subditorum: secus autem se habebit res, si ex eorum absentia nulla Divini honoris injuria, nulla subditorum subversio timeatur, expediatque, eos in aliud tempus reservari, ut prædicent videlicet, & Sacramenta ministrent iis qui post persecutionem superfuerint. Servi David 2. *Reg.* 18. *v.* 53. eum rogaverunt, ut maneret in civitate, & ab ea non egrederetur ad prælium contra Absalom: *Quia tu unus pro decem millibus computaris*: atque opportune subdit S. Thomas *loc. cit. in respons. ad primum: Ille autem, qui ad evitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit.* Quocirca Petrus, Paulus, Athanasius, & alii sancti viri, qui tempore persecutionum fugerunt aut se occultarunt, veri Pastores fuerunt, non autem mercenarii, cum id fecerint, ut tempore opportuniori gregi prodessent. Confert etiam ad id epistola decima quarta S. Cypriani, quæ scripta est *ad Presbyteros, & Diaconos Romæ consistentes*; quam scilicet putat Baronius a S. Cypriano scriptam fuisse ad Clerum Romanum, ut isti instituti sui rationem redderet; nonnullis autem scriptam dicunt ad eos e Clero Carthaginiensi, qui tunc Romæ erant: at, utcumque hæc sint, in ea epistola ipse Sanctus fugam suam, vigente persecutione, defendit, eo quia, licet absens corpore, præsens erat spiritu, & muneri suo non deerat: *Nam sicut Domini mandata instruunt, orto statim turbationis impetu primo, cum me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quam quietem Fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inverecundam præsentiam nostram seditio, quæ cœperat, plus provocaretur. Absens tamen corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quominus secundum Domini præcepta Fratribus nostris in quibus possem, mea mediocritate consulerem. Et quid egerim, loquuntur vobis epistolæ pro temporibus missæ numero tredecim, quas ad vos transmisi, in quibus nec Clero consilium, nec Confessoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec universæ Fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio & persuasio nostra defuit, quantum secundum legem Fidei, & timorem Dei, Domino suggerente nostra mediocritas potuit eniti.*

16. Adnotanda sunt autem verba modo relata S. Cypriani: *Cum me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quam quietem Fratrum publicam cogitans, interim secessi.* Ex his enim colligitur, eo magis Præsulem fugere posse, si ipse specialiter quæritur: quare Gratianus *ad can. Adversitas* 7. *quæst.* 5. subdit: *Cum vero specialiter quæritur, fugiat exemplo Christi, qui a facie Herodis fugit in Ægyptum; fugiat exemplo Pauli, qui a Fratribus per murum submissus est in sporta.* Fugiendo quippe tempore persecutionis adversus ipsum motæ, si non extingui, saltem minui poterit odium persequentium, juxta alia verba supra relata S. Cypriani: *Interim secessi, ne per inverecundam præsentiam nostram seditio, quæ cœperat, plus provocaretur.* Quæ tamen sic intelligenda sunt, ut quemadmodum in persecutione generali non licet Pastori gregem deserere, nisi postquam ei providerit, ne damnum spiritale patiatur: sic ei, ut recedat, non permittatur, urgente speciali adversus ipsum persecutione, nisi postquam ea præmiserit, quæ ad suorum æternam salutem necessaria sunt. Quare S. Augustinus *epist.* 180. *modo* 228. *ad Honoratum oper. tom.* 2. ad illa verba, *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, postquam ostendit, Paulum per fenestram effugisse, quod adessent alii, quibus Ecclesiæ ministerium poterat impleri, & Christum in Ægyptum secessisse, quando nondum Ecclesiam congregaverat, subdit *col.* 831. *Faciant ergo servi Christi, ministri verbi, & sacramenti ejus, quod præcepit, sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a Persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia.* De supra memorata fuga S. Cypriani, dum quærebatur ad Martyrium, ita scribit Pontius Diaconus in ejus vita (*apud Ruinart pag.* 182. *num.* 7.) *Fuit vero formido illa, sed justa; formido quæ Dominum timeret offendere, formido quæ præceptis Dei mallet obsequi, quam sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & sic Divinis admonitionibus mancipata, credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa Passione peccare.*

17. Dicimus tertio, laudabiliter etiam & meritorie privatas personas posse tempore persecutionis non recedere, & stare in loco in quo viget persecutio, si earum permansio videlicet expediens judicetur vel utilitati proximorum, vel majori Dei gloriæ, & si personæ ipsæ tales sint, quæ sperent & probabiliter credere possint, se Fidem non esse negaturas metu tormentorum aut mortis. Quin immo nonnulli ex supra citatis Theologis censent, non modo in eo rerum eventu permansionem esse licitam ac laudabilem, sed etiam a Charitate imperatam; atque adeo S. Augustinus *cit. epist.* concludit: *Cum autem omnium, id est Episcoporum, Clericorum, & laicorum, est commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos Pater familias volet perpeti.*

18. Uno verbo, aliquando fugere licitum est; aliquando præceptum est non fugere; & aliquando, licet manendi præceptum non urgeat, manere ratione circumstantiarum laudabile erit & meritorium: & sic quidem in ipso facti eventu ferendum erit in causis Martyrum judicium de eorum fuga, aut permansione tempore persecutionum. Vercellius *in tract. de Apostol. Mission. tit.* 1. *quæst.* 9. *sect.* 5. *num.* 47. *& seqq.* quæstionem hanc de fuga tempore persecutionum optime explicat, & ait, fugam, de qua *Matth. cap.* 10. non esse præceptum, sed consilium, aut permissionem, cum aliquando melius sit fugere, quam persistere, & periculis obsistere; præceptam vero esse fugam Prædicatoribus Evangelii, quando, declinando persecutionem sine scandalo Fidelium latius Evangelium disseminatur, juxta illud Bedæ *in cit. cap. Matth. oper. tom.* 5. *col.* 45. *Fugite in aliam civitatem, non timendo Passionem, sed declinando, ut tribulationis occasio seminarium fieret Evangelii*; quando vita necessaria est bono Fidelium; quando unus quæritur ad necem, non simul alii; quando quis est imparatus ad subeundum Martyrium; quando ex permansione in loco Tyrannus magis irritaretur, & ceteri Fideles gravioribus tormentis essent expositi, propter quæ timeretur, plurimos a Fide esse defecturos; quando tandem Fidelibus ceteris licitum esset fugere ad declinandam persecutionem & mortem. Concordant Suarez *de Fide disput.* 14. *sect.* 3. *num.* 10. Coninch. *de Fide disput.* 55. *num.* 97. Castropal. *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 1. *punct.* 15. *num.* 3. ipsique rei, de qua nunc agimus, prosunt etiam adducta *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. *hujus Operis*, de Libellaticis, qui pecuniam solvebant, & pecunia vexationem redimebant, ne Fidem deserere cogerentur, timentes se minus idoneos ad ferenda tormenta. Hinc bene Remigius, quem citat & sequitur Abulensis *in Matth. cap.* 10. *quæst.* 111. *circa medium* inquit: *Licentia fugiendi convenit infirmis in Fide, quibus concedit pius Magister, ne, si se ultro ad Martyrium protulissent, fortassis positi in tormentis negarent.* Addendus etiam Salmeron *in Evangel. tom.* 4. *part.* 2. *tr.* 16. *in principio.*

19. Aurea sunt verba Maldonati *in Matth. cap.* 10. *num.* 23. *col.* 254. *Cum Evangelium ipsum, propter quod fugiendum non est, postulat, ut fugiamus, fugiendum est. Tunc fugere, non metus, sed pietas; non fugere, non fortitudo, sed pertinacia est.* Post hæc transitum facit ad cetera explicanda, jam supra a Nobis insinuata: *Major gloria Dei, & Ecclesiæ utilitas, regula nobis esse debet; cum aut utraque, aut alterutra, ut fugiamus, a nobis exigit, non fugere, peccatum est. Aliis casibus non debemus; an autem possimus, alia est quæstio, quam solam Augusti-*

gustinus explicavit. *Hac ejus sententia summa est; primum fugere Sacerdoti licere, quando ipse privatim ab adversariis quæritur, & sunt alii qui possint pro illo Sacramenta populo ministrare; secundo, quando omnes ejus oves fuga dissipatæ sunt: tertio, quandocunque plus fugiendo, quam manendo, juvare potest. Addit Chrysostomus fugere licere, & nescio an oportere, cum ejus, si manserit, fides periclitabitur, Christum, inquit, fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget. Alias non licet, alias manendum est, & pro ovibus anima ponenda, quod mercenarius non facit, qui quandocumque videt lupum venientem, & relinquit oves, & fugit.* Dum in sacrorum rituum Congregatione agebatur de causa Brasiliensi Declarationis Martyrii Venerabilium Servorum Dei Ignatii Azevedi & aliorum triginta novem Martyrum e Societate Jesu, de qua supra sermo habitus est, de hac quæstione suse tractatum est; oppositum quippe fuerat, dum ageretur de expeditione litterarum remissorialium, Ignatium, & ceteros fugere debuisse. Super hoc puncto scripserunt tres Theologi Societatis Jesu, Cardinalis videlicet de Lugo suis scriptis & editis voluminibus satis notus, Pater de Cupis Examinator Episcoporum, & Pater Virgilius Ceparius sæpe a Nobis cum laude commemoratus. Theologi hi in suis scripturis & dissertationibus quæstionem instituerunt, utrum verba Christi *Matth.* 10. *v.* 23. supra relata; *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, præceptum importent, an consilium; & quatenus importent præceptum, an illud fuerit universale, vel restrictum ad tempus, quo Christus misit Apostolos ad prædicandum per civitates Judææ, quo tempore noluit eos objici morti, ut possent post suam Passionem Evangelium per totum orbem promulgare, ut docuerunt S. Joannes Chrysostomus in Matthæum *hom. 34. al. 35. tom. 7. oper. pag.* 388. dicens: *Non loquitur enim hic de persecutionibus, quæ postea futuræ erant, sed de illis, quæ crucem & passionem præcessere*, & S. Hieronymus, qui explicans prædicta verba Christi, subdit *tom. 7. oper. col.* 61. *Hoc ad illud tempus referendum est, quum ad prædicationem Apostoli mittebantur, quibus & proprie dicitur: In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Præclare Tostatus *qu.* 109. *cap.* 10. *in Matthæum* hæc habet: *Dicendum quod circa fugam Christus non dedit nunc Apostolis doctrinam, nisi pro tempore illo quo prædicabant inter Judæos .. immo fugere tenebantur .. quia sic Christus jubebat.* Omnes autem in eam convenere sententiam, quam docuit Maldonatus, Ignatium & Socios fugere nullatenus debuisse, cum iter eorum, urgente licet periculo mortis, esset directum ad Fidei Catholicæ exaltationem, & ad majorem Dei gloriam, nec ullatenus urgeret circumstantia, quæ eos a suscepto itinere juxta regulas Ethicæ Christianæ revocare posset. Post primam hujus Operis editionem prodierunt libri *de Theologicis disciplinis*, auctore Joanne Laurentio Berti superius memorato: & *tom. 4. lib.* 23. *cap. 8. prop.* 3. congesta undique eruditione demonstratur, sine culpa Christianos, etiam Episcopos, fugiendo se surripere Persecutoribus, nisi aliter suadeat Fidei causa, plebisque Christianæ periclitatio.

20. Denique de eo qui jurat, se ad carcerem rediturum, si certo sciat, se injuste moriturum, quæritur, an teneatur ad carcerem redire, & an non redeundo sit perjurus. Affirmando scilicet respondet Cajetanus 2. 2. *qu.* 89. *art. 7. vers. Ex his autem*, quem nonnulli sequuntur, eo potissimum fundamento, quod redire ad carceres est actus fortitudinis, & ideo materia capax juramenti: quare tantopere laudatur Marcus Attilius ob fidem servatam Carthaginensibus juramento firmatam. Sed contrariæ adhæret sententiæ Covarr. *lib. 1. variar. resol. cap.* 2. *n.* 2. quem alii nonnulli sequuntur, cum redire ad carcerem in eo rerum eventu non sit actus virtutis; non est enim actus patientiæ, cum ad eam non pertineat se offerre morti injustæ sine alia ratione & causa; neque est actus fidelitatis, cum Tyranno, aut Judici injuste fidem postulanti ad patiendam injustam mortis sententiam fides servanda non sit, nisi aliunde alia causa subsit virtutis. Cessaret autem omnis controversia in eo, qui ex odio in Fidem carceribus mancipatus, timens injustam mortem dimitteretur cum juramento redeundi, subest enim causa virtutis, Charitatis videlicet in Christum suum Servatorem, necnon Christianæ fortitudinis.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De provocatione Tyranni.

1. DE Tyranni provocatione, quæ forte ex oblatione Martyris spontanea causam habeat, satis actum est in capite antecedenti: nunc autem agere opus est de ea provocatione, qua Martyr dictis, vel factis Tyrannum inflammat ad Martyrium ei inferendum. De hac ergo loquendo, regula generalis esse videtur, Martyri permissum non esse, ut Tyrannum ad Mortem ei inferendam provocet, sicuti docet D. Thomas 2. 2. *q.* 124. *art.* 1. *ad tertium*, ubi hæc habet: *Quædam præcepta Legis Divinæ tradita esse secundum præparationem animi, ut scilicet homo sit paratus hoc vel illud faciendi, cum fuerit opportunum. Ita etiam & aliqua pertinent ad actum virtutis secundum præparationem animi, ut scilicet, superveniente tali casu, homo secundum rationem agat: & hoc præcipue videtur observandum in Martyrio, quod consistit in debita sustinentia Passionum injuste inflictarum. Non autem debet homo occasionem dare alteri injuste agendi: sed, si alius injuste egerit, ipse moderate tolerare debet.* Ideoque, si juxta S. Thomam non debet alter alteri dare occasionem injuste agendi, non poterit aliquis sine gravi causa dictis, aut factis Tyrannum provocare ad mortem sibi inferendam. Præterquamquod qui sic ageret, se exponeret periculo deficiendi a Fide in persecutione atque in tormentis; & idcirco intraret in tentationem contra præceptum Christi *Marc.* 14. *v.* 38. nos monentis, *ut non intremus in tentationem*. Hæc porro late prosequuntur Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. part.* 2. *tom. 3. disput.* 20. *art.* 13. *num.* 237. *& seqq.* Cardinalis Gotti *Theolog. tom.* 13. *quæst.* 2. *dub.* 3. §. 3. *n.* 12. *& seqq.* Navarr. *in Summa cap.* 11. *art.* 4. Lopez 1. *part. instruct. cap.* 41. *in fin.* Sanchez *in Summa lib.* 2. *cap.* 34. *art.* 15. Hurtadus *de ver. Martyr. resolut.* 27. *pag.* 68. *&* 69. ubi: *Ex qua doctrina colligitur, aliud esse, aliquem provocare Tyrannum persecutorem ad sui mortem, aliud se afferre voluntarie Martyrio. Hoc ultimum per se licitum est; primum autem per se illicitum*; Bonacina *disp. de Sacram. part.* 3. *n.* 6. Gobat *in Theolog. experimental. par.* 2. *cas.* 18. *sect.* 1. *num.* 622. *& seqq.* Raynaud. *de Martyr. per pestem part.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. *& seqq.* Matthæucc. *in practica Theologo-Can. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tit.* 4. *cap.* 1. §. 3. *n.* 62. *& seqq.* Maurus *Theolog. tom.* 3. *lib.* 11. *quæst.* 97. *n.* 7. *& seqq.* Cum vero plura extent Sanctorum exempla, qui dictis, & factis Tyranno provocarunt, receptaque morte pro Christo, Martyrum catalogo adscripti sunt, memorati Auctores provocationem referunt ad specialem Spiritus Sancti impulsum, qui Fideles ad ea peragenda movere potest, vel ut aliqui astantes ad Fidem convertantur, vel ut titubantes in Fide confirmentur, uti late recenset Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. part.* 2. *tom.* 3. *dispus.* 11. *art.* 4. §. 7. *num.* 138. Cumque, hoc admisso, subalternæ locus aperiatur quæstioni, non quoad eos qui jam inter Martyres recensiti sunt, sed quoad eos, de quibus quæritur, an Beatorum Martyrum catalogo sint adscribendi, utrum scilicet provocatio a Spiritu Sancto, an ab animi levitate, aut deliberationis præcipitantia provenerit; nonnullas etiam proferunt notas, ex quibus docent dignosci posse, unde provocatio causam habuerit, & idcirco utrum obstet Martyrio, necne.

2. Matthæuccius nempe *loc. cit. num.* 67. ait, id a subsequentibus miraculis declarari. Si enim intercessione ejus, qui Tyrannum provocavit & pro Fide mortuus est, Deus operari dignetur miracula, signum id manifestum erit, provocationem vero Martyrio non obstitisse, &, quod consequitur, Spiritum Sanctum auctorem habuisse: in cujus dicti confirmationem resumi possent fuse a nobis adducta *lib.* 1. *cap.* 28. *& duobus seqq.* de Miraculorum interventu in causis Martyrum. Alii tanquam signum Divinæ inspirationis dicunt esse perseverantiam ipsam in confessione, & mortem secutam, ut Verricell. *de Apostol. Missionib. tit.* 1. *quæst.* 9. *sect.* 4. *sub n.* 43. ubi: *Respondetur secundo, esse signum Divinæ inspirationi perseverantiam in confessione, & mortem secutam; unde sancta Ecclesia omnes tales ut Martyres veneratur.* Item, quia similis est hæc indago alteri jam excussæ de voluntaria ad Martyrium oblatione, quæ facta aliquando dicitur speciali Spiritus Sancti impulsu, & de qua pariter disputatur, an, & quando a prædicto Divino impulsu

pulsu

pulsu causam habuisse dicendum sit (Verricellus, nempe, uti vidimus, tria docuit observanda, hoc est quomodo se offerens ad Martyrium dispositus fuerit, an pro fine primario habuerit Dei gloriam, Fidei exaltationem, & Proximorum salutem, atque an ab ea ultronea oblatione malum aliquod secuturum fuisset: Castellinus *de inquisit. mirac. in SS. MM. Canoniz. pag. 32. & seqq.* judicat, sedulo attendendam esse vitam ejus, qui se offert Martyrio, an videlicet fuerit virtutibus, præsertim vero humilitate insignis atque laudabilis; ponderandas esse circumstantias loci, & temporis; demum animadvertendam esse causam, propter quam voluntaria fit oblatio, hoc est an necessitas aliqua immineat, aut utilitas sic agendi pro Fide Christi) quæ dicta sunt de voluntaria oblatione, nullo negotio trahi possunt ad provocationem; & ea quidem ut plurimum sunt, quæ a causarum Postulatoribus afferri consueverunt, ut Fidei Promotorum oppositioni ex provocatione deductæ satisfacere possint.

3. Verum, ut clare & distincte materia provocationis explicetur, provocationes a provocationibus secernere opus est; nonnullæ quippe provocationes contingere possunt in ipso actu Martyrii, nonnullæ autem Martyrium præcedere. Quoad eas, quæ in ipso actu Martyrii contingunt, quando videlicet Martyr aut statim est tormentis subjiciendus, aut jam tormentis & cruciatibus afficitur, si is Tyrannum objurgat, si ejus crudelitatem arguit, si Dei vindictam minatur, hujusce generis provocationes vero Martyrio obstare non possunt, teste Verricello *cit. oper. tit. 1. quæst. 9. sect. 4. sub num. 45.* ubi: *Licitum est Martyri, cum a Tyranno torquetur, ejus crudelitatem, immanitatem, impietatemque exprobrare, quamvis ex hoc Tyrannus ruinæ occasionem accipiat, crudelius deseviendo.* Plura enimvero afferri possent exempla, sed omitti non potest illud, quod desumitur *ex lib. 2. Machabæorum c. 7.* Machabæi quippe (juxta alibi dicenda) veri sunt Martyres antiqui Testamenti, & soli sunt ex veteris Testamenti Martyribus, qui cultum habent in Ecclesia universali Occidentali. Porro, cum ultimus ex fratribus ad Martyrium duceretur, & impavida mater ab eo peteret, ut aspiceret cælum & terram & omnia, quæ in eis sunt, quæ Deus fecit ex nihilo, adolescens autem dixisset, se non obedire præcepto Regis, sed præcepto Legis, quæ suæ genti per Moysen data fuerat, conversus ad Tyrannum inquit *v. 31. Tu vero qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei, &c. Tu autem, o scelestæ & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus; nondum enim omnipotentis Dei & omnia inspicientis judicium effugisti &c. In me vero, in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum juste superducta est. Tunc Rex accensus ira in hunc super omnes crudelius deseviit, indigne ferens se derisum.* Consimile est aliud novi Testamenti *in Act. Apostol.* Postquam enim *cap. 6.* narratum est, Stephanum plenum gratia & fortitudine fecisse prodigia & signa magna in populo; & in concilium adductum Persecutorum potestati traditum fuisse, *cap. 7.* exponitur, quomodo Fidem Christi constanter prædicavit, deinde sic Judæos increpavit *v. 51. & seqq. Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis. Quia accepistis Legem in dispositione Angelorum, & non custodistis. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum &c. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant &c.* In superioribus sermo habitus est de S. Gordio Martyre, & de homilia in ejus laudem exarata a S. Basilio Magno *tom. 2. oper.* Porro ille nedum se voluntarie obtulit Martyrio, sed etiam ad Præsidis tribunal ductus, & ab eo miti suavique voce interrogatus, quisnam, aut cujas esset; patriam quidem, genus, gradum dignitatis, quem tenuerat, ac fugæ causam, & reditus retulit, at postea sic effatus est *pag. 145. num. 4. Adsum, inquit, mandatorum vestrorum contemtum simul & fidem in Deum in quo spem reposui, factis ostensurus: audivi enim, inquit, te multos crudelitate superare. Quamobrem id tempus tanquam explendo meo voto idoneum elegi.* Quibus auditis verbis, ira Præsidis quasi rogus accensa est, & furor omnis in eum conversus est, teste S. Basilio *loc. cit.* Memorabilia insuper passim occurrunt exempla eorum, qui in carceribus detenti Fidem Christi prædicarunt, & Gentilium superstitionem vehementibus verbis objurgarunt, necnon aliorum, qui incitati ad Fidem abjurandam, irrisionibus hortationes exceperunt, & libera voce Christum confessi idola esse abjicienda, & vero Deo inserviendum, dixerunt. Sanctus Symphorianus a Tyranno objurgatus, uti desumitur ex ejus Passione *ap. Ruinart*, quod Dianæ effigiem despexisset & adorare noluisset, ait *pag. 69. num. 2. Jam dixi tibi: Christianus sum, Deum verum adoro qui regnat in cælis; simulacrum vero Dæmonis non solum non adoro, verum etiam, si permittis, mea auctoritate malleis illud comminuo.* Deinde de Christi magnitudine disputans, sic de falso cultu Apollinis prosecutus est *num. 6. Apollinem vere istum quis nesciat apud Amphrysum fluvium Admeti Regis fuisse pastorem? Qui voluptatum suarum illecebras recolens, laureas diligis sertis coronas. Ubi per implicitas ambages mugiente tripodum specu diabolicas voces, ubi frequenter deceperis, dicitur aliquoties vera cecinisse.* Utque his, qui in actu Martyrii Tyrannos dictis provocarunt ad mortem ipsis celerius inferendam, exempla addantur aliorum, qui in eodem Martyrii actu aut ipsos mortis executores, aut feras & bestias, ad quas erant damnati, factis excitarunt, ut eisdem cito mortem inferrent; occurrit epistola S. Ignatii Episcopi Antiocheni ad Romanos de qua *superior. lib. 1. cap. 4. num. 4.* Hujus scilicet epistolæ & aliarum sex, quæ ab omnibus recipiuntur, inutile est sinceritatem probare post eruditas virorum, etiam a Romana Ecclesia alienorum, ea de re lucubrationes. In ea vero epistola *apud Ruinart Act. Martyr. pag. 12.* sic legitur: *A Syria usque Romam cum bestiis pugno, per terram & per mare, nocte & die vinctus decem leopardis, quod est militaris ordo, qui & beneficati deteriores fiunt. In injustificationibus autem eorum magis erudior; sed non propter hoc justificatus sum. Fruar bestiis mihi esse paratis, & oro, promptas mihi inveniri, quibus & blandiar cito me devorare, non quemadmodum quosdam timentes non tetigerunt. Sed, etsi ipsæ volentem non velint, ego vim faciam. Veniam mihi habete: quid mihi confert, ego cognosco.* Profecto, quod facturum se scripsit Ignatius, factum legimus in vetustissima epistola Ecclesiæ Smyrnensis ab insigni Martyre Germanico, atque a SS. Martyribus Andronico & Tharaco in eorum Actis. De Germanico quippe sic in citata epistola *loc. cit. pag. 33. n. 3.* legitur: *Cum Proconsul flectere eum vellet, diceretque, ut suam ipse ætatem miseraretur, ille bestiam ultro ad se attraxit, eique vim intulit.* Item de memoratis Andronico & Tharaco hæc habentur in Actis *loc. cit. pag. 392. num. 10. Dimiserunt ursum pessimum, quem dicebant ipsa die tres homines occidisse. Et appropinquavit ad corpora Sanctorum, & nullum corpus contaminavit. Et cum transisset, venit ad Sanctum Andronicum, & sedens lingebat vulnera ejus. Sanctus vero Andronicus posuit caput suum super ursum, & instigabat eum, ut irasceretur, & celerius redderet spiritum. Ursus autem quasi mansuetus subito factus est.* Et paulo post: *Et, cum emisset leæna .... vidit corpora Sanctorum projecta, & venit ad Beatum Tharacum, deposuit se ante pedes ejus quasi eum adorans. Sanctus autem Tharacus trahebat manu eam ad se, ut irasceretur bestia, & celerius consummaretur. Leæna autem cum magna mansuetudine secus Beatum Martyrem sicut ovis jacebat.* Amplius in Passione SS. Perpetuæ & Felicitatis hæc de Perpetua referuntur: *Perpetua autem, ut aliquid doloris gustaret, inter costas puncta exululavit, & errantem dexteram tirunculi Gladiatoris ipsa in jugulum suum posuit*, uti legitur in ejus Actis apud Ruinart *pag. 88. n. 21.* vel *transtulit*, ut in iisdem Actis apud Holstenium. Sed etiamsi SS. Germanici, Andronici, Tharaci, & Perpetuæ insignia facinora omittamus, quæ a speciali Spiritus Sancti impulsu prodiisse, optimo jure credi potest, cum in iisdem supra citatis monumentis prodigia & miracula referantur, quibus Deus patefacit, pretiosam in conspectu suo eorum mortem fuisse, atque adeo ipsorum gesta a Divina particulari inspiratione provenisse; attamen circumstantiæ quæ in aliorum Martyrum cædibus adfuerunt, secluso etiam speciali Spiritus Sancti impulsu, provocationem justam & rationabilem fuisse, aperte præ se ferunt. Ecquis enim unquam Martyrem criminari poterit, qui constitutus in potestate Tyranni, & vel tormentis subjectus, vel mox subjiciendus, ejus iniquitatem redarguat; qui in vinculis pro Fide Christi constitutus, Evangelium annuntiet; iniquas sectas, quas aversatur, condemnet; incitatus ad Fidem deserendam, zelo inflammetur; & audiens, nomen Domini blasphemari, blasphemantibus, & eorum idolis maledicat? Nulla vero major provocatio excogitari potest illa, cum Martyr idola Gentium projicit & frangit, uti Symphorianus supra memoratus libere Tyranno dixit se facturum, si id sibi permissum esset: nihilo tamen minus, si Martyr sit in potestate Tyranni, si ab eo vi vel fraude adi-

da adigatur sacrificare idolis, tantum abest, ut idola frangens reprehendi possit, ut potius eximia laude dignus sit, &, si mortem subeat, inter Martyres recenseri, etiamsi mortem subeat in regionibus, quæ Gentili aut Infideli Principi subjectæ sint; veluti sapienter adnotavit Mendoza *in not. ad can. 60. Concilii Illiberitani cap. 48. apud Labbæum tom. 1. col.* 1317. ubi: *Posterior præscriptio & regula est, ut, quoties ad sacrificandum idolis nos metu Pagani, vel vi adigant, quoties fraude, vel quo alio malo consilio impellant, ea constanti & heroica virtute disturbemus, prosternamus, conculcemus; cum nefarium vim vi sancta liceat propulsare, etiam in ipsis eorum territoriis, in media populi luce, etiamsi in nostra potestate provinciæ illorum non sint, etiamsi corda illorum ad credendum dura & ferrea sint, etiamsi patrimonii, si honoris, si sanguinis, si vitæ periculum præsens sit. Gloriosum & felix mortis genus, quo æternæ vitæ præmium tanta securitate comparatur. His enim de causis, vel una illarum commoti fuere quotquot idolorum simulacra disturbantes, honore & corona Martyrum decorati sunt.* Ostendunt igitur hæc omnia, vero Martyrio nequaquam obstare eas provocationes, quæ, urgentibus legitimis causis, a Martyribus fiunt, dum sunt in potestate Tyrannorum; idque admissum videtur ab ipsa quoque sacrorum rituum Congregatione in discussione causæ Joannis de Prado in numerum Beatorum Martyrum solemniter cooptati. In ea enim Fidei Promotor vim oppositionum desumpsit ex provocationibus, quibus asserebitur, Tyrannum ad mortem illi inferendam motum fuisse; at Postulatores strenue responderunt, provocationes contigisse, cum Martyr esset in potestate Tyranni, tormentisque ad Fidem abjurandam adigeretur, & Tyrannus ipse, qui nomen dederat Mahumeticæ superstitioni, Fidei Christianæ obloqueretur.

4. Difficilior utique quæstio est de illis Dei servis, qui, antequam in potestatem Tyrannorum deveniant, dictis provocant, aut factis Persecutores, puta, demoliendo istorum idola, aut alia similia faciando, quibus ad furorem Tyranni excitentur. Hi enim Tyrannos non inveniunt paratos ad mortem ipsis inferendam, non adiguntur sacrificare idolis, Tyrannos non audiunt Christo maledicentes, ut in primo supra exposito rerum eventu contingit; sed Persecutores impellant dictis, aut factis ad ipsos carceribus mancipandos, suppliciis afficiendos, & morte mulctandos. Hi scilicet hostes Fidei lacessere videntur, & sopitorum (ut ita dicamus) canum auriculas vellere.

5. Controversia hæc definita videtur *in can. 60.* Concilii Illiberitani *tom. 1. collect. Hard. col.* 256. ubi: *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit eum in numero non recipi Martyrum.* Et Canon hic non modo extat in Actis dicti Concilii, sed etiam refertur apud Burchardum *lib. 6. Decret. cap.* 45. & apud Ivonem *part. 10. cap.* 172. Porro Mendoza supra citatus *in notis ad canon. prædict.* in collectione Conciliorum Hispaniæ Cardinalis de Aguirre *formis impressa Nicolai Coleti Venetiis tom. 1.* adnotavit, nascentis Ecclesiæ Patres optasse, ut non vi & armis Ethnicorum delubra, sed pietate ac religione deturbarentur; ut nempe Catholicæ Ecclesiæ progressus non humanis tribueretur auxiliis, quod facile evenisset, si templa & idola Gentium viribus potius, quam Ecclesiastica disciplina fracta essent. Item Hurtado *in resol. 34. de vero Martyr. pag.* 107. animadvertit, si Fideles occidantur ab Infidelibus, dum eorum aras & idola destruunt, non esse mortem adscribendam odio in Fidem, sed rerum suarum defensioni; & Cardinalis de Laurea *in 3. lib. sent. part. 2. tom. 3. disput. 20. art.* 13. postquam *num.* 241. docuit, non esse licitum Fidei hostes provocare damnando sponte propria, ac sine causa eorum religionem, *num.* 246. loquens de altarium, idolorum, & templorum demolitione, ait nihil esse, quod magis Tyrannos provocet ad vindictam, quam si aris, & idolis eorum bellum inferatur; concluditque, sic agentes sine causa male agere, & suæ neci causam dare, necnon peccatis Infidelium; & *num.* 248. sciens, nonnullos Martyres ex speciali Spiritus Sancti impulsu templa & idola Gentium aliquando destruxisse, ait, eos non imitatione, sed admiratione dignos esse, cum similia patrata non fuerint ab Apostolis, nec ab aliis, qui post eos Fidem Christi propagarunt.

6. Antequam vero nostrum, qualecumque futurum sit, judicium de hac controversia feramus, nonnulla promenda sunt provocationum exempla, quæ causam Martyrio dederunt, & quæ quidem a dictis, aut factis Martyrum originem habuerunt, antequam iidem devenissent in Tyrannorum potestatem. Die 12. Januarii in Martyrologio Bedæ, in Martyrologio Usuardi, & in Romano mentio fit S. Satyri Martyris, qui ante quoddam idolum transiens, cum flasset in illud, signans sibi frontem, statim idolum corruit, ob quam causam decollatus est. In Menæis Græcorum *tom. 1. ad diem 5. Februarii* hæc habentur de S. Theodola: *Illico demissa ad Phanum Adriani ablegatum, clarum cum primis ac celebre. In id Sancta ingressa, fundit ad Deum preces, & insufflans simulacrum humi sternitur, in tres partes disruptum.* In Actibus Bollandianis *tom. 3. Februarii pag.* 492. extat Passio Sanctorum Ananiæ & Sociorum Martyrum, ubi Ananias signo Crucis muniens labia oris sui, insufflavit Simulacra, quæ statim elisa sunt: *& tom. 1. Martii pag.* 95. legitur de Sancto Leone Archiepiscopo Rothomagensi & Martyre, eum insufflasse in faciem statuæ Martis, quæ statim corruit, & in cinerem redacta est. Non modo Latini, sed etiam Græci *die 3. Aprilis* celebrant Festum Sanctæ Theodosiæ Virginis Tyriæ, de qua sic legitur in Martyrologio Romano: *Passio S. Theodosiæ Virginis Tyriæ, quæ in eadem persecutione, cum sanctos Confessores ante tribunal stantes publice salutasset, atque rogasset, ut, cum ad Dominum pervenissent, sui recordarentur, a militibus tenta, & ad Urbanum Præsidem ducta, ejus jussu lateribus & mammis ad ulteriora usque dilaniatis, in mare tandem projicitur.* In Menologio Græcorum *ad diem 9. Octobris part. 1. pag.* 104. & in nostro Martyrologio *ad eamdem diem* laudatur S. Publia Abbatissa, quæ transeunte Juliano Apostata, Davidicum illud cum suis Virginibus canens, *Simulacra Gentium argentum, & aurum; & Similes illis fiant, qui faciunt ea,* Imperatoris jussu alapis cæsa est, & graviter objurgata, prout etiam late habetur apud Theodoretum *lib. 3. histor. Eccles. cap. 19. edit. Valesianæ tom. 3. pag.* 138. In eodem nostro Martyrologio *die* 20. *Octobris* celebratur festum S. Artemii Ducis, seu Præfecti Augustalis, qui sub Constantino Magno præclaris militiæ honoribus functus, a Juliano Apostata, quem sævitiæ in Christianos arguerat, fustibus cæsis, & aliis tormentis afflictus capite demum truncatus est: cum enim Antiochiam pervenisset, & Imperatorem invenisset quæstionem habentem de duobus Presbyteris Antiochenis Eugenio & Macario, qui deinde Martyrio coronati sunt, magna animi libertate impietatis arguit Imperatorem, & multa in eum de falsitate cultus Deorum, & Christianæ religionis veritate testatus inculcavit; ut habetur apud Cardinalem Baronium *ad ann. 362. num.* 94. Apud eumdem Cardinalem Baronium *ad ann.* 281. Martyrium refertur SS. Thruphimi atque Sabbatii, qui, cum Antiochiæ populum effusum conspexissent in agendis festis Apollinis, illius superstitionem pertæsi, ut ab erroribus revocaretur, preces ad Deum alta voce fuderunt, & ob id mortem oppetierunt, de quorum Martyrio etiam fit commemoratio in Martyrologio Romano *ad diem 19. Septembris*. Demum in Menologio Basilii *ad diem 24. Augusti* celebratur festum Sancti Gregorii Limnæotæ Martyris hisce verbis: *Beatus Georgius primo ab adolescentia asceticam vitam institutam in Olympi montibus agens, cum plura virtutis subiisset certamina; imperante postea Leone Isauro, qui sacras Imagines aversabatur, atque delebat, Sanctorumque etiam Reliquias incendio absumebat, divino ipse zelo impulsus, ante illum stans, & loquendi libertate arrepta, eum fortissime redarguit, Atheum appellans, & Antichristi præcursorem, imitatoremque. Comprehensus itaque, ac vehementer excruciatus, custodiæ fuit traditus, ex qua post multas ærumnas eductus, cogebatur chirographo cultum venerabilium Imaginum abnegare. Sed cum id facere nollet, diversa subiit tormentorum genera. Naribus deinde obtruncatis, atque, capite emisso, gratias Deo agens, tradidit spiritum, annos natus quinque & nonaginta.* De quo etiam in Martyrologio Romano *ad eamdem diem*.

7. Sed facta hæc satis sit retulisse; ex eorum siquidem narratione satis aperte desumitur, ea ad resolutionem quæstionis nihil, aut parum prodesse. Si etenim sermo sit de S. Satyro, mirabilis ille eventus idoli ex afflatu corruentis, peculiarem Spiritus Sancti impulsum patefacit: quod ipsum de ceteris exemplis supra expositis asserendum est. Factum S. Theodosiæ ad provocationem referri nequit, licet ex eo Tyrannus sumpserit occasionem sæviendi. Factum S. Publiæ non facit ad rem, cum ea mortem non subiarit. Quæ vero dicta sunt de Martyrio S. Theodosiæ, æque bene procedere possunt in Martyrio S. Georgii; gliscentem quippe errorem Christiano pectore redarguere non est injuste provocare, sed uti jure suo;

at-

atque ideo, qui ex ea re occasionem sumit mortis inferendæ, injuste agit; & qui patitur, Martyrii palma privari non potest. Quæ responsiones æque aptari possunt gestis Artemii, Trophimi, & Sabbatii, uti consideranti patebit.

8. Ad urgentiora idcirco facta descendendo, principio sæculi IV. celeberrimum fuit factum cujusdam, qui inter Martyres recensetur ab Adone, Usuardo, & aliis Martyrologiorum Editoribus *ad diem 7. Septembris*. Hic a nonnullis appellatur Joannes, ab Henschenio creditur fuisse celebris Martyr Georgius; at Balutius *in notis ad Lactantium* (sive quicumque sit Auctor lib. de mort. persecut.) *tom. 2. miscell. pag.* 375. contendit, nec Joannem, nec Georgium Martyrem fuisse. Sed, quidquid sit de ejus nomine, certe illustre ejusdem facinus sic refertur ab Eusebio Cæsariensi Episcopo *lib. 8. cap. 5. histor. Eccles. edit. Vales. Primum quidem, simul ac edictum contra Ecclesias* (tempore videlicet persecutionis a Diocletiano & Maximiano excitatæ) *propositum est Nicomediæ, vir quidam minime obscurus, sed sæcularium honorum prærogativa in primis conspicuus, zelo quodam Divino commotus & ardore Fidei incitatus, edictum illud in publico & illustri urbis loco affixum detraxit, & tanquam impium ac scelestum manibus suis discerpsit; idque, duobus Imperatoribus in eadem urbe commorantibus, quorum alter senior Augustus primum inter omnes Imperii gradum, alter vero quartum obtinebat. Hic igitur, cum primus omnium in ea civitate hujusmodi facinore inclaruisset, statim ea supplicia perpessus, quæ post tantam audaciam ei infligenda esse credibile erat, lætitiam ac tranquillitatem animi usque ad ultimum spiritum conservavit.* Æmilianus ex Dorostoro urbe Mysiæ, cum Christum coleret, & idola execraretur, nactus opportunum tempus, arrepto malleo, ingressus in templum, idolorum simulacra omnia contrivit, & sacrificia dispersit, adiensque Præsidem, se ipsum denuntiavit; quocirca verberatus, & in fornacem injectus, spiritum Deo commendavit. Extant ejus Acta apud Bollandianos *t. 4. Julii ad diem 18. p.* 370. & hujus S. Æmiliani mentio fit in Martyrologio Romano *ad diem 18. Julii*. Apud Socratem *lib. 3. histor. Eccles. cap. 15. tom. 2.* illustria gesta narrantur SS. Macedonii, Theoduli, & Tatiani: *Eodem tempore apud Merum urbem Phrygiæ Præses provinciæ Almachius templum aperiri jussit, & sordes, quæ longinquitate temporis in eo conservatæ erant, exportari, statuas denique illic positas expoliri, præcepit. Hoc illius factum Christianorum animis gravem incussit dolorem. Itaque Macedonius quidam, & Theodulus, ac Tatianus zelo Christianæ religionis incensi eam indignitatem ferre minime potuerunt; sed incredibili quodam virtutis amore flagrantes noctu in Templum irruunt, & statuas omnes confringunt. Quo facto Præses graviter commotus, cum multos in ea Urbe, qui prorsus insontes erant, supplicio afficere vellet, Auctores facinoris ultro se se obtulere, & pro veritatis defensione ipsi occumbere maluerunt, quam sinere, ut alii ipsorum vice occiderentur*: eorumque fit commemoratio in Martyrologio Romano *ad diem 12. Septembris*. S. Gregorius Nazianzenus *orat. 4. contra Julianum t. 2. oper.* eum alloquitur, &, duorum Martyrum mortem exponendo, sic ait: *p. 133. Ex quibus alter cum Deorum tuorum matri contumeliam intulisset, atque ipsius aram diruisset, adductus quidem est ut nocens ac facinorosus, ingressus est autem ut laureatus, ac purpuram tuam, & sermones ut inanes & futiles ingenti risu prosecutus, cum majori libertate ac fiducia exiit, non secus ac si quis a cœna & splendido epulo rediret*. Abdæ sive Audæ Martyris, qui *Pyreum* destruxit, supra sermo habitus est. In Menologio Græcorum, & in Martyrologio Romano *ad diem 9. Aprilis* honorifica fit mentio S. Eupsychii Martyris, qui ob eversum Fortunæ fanum sub Juliano Apostata Martyrium consummavit. In iisdem Menologio, & Martyrologio *ad diem 14. Augusti* festum celebratur S. Marcelli Episcopi Apameæ, qui cum Jovis delubrum diruisset, a furentibus Gentilibus occisus est. Item *ad diem 26. Junii* Martyrium exponitur S. Vigilii Episcopi Tridentini, qui, dum conaretur reliquias idololatriæ penitus extirpare, & idolum confregisset, a feris & barbaris hominibus lapidum imbre obrutus vitam cum morte commutavit. Consimilis fuit mors S. Martyrii apud Bonfinium *lib. 5. decis.* 1. Sanctarumque Justæ & Rufinæ, uti desumitur ex S. Isidoro *in Breviario Gothico*. Præterea confert apologia Leontii pro Christianis contra Judæos, de qua in Synodo VII. generali, seu Nicæna II. *action. 4. t. 4. collect. Harduin. col.* 195. ubi ille sic scribit: *Quia vero me vidisti Iconam Domini nostri Jesu Christi, vel immaculatæ Matris ejus, vel alterius cujuspiam Justi salutare, indignaris, & mox blasphemans falis, & nos Idololatras appellas? Deinde non confunderis? Dic mihi, non horrescis? Non tremis? Non erubescis videns me in toto terrarum orbe templa idolorum destruere, & templa Martyrum ædificare? Si idola adorarem, cur Martyres, qui destruxerunt idola, honoro? Si ligna ut Deos honoro & glorifico, quomodo honoro & glorifico Martyres, qui lignea simulacra destruxerunt? Si lapides ut Deos glorifico, quomodo honoro & adoro Martyres, & Apostolos, qui contriverunt & perdiderunt lignea signa?* Insuper *ad diem 15. Octobris* inter Martyres recensetur in Martyrologio Romano S. Bruno Episcopus Ruthenorum, qui, non obstante prohibitione incolarum, Evangelium in ea regione prædicans, ab impiis tentus, manibus pedibusque præcisis, capite truncatus est. Ex Cardinali Baronio *ad an. 128. n.* 10. habetur, Ulfridum Episcopum Divini amoris æstu Suediam ingressum, Paganis verbum Dei magna fiducia prædicasse, multos ad Christianam Fidem convertisse, cumque accepta bipenni, idolum in frusta redegisset, mille vulneribus confossum Martyrio coronatum fuisse. Denique apud Raynaldum *in annal. ad an. 1397. n.* 17. colligitur, Joannem e Cetina, & Petrum e Duennas Minoritas Fidei propagandæ cupidos Granatam ingressos, vetitos vero a Magistratibus sacras conciones habere, cum in suscepto Mahumetanæ superstitionis oppugnandæ consilio prædicantes constantissime perstitissent pro Christo mortuos esse, atque a Catholicis uti Martyres cultos.

9. Si quis porro prædictorum factorum circumstantias sedulo velit examinare, facile dignoscere poterit, in quo rerum eventu liceat provocare dictis, aut factis Tyrannum, atque adeo in quo rerum eventu provocatio vero Martyrio non obstet, quamvis Dei servus adhuc non sit in potestate Tyranni. De Martyrio nempe Joannis, sive Georgii Lactantius *cap. 13. de mortib. Persecutor. apud Baluzium miscellan. tom. 2. pag.* 12. judicium proferens, factum non laudat, sed animi ardorem, ac mortis genus exponit his verbis: *Quod edictum quidam, etsi non recte, magno tamen animo diripuit & conscidit, cum irridens diceret, victorias Gothorum & Sarmatarum propositas*; (Diocletianus enim, & Maximianus se Gothicos dicebant) *statimque productus, non modo extortus, sed etiam legitime coctus cum admirabili patientia, postremo exustus est*. Quocirca Lactantius ipse, etsi juxta humanæ prudentiæ regulas nequaquam commendandam censuit edicti lacerationem, constantissimam tamen mortem perpendens pro Christo susceptam indicare velle visus est, eam Spiritus Sancti impulsui esse adscribendam, juxta illud S. Athanasii *in apolog. de fuga sua n. 22. tom. 1. oper. par. 1. pag. 333. Hæc observarunt beati Martyres in persecutionibus, quæ suis occurrere temporibus. In persecutione scilicet fugere solebant, in latebrisque permanere, deprehensi autem Martyrium fortiter subire. Quod si ex illis quidam Persecutoribus sese offerrent, non temere illud agebant... palamque omnibus erat, eam alacritatem, eumque ad Persecutores accessum Spiritum Sanctum auctorem habere*. De S. Æmiliano Cardinalis Baronius *in not. ad Martyr. Rom.* animadvertit, post leges Constantini & Constantii ejus filii, jure potuisse templa & aras subverti, & idola frangi, ut infra etiam a nobis innuetur. De Martyrio SS. Macedonii, Theoduli, & Tatiani sermonem instituendo, ex ipsa facti expositione desumitur primo, idolorum templum obsoletum fuisse & clausum, a Præside autem fuisse rursus apertum, ut in ipsum cultus idolorum denuo introduceretur; secundo, invictos Martyres ad avertendum aliorum periculum, libere id manifestasse quod egerant, & morti se offerentes Martyrio coronatos fuisse. Utraque enim ex prædictis circumstantiis suum habet pondus. Primum quidem, quia in provinciis Catholica Fide & religione imbutis nulla superesse debent antiquæ idololatriæ, vel superstitionis vestigia, juxta ea quæ habentur in cap. 2. Concilii Toletani decimi sexti *tom. 3. collect. Hard. col. 1794. Instituentes decernimus, ut omnes Episcopi &c. solerti cura invigilent, & in cujuscumque loca præmissa sacrilegia, vel quælibet alia, quæ Divina Lege prohibentur, vel sanctorum Patrum cohibent instituta, venerantes quoque, aut facientes repererint, cujuscumque sint generis aut conditionis, statim secundum prædictarum sententiarum seriem emendare & exstirpare non differant*. Quapropter, cum incuria dormitantium Episcoporum, idololatria, quæ longe lateque in Christiano orbe erat extincta, in Cassini Monte altioribus fixa radicibus adhuc vigeret, S. Benedictus ad eum locum perveniens avertit aram, succidit lucos, atque in ipso templo Apollinis Oraculum Beati Martini, ubi vero ara ejusdem Apollinis fuerat, Ora-

culum Sancti instruxit Joannis, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad Fidem vocavit, uti totidem verbis legitur in vita ejusdem S. Benedicti Latino-græca, variisque notis illustrata, & *formis impressa Venetiis anno* 1723. & ut habetur apud Cardinalem Baronium *ad an.* 529. *num.* 12. Deinde vero quia a Martyrum catalogo excludendus esse non videtur ille, qui postquam zelo Fidei aliquid egit, si videat alios ex eodem facto in periculum adductos, quidquid egit, fateatur, & mortem subeat ipsi a Tyranno inflictam ex odio in Christum, juxta ea, quæ *antecedenti cap.* 16. *num.* 12. ex S. Gregorio Nazianzeno desumpta sunt. In superioribus quoque, *cap.* videlicet 13. *num.* 11. de generoso facinore S. Abdæ, sive Audæ Martyris actum est. Nulla etiam rationabilis excitari valet controversia de celebri Martyris facinore narrato a S. Gregorio Nazianzeno *in tract.* 4. *adversus Julianum Apostatam*: cum enim Julianus Christianam religionem palam ejurasset, idolorum fana reserasset, Christianos dignitatibus & officiis privasset, libris etiam editis Christianam religionem procaciter impugnasset, nemo est qui non videat, potuisse ac debuisse ejus mandata sperni, & tunc temporis laudabiliter Christianos omnem lapidem movere debuisse, ut idololatria arceretur, & Christiana religio, qua Julianus antea erat astrictus, immota permaneret. Exempla pariter SS. Eupsychii, Marcelli, atque Brunonis sua non carent animadversione. Prætermisso quippe, quod eversio fani Fortunæ, auctore S. Eupsychio, sub memorato Juliano Apostata contigerit, ita ut ea, quæ modo dicta sunt, suum robur etiam quoad eamdem sibi vindicare possint; jam præcesserant leges Imperatorum Christianorum, quibus idola fuerant prostrata, & eorum Sacra proscripta: quod utique ex infra dicendis satis erat, ut Martyr Eupsychius evertere potuerit memoratum Fortunæ fanum. Nec ullo modo traduci potest S. Marcellus Episcopus Apameæ in Syria, si a furentibus Gentilibus occisus est, cum Jovis delubrum diruisset; cognoverat enim hunc unicum superesse modum populos a superstitione avertendi, teste Sozomeno *lib.* 7. *cap.* 15. *pag.* 298. *tom.* 2. ubi: *Nam, cum hic intelligeret, illos* (Apameenses nempe cives) *non aliter a priori superstitione facile converti posse, fana, quæ in urbe & in pagis erant, subvertit*: quod prosequitur & Cardinalis Baronius *ad an.* 389. *num.* 106. *& seqq.* Demum, cum S. Bruno jussione summi Pontificis Joannis XIX. provinciam assumpserit prædicandi Russis Evangelium, ut habetur ex eodem Cardinali Baronio *ad an.* 1008. *n.* 5. incolarum repugnantia potuit ab eo sperni, ut suo munere fungeretur. Quæ pro sua cujusque ratione de reliquis etiam ad hanc rem allatis factis dicenda sunt.

10. Ex dictis itaque colligi posse videtur, provocationem, sive fiat dictis sive factis, non obstare vero Martyrio; etiamsi fiat, antequam Dei servus sit in potestate Tyranni, modo ex signis dignoscatur, eam ex speciali Spiritus Sancti impulsu provenisse; vel circumstantiæ non desint, ex quibus ostendatur, Dei servum sic agere debuisse pro bono Fidei & religionis; vel denique publica Principum intercedente auctoritate prædictis provocationibus locus factus fuerit, ut in terminis dejectionis profanorum templorum & idolorum observat Theophilus Raynaudus *de Martyrio per pestem part.* 2. *cap.* 5. *nn.* 18. *&* 19. *pag.* 450. ubi: *Martyr enim re vera esset, qui, jubente Christiano Principe, iis in locis quæ imperio ejus sunt obnoxia, confringens idola, vel templum aut aram evertens, aliudve quidpiam profani illius cultus instrumentum vastans, trucidaretur eo nomine a Fidei hostibus, quia hic juste operans caderet in odium Fidei cæsus &c. Item Martyr quoque re vera esset, qui trucidaretur ob confractionem vel eversionem prædictam sub Ethnicis ex peculiari Divina inspiratione, & Numinis afflatu patratam.* Accedit Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrol. Rom. ad diem* 9. *Aprilis*, ubi relato Martyrio supra recensito S. Eupsychii, qui ob eversum Fortunæ fanum sub Juliano Apostata Martyrium consummavit, inquit: *At vero Eupsychium constat id perpetrasse auctoritate legum Constantini Magni atque Constantii imperatorum Christianorum, quibus Juliani Apostatæ tyrannis adversabatur: illorum enim iteratis sanctionibus templa clausa, idola prostrata, illorumque Sacra prorsus fuerant antiquata; quæ omnia Juliani impietas restituere conabatur &c. Quod si justis quis id facit, cum Princeps jubet, meretur laudem; multo magis licebit, cum Deus jubet, & privato quodam Divini Spiritus instinctu quis ad id faciendum impellitur, ut multos fecisse constat.* Porro late prosequitur Baillet *in præfat. ad vit. SS.* §. 78. animadversisque supra recensitis causis, subdit Ferdinandus de Mendoza *supra cit. cap.* 48. *pag.* 660. *His enim de causis, vel una illarum commoti fuere, quotquot idolorum simulacra disturbantes honore & corona Martyrum decorati sunt. In quorum numerum potiori jure sunt referendi, qui afflante Divino Spiritu, eadem labefactantes occiduntur: sed canto pervidendum, num spiritus ex Deo sit.*

11. Verum, ut id funditus explicetur, prænoscere opus est primo, Principes Catholicos posse, immo debere Paganos sibi subditos compellere ad legis naturæ observantiam, in iis præcipue capitibus, quæ ad unius veri Dei cultum pertinent, juxta *epist.* 185. S. Augustini ad Bonifacium *tom.* 2. *oper.* ubi *nu.* 19. *col.* 651. *Quomodo ergo reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia homo est; aliter, quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit, vivendo fideliter; quia vere etiam Rex est, servit, leges justa præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo; sicut servivit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo; sicut servivit Josias, talia & ipse faciendo .... sicut servivit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo; sicut servivit Nabuchodonosor ... omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges ... cum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere, nisi Reges.* Hac enimvero potestate usus est Constantinus Magnus, dum clavum Imperii tenebat, & religio Catholica dominabatur, teste Cæsariensi Eusebio *lib.* 2. *vitæ illius cap.* 45. *interpretat. Vales. Duæ leges uno eodemque tempore sunt emissæ. Altera, quæ detestanda idolorum cultus sacrificia per urbes olim & per agros passim fieri solita prohibebat, ita ut nullus deinceps nec statuas Deorum erigere, nec divinationes, & hujusmodi vanas artes attentare, nec victimas cædere auderet.* Et rursus *lib.* 3. *cap.* 54. *Gentilium vero superstitiosum errorem omnibus modis studebat convincere. Itaque quorumdam in urbibus fanorum vestibula nudabantur valvis jussu Imperatoris orbata; aliorum tectum corrumpebatur, tegulis amotis. Nonnullorum veneranda ex ære simulacra, quæ error Majorum multis jam annis magnifice jactabat, per fora urbis ab Imperatore cognominatæ omnium oculis subjecta sunt; adeo ut ad ludibrium & contumeliam spectantium paterent expositi hic Pythius Apollo, illic Sminthius, & in ipso quidem Circo Tripodes Delphici, Musæ autem Heliconides in Palatio &c. Itaque Dii illi delirantibus Græcorum fabulis celebrati, circumjectis restibus vincti trahebantur.* Tum *cap.* 55. refert eversionem fani apud Aphacam in Phœnice, *cap.* 56. templi Æsculapii Ægis, *& cap.* 58. recenset fani Veneris dejectionem in urbe Phœnices Heliopoli. Imperator etiam Honorius anno 339. leges tulit de templis & idolis diruendis, quas laudat & probat S. Augustinus *lib.* 18. *de civit. Dei c.* 54. *tom.* 7. *oper. col.* 538. *Interim, quod scimus, in civitate notissima & eminentissima Carthagine Africæ Gaudentius, & Jovius Comites Imperatoris Honorii quarto decimo Kalendas Aprilis falsorum Deorum templa everterunt, & simulacra fregerunt; ex quo usque ad hoc tempus per triginta ferme annos, quis non videat, quantum creverit cultus nominis Christi?* Cumque anno 408. mortuo Stilicone, Gentiles, & Donatistæ falso rumore in Africa jactassent, latas contra ipsos leges nequaquam ex voluntate Honorii extitisse, sed opera Stiliconis, ita ut, Stilicone extincto, earumdem cessasset auctoritas; S. Augustinus omnem lapidem movit, ut ab ipso Imperatore Honorio latæ leges confirmarentur; uti desumitur ex ejus epistola 97. *al.* 129. ad Olympium *tom.* 2. *oper. col.* 262. atque ideo Imperator eas iterum produxit & confirmavit, datisque novis rescriptis significavit, quodcumque adversus Donatistas, alios Hæreticos, necnon Gentiles statutum esset, id ex sua sententia factum, & firmum, & ratum in omnibus esse velle; quemadmodum *ex l.* 43. *&* 46. *de Hæreticis*, *lib.* 16. *& ex l.* 19. *de Paganis, in codice Theodosiano eod. lib.* Plura alia in rem hanc afferri possent; sed eis omissis, adnotare satis sit, de Principum Catholicorum potestate Infideles sibi subditos obligandi, ut observent legem naturæ, ut unum Deum colant, ne blasphement, ne furentur, ne perjurent, ne mœchentur, fuse agere Theologos Bannez 2. 2. *qu.* 10 *art.* 10. *dub.* 2. Silvium *ibid. art.* 8. *conclus.* 2. Suarez *de Fide disput.* 18. *sect.* 4. *a nu.* 6. Duvallium *ibid. quæst.* 7. *art.* 11. Cardinalem Gotti *Theolog. tom.* 10. *quæst.* 4. *dubit.* 1. §. 3. Sola autem remanet controversia, an Infideles, qui Fidem Christianam nunquam susceperunt,

perunt, & subditi sunt Principibus Christianis, ad Fidem Catholicam recipiendam compelli possint. Affirmat scilicet Scotus *in 4. sent. dist. 4. qu. ult.* cui quidem Scoti sententiæ in ipso facti eventu adhæsisse videtur ejusdem discipulus Ven. Dei Servus Cardinalis Franciscus Ximenius, qui Mauros Granatæ, vinculis ac carcere adhibitis, per vim adegit Fidem Christianam capessere, teste Gomesio *de Gestis ipsius lib. 2. pag. 959. tom. 1. Hisp. illustr. Non deerant tamen, quibus indignum esse videbatur, prorsusque ab Instituto Christiano alienum, quemquam per vim, aut hujusmodi artibus ad Fidem Christi capessendam adigere, cujus unicus scopus mansuetudo est, & prompta in primis ac sincera voluntas; cum præsertim Toletanis Conciliis, quorum tam celebris apud omnes Christianos auctoritas est, severe admodum sancitam sit, nemini vim ad credendum Christo inferendam.* At Scoto ipsi adversatur D. Thomas 2. 2. *quæst. 10. art.* 8. cujus quidem sententiæ suffragantur jura Pontificia *in can. de Judæis, dist. 45. in cap. Sicut Judæi, tit. de Judæis, & in cap. Majores §. Item quæritur, tit. de Baptismo*, eamque late & docte propugnat adversus Scotum Dominicus Soto *in 4. sent. dist. 5. quæst. unic. art. 10. pag. 265. & plurib. seqq.* docteque pariter explicat Baldellus *Theolog. moral. tom. 2. lib. 1. disp. 24. per tot.* & ante Baldellum late docuerat Suarez *de Fide disp.* 18. *sect. 3. n. 4. & seqq.*

12. Secundo, prænoscere oportet, Principes aliquando bene agere, si ab usu potestatis abstineant, ad aliquod saltem tempus, compellendi Infideles sibi subditos ad observandam legem naturæ, si videlicet severitas Infideles magis averteret a recipiendo Evangelio, sique ex eadem compulsione graviora crimina & mala timerentur. Desumitur id *ex serm. 62.* D. Augustini *de verbis Domini tom. 5. oper.* ubi S. Doctor loquens de Paganis Christiano Imperatori subjectis utpote Africanis, hæc habet *num. 17. col. 364. Multi Pagani habent istas abominationes in fundis suis. Numquid accedimus, & confringimus? Prius enim agimus, ut idola in eorum cordibus frangamus. Quando Christiani & ipsi facti fuerint, aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos. Modo orandum est pro illis, non irascendum illis.* Et num. 18. in fine: *Contra idola prædicamus, de cordibus illa tollimus, sumus persecutores idolorum: Profitemur. Numquid servatores? Non facio, ubi non possum; Non facio, ubi conqueritur Dominus rei. Ubi autem vult fieri & gratias agit; reus ero, si non fecero.* Tolerantiam ergo S. Augustinus commendat ob justas, & (uti credibile est) cogentes rationes, atque ut idola in cordibus Paganorum frangantur, priusquam e manibus ipsorum eripiantur. Quapropter S. Thomas 2. 2. *qu. 10. art. 11.* in quo quærit, *Utrum Infidelium ritus sint tolerandi*, postquam docuit nonnullos tolerandos non esse, qui nihil veritatis, aut utilitatis afferunt, docet etiam, hos eosdem ritus tolerari posse, urgente gravi causa, vitandi videlicet majora mala, aut facilius obtinendæ gratia conversionis eorumdem: *Aliorum vero Infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi; nisi forte ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset provenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati convertuntur ad Fidem.*

13. Tertio, aliud de Hæreticis, seu Schismaticis ferendum esse judicium: eos enim, præmissis præmittendis, diligentiis videlicet, & suavibus aptisque modis, ut ab errore recedant, hisque omnibus inutiliter adhibitis, ad Fidem demum compelli posse minis & terroribus, & pertinaces demum morte puniri, implorato brachii sæcularis auxilio, concors est Patrum & Theologorum sententia. Sanctus quidem Augustinus *epist. 93. al. 48. ad Vincentium cap. 5. num. 17. col. 237. tom. 2. oper.* fuit olim in ea sententia, ut Hæretici ad Fidem & unitatem cogendi non essent: *Mea primitus sententia non erat, nisi, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noveramus.* Sed ab hac opinione discessit experientia, & exemplis edoctus suæ civitatis, quæ, cum tota esset partium Donati, ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium conversa est. Addit S. Doctor *num.* 18. terrorem legum oculos aperuisse veritati: cum multi, vel quia in errore nati, vel humano respectu, vel consuetudine, aut securitate in eo detinerentur: *His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: Jam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit, jam jamque faciendi & dilationum morulas amputavit.* Aliæque S. Augustini auctoritates referuntur a Gratiano *in can. Displicet, & seqq. 23. quæst. 4.* Porro S. Doctorem a calumniis Phereponi Lamindus Pritanius *de moder. ingenior. lib. 3. cap. 9. pag.* 302. vindicat, & docte de more ostendit, fuisse injuste ab illo traductum tanquam Proteum, eo quia sententiam mutavit de vexatione Hæreticorum: *Fatetur infra Augustinus, se olim in ea sententia fuisse, ut Hæreticos nulla molestia temporali afficiendos arbitraretur, sed aliam se postea mentem induisse, eo quo tum experimenta, tum rationes validissimæ sibi nimium persuaserant, non justam solum, sed utilem plane, ac necessariam interdum esse hanc agendi rationem.* S. Augustinum sequitur S. Thomas 2. 2. *quæst. 10. art.* 8. ubi postquam docuit Infideles, qui nunquam Fidem susceperunt, non esse compellendos, ut credant, subdit: *Alii vero sunt Infideles, qui quandoque Fidem susceperunt, & eam profitentur, sicut Hæretici, & quandoque Apostatæ; & tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, & teneant quod semel susceperunt.* Rationem autem dat *ibid. ad tertium* dicens: *Quod, sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis, ita accipere Fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis; & ideo Hæretici sunt compellendi, ut Fidem teneant.* Eumque late exponunt Soto *loc. cit. pag.* 271. Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. part. 2. tom. 3. disput. 15. art. 1.* Cardinalis Gottus *Theolog. tom. 10. qu. 4. dub. 2. §. 5. & 2.* congestaque undique Ecclesiastica eruditione prosequitur Natalis Alexander *diss. sæculi* XIII. *&* XIV. *pag. 333. & seq.* ubi late ostendit, Ecclesiam juste Hæreticos Albigenses sæculari Potestati tradidisse pœnis temporalibus puniendos. Nec omitti potest, Calvinum ipsum late probasse, dictis & factis Hæreticos jure gladii coercendos. Ejus nempe verba referuntur apud Natalem Alexandrum *loc. cit. num.* 10. facta autem extant *in 1. tomo* Cardinalis Gotti *de vera Ecclesia cap. 3. §. 5. num.* 18. Magistratui quippe Genevensi denuntiavit Servetum, qui errorem Arii instaurabat, curavitque, & obtinuit, ut vivus combureretur; exortaque inter eos, qui se Reformatores jactabant, controversia, an Hæretici deberent pœna mortis puniri, Sebastiano Castiliono, & Lælio Socino negantibus, Calvinus affirmavit, cui ceteri *Comministri* adhæserunt: tum quia Castilionus sub nomine Martini Bellii causæ Hæreticorum voluit patrocinari, Calvinus, qui tunc super Genesi scribebat, Theodoro Bezæ commisit, ut responderet; quod is porro præstitit *in libro de Hæreticis a Magistratu puniendis.*

14. Ultimo, licet ex dictis Principes Catholici cogere non possint Infideles sibi subditos, ut Fidem Christianam amplectantur; posse nihilominus dicendum est per Ecclesiam eosdem compelli ad audiendam Evangelii prædicationem, licet, ea audita, adigi non possint ad Fidem suscipiendam, etiam sufficienter propositam, uti late ostendunt Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. part. 2. tom. 3. disput. 13. art. 2. num. 24. & plurib. seqq.* Baldellus *Theolog. moral. tom. 2. lib. 1. disput. 23. per tot.* ubi *num. 19.* apte subdit, Judæos subditos in temporalibus summo Pontifici, aut Principibus Christianis, Apostolicis Constitutionibus adigi ad audiendum, saltem semel in hebdomada, aliquem differentem de eorum erroribus, de Scripturis veteris Testamenti, de Christi adventu, atque similibus, statuta juxta modum contumaciæ adversus audire detrectantes pœna; quo pariter exemplo utitur Suarez *de Fide disput. 18. sect. 2. num. 3.* Et quamvis inter Theologos disputetur, an id quod dictum est extendatur etiam ad Infideles non subditos, juxta ea quæ habentur apud Cardinalem Gottum *Theolog. tom. 10. quæst. 4. dub. 2. §. 3. num.* 25. & loquendo de Principibus Catholicis negans sententia communior sit, ab eis videlicet cogi non posse Infideles ipsis non subditos audire Evangelii prædicationem; certum nihilominus est, in Ecclesia esse potestatem Evangelium annuntiandi in toto terrarum orbe, proindeque tum Infidelibus qui subditi sunt, tum aliis qui Principibus Catholicis subditi non sunt. Marci siquidem *ult. v. 15.* dicitur: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ;* & Matthæi 28. *v. 18. & 19. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos.* Quasi Christus dixisset: Quam ego potestatem in hac parte habeo, in vos confero: cumque potestatem prædicandi haberet in toto orbe terrarum, eam Ecclesiæ suæ reliquisse, dicendum est; uti bene prosequitur Soto *loco sæpe cit. pag.* 266. Omnibus sane Ecclesiæ Pastoribus, Episcopis videlicet, jure Divino & Ecclesiastico mandatum est, ut Evangelium prædicent in suis diœcesibus, omnemque præstent operam, ut Infideles, Gentiles, Judæi, & Hæ-

cetici Fidem Catholicam amplectantur: inquit enim Apostolus *ad Titum cap. 1. v. 9. & seqq. Oportet enim Episcopum sine crimine esse .... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi .... seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt docentes, quæ non oportet.* Et Ezechielis 34. *v.* 4. *& seqq.* conqueritur Dominus de Pastoribus: *Quod infirmum fuit, non consolidastis .... quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt.* Quocirca S. Gregorius Magnus *in epist. ad Januarium Episcopum Calaritanum lib. regist. 4. indict. 12. col. 704. tom. 2. oper.* hæc habet: *Rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc usque in Infidelitate remanere, negligentia Fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo, ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab Infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse est, vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam, si cujuslibet Episcopi in Sardiniæ insula Paganum rusticum invenire potuero, in eumdem Episcopum fortiter vindicabo.* Episcopis autem nec a jure Divino, nec a jure Ecclesiastico impositum est onus prædicandi Evangelium Infidelibus extra suam diœcesim existentibus: nam Christus utique id præcepit Apostolis; at Episcopi sunt Successores Apostolorum, non in Apostolatu totius mundi, sed tantum suæ diœcesis, juxta illud *Actor. 20. v. 28. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos.* Et a sacris quidem Canonibus coercitum est jus Episcopale intra uniuscujusque Episcopi diœcesim; ut eruere est ex multis Canonibus a Gratiano collectis *caus. 9. quæst.* 3. Non negamus scilicet, quin immo ultro admittimus, multos Episcopos, multas Religiosas personas, & nonnullos etiam laicos ex particulari Spiritus Sancti impulsu, oras remotissimas Infidelium penetrasse, & Gentilibus, atque Infidelibus laudabiliter Fidem prædicasse: sed addimus, per vias ordinarias procedendo, cum *ad Romanos* 10. *v.* 15. scriptum sit, *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* in more positum fuisse, & esse, ut Episcopi Evangelium prædicaturi extra suam diœcesim Infidelibus, sive subditi sint, sive non Principibus Catholicis, missionem petant & impetrent a Romano Pontifice Christi Vicario; idque jure potiori de aliis dicendum est. Summus enim Pontifex jus habet prædicandi Fidem omnibus hominum nationibus, vel per se, vel per alios, juxta illud Joan. 21. *v.* 17. *Pasce oves meas*: atque adeo tenetur curam omnem adhibere, ut Evangelii prædicatio in eis regionibus fiat, in quibus forte usque adhuc facta non fuit; vel si facta fuit, deperdita est ejus memoria, vel per hæreses Fides est depravata, juxta illud Joan. 10. *v.* 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor.* Quæ omnia fuse demonstrata legi possunt apud Cardinalem de Laurea loco sæpe citato *disp. 17. art. 6. & plurib. seqq.* & apud supradictum Baldellum *Theolog. tom. 2. lib. 1. disp. 23. num. 1. & seqq.*

15. Post hæc igitur, ad institutum nostrum de Martyribus ut redeamus, unusquisque cognoscere potest, potentiores Tyrannorum provocationes, puta templorum & idolorum eversiones, etiamsi a Dei servis prodierint, antequam essent in potestate ipsorum Tyrannorum, non obstare vero Martyrio, si Principum Catholicorum imperio factæ sint in regionibus illis, in quibus degunt Infideles, qui Principibus ipsis subditi sunt. Ecquis enim est (ut cetera supra exposita modo missa faciamus) qui rationabiliter dicere possit, Martyres eos futuros non fuisse, qui a Ferdinando Cortesio Mexici debellatore excitati ad Mexicani Imperii Regiam urbem devenerunt, & utentes potestate data (ne dicam mandato) idola collidendi, & ecclesiam fabricandi, ut habetur apud Raynaldum *ad an.* 1524. *num.* 112. *& seqq.* mortem pro Christo tolerassent? Quisve S. Francisci Xaverii factum reprehendere possit, qui in similibus propemodum circumstantiis idola Coccinensium demoliri jussit, quemadmodum legitur in 2. part. relationis Rotæ Auditorum in ejus causa exarata *tit. de Fide*? En verba relationis: *Testes remissoriales Coccinenses &c. dicunt Patrem Franciscum ad convertendos Ethnicos, & Infideles jussisse pueris, quos docebat doctrinam Christianam in civitate Coccini, interiora loca adire, & exportare omnia idola Gentium, & comminuere ea, ac pedibus conculcare, & in civitatem trahere; volens hoc opprobrio Ethnico populo, ac Christianis recenter conversis ostendere, qualiter simulacra Deorum nihil aliud erant, quam ligna ac lapides, nec digna erant aliqua veneratione, aut cultu, ut Gentiles iis rebus vincerentur, & Christiani magis corroborarentur in sancta Fide.* Rursus nemo reperiri poterit sanæ mentis eum redarguens, qui a Romano Pontifice missus ad oras Infidelium, ut prædicet Evangelium, in prædicationem strenue, sed prudenter incumbit; & sperans, se proficere posse, injustis Tyrannorum præceptis de Fide Christi nequaquam annuntianda minime obtemperans, Martyrium subit. Prudentis prædicationis exemplum habetur in causis Viginti sex Martyrum Japonensium, Joannis de Prado, Fidelis a Sigmaringa, qui ex alibi dictis in Beatorum Martyrum numerum relati sunt. Ex Actis quippe eorumdem causarum plene desumitur, eos Christiana mansuetudine prædicationi initium dedisse, legitima suffultos auctoritate id præstitisse, & alterum ex eis cujusdam ferventioris zeli signa tantum dedisse, cum Christum & ejus Fidem a Gentilibus impie damnari, propriis auribus audivit. Exemplum denique aliorum præter supra adducta, qui licet eis interdictum esset a Tyrannis, ne prædicarent, putarunt tamen, ab opere non esse cessandum, atque adeo, ut Infideles ad Christum converterent, sacram prædicationem prosequentes, mortem pro Christo subierunt; desumi potest ex Passione Berardi, Petri, Accursii, Adjuti, & Othonis, qui fuerunt in Beatorum Martyrum catalogum relati a Sixto IV. & quorum fit commemoratio in Martyrologio Romano *ad diem 16. Januarii*. A Sancto quippe Francisco missi ad Christi Fidem Infidelibus prædicandam, cum Hispalim pervenissent, & ad Infidelium *Meschitam* accessissent, ut prædicarent, impetu in ipsos facto repulsi, & verberibus affecti, a concepto spiritus fervore nihilominus non deficientes, aulam ingressi, Christum coram Rege prædicarunt. In carcerem detrusi, & Marochium delati, ubicumque collectos Saracenos viderunt, Christum prædicarunt. Expulsi, & Regis jussu ad terras Christianorum delati, bis Marochium reversi sunt, & quadam sexta feria, cum in publicum erupissent, atrox Martyrium subierunt. Parum vero urget adversus hucusque adducta sententia canonis Illiberitani (*tom. 1. collect. Hard. col.* 256.): *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit, in numero eum non recipi Martyrum.* Menduza quippe egregius vindex, & perpetuus Interpres, vel, ut, dicitur, Commentator dicti Concilii *tom. 1. Concil. Hisp. Card. de Aguirre pag.* 653. advertit, in eo canone non decerni, sic occisos Martyres non esse, sed tantum in Martyrum catalogum non esse adscribendos: *Non decreverunt Patres Hispani (ut falso illis objici solet) Martyrem verum non esse omnem, qui Gentium idola confregerit, cum omnis, qui pio & prudenti animo sanguinem vel vitam profuderit pro Christo, certus & verus sit Martyr. Si enim Martyrem, ut Augustinus docuit, non facit pœna, sed causa, qui cum causa pœnam conjunxit, quare apud Deum Martyris nomine & honore non decorabitur? Quod decernunt igitur, id solum est, eum, qui prosternens idola Gentium interfectus fuerit, in numerum Martyrum non recipi, hoc est in catalogum Ecclesiasticum Martyrum non esse referendum.* Separat itaque Mendoza dogma a disciplina: quapropter, quamvis ex urgentibus forte rationibus Patres Illiberitani decreverint, non esse inter Martyres apud Ecclesiam militantem recipiendum, qui Gentium idola frangens occisus est, nil prohibet tamen, quin mutatis rerum circumstantiis, sic occisum, qui Martyr sit coram Deo, Ecclesia Martyrum catalogo adscribat. Gonzal. *in comment. ad dict. can. pag. 651. tom. 1. collect. Concilior. Hispan. Card. de Aguirre* utique putat, canonem prædictum editum fuisse contra Circumcelliones illos, qui prodigiosa mortis cupiditate, & Martyrii temeraria ambitione prosiliebant in templa, evertebantque idola, ut Gentiles provocarent ad sui occisionem; eumque sequuntur Raynaudus *de Martyr. per pestem part. 2. cap. 5. n. 18. pag.* 450. Hurtado *de ver. Martyr. resolut. 34. sect. 1. §. Igitur alia, pag.* 106. Sed, cum magna sit inter Eruditos disputatio de tempore, quo coacta fuit Synodus Illiberitana, de qua plura accurate de more collecta legi possunt in dissertatione historica de capitalium criminum absolutione, edita a sæpe laudato Patre Josepho Augustino Orsi Ordinis S. Dominici *sect. 4. digress.* 5. ideoque dubitari rationabiliter possit, an hujus Concilii epocha concordet cum epocha Circumcellionum, placet explicatio Suarez, qui *in tract. de Fide disp. 18. sect. 4.*

num.

num. 8. canonem exponit de Christiano, qui idola frangit privata auctoritate, & sine discrimine, aut modo, abjectaque prudentia se gerit. Hanc sententiam sequitur Cardinalis de Laurea *in* 3. *lib. sent. part.* 2. *tom.* 3. *disp.* 20. *art.* 13. *num.* 247. & concordat Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrol. ad diem* 9. *Aprilis*, ubi memorato Martyrio S. Eupsychii, qui (uti sæpe dictum est) capite damnatus est ob eversum Fortunæ fanum, sic opponit: *Sane aliquis existimare posset, hunc eam ob causam Martyris nomine non fuisse decorandum, propterea quod repugnare videatur canon sexagesimus Concilii Eliberini, quo cautum reperitur, ut, si quis idcirco occidatur a Gentilibus, quod idolum fregerit, non habeatur inter Martyres*. Tum respondet: *Quod tamen ita intelligendum est, cum quis sponte citra Christianam mansuetudinem, ex nullo legis præscripto, sed furore quodam percitus, insilierit in idolum*. De idolorum confractione tractatum est in causa Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ, & Sociorum, de qua supra. Egit quoque de eadem re Gabriel Vasquez, Theologus contemporaneus, *in* 3. *part. quæst.* 25. *art.* 3. *disput.* 105. *cap.* 2. *n.* 13. ubi hæc habet: *Quare & Rodulphus Aquaviva, & Alphonsus Paciecus nostræ Societatis Sacerdotes, cum aliis Sodalibus prope Salsetum in India Orientali a Gentilibus occisi, quod sacra vellent templa ædificare, dubio procul vere Martyres existimandi sunt. Nam & pagus ille sub Philippi II. Hispaniarum Regis potestate & jurisdictione tunc erat, qui illorum Paganorum idola confringere, & templa Christianis ibi existentibus ædificare jure poterat. Quapropter ad id muneris publica auctoritate Rodulphus & Alphonsus legitime destinati, nullam injuriam Gentilibus irrogarunt; ac proinde ab ipsis zelo suæ falsæ religionis occisi, verum pro Christo Martyrium subierunt*. Quibus rationibus innixi etiam sunt, qui suffragium in dicta causa tulerunt, existimantes, idolorum eversionem, & ecclesiæ ædificationem nullatenus obstare potuisse vero Martyrio Venerabilium Dei Servorum.

16. Denique, ne in hanc de provocatione Tyranni materiam aliqua irrepat ambiguitatis, vel, ut ajunt, *æquivocationis* occasio, operæ pretium est adnotare, Dei servos posse laudabiliter aliquos virtutis actus facere, licet adsit periculum mortis. Tobiæ enim *cap.* 2. *v.* 8. legitur, eum mortuos sepelisse interfectos ex odio in Mosaicam religionem, dum erat captivus, licet periculum mortis urgeret: *Arguebant autem eum omnes proximi ejus dicentes: Jam hujus rei causa interfici jussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos?* Et statim subditur: *Sed Tobias plus timens Deum, quam Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea*. Et rursus *cap.* 12. *v.* 12. & 13. Angelus Raphael sic loquitur ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino, &, quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*. Posito itaque, licitum esse & meritorium aliquos exercere actus virtutis, licet urgeat periculum mortis; unusquisque facile dignoscere poterit, morientem pro eisdem virtutis actibus inter Martyres esse recensendum; nec obstare, quod Tyrannum provocaverit, quod mori voluerit, quod dederit alteri occasionem peccandi; cum ipse re vera nonnisi actus virtutis voluerit vel cum periculo vitæ, Tyrannus autem occasionem sumpserit ex eis virtutis actibus mortem illi infligendi. Doctrina hæc est D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 1. *ad tertium*, ubi inquit: *Non autem debet homo occasionem dare alteri injuste agendi; sed, si alius injuste egerit, ipse moderate tolerare debet*. Ubi ad rem subdit Cardinalis Cajetanus: *Dubium occurrit de Martyribus, qui sponte se Martyrio obtulerunt, quoniam videntur dedisse Tyrannis occasionem injuste agendi, quando non erat de necessitate præcepti subire Martyrium, sed poterant, salva conscientia, se non offerre. Ad hoc dicitur, quod Sancti Martyres sponte procedebant quando eis expedire videbatur, ad Actus Fidei exteriores, puta prædicationem, vel confessionem, vel ad actus fraternæ charitatis, ut in articulo tertio Auctor dicit, etiamsi non erant in præcepto pro tunc hi actus, scientes, quod inde Tyranni sumerent occasionem affligendi, & occidendi eos, & non procedebant ad provocandum eos ad afflictionem, vel mortem inferendam. Et ideo non dabant Tyrannis occasionem injuste agendi, sed ipsi accipiebant talem occasionem ex bonis actibus, quibus dabant sponte operam imperterriti Sancti illi; & propterea dicuntur sponte se ad Martyrium obtulisse*. Ex qua proinde doctrina colligitur, extraneos esse, rigorose loquendo, terminos provocationis Tyranni, si ea sumatur ab exercitio virtutum, urgente mortis periculo; re vera provocationem solum desumi posse ab actibus, qui sunt talis indolis & naturæ, ut quodammodo liceat suspicari, eos factos fuisse, qua directe, &, ut dicitur, *immediate* Tyrannus provocaretur, cujusmodi est demolitio idolorum, atque templorum; & eo quidem magis, cum, loquendo de his actibus, dubitari possit, utrum Tyrannus mortem inflixerit ex odio in Fidem, an potius ex dolore jacturæ rei suæ: in quo propterea rerum statu juxta regulas supra recensitas, necesse omnino est, ut recte examinentur, & sedulo perpendantur omnes eventuum circumstantiæ jam antea expositæ.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

De Martyris repugnantia, ut mortem sibi inferendam evadat; & de necessaria Martyri patientia, atque in Fide, ac voluntate moriendi pro Fide constantia usque ad obitum, necnon in ipso obitu.

1. CUM in superioribus dictum & probatum sit, voluntariam mortis acceptionem esse necessariam, ut quis pro Christo moriens inter Martyres recenseatur, inferri posse videtur, opus esse, ut Martyr non repugnet, & mortem patienter sustineat: ita ut Martyr nunquam ille dici possit, qui Persecutori se invadenti resistit, tentatque ei mortem inferre, ut se a morte liberet, & in hac contentione occiditur; licet occidatur ex odio in Christum, atque adeo pro Fide Christi quodammodo pugnaverit.

2. At id non est apud Theologos concorditer receptum. Sanctus scilicet Thomas 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 5. quærens, utrum sola Fides sit causa Martyrii, necne, in tertio, quod sibi opponit, argumento sic loquitur: *Inter alia virtutum opera illa videntur esse potiora, quæ ordinantur ad bonum commune; quia bonum gentis melius est, quam bonum unius hominis secundum Philosophum in* 1. *Ethic. Si ergo aliquod aliud bonum esset causa Martyrii, maxime videretur, quod illi essent Martyres, qui pro defensione reipublicæ moriuntur; quod Ecclesiæ observatio non habet: non enim militum, qui in bello justo moriuntur, Martyria celebrantur. Ergo sola Fides videtur esse Martyrii causa*. Cumque postea sanctus ipse Doctor huic argumento sic respondeat: *Ad tertium dicendum, quod bonum reipublicæ est præcipuum inter bona humana, sed bonum Divinum, quod est propria causa Martyrii, est potius, quam humanum: tamen, quia bonum humanum potest effici Divinum, ut si referatur in Deum, ideo potest esse quodcumque bonum humanum Martyrii causa, secundum quod in Deum refertur*; hinc videtur D. Thomas existimare, milites in bello pro Fide suscepto morientes, Martyres esse posse, licet pugnando obsistant, & mortem Infidelibus infligere curent: quod clarius exprimit idem S. Doctor *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 5. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad undecimum*: *Cum quis propter bonum commune non relatum ad Christum mortem sustinet, Aureolam non meretur: sed, si hoc referatur ad Christum, Aureolam merebitur, & Martyr erit; utpote, si rempublicam defendat ab hostium impugnatione, qui Fidem Christi corrumpere moliuntur, & in tali defensione mortem sustineat*. Cui quidem opinioni adhærent Silvius *in addit. ad quæst.* 96. *art.* 6. *ad undecimum*, Paludanus *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 8. *art.* 4. *in fine*. S. Antoninus 3. *p. Summæ tit.* 30. *cap.* 8. §. 1. *in fine*, Cardinalis Capisucchius *controv. de Martyr.* §. 12. *pag.* 727. & *seqq.* & *rursus pag.* 741. Hurtado *de vero Martyr. res.* 22. §. 5. & *resol.* 26. §. 2.

3. Hujus autem sententiæ fundamentum in hoc consistit, quod, posito bello inter Fideles, & Infideles causa religionis, non autem ex aliquo fine politico (in qua hypothesi unusquisque admittit, Fideles in eo morientes Martyres non esse) positoque, agi de his, qui pugnant, se defendendo, & ne hostes Fidem corrumpant; casus non defi-

deficit a vera Martyrii ratione, cum mors infligatur ex odio adversus Fidem Catholicam, & morientes pro Fide Catholica mortem subeant. Nec vero obstat repugnantia: obstaret, si quidem pugna fieret primario ad propriam vitam defendendam; secus vero si fiat, ut principaliter causa communis Ecclesiæ, & veritas Fidei contra inimicos defendantur, qui ex odio in Christum eam impugnant, secundario autem, ut propria vita defendatur tanquam necessaria ad præliandum pro Ecclesia, & Fide Christi; ut prosequuntur Nicol. Serar. *in lib. Judith cap. 16. quæst. 32.* Joseph de Lazerda *commens. in lib. Judith tom. 2. cap. 10. vers. 11. n. 300.* Nieremberg. *stromat. lib. 12. cap. 28.* Saleles *in tract. de scalis mystic. part. 3. sect. 2. cap. 4. §. 7.* Præterea hæc sententia a nonnullis explicatur, ut procedat vel in eo rerum eventu, in quo miles in dicto bello vulneratus, mortem voluntarie acceptet eo temporis spatio, quod intercedit inter vulnus, & mortem; in quo nempe sensu loquitur Cardinalis Capisucchius: vel in alio rerum eventu, in quo milites Christiani pro Fide pugnantes incidant in manus Infidelium, & tentati atque impulsi ad deserendam Fidem, mortem sustinere malint; ut habent Patres Salmanticenses *in curs. Theolog. tom. 3. tract. 9. disp. 3. dub. 2. §. 2. num. 24.* Contigit id circa annum 1250. Extat enim epistola S. Ludovici Regis Francorum *tom. 1. part. 2. Gestorum Dei per Francos pag. 1199.* ubi sic legitur: *Immo, quod est detestabilius ... electos juvenes de Christianis captivis ducendo ad victimam tanquam oves, quantum in eis erat, compellebant apostatare a Fide Catholica, appositis gladiis super eorum cervicibus, & clamare legem sceleratissimi Machometi. Quorum multi imbecilles & fragiles exorbitaverunt a Fide, legem illam detestabilem profitendo. Ceteri vero tanquam Athletæ fortissimi in Fide radicati, & in firmo proposito constantissime persistentes minis, vel flagellis hostium superari nullatenus potuerunt, sed certantes legitime coronas Martyrii receperunt sanguine rubritas. Quorum sanguis, ut pro certo tenemus, clamabit ad Dominum pro populo Christiano, & Advocati nostri erunt coram summo Judice in cælesti curia in causa, quam agimus contra Fidei inimicos, utiliores nobis in illa patria, quam si nobiscum conversarentur in terris.*

4. Doctrina porro Patrum Salmanticensium carere non videtur probabilitate. Non enim in casu ab ipsis proposito aliquid deest ad verum Martyrium: cui quidem pugna obsistere non potest, cum præcesserit, & Martyr positus in novo rerum statu, voluntarie & sine ulla nova repugnantia mortem elegerit pro Christo: ideoque differt hic casus ab alio apud Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. sent. par. 2. tom. 3. disp. 20. art. 8. n. 121.* Catholici videlicet a Principe Infideli ad mortem ob delicta damnati, tum mortem pro Fide subeuntis, & extrinsecus profitentis, se mortem propter Fidem acceptare: in hoc quippe casu in eo, qui mortem infert, deest odium in Fidem, ut optime perpendit citatus Auctor, quod odium non deest in alio casu a Patribus Salmanticensibus exposito. Sed difficultas est quoad eos, qui Persecutori obsistunt, ut mortem evadant, & qui pugnant in bello causa religionis inito, & pugnando moriuntur. Enimvero Auditores Rotæ in relatione causæ B. Josaphat Pollocensis *part. 2. §. Dum vero, in fine*, dicunt, supra recensitam opinionem Martyrio faventem multos habere contradictores, & merito; cum multi doceant, ad Martyrium requiri, ut Martyr non repugnet, & patienter mortem accepiet: qua de causa inferunt, Christianos milites, qui pugnant contra Infideles, & in prælio pro religione suscepto occumbunt, non esse in albo Martyrum describendos, cum non voluntate, sed necessitate moriantur, quod vires non habeant, quibus hostibus obsistant. Ita docent Raynaudus *de Martyr. per pestem part. 2. cap. 5. a n. 1. usque ad 6.* Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. par. 2. tom. 3. disp. 20. art. 14. n. 266. & seqq.* Lessius *de justit. & jur. lib. 3. cap. 1. dub. 3. n. 36.* Molphes. *in Summa tract. 5. cap. 15. n. 30.* Maurus *Theologia tom. 3. lib. 11. quæst. 97. n. 1. & 2.* Schiara *in Theologia bellica t. 2. lib. 8. difficult. 22.* Anaclet. *Theol. moral. tract. 7. qu. 6. dist. 3. n. 47.* Frassen. *in suo Scoto Academico tom. 10. tract. 1. disp. 1. art. 1. quæst. 3. vers. Quarta tandem conditio*, Clericat. *de Baptismo decis. 27. n. 14.* Matthæucc. *pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tract. 4. cap. 1. §. 1. n. 32.* Cardinalis Gottus *Theolog. t. 13. quæst. 2. dub. 3. §. 3.*

5. Desumitur fundamentum hujus sententiæ ab exemplo Christi; nemo enim potest esse Christi Martyr, nisi patiendo imitetur Christum in sua Passione Martyrum exemplar; & Christus quidem testimonium perhibuit veritati patiendo, non armis pugnando, aut Tyranno obsistendo, ut habetur 1. Petri 2. v. 23. *Cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste*: & ut ex Isaja *cap. 53. v. 7.* legitur *Actor. 8. v. 32. Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Idemque Salvator *Lucæ 21. v. 16. & seq.* mala prænuntians, & cruciatus, & mortes, dixit Apostolis: *Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis &c. In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

6. Suffragatur Tertullianus *lib. 4. adversus Marcionem cap. 39. pag. 732.* ubi Martyres appellans oves, subdit: *Nemo oves appellat eos, qui in bello armati & ipsi ex eadem feritate certantes cadunt, sed qui in sua propietate atque patientia dedentes potius semetipsos, quam vindicantes trucidantur.* Certe enim *in Passione SS. Mauritii, & Sociorum Martyrum (apud Ruinart. n. 4. pag. 243.)* scripta a S. Eucherio Lugdunensi Episcopo Martyres prædicti, qui Legionem Thebæam militum constituebant, pugnare poterant, sed noluerunt, & patienter mortem pro Christo tolerarunt. *Tenemus ecce arma, & non resistimus, quia mori, quam occidere, satius malumus, & innocentes interire, quam noxii vivere peroptamus. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc jusseris, si quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum subire parati sumus. Christianos nos fatemur, persequi Christianos non possumus.* Hæc erant ipsorum verba a S. Eucherio relata, qui, postquam narravit, Maximianum una sententia decrevisse, omnes interfici circumfusis militum agminibus, subdit *n. 5. Qui* (loquitur de militibus ad occidendum missis) *cum missi ad beatissimam Legionem venissent, stringunt in Sanctos impii ferrum mori non recusantes vitæ amore. Cædebantur itaque passim gladiis non reclamantes saltem, aut repugnantes, sed depositis armis; cervices Persecutoribus præbentes, & jugulum Persecutoribus, vel intectum corpus offerentes. Non vel ipsa suorum multitudine, non armorum munitione elati sunt, ut ferro tonarentur asserere justitiæ causam; sed hoc solum reminiscentes, se illum confiteri, qui, nec reclamando, ad occisionem ductus est, & tanquam agnus non aperuit os suum, ipsi quoque tanquam grex Dominicarum ovium, laniari se tanquam ab irruentibus lupis, passi sunt.* Confert præterea exemplum desumptum ex Actis SS. Philææ, & Philoromi Martyrum apud Ruinart *num. 3. pag. 436.* Principio scilicet sæculi IV, uterque fuit pro Christo ad mortem damnatus: cum autem irent ad locum cædis, frater Philææ, qui erat unus ex Advocatis, appellationem interposuit, cui noluit Philæas adhærere, malefactum putans, sententiæ Judicis refragari, licet non præsidio armorum, sed legum: *Frater Philææ, qui erat unus ex Advocatis, exclamavit dicens: Philæas abolitionem petit. Culcianus revocans eum dixit: Quid appellasti? Philæas respondit: Non appellavi, absit. Huic infelicissimo noli intendere. Et ego autem magnas ago gratias Regibus, & Præsidi, quoniam cohæres factus sum Jesu Christi.* Item Phocas Imperator, ut enervatum militum suorum robur erigeret atque firmaret, probe noscens, non viros tantum, sed & feminas Martyrii spe fortiores fuisse tortoribus, & tormenta & mortem sprevisse, magnis studiis petiit, ut ii, quos in bello adversus Christianæ Fidei hostes certantes occidi contigisset, inter Martyres recenserentur. At restiterunt Constantinopolitanus, & alii Antistites utentes potissimum auctoritate S. Basilii, qui *in epistola 188. ad Amphilochium pag. 275. tom. 3.* decreverat, ne sine prævia Pœnitentia daretur illis sacra Communio, qui in bello fecissent homicidium. Audita ergo tanti Patris sententia, Phocas ejus cessit auctoritati, & ab instituto recessit, uti post Theodorum Balsamonem refert Cardinalis Baronius *ad an. 610. n. 4.* Insuper de S. Bonifacio legitur, quomodo una cum sociis cum pervenisset ad flumen Bortnam, & ibi tentoria fixisset, ut baptizatis Sacramentum Confirmationis conferret, hi ex amicis in hostes, ex Neophytis in Lictores mutati, sumptis armis ad Sanctorum castra devenerunt: famuli autem, cum id cernerent, armati contra furentis populi multitudinem Sanctos tueri nitebantur. At Sanctus famulos ad resistendum paratos compescuit dicens: *Nolite, quæso, pugnare, Filii mei, nolite adversariis bellum inferre, sed etiam pro malis bona exhibete*; quemadmodum fuse refert Cardinalis Baronius *ad ann. 755. num. 39.* Demum Herebertus in *Quadripartita* narrans mortem S. Thomæ Cantuariensis ait, ab eo Æditoos ecclesiæ fuisse reprehensos, qui

por-

portarum obice milites excludere volebant, cum diceret, ecclesiam non esse custodiendam more castrorum. Quibus omnibus si addatur, neminem hactenus fuisse in SS. Martyrum album relatum, qui restiterit, & contra pugnaverit, ne moreretur, neque ex tot millibus Cruce signatorum, aut Militum Hierosolymitanorum, qui pro Fide, bellando contra Infideles, in prælio mortui sunt, cultum Martyrum ullum habuisse, aut habere in Ecclesia; nil clarius afferri posse videtur, ut demonstretur, repugnantiam morituri obstare Martyrio, & mortis acceptionem non coactam, sed voluntariam omnino esse debere pro vera ratione Martyrii.

7. Adversus hucusque adducta opponi posse videtur, nonnullos pios viros in classem Martyrum recensuisse milites Christianos in bello pro Fide morientes; quemadmodum desumitur ex verbis Episcopi Convenarum, milites ad prælium paratos in sacra expeditione hortantis, relatis apud Raynaldum *ad an.* 1213. *nu.* 57. *Ego vobis testis sum, & in die Judicii fidejussor existo, quia quicumque in isto glorioso occubuerit bello, absque ulla Purgatorii pœna æterna præmia ...... consequetur, dummodo confessus sit, & contritus, vel saltem firmum habeat propositum, quod statim, peracto bello, super peccatis, de quibus nondum fecit Confessionem, ostendet se Sacerdoti*; & ex epistola S. Ludovici Regis Franciæ inserta *tom.* 1. *supra cit. Gestorum Dei per Francos pag.* 1197. ubi, facta mentione mortis Comitis Atrebatis sui fratris, qui in bello occubuerat, sic ait: *Illum præcordialem, & præclarum fratrem nostrum recolendæ memoriæ & Atrebatensem Comitem temporaliter amisimus, quod cum cordis amaritudine recolimus & dolore; licet de ipso gaudendum sit potius, quam dolendum, quoniam pro certo credimus & speramus, cum corona Martyrii ad cælestem evolasse patriam, & ibi cum Sanctis Martyribus perenniter congaudere*; cum quibus concordat concio S. Joannis a Capistrano facta Cruce signatis fortiter pugnaturis adversus Turcas infensissimos hostes Christiani nominis, de qua apud Wadingum *ad an.* 1456. in qua *Martyres*, qui contra Turcas pugnantes occumberent, sæpius vocat; quibus addi potest, nonnullos Episcopos una cum aliis in Saxonia fuisse necatos a Normanois sæculo IX. eosque habitos fuisse tanquam Martyres, teste Mabillonio *in annal. Benedict. tom.* 3. *lib.* 38. *num.* 40. *pag.* 227. *Omnes ut Martyres habiti, quod in prælio contra Paganos pro salute patriæ inito occubuissent, in ipso loco certaminis Ebbecstorso sepulti sunt, ibidemque conditum Virginum Benedictinarum cænobium, quæ Martyrum Reliquiis assiduum honorem impenderent.* Hæc nihilominus, atque alia hujusmodi commode explicari possunt de Martyrio minus proprie sumpto, & admitti tanquam apta ad excitandos pugnantes, utpote a Deo operis retributionem habituros, si, pugnando contra Infideles, in Charitate morientur; quemadmodum perpendit Raynaudus *in tract. de Martyrio per pestem par.* 2. *cap.* 5. *sub n.* 4. *pag.* 444. Profecto Joannes VIII. *epist.* 66. *col.* 46. *tom.* 6. *par.* 1. *collect. Harduin.* interrogatus ab Episcopis Francorum, an qui pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro statu Christianæ religionis, ac reipublicæ in bello nuper ceciderant, aut in posterum pro ea re casuri erant, Indulgentiam possent consequi delictorum, respondit, eos salvos esse, si cum Catholica pietate mortui erant, & se illos, quantum fas est, absolvere, & precibus Domini commendare: quæ utique non dixisset, si eos uti Martyres agnovisset. Item, etsi S. Bruno Signiensis *in vita S. Leonis IX.* divinitus dicat revelatum Pontifici fuisse, Martyrii coronam eos fuisse consecutos, qui ipsum secuti in Apuliam pugnantes ceciderant; cum tamen idem Leo IX. pro eis preces fuderit, Deumque rogaverit, ut de omnibus peccatis eos absolveret, & in Beatorum requiem introduceret, signum evidentissimum hoc est, eos non habitos fuisse pro veris Martyribus. Ita scilicet factum hoc exponit, & perpendit Theophilus Raynaudus *in tract. de Martyrio per pestem loc. cit.* At aliter res ipsa exhibetur a Wiberto *in vita prædicti S. Leonis* apud Bollandianos *lib.* 2. *cap.* 6. *ad diem* 19. *Aprilis pag.* 663. apud Pagium seniorem *ad an.* 1053. *num.* 8. & apud Pagium juniorem *in vita S. Leonis IX. tom.* 1. *Breviar. Romanor. Pontificum num.* 48. *Vir Sanctus ... studuit funera cæsorum honorifice procurari, tumulans ea in vicina ecclesia ab antiquo diruta tempore: &, quoniam pro Fide Christi afflictæque gentis liberatione devotam mortem voluerunt subire, multiplicibus revelationibus monstravit eos Divina gratia in cælesti regno perenniter gaudere. Nam & ipsi diversis modis se se ostenderunt Christifidelibus dicentes, se non esse lugendos exequiis funebribus, immo in superna gloria Sanctis conjunctos Martyribus. Ab eisdem quoque illorum interfectoribus super ipsos restructa venusto opere basilica, ac concione Deo servientium ibidem aggregata, omnipotentissima Dei virtus multa per eos exercet miraculorum insignia.* Itaque, si narrata a Wiberto serio examinentur, unusquisque facile deprehendere poterit, nullam S. Leoni obtigisse revelationem; fuisse ab ipso mandatum, ut corpora cæsorum in ecclesia diruta sepelirentur; eumque occisos reputasse cælesti gloria gaudere, cum mortui essent pro Christi amore; revelationes autem de ipsorum Martyrio, non summo Pontifici, sed aliis factas fuisse; & quidem non de vero Martyrio, sed quodammodo de Martyrio *similitudinario*; nullumque de Martyrum cultu eis decreto in prædicta historia vestigium reperiri. Pius pariter Papa II. magna verborum & rationum vi Christianis omnibus nuntiavit, Turcas Europæ, Ecclesiæ universæ, & Italiæ imminere, atque adeo magna, qua pollebat, eloquentia Christianos ad sacram expeditionem invitavit; attamen nullum in suis litteris Apostolicis protulit verbum, quo significaretur in eo bello morituros Martyres esse. Simili modo se gessit S. Leo Papa IV. in concione, quam habuit apud exercitum Francorum pugnaturum contra Saracenos, de qua *in can. Omni, dist.* 23. *quæst.* 8. *Omni timore, ac terrore deposito, contra inimicos sanctæ Fidei, & adversarios omnium religionum agere, viriliter studete. Novit enim Omnipotens, si quilibet vestrum morietur, quod pro veritate Fidei, & salvatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est: ideo ab eo præmium cæleste consequetur.* Denique Bonifacius VIII. in bulla Canonizationis S. Ludovici Regis Franciæ *tom.* 3. *par.* 2. *Bullar. nov.* §. 7. *pag.* 89. sermonem faciens de Roberto Comite Atrebate interfecto a Saracenis, eum utique dicit pro Fide interemptum, sed Martyrem minime appellat. Quibus omnibus prævalere nec potest, nec debet factum a Mabillonio relatum, & supra expositum, quod originem habuit vel a pio quodam Fidelium affectu erga defunctos, vel a tacita convenientia Episcoporum.

8. Ad rem de qua nunc agimus, examinanda est etiam historia S. Proculi Martyris Bononiæ Protectoris. Ferunt enim eum Martyrio coronatum fuisse sub Imperatore Justino, remque ita narrant. Marinus scilicet Præses Bononiam advenit, persecutionemque excitavit adversus Christianos; Proculus autem ad publicam vindictam concitatus, petitaque fandi copia ad Præsidem admissus, hunc securi interfecit, quam sub pallio celabat: cumque, aliquo tempore elapso, Judæus eum patrati criminis accusasset, carceribus mancipatus, factum non negavit, eamque ob rem morte multatus, Martyrum catalogo adscriptus est: a quo quidem facto potiori jure inferri posse videtur, vero Martyrio non obstare, si Persecutori ipsum invadenti Martyr resistat, & eum interficere tentans occumbat.

9. Verum, quemadmodum de Proculi sanctitate dubitandum non est, teste S. Paulino *Natal.* 9. *v.* 432. *col.* 638

Vitalem, Agricolam, Proculumque Bononia condit,
Quos jurata Fides pietatis in arma vocavit,
Parque salutiferis texit victoria palmis
Corpora transfixos trabalibus inclita clavis.

ita de Actorum sinceritate maximo cum fundamento dubitari potest. In primis quippe percipi haud potest, quomodo S. Proculus mortuus sit sub Justino Imperatore, vel, ut alii dicunt, sub Rege Theodorico; cum S. Paulinus de S. Proculo loquatur, Sanctus autem Paulinus vixerit ante annum 400. Christi, uti bene adnotavit Cardinalis Palæotus *in catalogo Sanctorum Bononiensium edito post ejus Archiepiscopatu*. Rursus factum, quod S. Proculo adscribitur, licet relatum a S. Antonino, a quo postea ceteri suas narrationes desumpserunt, incredibile tamen adeo est, ut in nova operum prædicti Sancti editione Lugduni facta anno 1586. qui editioni ipsi præerat, necesse esse existimaverit *part.* 3. *pag.* 803. in margine apponere hæc verba: *Facinus inauditum, vix, ut puto, credibile.* Postremo Cardinalis Baronius *in annal. ad ann.* 303. *num.* 122. notat, Acta vera Martyrii S. Proculi esse deperdita, & hinc datam commentandi occasionem: quod & antea asseruerat *in notis ad Martyrol. Rom. ad diem* 1. *Junii*, & super hoc argumento multa collecta legi possunt apud Bollandianos *ad diem* 1. *Junii*. Deuteronomii quidem *cap.* 13. *v.* 9. jubetur, ut si quis suadere voluerit ut cultus Diis alienis exhibeatur, is statim interficiatur: *Sed statim interficies: sit primum manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum.* Item Elias zelo Dei Pseudoprophetas occidi jussit, 3. *Reg.* c. 18.

c. 18. v. 40. Duxit eos Elias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi. Jehu pariter omnes Sacerdotes Baal callide convocatos necavit *4. Reg. cap. 10. v. 25. Percusseruntque eos in ore gladii, & projecerunt milites, & Duces*. Demum *lib. 1. Machab. cap. 2.* Mathathias nolens obedire injusto imperio Antiochi, & videns Judæum in omnium oculis idolis sacrificantem super aram in civitate Modin, insiliens trucidavit eum super aram. Veruntamen de his occisionibus ita loquitur S. Augustinus *lib. 1. de civit. Dei cap. 21. tom. 7. oper. Quasdam vero exceptiones eadem ipsa Divina fecit auctoritas, ut non liceat hominem occidi; sed his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius utenti &c. His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*. Ostendunt nimirum hæc omnia, a verisimilitudine alienum esse S. Proculi factum; ideoque ejus Acta, quæ circumferuntur, aut falsa esse, aut vitiata, licet ejus sanctitas certa sit, nec ulla de ea rationabilis moveri possit controversia. De prædicto S. Proculo post primam hujus Operis editionem egimus in nostris adnotationibus ad Acta nonnullorum Sanctorum civitatis Bononiæ ibidem impressis an. 1740. ubi, quæ modo dicta sunt, latius confirmantur. Hercules Maria Zanottus Bononiensis Canonicus Collegiatæ ecclesiæ S. Petronii, celebris verbi Dei præco & orator, anno 1742. Bononiæ edidit historiam S. Proculi, in qua ostendere conatur, a Proculo Præsidem fuisse occisum zelo Catholicæ Fidei, eumque inter Martyres esse recensendum, & occisionem esse referendam ad specialem Spiritus Sancti impulsum: Si enim, ut ipse ait, dubitari non potest de sanctitate Proculi, & de ejus Martyrio, omnia consonant, ut id quod ab eo factum est, Deo sit adscribendum. Porro nec dubitavimus unquam, nec dubitamus de sanctitate & Martyrio Proculi. Dubium totum versatur in Actis, quæ circumferuntur, contra quorum sinceritatem tot militant argumenta. Ceterum, cum nullum extet indicium Divini impulsus, nemo est qui non videat, tutius esse Acta respuere, quam factum non probatum ad Divinum Numen referre.

10. De necessaria etiam Martyri patientia, & de necessaria quoque constantia in Fide, & voluntate moriendi pro Fide usque ad obitum, & in ipso obitu sermonem facturi utimur Ecclesiæ auctoritate *in hymno plurimorum Martyrum*, ubi sic canitur:

Cæduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia,
Sed corde impavido mens bene conscia
Conservat patientiam.

11. Suffragatur S. Augustinus *lib. 22. de civitate Dei cap. 9. oper. tom. 7. col. 673.* ubi sic extollit Martyrum mortem: *Et ipsi Martyres hujus Fidei Martyres, idest hujus Fidei Testes fuerunt, huic Fidei testimonium perhibentes mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt; cumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro ista Fide mortui sunt, qui hæc a Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac Fide præcessit eorum mira patientia &c.* De eodem argumento pluribus in locis agit S. Doctor; ut *de civit. lib. 10. cap. 21. epist. 185. &c.*

12. Ut quis ergo Martyrum catalogo adscribatur, satis non est, si voluntarie mortem acceperit pro Christo, item si ei mors ex odio erga Christum, & ejus Fidem inferatur; sed etiam oportet, ut invicte & patienter in eadem voluntate perseveret usque ad obitum, atque in ipso obitu; uti etiam animadvertunt Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 3. part. 2. disp. 20. art. 6. num. 89.* & Clericat. *de Baptismo decis. 27. num. 15.* Quocirca Joannes XXII. ut cetera prætereamus, inquisitionem committens Episcopo Valentino in causa Cathalani Fabri, & Paschalis Religiosorum Ordinis Minorum, qui Martyres dicebantur, cum fuissent occisi in diœcesi Lugdunensi ob Hæreticis, usus est his verbis relatis apud Raynaldum *ad an. 1321. num. 17. Præsentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus, vocatis & adhibitis tecum aliquibus probis viris, tam de vita & conversatione dictorum Fratrum, quam de professione Fidei facta per eos, dum erant in agone recepti Martyrii constituti, & de spontanea susceptione dicti Martyrii, quam de dictis miraculis, ac ipsorum circumstantiis universis secundum datam tibi a Deo prudentiam diligenter inquirens, Nobis, quæ inveneris, studeas fideliter per tuas litteras nuntiare*. Scriptum quippe est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: & alibi: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Quod si ex alibi dicendis, in causis Confessorum omnia sedulo ponderanda sunt, ut, quantum fas est, dignoscatur, an in Dei gratia decedant, potiori ratione in hanc ipsam rem inquirendum erit in causis Martyrum, in quibus non integer vitæ cursus examini exponitur, uti fit in Confessoribus, sed ut plurimum in mortem duntaxat stricte inquiritur.

13. Descendendo autem ad praxim, putant nonnulli, de constantia Martyris moriendi pro Christo, & ejus Fide usque ad obitum, & in ipso obitu, ideoque de finali perseverantia Martyris non esse dubitandum, si signum contrarium non appareat. Cardinalis Petra *in comment. ad Constit. Apostol. tom. 3. pag. 130. n. 20.* sic inquit: *Finis autem in perseveranti Charitate requisita satis probatur, si non appareat signum contrarium*. Fusiusque id ipsum docuit Cardinalis de Lauræa in suffragio, quod tulit in causa Martyrii B. Joannis de Prado. En ejus verba de perseverantia in Martyre requisita: *Nemo ambiget, si audiat Sanctum Martyrem Cyprianum sic docentem: Si Confessor Fidei non negavit, sed in tormentis occubuit, perseveravit. Quis autem unquam id quæsivit de Martyribus, qui in confessione Fidei occisi sunt &c.? Legantur Martyrologia; legantur Martyria Sanctorum Petri, & Pauli, qui per novem menses in carcere detenti, redeunte Nerone ex Achaja, accusati, quod impedirent pellices, ne ad suos amasios redirent, quia Christianæ factæ erant, occidi jussi sunt, nulla tunc facta Fidei quæstione. Immo plurimi Martyres sunt, qui in vincula pro Fide conjecti naturali morte in carcere decesserunt; nemine eorum de perseverantia edocto.*

14. Tantorum tamen virorum assertio, ut tuto recipi possit, aliqua indigere videtur explicatione; cum alia sit perseverantia interna, alia autem externa. Interna perseverantia soli Deo est per se cognita: externa subditur quoque Ecclesiæ judicio; & Ecclesiam quidem ab externa perseverantia argumentum deducit, ut eo modo, quo potest, putet & credat, internam non defuisse. Sic ergo dictum explicandum erit, ut, cum constat ex verbis & signis externis de Martyris interna perseverantia usque ad obitum, & in ipso obitu, nequaquam sit de prædicta perseverantia interna dubitandum; ita ut, si quis de ea rationabiliter dubium proponere velit, teneatur assertum Martyris recessum a prima voluntate per alia verba, aut signa externa Martyris demonstrare. Quod si allata memoratorum virorum sententia alio modo intelligeretur, videlicet, etiamsi Ecclesiæ non constaret de Martyris interna perseverantia per actus externos usque ad obitum, & in ipso obitu, dubitantem in hoc rerum eventu de interna perseverantia, teneri tamen id comprobare per signum externum, per quod palam fiat recessus a prima voluntate patiendi pro Christo; salva reverentia, id putarem adversari tum rationi, tum Ecclesiasticæ disciplinæ. Adversaretur scilicet rationi; cum in causis Martyrum Ecclesia debeat esse certa, quantum licet, de finali perseverantia interna per actus externos, uti supra explicatum est; hæc porro certa cognitio haberi non possit, nisi per actus externos continuatos usque ad obitum, atque in ipso obitu, quantum fieri potest, exhibitos. Adversaretur etiam Ecclesiasticæ disciplinæ; cum vetera, media, & recentia Ecclesiæ monumenta plane demonstrent, momentum fuisse constitutum pro finali interna perseverantia astruenda in verbis, signis, & factis, quibus invicti Martyres inter atrocissima tormenta usque ad obitum, & in ipso obitu patefecerunt, se mori pro Christo, atque in ea prima voluntate perseverare, qua se tormentis exposuerunt.

15. Ducto autem initio ab antiquioribus monumentis, quibus media, & recentiora succedunt, Ruinart ex pluribus codicibus manuscriptis Passionem edidit S. Montani, qui mortuus est sæculo III. in qua quidem sic legitur *num. 14. & 15. pag. 24. De Martyrio proximo crescens prophetica voce clamabat: Sacrificans Diis eradicabitur, nisi Domino soli. Et hoc frequenter iterabat insinuans & inculcans, non licere, deserto Deo, ad simulacra, & manufacta figmenta accedere &c. Cum autem jam carnifex immineret, & gladius super cervices ejus libratus penderet, expansis ille ad cælum manibus, voce clara, ita ut non tantum ad aures plebis, sed & Gentiles quoque ipsos sonus vocis feriret, oravit rogans, & deprecans, ut Flavianus, qui per suffragium populi ..... remanserat, sequeretur die tertia*. Apud Eusebium Pamphili Cæsariensem Episcopum *in libro de Martyribus Palæstinæ cap. 8. pag. 422.* sic describitur Pauli Martyrium, quod contigit principio sæculi quarti: *Imminente con-*

fum-

summationis suæ tempore, a carnifice, qui caput ipsi jam jam erat præcisurus, breve temporis spatium sibi concedi, flagitavit; eoque impetrato, contenta voce primum quidem pro universa Christianorum gente preces ad Deum fudit orans, ut iisdem reconciliari vellet, utque pax illis, ac securitas quamprimum restitueretur: subinde vero narratur, eum orasse pro Judæis, pro Samaritis, pro Gentilibus, ut veram Christianam religionem susciperent, postea hæc habentur: *Post hos omnes (o vere eximiam & inexplicabilem animi mansuetudinem!) pro ipso Judice, a quo capitis supplicio damnatus fuerat, pro Imperatoribus, ac pro ipso etiam carnifice, qui cervicem ipsi jam jam erat præcisurus, illo ipso, & cunctis, qui aderant, audientibus, supplex Deum omnipotentem rogavit, ne, quod in ipsum admittebant, facinus illis imputaretur.* Ex Agonibus Martyrum desumpta est Passio S. Arcadii relata apud Ruinart inter sæpe citata Martyrum Acta, de quo nempe S. Arcadio legitur *num.* 4. *pag.* 467. eum, invocato Deo, securum colla parasse ictibus bipennis, cum ei mandatum est, ut manus extenderet: *Profert illico manus, &, cum articulatim secaretur, orabat: Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me, da mihi intellectum &c. Insanus furore Judex, primum amputandam linguam mandare nescierat, quæ jugiter Dominum in collatione Martyrii confitens Tyrannum devictum ostendebat. Deos nihil esse, sed solum Christum verum Deum, & victorem acclamabat: & ipse jam summa parte truncatus in dorsum supinari jubetur. Resupinus in tergo Deum magis glorificans, quod in Martyrio cælum suspiceret, unde peteret auxilium, pedes alacris porrigit, & crura, & femora simili crudelitate secanda: & proximis pedes articulis, crura pedibus, femora coxendicibus, venter quoque coxis sæva carnificum arte viduantur.* Acta SS. Fausti, Januarii, & Martialis apud eumdem Ruinart sic eorum felicem obitum describunt *num.* 1. *sub fin. pag.* 470. *Cumque perducti fuissent ad locum suæ Passionis, sic uno spiritu plebem Christi alloqui cœperunt dicentes: Vos, carissimi mei, & Christifideles, nolite credere huic inimico, & diabolo, cujus tempus nunc est; sed agnoscite, vos ad Dei similitudinem & imaginem esse factos &c. Vos itaque contemnentes hujus injuriam confitemini Christum Jesum, & soli Deo sine cessatione quotidie referte laudes.* In Februario Bollandiano *tom.* 3. *ad diem* 20. Martyrium exponitur SS. Sadoth Episcopi, & aliorum centum & viginti octo in Perside, qui, cum pervenissent ad locum, in quo erant Martyrio initiandi, sic locuti sunt *pag.* 276. *Benedictus es, o Deus, qui nos hac gratia dignatus es, nec despexisti orationem nostram, sed hanc nobis coronam dedisti: nosti enim, Domine, quomodo eam quæsiverimus &c. Atque in eorum ore non cessavit hæc Divinæ gloriæ celebratio, donec ultimus occisus est.* In Martio Bollandiano *tom.* 3. *ad diem* 22. ubi extant Acta S. Basilii Ancyrani Presbyteri, dum humi stratus torqueretur, sic refertur Dominum orasse *pag.* 383. *Lumen meum, Christe, & spes mea, Jesu, portus tranquillus in tempestate periclitantium, gratias tibi ago, Domine Deus Patrum meorum, quia eruisti animam meam ex Inferno inferiori &c. Æternæ quietis heres efficiar propter promissionem Patribus meis factam a Pontifice Magno Jesu Christo Domino nostro, per quem in pace suscipe spiritum in hac confessione perseverantis, quia tu misericors, & longanimis es, & multæ misericordiæ &c. Hac oratione completa, velut suavi somno captus tradidit spiritum ferramentis confossus.* In Aprili Bollandiano *tom.* 3. *ad diem* 28. habentur Acta S. Patritii Episcopi, & Martyris, ubi *pag.* 577. *Ab irato Proconsule per milites educi, & securi percuti est jussus; quapropter sensis in cælum manibus, Deus omnium Rex, orabat, & Domine &c. Assiste oppetenti mihi mortem in confessione Fidei tuæ. Quæ cum finisset, positis genibus, capite cæsus fuit.* Similia habentur de Martyrio S. Flaviani apud Cardinalem Baronium *in annal. ad an.* 262. *n.* 24. *& seqq.* de Martyrio SS. Martiniani & Saturiani apud eumdem *ad an.* 456. *n.* 13. de Martyrio S. Leodegarii, & de Martyrio S. Kiliani, & Sociorum apud eumdem *ad an.* 685. *num.* 22. & *ad an.* 689. *num.* 10. de Martyrio S. Eadmundi Regis Angliæ apud eumdem *ad an.* 870. *n.* 42. de Martyrio S. Everardi *in iisd. annal. ad an.* 1008. *num.* 9. de Martyrio demum S. Thomæ Cantuariensis *ad an.* 1170. *num.* 47. Item, cum ex alibi dictis constet, Viginti sex Martyres Japonenses Ordinis S. Francisci Fratrum Discalceatorum fuisse in Beatorum Martyrum album relatos ab Urbano Papa VIII. in relatione Rotæ Auditorum juxta morem tunc temporis receptum exhibita eidem Pontifici hæc de prædictis Dei Servis referuntur *art.* 2. *Beati Martyres tam in carceribus, quam per viam, & in ipso patibulo constantissime usque ad mortem Fidem Catholicam prædicabant, ut deponunt decem novem testes de scientia & visu.* Consimilia leguntur in relatione eorumdem Rotæ Auditorum in causa Servi Dei Josaphat Archiepiscopi Pollocensis in album Beatorum Martyrum pariter relati ab eodem Urbano VIII. uti videri potest in citata relatione *part.* 3. Denique hæc eadem comprobantur ex quæstionibus & controversiis inter Petrum Franciscum de Rubeis Fidei Promotorem, & Postulatores causarum B. Petri de Arbues, & BB. Martyrum Gorcomiensium; itemque inter me, dum Fidei Promotoris munere fungebar, & Postulatores causarum B. Joannis de Prado, & S. Fidelis a Sigmaringa; tum illo, tum me videlicet contendentibus, non esse sufficienter probatos actus in ipso Martyrii actu necessarios, ut Ecclesiæ constaret de finali perseverantia, Postulatoribus autem excipientibus, & invicte ostendentibus prædictorum actuum interventum.

16. Opponi utique posset hucusque adductis, nonnullos coli in Ecclesia tanquam Martyres, de quorum perseverantia usque ad obitum, & in ipso obitu constare non potuit. Ceteris namque exemplis omissis, celebre est illud S. Juliani, cujus Martyrium sic narratur a S. Joanne Chrysostomo *hom.* 75. *tom.* 2. *oper. n.* 3. *pag.* 676. *Allato sacco, & arena completo, cum in eum scorpiones, viperas, & dracones injecisset, cum illis & Sanctum injecit, & in mare demisit.* At respondetur, non sine causa dictum fuisse, quod constare debet de interna perseverantia per actus externos usque ad obitum, & in ipso obitu *quantum fieri potest*: ex quo fit, ut de finali perseverantia S. Juliani sufficienter constare dicendum esset ex ejus gestis & factis antequam in saccum conjiceretur; quæ nimirum idem S. Joannes Chrysostomus testatus est his verbis *loc. cit. pag.* 675. *Exiliebat ex Martyris ore vox sancta, simulque cum ipsa lumen radiis solari splendidius eliciebatur.* De S. Eustachio, cujus celebris est memoria in utraque Ecclesia, Occidentali scilicet & Orientali, uti colligitur ex monumentis relatis apud Baillet *in ejus vita ad diem* 20. *Septembris*, sic legitur ad eamdem diem in Martyrologio Romano: *Passio Sanctorum Martyrum Eustachii, & Theopistis uxoris ejus cum duobus filiis Agapio, & Theopisto, qui sub Hadriano Imperatore damnati ad bestias, sed Dei ope ab iis nil læsi, in bovem æneum candentem inclusi Martyrium consummarunt.* Neque tamen de sufficienti probatione perseverantiæ usque ad obitum & in ipso obitu dubitandum esse videtur, quamvis post inclusionem in bovem æneum nullum fortasse habitum fuerit signum ejus externum; non nisi quia signa externa non defuerunt usque ad dictum tempus, teste Nicephoro *lib.* 3. *cap.* 29. qui S. Eustachium appellat alterum Job, ut etiam monet Cardinalis Baronius *ad an.* 120. *num.* 6. Similia dicenda sunt de illis Martyribus, quorum mentio fit ex Dionysio Alexandrino apud Eusebium *histor. lib.* 6. *cap.* 42. *pag.* 308. & qui commemorantur in Martyrologio Romano *ad diem* 22. *Decembris*. Hi sunt Sanctus Cheremon Episcopus Nilopolis, aliique plurimi, quorum alii, sæviente Decii persecutione, fuga dispersi in solitudinibus errantes, a bestiis interempti sunt, alii fame, frigore, ac languore consumpti, alii a barbaris, & latronibus necati: ultimi enim actus eorum, qui a bestiis consumpti sunt, a nemine observari potuerunt; sed ab antecedentibus, quantum fas est, argumentum ad consequentes & ultimos actus satis aptum deduci potest. Ad rem quoque facit exemplum causæ S. Joannis Nepomuceni, qui e ponte in flumen præcipitatus in eo mersus est, ne sigillum sacramentalis Confessionis frangeret. In ejus quippe causa resoluta super dubio Martyrii & causæ Martyrii, dum ego essem Fidei Promotor, de ejus perseverantia finali documenta exhibita sunt usque fere ad momentum, quo de ponte dejectus est. Cum enim mortem suam prævidisset, eamque se evasurum sciret, si sacramentalem Confessionem revelasset, nec blanditiis, nec minis unquam vinci potuit, ut quærenti Tyranno, quæ injuste petebat, patefaceret. Parricidii reus lege Pompeja insutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia in mare projiciebatur, si mare proximum erat, &, si mare proximum non erat, ex Hadriani constitutione ad bestias damnabatur; uti habetur *in l. Pœna ff. ad l. Pompejam, de parricid.* Unde Cicero *in orat. pro Roscio Amerino c.* 25. *Quanto Majores nostri sapientius? qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt, ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine pœnæ maleficia summoverentur; insui voluerunt in culeum vivos, atque in flumen dejici.* Et eo usque pro-

cessit Tyrannorum sævitia in Christianos, ut eos nedum morte afficerent, sed eo horribili mortis genere mori aliquando voluerint, ad quod infames parricidæ juxta ipsorum leges damnabantur.

17. Item opponi posset, in superioribus dictum esse, necessariam esse in Adultis Martyrii acceptionem per actum voluntatis; atque ideo non sufficere acceptionem interpretativam, sed actualem esse optimam, virtualem autem, quæ non sit retractata, & influat in actum, esse sufficientem; demum verum satis esse etiam habitualem, puta, si quis aliquando Martyrium optasset, postea, nihil de eo cogitans, sed prædicans, aut aliud quid meritorium faciens per insidias occideretur in odium Fidei. Ex quibus scilicet inferri posse videtur, non esse absolute & simpliciter necessarium ad Martyrium probationem internæ perseverantiæ finalis per actus externos. Verum quæ supra dicta sunt, ob eum finem dicta sunt, ut adversus nonnullos ostenderetur, necesse esse ad Martyrium, ut mors acceptetur per actum voluntatis; atque ut exponerentur ea, quæ docent Theologi agentes indistincte de Martyrio, hoc est non distinguentes Martyrium coram Deo a Martyrio coram Ecclesia. Admisso ergo, ut morientes in supra recensito rerum eventu, Martyres sint coram Deo, Martyres tamen forsitan esse non possent coram Ecclesia; præcipue vero, si aliqua temporis mora intercessisset, intra quam Dei servi, qui voluntatem virtualem habuerunt Martyrii, potuissent per actus externos suam in voluntate perseverantiam patefacere. In primo hujus Operis libro actum est de Martyrio B. Petri de Castro novo. Habuit ille profecto voluntatem subeundi Martyrium, cum a suo munere non destiterit ob minas Comitis Tolosani, qui mortem ei fuerat comminatus. Quodam autem mane, cum, Missa celebrata, se ad transitum fluminis pararet, unus ex Comitis satellitibus, qui ignotus cum Dei Servo fuerat hospitatus, ipsum omnino ignatum vulneravit. Et quidem ad rem nostram ecce verba epistolæ Innocentii III. *in Bull. nov. tom. 3. pag. 120. In crastinum itaque, mane facto, & Missa celebrata de more, cum innocui Christi Milites* (Petrus videlicet cum Sociis) *ad transitum fluminis se pararent, unus de prædictis Satanæ satellitibus lanceam suam vibrans prænominatum Petrum supra Christum petram immobili firmitate fundatum tantæ proditionis incautum inter costas posterius vulneravit. Qui pius in impium respiciens percussorem, & Christi Magistri sui cum Beato Stephano secutus exemplum dixit ad ipsum: Deus tibi dimittat, quia ego dimitto, pietatis & patientiæ tantæ verbum sæpius repetendo. Deinde sic transfixus acerbitatem illati vulneris spe cælestium est oblitus, & in instanti suæ pretiosæ mortis articulo cum ministeriis sui Sociis, quæ Fidem promoverint & pacem, non desinens ordinare, post multas demum orationes in Christo feliciter obdormivit.* Confert quoque exemplum Martyrii S. Petri Martyris. Habuit nempe & ipse voluntatem subeundi Martyrium, cum id crebris supplicationibus a Deo postulasset. Dum autem Como Mediolanum pergeret ad exequendum mandatum contra Hæreticos sibi ab Apostolica Sede commissum, uti publica prædicatione prædixerat, Martyrio coronatus est, Hæretico eum ex improviso mortali vulnere sauciante. In bulla porro Canonizationis ejus leguntur hæc verba *tom. 3. Bull. nov. §. 4. pag. 331. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens, diris in ipso impressis vulneribus, & satiato sanguine Justi ense, venerandum illum non divertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam, & cæsoris sustinentem in patientia truces ictus dimisit (spiritu patente superno) in ipso loco Passionis occisum. Ipse quoque sacrilego percussuras in Christi Ministrum geminas inculcante, ille non querulosa voce murmurans, sed sufferens omnia patienter suum Domino spiritum commendabat dicens: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Symbolum etiam cœpit dicere Fidei, cujus nec in hoc articulo desiit esse præco.* Item B. Petrus de Arbues inter Beatos Martyres solemniter anno 1664. relatus est, quemadmodum visum fuit *lib. 1. hujus Operis cap. 24. n. 6.* Habuit scilicet etiam is voluntatem moriendi pro Christo; Inquisitoris enim Fidei fungens ministerio in Aragonia adversus Judaicam perfidiam, admonitusque ab amicis & consanguineis, ut, si vitæ consulere vellet, suscepto se officio abdicaret, constanter respondit, se ob talem causam libentissime mortem subiturum, idque unice optare, ut ex malo Sacerdote bonus fieret Martyr. Porro conducti ad necem sicarii ipsum in Choro orantem ex improviso iterato vulnere lethaliter affecerunt: cumque biduum supervixisset, Deo gratias sæpe egit, quod pro Fidei defensione mortem subiret, preces effudit pro Persecutoribus, & post recepta Ecclesiæ Sacramenta feliciter in Domino obdormivit, ut ex Actis ejus causæ colligitur.

18. Demum opponi posset, nullo modo constare de perseverantia finali interna per actus externos usque ad obitum, & ipso obitu continuatos: quamobrem, ut *in primo libro* visum est, nonnulli putant, per signa & miracula, quæ requiruntur etiam in causis Martyrum, probari internam perseverantiam finalem. Verum, utcumque id sit, omnino dicendum est, satis constare Ecclesiæ de perseverantia finali interna, si non desint actus illi externi usque ad obitum, & in ipso obitu, quantum fas est, continuati; cum Ecclesiæ judicium, quod justus est, immediate non respiciat, sed Deus solus sit verus & unicus scrutator cordium: ex quo fit, Ecclesiam extrinsecis illis probationibus edoctam bene judicare, Dei Servum in Fide, & voluntate patiendi pro Christo perseverasse usque ad obitum, atque in ipso obitu, & gratiam ac pœnæ remissionem obtinuisse eo momento, post hunc immediate mortuus est, cum eodem momento Martyrium censeatur consummatum; uti bene explicant Raynaudus *de Martyr. per postem part. 3. cap. 6. num. 25.* Cardinalis Capisucchius *in controvers. de Martyrio quæst. 2. §. 19. & seqq.* Cardinalis Gottus *Theolog. tom. 2. in 3. part. quæst. 2. dub. 5. §. 3. n. 18.*

19. Martyria in Ecclesia celebrantur plurimorum, qui in eodem actu mortem pro Christo subjerunt. Die 12. Januarii celebratur Passio Sanctorum quadraginta duorum Monachorum, qui ob cultum sanctarum Imaginum sub Constantino Copronymo sævissime cruciati Martyrium compleverunt. Die 13. ejusdem mensis celebratur Martyrium Sanctorum quadraginta Militum, qui sub Gallieno Imperatore pro confessione veræ Fidei mortem recipere meruerunt. Die 14. ejusdem mensis celebratur Martyrium Sanctorum quadraginta trium Monachorum, qui pro Christiana religione a Blemmiis occisi sunt. Eodemque die colitur Martyrium triginta & octo Monachorum a Saracenis pro Christi Fide interfectorum. Die 28. ejusdem mensis recolitur memoria plurimorum SS. Martyrum, qui factione Syriani Ducis Ariani, dum in ecclesia Synaxim agerent, diverso mortis genere sunt interempti. Die 9. Februarii celebratur Passio SS. Alexandri, & aliorum triginta & octo coronatorum: Die 17. ejusdem mensis Passio S. Faustini cum aliis quadraginta quatuor Sociis. Die 10. Martii Passio quadraginta duorum Martyrum. Die 22. Septembris Passio SS. Martyrum Thebæorum Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, & Vitalis, cum Sociis ejusdem Legionis, qui sub Maximiano pro Christo necati fuerunt. Die 5. Octobris Passio SS. Martyrum Placidi Monachi, & Fratrum ejus Eutychii, & Victorini, ac Flaviæ Virginis eorum sororis, Donati, Firmati Diaconi, Fausti, aliorumque triginta Monachorum, qui a Manucha Pirata pro Christi Fide necati sunt. Et die 24. Octobris Passio SS. Aretæ, & Sociorum trecentorum & quadraginta tempore Justini Imperatoris sub Dunaan Judæo Tyranno. Desumpta hæc sunt ex Martyrologio Romano: & alia plura in eo fortasse extant exempla magni numeri Martyrum eadem occasione insimul interemptorum. Porro nec ex Actis, nec ex historiis perseverantia finalis uniuscujusque per actus externos usque ad obitum continuatos probata fuit, aut probari potuit. Probatio quoad nonnullos prædicto modo facta est; & quoad alios, quorum nomina itidem recitantur, non alio modo facta dici potest, quam per actus quosdam antecedentes, quibus patefecerunt se promptos, & paratos, ut mortem pro Christo subirent, & quibus mors successisset invicto animo tolerata. In Congregatione sacrorum rituum (ut alibi visum est) feliciter resoluta fuit causa viginti sex Martyrum Japonensium. Eumdem quoque finem habuit causa decem & novem Martyrum Gorcomiensium. Et paucis ab hinc diebus proposita fuit causa Ignatii Azevedi, & triginta novem Societatis Jesu insimul interemptorum pro Christi Fide. Quod si quis ea qua decet attentione aut relationem Rotæ Auditorem in causa Martyrum Japonensium, aut processus reliquarum duarum causarum perlegerit, facile dignoscere poterit, finalem perseverantiam quoad nonnullos primo modo, quoad majorem numerum aliorum secundo modo fuisse probatam.

CA-

CAPUT DECIMUMNONUM.

De causa Martyrii ex parte Martyris.

1. IN superioribus nonnulla dicta sunt de causa Martyrii, quod attinet ad Tyrannum; nunc autem principaliora quædam addenda sunt de ipsa Martyrii causa, quod spectat ad Martyrem. Deficiente quippe idonea causa, Martyr esse non potest, qui moritur, etiamsi præmiserit ea omnia, quæ in superioribus dictum est esse præmittenda, & etiamsi in ipso obitu eximiæ fortitudinis, atque constantiæ manifestissima prætulerit indicia. Repetimus itaque, Martyrem non fieri pœna, sed causa: tum dicimus, Fidem credendorum, vel agendorum esse unicam causam Martyrii, etiam ex parte Martyris, eam vero coinquinari, & ineptam evadere, si moriens inanem gloriam apud homines quærat & exoptet; itemque ad Martyrium non sufficere, si quis moriatur pro aliqua re, licet vera, sed sibi per lumen naturale proposita; aut pro aliqua veritate sibi uni revelata; aut pro quæstione adhuc ab Ecclesia non definita; aut ex ratione philosophice dumtaxat bona; aut denique ut aliquem articulum tueatur in se falsum, sed quem ipse putat invincibiliter esse verum, & ad Fidem Christianam pertinere.

2. Descendendo ad horum omnium probationem, cum dixerimus & comprobaverimus, Martyrem non fieri pœna, sed causa, dum loqueremur de Tyranno; nunc ostendendum est, id ipsum procedere, dum loquimur de Martyre. Optime autem id explicat S. Augustinus *lib. 2. contra epistolam Gaudentii cap. 20.* (*tom. 9. oper. col. 645.*) ubi redarguit Donatistas, qui sodales & hæresis socios, qui patienter moriebantur, Martyres & Beatos prædicabant: *Recte ista dicerentur a vobis quærentibus Martyrum gloriam, si haberetis Martyrum causam. Non enim felices, ait Dominus, qui mala ista patiuntur, sed qui propter Filium hominis patiuntur, qui est Christus Jesus.* Tum *in Psalm. 34. n. 13. col. 244. tom. 4. oper.* ad illud, *Dominus meus in causam meam*, subdit: *Nemo ergo dicat, persecutionem patior. Non ventilet pœnam, sed probet causam; ne, si causam non probaverit, numeretur cum iniquis.* Concordat S. Joannes Chrysostomus *orat. 4. contra Judæos* (*num. 3. pag. 618. tom. 2. oper.*) ubi hæc habet: *Nam latronibus lacerantur latera, & monumentorum perfossoribus, & præstigiatoribus. Verum idem patiuntur & Martyres. Facta quidem sunt eadem, ceterum animus & causa, cum hæc fiant, non est eadem; eaque plurimum est discriminis inter hos, & illos. Sicut igitur in illis non tormentum tantum expendimus, sed prius animum & causam, ob quam cruciatus inferuntur consideramus: & ob id Martyres amamus, non quod crucientur, sed quod ob Christum cruciatus ferant: contra latrones detestamur, non quia puniuntur, sed quod ob malefacta puniuntur.* Additur S. Gregorius *lib. 2. indict. 10. epist. 51.* (*col. 615. tom. 2. oper.*) *Prima itaque epistolæ vestræ frons gravem vos pati persecutionem innotuit: quæ quidem persecutio non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem; nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare pro culpa. Debetis enim scire, sicut Beatus Cyprianus ait, quia Martyrem non facit pœna, sed causa. Dum igitur ita sit, incongruum nimis est, de ea vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad æterna præmia minime provehi.* Alia plura collecta ad rem legi possunt apud Theophilum Raynaudum *de Martyrio per pestem par. 2. cap. 1. num. 18. & seqq.* apud Hurtado *de vero Martyrio tr. 4. resolut. 25.* apud Antonium Dadinum Altaserram *in observat. ad epist. S. Gregorii lib. 2. epist. 36. pag. 91. & 92.* & ea resumi possunt, quæ a Nobis dicta sunt *lib. 1. hujus Operis cap. 3. num. 6.*

3. Unicam & veram Martyrii causam dicimus etiam ex parte Martyris Fidem credendorum, vel agendorum. De Fide scilicet credendorum extat testimonium in Evangelio *Luc. 12. 8. Quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Quod etiam dictum fuerat *c. 9. 26. Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* In quorum quidem Martyrum classe recensendi sunt omnes illi, qui mortui sunt ob prædicationem, seu confessionem credendorum, puta mysterii Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Filii, Divinitatis Spiritus Sancti, & Filii, & alicujus, vel aliquorum, aut omnium Catholicæ Fidei articulorum; juxta illud, quod habetur in Symbolo, quod Sancto adscribitur Athanasio: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem, quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit*; & juxta Fidei professionem a Pio IV. editam secundum Concilii Tridentini suasionem: *Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor & veraciter teneo, eamdem integram & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere & confiteri, atque a meis subditis, vel ab illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, spondeo, voveo, ac juro, &c.* Olim qui innocenter, sive ut aptius loquamur, sine sua culpa moriebantur, pro Martyribus habiti sunt, veluti sapienter adnotavit Mabillonius *tom. 3. annal. Ord. S. Benedicti pag. 399.* ubi loquendo de morte Caroli Regis Francorum, quem Heribertus Comes ab annis sex in custodia detinuerat, inquit: *Carolum Regem ut Martyrem & Sanctum habitum fuisse, testis est Hugo Abbas Flaviniacensis, pro more scilicet illorum temporum, quibus qui innocenter cædebantur, Martyres & Sancti vulgo audiebant.* At, utcumque sit de his, hodie certum est, veram Martyrii causam ex parte Martyris esse etiam Fidem agendorum: si enim aliquis moriatur pro exercitio alicujus virtutis, in quam cadit præceptum, aut consilium Fidei, quæ dici potest professio Fidei *in facto*, hic utique Martyr est, nec causam ad Martyrium sufficientem deesse dicendum est. Doctrina hæc est S. Thomæ, cui ceteri adhærent, *in 2. 2. qu. 124. art. 5. Et ideo omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes Fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, & nos pro eis remunerat; & secundum hoc possunt esse Martyrii causa; unde & Beati Joannis Baptistæ Martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda Fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit.* Et in responsione ad primum: *Et ideo ut Christianus patitur, non solum qui patitur pro Fidei confessione, quæ fit per verba, sed etiam quicumque patitur pro quocumque bono faciendo, vel pro quocumque peccato vitando propter Christum, quia hoc totum pertinet ad Fidei protestationem.* Et *in 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 3. ad 9. Causa sufficiens ad Martyrium non solum est confessio Fidei, sed quæcumque alia virtus non politica, sed infusa, quæ finem habeat Christum; quolibet enim actu virtutis aliquis testis Christi efficitur, in quantum opera, quæ in nobis Christus perficit, testimonium bonitatis ejus sunt: unde aliquæ Virgines sunt occisæ pro virginitate, quam servare volebant, sicut Beata Agnes, & quædam aliæ, quarum Martyria in Ecclesia celebrantur.* Et *in epistolam ad Romanos cap. 8. lect. 7. in verb. Sicut scriptum est: Martyrem enim non facit pœna, sed causa, ut dicit Augustinus. Unde dicit (propter se) Matt. 10. Qui perdiderit animam suam (id est vitam) propter me, inveniet eam. 1. Petr. 4. Nemo vestrum patiatur ut fur, aut homicida; si autem ut Christianus, non erubescat. Patitur etiam propter Christum, non solum qui patitur propter Fidem Christi, sed etiam qui patitur pro quocumque justitiæ opere pro amore Christi, Matt. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Adhærent autem S. Joannes a Capistrano *in specul. conscient. part. ult. num. 144. & seqq. inter tractatus magnos tom. 1. pag. 357.* S. Antoninus *in Summa tit. 31. cap. 9. §. 1.* & Sotus *in 4. sent. dist. 18. quæst. 4. art. 5. pag. 814.* ubi agens de revelatione sigilli Confessionis, post relatam singularem aliquorum opinionem, ut Sacerdos non teneatur mortem oppetere, ne revelet sigillum Confessionis, subdit: *Est tamen error non ferendus talis opinio, quia non solum ad famam unius personæ conjiciendus est oculus, sed ad Sacramenti custodiam, pro quo servando in Ecclesia Sacerdotale officium Sacerdotem obligat millies oppetere mortem.* Astens. *in summa part. 1. lib. 2. tit. 33. quæst. 4.* Lessius *de just. & jur. lib. 3. cap. 1. dub. 3. num. 38.* Thomas a Jesu *de procurand. om. Gent. salut. lib. 5. part. 3. dub. 3. vers. Quarta conditio*, Layman *Theolog. moral. part. 3. sect. 3. sub num. 5. vers. Notat autem*, & *tract. 3. part. 3. cap. 1. num. 6. vers. In primis notandum*, Castellin. *de certitud. glor. Sanctor. cap. 8. punct. 20. §. 4.* & latius *in tract. de inquisit. miracul.*

in Canoniz. Martyr. punct. 2. sub num. 3. 7. 9. & 10. Trullench *in precept. Decalog. tom. 2. lib. 5. dub. 2. sub num. 3. vers. Licet ut tales*, Verricell. *de Apostol. Mission. tit. 1. quæst. 69. num. 3.* Hurtado *in tr. de vero Martyrio tr. 3. resol. 25. §. 2.* Cardinalis de Laorea *in 3. lib. sent. tom. 3. par. 2. disp. 20. art. 7.* Salmanticen. *tom. 3. curs. Theolog. tr. 9. disput. 3. dub. 2. §. 1.* Auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap. 4.* Clericat. *de Baptismo decis. 27. num. 9. & 11.* Gobat *in Theolog. experiment. tract. 2. cas. 18. sect. 1. num. 600. & seqq.* Anaclet. *in Theolog. mor. tract. 7. dist. 3. quæst. 6. num. 43.* Guyet *de festis propriis Sanctorum lib. 2. c. 7. qu. 13.* Auditores Rotæ in relatione Beati Josaphat Pollocensis *par. 2. §. Demum de ratione.* Ex Soto dictum est, morientem, ne sigillum Confessionis revelet, inter Martyres recensendum. Fuit hoc ipsum adnotatum a Wadingo *in annal. Minorum t. 10. pag. 199. n. 28.* ubi hæc habet: *Huic piissimo viro successit in principatu Sigismundus frater germanus, moribus dissimilis, etsi re bellica illustris, qui cum nimia ferretur zelotypia, Minoritam quemdam pium & doctum, suæ uxoris Confessarium, trucidavit, quia sacra Confessionis sigillum aperire, & quæ pridie sub Sacramenti arcano innocentissima conjux dixerat, noluit revelare. Non immerito hunc inter Martyres numeraverim.* Nec de hac re superest ullus rationabilis dubitationis scrupulus post relatum solemni ritu inter Sanctos Martyres a Benedicto VIII. Joannem Nepomucenum ea ipsa de causa occisum.

4. Confirmantur hæc omnia ex inconcussa Ecclesiæ disciplina. Namque ex alibi dicendis Ecclesia colit S. Joannem Baptistam tanquam Martyrem, licet non mortuus sit directe pro Fide, sed pro exercitio virtutis ad Fidem relatæ: quocirca de eo inquit S. Eulogius Cordubensis *lib. 1. memorial. Sanctor.* quod habetur *tom. 15. Bibliotheca Patrum pag. 250. Cum Regem iniquum de stupro Herodiadis commoneret .... ergastulo propter veritatis professionem detruditur, ibique absque ulla Fidei persecutione truncatur, nec tali succumbere recusavit dispendio, qui sine dubio noverat, Divino revelante Spiritu, tantumdem esse propter justitiam mori, quam pro Fidei confessione prosterni.* Quod & ante eum docuerat S. Gregorius Magnus *lib. 11. regist. epist. indict. 4. epist. 64. ad sextam interrogationem S. Augustini (col. 1154. tom. 2. oper.) Capite truncatus est, & sancto Martyrio coronatus; cui non est dictum, ut Christum negaret, & tamen pro Christi confessione occisus est, sed quia idem Dominus noster Jesus Christus dixerat, Ego sum veritas, quia pro veritate occisus est Joannes, pro Christo sanguinem fudit.* Et late prosequuntur Theologi agentes de eodem sanctissimi viri Martyrio, Abulensis *in Matthæum cap. 14. qu. 41.* Suarez *in 3. part. S. Thomæ quæst. 28. art. 1. disp. 24. sect. 6. §. Postremo, Martyrem fuisse Joannem*, Cornelius a Lapide *ad cap. 4. Ecclesiast. vers. 33. Talis justitiæ pugil fuit Sanctus Joannes Baptista, qui pro jure matrimonii certans, & corripiens adulterum Herodem, ab eo Martyrio laureatus est.* Item S. Trudpertus, qui sæculo Christi septimo mortuus est, in plerisque locis cultum habet Martyris, quamvis non directe pro Fide, sed pro operibus Christianis ad fidem relatis, ab impiis confossus sit, uti Ergænbaldus Abbas *lib. 1. ejus vitæ cap. 2.* apud Bollandianos *ad diem 26. Aprilis pag. 431.* latissime comprobat. Sæculo Christi duodecimo Carolus Bonus ab hac vita decessit: colitur autem tanquam Martyr in nonnullis regionibus, quemadmodum habetur apud Joannem Molanum *in Natalibus SS. Belgii ad diem 2. Martii*, etsi non pro Fide, sed pro justitia mortuus sit, teste Gualtero Archidiacono Ecclesiæ Morinorum in ejus vita *part. 6. cap. 27.* apud Bollandianos *ad diem 2. Mart. pag. 170. Nam, ut scriptum est, Martyrem non tam facit pœna, quam causa. Sed hujus, rogo, ut ita dicam, Martyrii quæ fuit causa, nisi justitia? Qui enim ideo occisus est, quia a rectitudine non declinabat æquitatis, pro testimonio utique occisus est veritatis.* Pariter inter cruentos Christi Martyres nonnulli numerantur, qui mortui sunt pro defensione & tuitione potestatis, libertatis, & Ecclesiasticæ immunitatis; de quibus Silvius 2. 2. *quæst. 124. art. 5. post medium*, Mend. *in statera opin. differt. 9. quæst. 2. sub num. 26.* Auditores Rotæ in citata relatione Beati Josaphat *part. 2. sub §. Demum de ratione Martyrii.* De Sancto enim Engelberto Episcopo, cujus egregia certamina a Cæsario Monacho scriptis mandata extant apud Surium *tom. 6. pag. 185.* sic legitur in Martyrologio Romano ad diem 7. Novembris: *Coloniæ Sancti Engelberti Episcopi, qui pro defensione Ecclesiasticæ libertatis, & Romanæ Ecclesiæ obedientia Martyrium subire non dubitavit.* De S. Salomone in Britannia Armorica Rege, quem nonnulli parum probabiliter ab Anastasio III. Pontifice ferunt solemniter fuisse canonizatum an. 910. legitur, eum postquam obstiterat placitis Apostolicæ Sedis, & monitis Episcoporum Galliæ in causa Ecclesiastici ordinis, & politici regiminis, tandem conversum ad cultum justitiæ & pietatis, propter assumptam tuitionem jurium Ecclesiæ a Proceribus Regis fuisse occisum an. 874. Apud Venetenses colitur tamquam Martyr, ut ex ejus Actis colligitur apud Bollandianos *tom. 6. Junii pag. 248. & pluribus seqq.* Celebre est exemplum mortis S. Thomæ Cantuariensis, de qua in ejus vita apud Christianum Lupum *cap. 18. & 19.* necnon apud Petrum Blesensem *epist. 27.* apud Joannem Saresberiensem *epist. 186.* apud Michaelem Alfrod *annal. Eccles. Anglican. t. 4. ad an. 1172.* & fuse, probata veritate ejus Martyrii contra Mornæum apud Leonardum Coquæum *in antimorn. tom. 2. antidot. contra oppasit. 48. pag. 89. & seqq.* Meminit Mabillonius *tom. 4. annal. Ord. S. Benedicti pag. 369. num. 97.* cujusdam Gerardi Abbatis Fontanellæ, habiti uti Martyris, utpote cæsi a quodam nefario, cui gravis erat censura exactoris disciplinæ Regularis. S. Anselmus, ut refert Edmerus in ejus vita, cum fuisset interrogatus a quodam Lanfranco, quare Elfegus ab Anglis coleretur ut Martyr, cum non esset occisus causa confessionis Fidei, sed quod noluisset se pecunia redimere; respondit, eum occubuisse pro justitia, cum pecuniam ad redemptionem necessariam non potuisset habere sine aliorum injuria; atque ideo, cum Christus sit veritas & justitia, qui moritur pro justitia, vel veritate, eum mori pro Christo, &, Ecclesia teste, Martyrem haberi: quod etiam narratur in vita S. Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis scripta a Milone Crispino Cantore Beccensi *cap. 6. apud Bollandianos ad diem 28. Maji n. 57. pag. 847. tom. 6.* ubi hæc habet: *Nec immerito, ut reor, inter Martyres computatur, qui pro justitia mortem sponte suscepisse prædicatur. Nam & Beatus Joannes Baptista, quem tota Dei Ecclesia præcipuum Martyrem credit, & veneratur, non quia Christum negare, sed quia pro defensione Legis Divinæ veritatem noluit tacere, ad votum Saltatricis capite plexus est &c. Beatus vero Elfegus æque pro justitia, ut Sanctus Joannes pro veritate, passus est. Cur ergo plus de unius, quam de alterius vero sanctoque Martyrio quisque ambigat, cum par causa in mortis perpessione utrumque detineat?* De Martyrio hujusce S. Elfegi legi potest Mabillonius *tom. 5. annal. Ord. S. Benedicti pag. 143. num. 60.* Sæculo VII. contigit mors nonnullorum Monachorum a Saracenis occisorum, de quibus extat epistola Antiochi Monachi Abbatis publici juris facta a Cardinali Baronio *in annal. ad an. 614. num. 24. & seqq.* in qua narratur, Saracenos ad monasterium accessisse, & universa Ecclesiastica sacra vasa furatos esse; nonnullos autem Monachos, ceteris fugientibus, sacrum locum destituere nullo pacto volentes a Barbaris comprehensos inhumane tormentis afflictos fuisse, ut pecunias, quas minime habebant, proderent; tum Saracenos sua spe frustratos in efferatam rabiem conversos, Monachos prædictos membratim concidisse, qui lætitia incredibili perfusi omni cum gratiarum actione animas Deo reddiderunt. Itemque de Petro XXII. Abbate Sublacensi *in Chronico* monasterii narratur, multa in corpore passum esse, & cæcum factum ad Dominum migrasse, cum castrum *Arsulo* dictum ad Monasterium pertinens recusasset instantibus cedere; uti pluribus prosequitur Cardinalis Baronius *ad an. 1003. num. 8.* Hos nimirum inter Martyres esse recensendos, plerique contendunt, videlicet Astensis *in Summa part. 1. tit. 33. quæst. 4.* Silvius *loco supra citato*, Theophilus Raynaudus in libro cui titulus, *Mala e Bonis, cap. 6. sub num. 16. oper. tom. 12. pag. 40.* At vero, utcumque hæc sint, aptiora ad rem, de qua nunc agimus, sunt exempla Virginum, & Viduarum, quæ pro castitate custodienda Martyrium subierunt, de quibus late apud Claudium Espencæum *lib. 4. de Continentia c. 14.* & concordat Wadingus *tom. 10. annal. Minorum Romanæ editionis an. 1734. pag. 199. n. 28.* ubi hæc habet: *Non immerito hunc inter Martyres numeraverim, aliosque duos hujus temporis consodales adolescentes, unum Anconæ in Piceno a malesuadis feminis ejus libidine exardescentibus occisum, alterum Sebastianum Fesulani Conventus alumnum Florentiæ a duabus Sororibus insana ejus amore correptis suffocatum; quia sub falsa pietatis, & eleemosynæ accipiendæ specie vocati, noluerunt impiis muliercularum desideriis satisfacere.* Aptiora quoque haberi debent exempla eorum, qui pro officio charitatis, aut misericordiæ gloriose in Domino occubuerunt. Hujusmodi officium est proximo egeno ac pauperi eleemosynis subvenire; qua ratione in Mar-

in Martyrologio Romano Martyres declarantur 16. *Augusti* Romæ S. Titus Diaconus, *qui, Urbe a Gothis occupata, pecunias pauperibus distribuens, a Tribuno barbaro jussus est occidi*, & item Romæ 11. *Decembris* S. Thraso, *qui, cum Christianos laborantes in thermis, aliisque operibus publicis fatigatos, & in carcere positos de suis facultatibus aleret, jubente Maximiano, tentus cum aliis duobus, Pontiano, & Prætextato, Martyrio coronatus est*: vel in carcere detentum visitatione, & litteris consolari; quam ob causam Martyres pronuntiantur 30. *Octobris* Alaxandriæ S. Eutropia, *quæ Martyres visitans cum illis sævissime cruciata reddidit spiritum*, & 23. Decembris Nicomediæ Diaconus Sancti Anthimi, *qui, cum litteras perferret ad Martyres, a Gentilibus tentus, & lapidibus obrutus migravit ad Dominum*: vel mortuum sepelire; quamobrem Martyr prædicatur 21. *Augusti* Fundis in Latio S. Paternus *qui .... cum Martyrum corpora sepeliret, a Tribuno comprehensus in vinculis exspiravit*, & alibi alii: vel denique vita bonisque aliis periclitantem tueri, quo titulo Martyres leguntur 22. *Junii* Verolamii in Britannia S. Albanus, *qui .... pro Clerico hospite, quem susceperat, se ipsum tradens, post verbera, & acerba tormenta capite plexus est*; 21. Decembris in Lycia S. Themistocles, *qui .... pro Sancto Dioscoro, qui quærebatur ad necem, se offerens equuleo tortus, raptatus, ac fustibus cæsus Martyrii coronam adeptus est*; 23. Maji apud Lingonas S. Desiderius Episcopus, *qui, cum plebem suam ab exercitu Vandalorum vexari cerneret, ad Regem eorum pro ea supplicaturus accessit, a quo statim jugulari jussus pro ovibus sibi creditis cervicem libenter extendit, & percussus gladio migravit ad Christum*; 19. Julii S. Epaphras, qui *ab eodem Apostolo Colossis Episcopus ordinatus, clarus virtutibus ibidem Martyrii palmam pro ovibus sibi commendatis virili agone percepit*; 10. Septembris Leodii S. Theodardus Episcopus, *qui animam suam posuit pro ovibus suis*; 17. Octobris Antiochiæ S. Heron Episcopus, *qui .... pro commendato sibi grege amator Christi occubuit*; 22. Septembris Ratisponæ S. Emmeramus Episcopus, *qui, ut alios liberaret, mortem sævissimam Christi causa patienter subiit*.

5. Huc quoque spectant, quæ *in superiori cap.* 14. dicta sunt, cum ageretur de modo, quo probari poterat, Tyrannum motum fuisse ab odio in Fidem, dum mortem intulit Dei servo. Dictum quippe fuit, id probari, si mors inflicta fuerit, eo quia Dei servus aliquid facere noluit, quod recessum a Fide Christiana significaret, aut aliquam rem a Fide Christiana vetitam, aut quæ ratione circumstantiarum stare non posset cum præceptis Christianæ religionis, aut religioni Christianæ detrimentum afferret; vel quia aliquid fecit cum religione Christiana consentaneum, quod injustis Tyrannorum legibus vetitum erat. Percipi enimvero non potest, Tyrannum moveri ex odio in Fidem ad occidendum eum, qui talia peregit, nisi simul admittatur, talia peragentem, & mortem pro iis acceptantem ab amore Fidei induci atque moveri. Quocirca, ut nova veteribus addantur, pro Fide agendorum mori dici etiam poterit ille, qui inter Infideles degens mortem obiret, ne vestimento indueretur *protestativo* damnatæ sectæ, & eo quidem magis, si esset institutum ad cultum falsi numinis, uti late & solide ostendit Pater Aloysius Maria Lucinus *in defensione decreti clar. mem. Cardinalis de Tournon cap. 9. n. 87. & seqq.* itemque pro eadem Fide agendorum mori dici posset, qui moreretur, ne templum Infidelium ingrederetur, in eo præsertim rerum eventu, in quo Principis Infidelis lex juberet, ut omnes templum adirent, ibique psallerent cum infidelibus, eorumque interessent cæremoniis in *protestationem* suæ sectæ, quo spectat decretum summi Pontificis Pauli V. de quo meminit Cardinalis Albitius *de inconstantia in Fide cap. 24. n. 48.* refertur vero a Suarez *in defens. Fid. Cath. lib. 6. pag.* 405. *Cogimur monere vos, atque obtestari, ut nullo pacto ad Hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis; non enim licet vobis hoc facere sine detrimento Divini cultus, ac vestræ salutis*: quemadmodum docte de more explicat Cardinalis Gottus *Theolog. tom. 10. quæst. 4. dub. 5. §. 2.* & *dub. 6. §. pariter 2.*

6. Ad rem præsentem optime id facit, quod legitur *lib. 4. Regum cap. 5. v. 18. & seq.* ubi cum Naaman mandato Elisei septies se in Jordane lavisset, reversus ad eum inquit: *Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur Dominus meus* (sermo est de rege Syriæ) *templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.* Super hoc scilicet Scripturæ textu non una est Interpretum sententia; Gregorius enim de Valentia *in tr. de Fide, & Fidei professione disput. 1. quæst. 3. col.* 357. censet a Naaman rem illicitam petitam fuisse, cooperationem videlicet idololatriæ Regis in adoratione idoli Remmon, Eliseum autem non annuisse, sed præmisisse; & *negative* se quoad eam habuisse, cum vidisset, suam correctionem tunc non fuisse profuturam; qua de causa eam ad aliud tempus distulit: ubi Calmet *in dissert. ad 4. lib. Regum pag. 599. & sequent.* innixus lectioni Textus Hebræi, & Syriaci putat, Naaman non futuri, sed præteriti criminis veniam postulasse. Verum, utcunque sit de hac interpretatione, retenta communi, & litteræ Vulgatæ versionis omnino congruente, ut Naaman videlicet minime præteriti, sed futuri actus veniam postulaverit; annotare opus est, nec Eliseum concessisse, nec Naaman ab eo petiisse, ut cum Rege Idolum adoraret; sed, cum esset famulus, & ad munus ejus spectaret Regem sustentare, etiam dum adoraret, dubitantem, an id sibi liceret, consilium petiisse ab Eliseo a quo responsum est: *Vade in pace*: id est ne anxius de hoc sis: & quidem prudenter. Si enim famulus solitus servire Domino Pagano tum intra, tum extra Templum in officio civili, in eodem officio serviat ei, dum est in Templo, &, ipso genua flectente, quia sic postulat officium suum, genua flectat, nullius criminis reus esse videtur; cum hoc sit adorare materialiter & improprie, non proprie atque *formaliter*; cumque sic agens non sit particeps idololatriæ, sed tantum spectator. Idem dubium sibi proponens Tertullianus *lib. de idolol. cap. 17. pag.* 244. inquit, *Quid facient servi, vel liberi Fideles, item Officiales sacrificantibus Dominis, vel Patronis, vel Præsidibus suis adhærentes?* Cui sic respondet: *Si merum quis sacrificanti tradiderit, imo si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ. Hujus regulæ memores etiam Magistratibus, & Potestatibus officium possumus reddere secundum Patriarchas, & ceteros Majores, qui Regibus idololatris usque ad finem idololatriæ apparuerunt.* Ponit autem exemplum de Josepho, & Daniele, quorum primus ut minister Regis Ægypti, secundus ut famulus Regis Babylonis ipsos Reges tum extra, tum intra templum comitabantur, & spectatores aderant sacrificiis sine ulla idololatriæ labe. A circumstantiis ergo negotium pendet, ut ipse Tertullianus bene adnotavit *c. 16.* ubi inquit: *Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriæ: si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii.* Late prosequitur Cornelius a Lapide *ad cap. 5. libri 4. Regum pag.* 420. ubi, postquam approbavit, quæ modo dicta sunt, subdit, SS. Sergium, & Bacchum Primicerios Maximini Imperatoris, eum comitantes Jovi sacrificaturum, januam templi ingredi noluisse, & ob id Martyrio fuisse coronatos, cum tunc asseclæ Imperatoris solerent thus thuribulo in honorem idoli injicere, & ejus idololatriæ cooperari, item Valentinianum militiæ Ducem, postea Imperatorem, qui honoris causa Imperatorem Julianum ad fanum idolorum fuerat comitatus, alapam Sacrifico idololatræ, qui eum roscidis quibusdam frondibus asperserat, impegisse, ac partem vestis, in quam asperginis illius gutta ceciderat, abscidisse; ideoque ob Christianam Fidem a Juliano militia exutum, & in exilium actum fuisse, postea vero ob hanc suam in Fide constantiam meruisse Juliano post Jovianum in Imperio succedere.

7. Ex virtutibus itaque Fidei aliæ sunt theoreticæ, aliæ practicæ. Theoreticæ sunt illæ, quæ hominibus notitiam Divinæ naturæ, Divinarumque perfectionum & attributorum præstant, eademque ratione notitiam Jesu Christi Filii Dei Salvatoris nostri afferunt. Ex his nempe componitur Fides credendorum; proinde si quis pro aliqua ex his moriatur, moritur pro Fide, & ideo etiam propter veram causam Martyrii. Inquit enim Christus Dominus *Matth. 10. v. 17.* loquens de Martyrio: *Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me.* Ubi particula *propter me* causam finalem indicat. Item Martyrium idem est, ac testimonium, & Martyr idem est, ac testis; cumque alicujus testimonium, quod per antonomasiam tale dicitur, versari debeat circa veritates, quæ eminenter sint tales, & per antonomasiam tales appellentur, & Fidei quidem veritates, quæ habentur in Scripturis a Deo revelatæ, per excellentiam habeant, ut tales sint, juxta illud *Joan. 17. v. 3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum*: in quibus scilicet Fidei

veri-

veritatibus nostra salus est reposita, quia Deo attestanti & revelanti innituntur, qui nec fallit, nec fallere potest, clarissime infertur, pro aliqua ex illis morientem vere Martyrem esse, & veram pro Martyrio causam in eo re ipsa adfuisse.

8. Aliæ veritates Fidei, quæ *practicæ* dicuntur, quæque Christianis regulas operandi præscribunt, in operatione consistunt; & hæ quoque sunt materia Martyrii. Quare qui moritur propter aliquem actum Christianæ virtutis, aut propter detestationem alicujus peccati, verus Martyr Christi est, cum teneatur Christianus non solum Fidem ore confiteri, sed etiam protestari eamdem Fidem per opera virtutum. Nimirum Christus Dominus inquit *Matth. 5. v. 10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Ibi quippe nomine *justitiæ* significantur opera virtutis, & observantia Divinorum mandatorum, cum justus in sacris Scripturis dicatur, qui bene operatur *loc. cit. v. 20. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*; & *cap. 6. v. 1. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Jam vero differentia intercedens inter veritates Fidei theoreticas, & practicas ea est, quod, licet utrumque earum genus credere, & confiteri publice debeamus, juxta illud Apostoli *ad Rom. cap. 10. v. 1. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; theoreticas tamen verbis tantum & ore confitemur, confessionem autem practicarum promere debemus nedum ore, sed etiam operatione; juxta illud Jacobi *cap. 2. v. 18. Ego ostendam tibi ex operibus Fidem meam*; & juxta aliud Apostoli *ad Titum cap. 1. v. 16. Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant.*

9. Ex hucusque dictis sua sponte descendunt probationes ceterarum rerum, quæ hujus capitis initio dictæ sunt. Colligitur enim, si aliquis moriatur, & mortem acceperit sibi a Tyranno inflictam, veritatemque Fidei theoreticam, aut practicam expresse profiteatur, & mortem quidem obeat, ne eam deserat, sed ad ulteriora progrediens id etiam faciat, ut sui nominis celebritatem apud posteros obtineat, vel ut cultum in Ecclesia militante post obitum habeat, & inter Martyres recenseatur, verum Martyrem profecto non esse. Christi quippe testis non est, & gloriæ cupidus a Christi præceptis recedit; nec ei favet oraculum Christi: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Sanctus Hieronymus in epistolam ad Galatas *cap. 5.* (*col. 517. tom. 7. oper.*) ad ea verba, *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, inquit: *Quod dudum timeo dicere, sed dicendum est, Martyrium ipsum si ideo fiat, ut admirationi & laudi habeamur a fratribus, frustra sanguis effusus est. Loquatur Apostolus ....: Si tradidero corpus meum, ut glorier, Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*; & *loc. cit. col. 499.* subdit: *Si ita Martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus Reliquias honorari: si opinionem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium, quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ*: quæ S. Hieronymi verba referuntur etiam *in can. 65. 1. quæst. 1.* De hoc pariter argumento aliqua a Nobis dicta sunt *lib. 1. cap. 37. num. 6.* & late prosequuntur Theophilus Raynaudus *in tract. de Martyrio per pestem par. 2. cap. 3. n. 9.* Auctor tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *part. 3. cap. 4.* Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. part. 2. tom. 3. disp. 20. art. 6. n. 86. & seqq.* & fuse ac optime Cardinalis Capisucchius *in controv. de Martyrio* §. *18. & 19.* ubi late ostendit, morientem argumento tantum inanis gloriæ, Martyrem esse non posse, cum actus ille non sit moraliter bonus, nec præmio dignus. Licet enim motus inanis gloriæ ex se sit tantum peccatum veniale, mortale tamen peccatum est mortem subire argumento dumtaxat inanis gloriæ.

10. Colligitur quoque, ad Martyrium non sufficere, si quis moriatur pro aliqua re, licet vera, sed sibi per lumen naturale proposita: ad Martyrium siquidem requiritur (uti dictum est) ut quis moriatur pro Fide Christi; atqui non moritur pro Fide Christi, qui mortem non acceptat ex causa per Fidem proposita. S. Thomas 2. 2. *quæst. 124. art. 5.* in quo quærit, *Utrum sola Fides sit causa Martyrii, in corpore* hæc habet: *Martyres dicuntur quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus usque ad mortem testimonium perhibent veritati .... quæ secundum pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Unde & Martyres Christi dicuntur, quasi testes ipsius*: cumque sibi *n. 2.* hoc argumentum opposuisset, *Martyr dicitur quasi testis: Testimonium autem non redditur, nisi veritati. Non autem aliquis dicitur Martyr ex testimonio cujuslibet veritatis, sed solum ex testimonio veritatis Divinæ: alioquin, si quis moreretur pro confessione veritatis geometricæ, vel alterius speculativæ scientiæ esset Martyr*; *quod videtur ridiculum*; sic eidem argumento respondet: *Ad secundum dicendum, quod veritas aliarum sententiarum non pertinet ad cultum Divinitatis, & ideo non dicitur esse veritas secundum pietatem: unde nec ejus confessio potest esse directe Martyrii causa.* Quocirca, si tempore, quo nonnulli dari Antipodas, nonnulli non dari, asserebant, juxta relata per Cardinalem de Noris *in vindiciis Augustinianis cap. 4.* §. *8.* aliquis Christianus mortuus esset pro opinione Antipodas admittente, quod est idem, ac dicere pro vera sententia, ex defectu sufficientis causæ ad Martyrium Martyr minime fuisset. Difficultas autem sola esse potest de aliquibus veritatibus naturalibus, quæ connexionem habent cum Fide: cujusmodi est exempli gratia propositio hæc, *Deus est*, juxta nonnullos naturaliter per se nota; itemque *hominis anima est immortalis*: plerique enim contendunt, animæ immortalitatem rationibus naturalibus comprobari: unde summus Pontifex Leo X. in sua Constitutione *6. Apostolici regiminis* (*Bullar. Rom. tom. 3. par. 3.*) Philosophis legentibus in Universitatibus studiorum generalium, & alibi mandavit, ut ex principiis etiam philosophicis, quantum possent, probarent animæ rationalis immortalitatem. Veritates scilicet istæ connexionem habent cum pietate, & cultu Divinitatis. Quamobrem rationabiliter dubitari posse videtur, an moriens pro his veritatibus sibi naturaliter notis Martyr esse queat. Negant nonnulli: ut enim aliquis pro hisce veritatibus moriens inter Martyres recenseatur, non satis est, ut pro illis sibi naturaliter notis moriatur, sed oportet, ut mortem subeat propter eas tanquam a Deo per Fidem revelatas, uti docent Lessius *de just. & jur. lib. 3. cap. 1. n. 37.* ac Verricellus *de Apostol. Mission. tit. 1. quæst. 29. n. 7.* Verum in ipso rei eventu res eadem esset maturius examinanda. Demonstrabile quippe est, si non a priori, uti loquuntur, saltem a posteriori, atque ab effectu, Deum esse; & quidem Deum esse, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, non sunt articuli Fidei, sed *præambula* ad ipsos articulos, uti docet D. Thomas *1. part. quæst. 2. art. 2. ad primum.* Attamen, si Philosophus Christianus pro hac veritate sibi nota lumine naturæ mortem subiret, non ita facile excludi posse videretur ex Martyrum classe; nempe quia veritas illa est ad Fidem relata, & ad eam *præambula.*

11. Colligitur item, Martyrem non esse, qui moritur pro aliqua veritate sibi uni revelata. Hurtado *in resolut. de vero Martyrio resolut. 25.* §. *5. pag. 60.* inquit, se hanc controversiam excitasse a nullo alio Scriptore propositam, quam sic resolvit. Dicit itaque, quod, si veritas revelata opponatur moribus, aut regimini universalis Ecclesiæ, aut aliquam contineat dispensationem divinitus factam ab aliqua lege Canonica pro particulari persona, qui moritur pro defensione hujusce revelationis, non est Martyr Christi, sed diaboli: cum regimen Ecclesiæ, & mores sancti in eam introducti, & vigor legis Canonicæ perseverare debeant; atque adeo, quidquid eis contrarium est, introduci nequeat, aut suaderi ut introducatur, nisi a summo Pontifice approbetur. Quod si revelatio respiciat aliquam veritatem particularem, puta aliquod mysterium occultum numquam antea patefactum, ait, morientem pro hujusmodi revelationis defensione occumbere quidem pro veritate a Deo revelata, & ideo posse esse Martyrem coram Deo, sed non coram Ecclesia, antequam Ecclesia eam revelationem approbaverit. Ut autem hæc assertio Hurtadi recipi possit tanquam probabilis, explicanda erit, ut procedat de revelationibus, in quibus adsunt omnes circumstantiæ ostendentes, eas a Deo provenisse: si etenim circumstantiæ desint, nemo est qui dicere possit, morientem esse Martyrem coram Deo, etsi non coram Ecclesia; alias irreparabilis aperiretur via Hæreticis, & aliis male sentientibus, qui dogma, pro quo moriuntur, asserentes sibi revelatum, se Martyres esse contenderent, saltem coram Deo, licet non coram Ecclesia. Resumi hic possunt ea, quæ a Nobis tradita sunt *lib. 2. c. 32.*

12. Colligitur insuper Martyrem non esse, qui moritur pro opinione, aut sententia adhuc ab Ecclesia non definita. Licet enim, cum summi Pontifices aliquam veritatem ad Fidem pertinere definiunt, novos Fidei articulos non condant, sed veritates illas jam divinitus revelatas, quæ non ita perspectæ & cognitæ Fidelibus erant,

vel

vel quæ hæresibus videbantur obscuratæ, suæ luci reddant, & Fidelibus credendas proponant; probabilitas tamen speculativa rei adhuc non definitæ immota perseverat, & inconcussa usque ad Ecclesiæ definitionem. In quo rerum themate, quemadmodum moriens ante definitionem ex alibi dictis hæreticus non est, licet sententiam docuerit postea ab Ecclesia reprobatam; ita moriens ante definitionem pro sententia subinde ab Ecclesia definita, moriuus pro Fide apte sibi divinitus revelata dici non potest, & ideo inter Martyres nequit recenseri. Huc pertinet controversia, quæ inter Auctores agitur, an moriens pro sententia, quæ astruit, Beatissimam Virginem Mariam singulari privilegio a peccato originali in sua conceptione fuisse servatam, inter Martyres sit recensendus. Multa etenim sunt, quæ pro sententia pugnant, quæ Martyrio favet; quorum primum est, certam esse Romanorum Pontificum, & Ecclesiæ propensionem erga prædictam sententiam, uti probatum est *lib. 1. hujus Operis cap. 42. n. 14.* quo posito concludit Granado *tom. 1. in 3. part. controv. 2. de gestis Christi tract. 1. disput. 3. sect. 31. art. 353.* hoc modo: *Manifestum judicabit saltem esse magis probabile, magis verisimile, ac magis pium, Beatam Virginem Mariam fuisse ab originali præservatam, unde qui mortem subiret pro tuenda majori pietate, aut majori probabilitate hujus doctrinæ, Martyris laureolam obtineret.* Et paulo post: *Cum ex sectione præcedenti sit satis probabile hisce nostris sæculis, moraliter esse certam & evidentem sententiam, quæ Beatæ Virginis immunitatem affirmat, ille, qui prudenter crederet, se hanc evidentiam fuisse consecutum, verus Martyr esset, si mortem subiret pro tuenda veritate speculativa immaculatæ Conceptionis. Probatur, quia iste prudenter existimat, sibi certam esse hanc veritatem: sed omne judicium certum de veritate, præsertim ad Dei honorem pertinente, est vera virtus, ut patet ex materia de virtutibus: ergo qui pro eo judicio retinendo subiret mortem, occideretur pro actu virtutis, & consequenter Martyrio coronaretur.* Concordantque Theophilus Raynaudus *in tract. de Martyrio per pestem par. 2. cap. 3. num. 18.* Silvester de Saavedra *tom. de sacra Deipara, disput. ultim. n. 470.* & Joannes de Andrada Septensis *in apolog. pro vero & proprio Martyrio per pestem n. 10. pag. 221. inter opera* Theophili Raynaudi *tom. 20.*

13. Alterum est, ut iidem Auctores prosequuntur, inter Martyres ab Ecclesia recenseri, qui occisi fuerunt a Tyranno, vel quia sententiam magis piam & religiosam sequebantur, vel quia omittere nolebant alicujus actum virtutis, a quo tamen poterant sine peccato cessare. Exemplo sint, qui occisi sunt, eo quia, cum essent Artifices, renuerunt idola fabricare, aut thura vendere idololatris sacrificaturis; tum earum Virginum, quæ, quam nubere, mori maluerunt. Id quippe suadere videtur, Martyrem esse, qui pro prædicta sententia magis pia & religiosa moriatur, etiamsi contraria sententia damnata non sit, eamque sine labe peccati, qui moriturus est, ut mortem evadat, amplecti possit. Sic argumentatur Joannes Baptista Pazo apud Hurtado *loca infra citando num. 2.*

14. At alia sunt, quæ oppositæ favent opinioni, ut Martyr non sit, qui moritur pro sententia, quæ astruit, Beatam Virginem singulari privilegio a peccato originali in sua conceptione fuisse servatam. Fundamentum potissimum in eo est, quod controversia ab Ecclesia adhuc definita non sit. Quare Alfonsus de Castro *lib. 1. de justa Hæreticorum punitione cap. 8. dubit. 4. tom. 2.* sic loquitur: *Ego quidem, Virginem Deiparam sine peccato originali conceptam fuisse, credo, quia hoc magis pium est, & magis dignitati Matris Dei conveniens, & Filii ejus totius generis humani Redemptoris dignitati & excellentiæ nec pilum detrahens: attamen non tam firmo animo hanc teneo sententiam, ut illam putem esse Fidem Catholicam; atque ideo pro hujus sententia tutela non libenter cervicem gladio ponerem.* Eumque sequitur Pritanius *de ingenior. moderat. lib. 2. cap. 6. pag. 269.* *Satis quibusdam non fuit calamo, & rationibus immaculatam Deiparæ Conceptionem tueri, quod procul dubio cum vera pietate consonat. Nescio quid etiam illustrius invenisse sibi sunt visi, quo suum in Virginem testarentur obsequium. Sacramento videlicet sese obstrinxerunt, atque voverunt, se pro hujusmodi opinione tuenda sanguinem, & vitam daturos, quoties occasio posceret. Novitium certe Martyrum genus &c. Non pro opinionibus nostris, sed pro divinitus revelatis, Legibusque sanctissimis profundendus est sanguis.* Addendum vero, quod antequam controversia ab Ecclesia definita sit, ille, qui tuetur Beatissimæ Virginis immunitatem a peccato originali in sua conceptione, non potest non habere, immo tenetur habere formidinem de opposita sententia: ex quo nimirum infertur, morientem ob dictam caussam Martyrum catalogo non esse adscribendum; uti late prosequitur Hurtado *in resolut. de vero Martyrio, resol. 25. §. 5.* Neque enim vis ulla constitui potest in his, quæ pro Martyrio allata sunt. Nemo siquidem non videt, eos, qui fuerunt occisi, quod renuerint fabricare idola, aut thura vendere, recte inter Martyres fuisse recensitos; & in eamdem quoque classem juste relatas fuisse Virgines, quæ pro servanda virginitate mortuæ sunt; cum hæ quidem vel ut promissam Deo virginitatem servarent, vel ut errori damnantium virginitatem adversarentur, mortuæ sint; uti bene perpendit Cardinalis Capisucchius *in cit. controv. de Martyrio §. 17. vers. Sed ulterius*; illi autem obierint, ne peccato idololatrarum cooperarentur; quare ait Tertullianus *lib. de idololatria cap. 6. Potest lingua negasse, quod manu confiteris? .... Facio (ait quidam) sed non colo .... Imo tu colis, qui facis ut coli possint.* Abulensis *in cap. 32. Exodi quæst. 33.* loquens de fabricatione Vituli facta ab Aaron inquit: *Hoc autem peccatum licet aliquo modo esset idololatria, in quantum permittebat idololatriam, & dabat occasionem perficiendi idololatria jam cœptæ: tamen non erat idololatria vera.* Concordat S. Thomas *2. 2. quæst. 169. art. 2. ad quartum*, ubi docet, si qua ars sit ea faciendi, quibus homines uti non possint sine peccato, consequens esse, ut Artifices talia faciendo peccent, utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi, puta, si quis fabricaret idola, vel aliqua ad idololatriam pertinentia. Pluraque alia collecta legi possunt apud Verricellum *de Apostol. Mission. tit. 1. de Fide quæst. 34.* ex quibus omnibus infertur, allata exempla nihil habere commune cum re, de qua nunc agimus.

15. Apud Carenam *in tract. de officio sanctissimæ Inquisitionis tit. 17. §. 11.* hæc alia habentur: *Propositio cujusdam, qui dixerat, quod, licet articulus Conceptionis non esset de Fide, erat tamen de pertinentibus ad Fidem, quodque, qui pro eo moreretur, esset vere Martyr, fuit damnata a supremis Inquisitoribus in Portugallia, annuente Sanctissimo Paulo V. anno* 1619. De eadem re loquitur Portel. *in dub. regular. in verb. Conceptio Deiparæ, num. 6.* qui prædictam propositionem, annuente summo Pontifice, ab Inquisitore Portugalliæ damnatam, testatur his verbis fuisse expressam: *Festum Conceptionis immaculatæ, etiam in particularibus ecclesiis, inconsulto Pontifice, quondam institutum, sic ejus immunitatem ab originali convincit, ut ei falsitas subesse non possit. Unde, quamvis eam de Fide institutio hujusmodi festi definire non potuerit, inter veritates tamen ad Fidem pertinentes collocavit. Quare verum subiret Martyrium, qui pro defensione ejus moreretur.* Porro subdit, eam merito fuisse proscriptam, tum quia docet, falsum subesse non posse sententiæ de immunitate Deiparæ ab originali peccato; tum quia unum & idem est, aliquam sententiam esse collocatam inter Fidei veritates, & esse de Fide; tum etiam quia, si propositio de Fide non est, Martyr esse non potest, qui moritur pro illa nondum uti de Fide ab Ecclesia definita. Denique in correctione libri sæpe citati Theophili Raynaudi *de Martyrio per pestem* demandata a sacra Congregatione Indicis ita legitur apud eumdem Theophilum *oper. tom. 20. pag. 256.* *Expungatur id, quod Auctor scribit, eum futurum Martyrem, cui mors intentaretur, si piam sententiam de conceptione Beatæ Mariæ Virginis immaculata improbaret, isque mallet mortem prius acceptare eam ob caussam, & re ipsa eam exciperet.* Veruntamen, uteunque sit de hac controversia, quam sapientiorum judicio definiendam relinquimus, tutam omnino dicimus in aliis casibus regulam, ut moriens pro quæstione adhuc ab Ecclesia non definita non moriatur pro caussa, quæ ad Martyrium sufficiat. Legi possunt opera quædam post primam hujus Operis editionem conscripta, Antonii Lampridii, Candidi Parthenotimi, Laurentii Mighaccii, Berti *de Theologicis disciplinis tom. 6. lib. 31. cap. 24. num. 2.* in quibus utrinque strenue pugnatur pro, & contra votum sanguinem emittendi pro opinione, quæ favet immaculatæ Virginis conceptioni.

16. Colligitur præterea, Martyrem non esse, qui mortem subit ex ratione philosophice duntaxat bona. Victor Vitensis *lib. 5. Persecutionis Vandalicæ pag. 693. tom. 8. Biblioth. Patrum* agens de cruciatibus a servo nobilis Tuburbitani pro servando amici secreto exceptis, inquit, Martyrem eum non fuisse, cum ductus fuerit ad eosdem cruciatus excipiendos sola civili honestate, quæ in

tena-

tenaci arcanorum amici custodia invenitur. Nec mirum: sic enim moriens non moritur ob causam sibi per Fidem propositam, nec ob aliquid supra naturam disponens ad gratiam sanctificantem; sicuti late prosequuntur Raynaudus *in cit. cap. 3. n.* 10, Maurus *tom. 3. Theolog. lib. 11. quæst. 95. sub n. 4.* Cardinalis Capisucchius *in controv. de Martyrio* §. 20. Concordat Vasquez *in 3. part. D. Thomæ tom. 2. q. 68. art. 3. disp. 153. cap. 6. in fin*, ubi agens de moriente ob solam honestatem virtutis, inquit: *Censendus tamen non esset Martyr, nec ut talis colendus, qui nullo modo indicaret, se pati propter Christum & Deum ex affectu charitatis erga ipsum, sed propter honestatem solam virtutis.*

17. Colligitur ultimo, Martyrem non esse, qui moritur, ut punctum aliquod, sive articulum falsum tueatur, sed quem ipse putat invincibiliter esse verum, & ad Fidem Christianam pertinere. Casus dari potest in Rustico Catholico, qui Parocho, vel Episcopo credat proponenti aliquem articulum tanquam de Fide Divina credendum, cum re vera ita non sit, quin etiam error id sit, quod sibi uti Fide Divina credendum a Parocho, vel Episcopo propositum est. Porro, si Rusticus invincibili ignorantia laboret, & consequenter judicet, propositionem esse de Fide Divina, obligatur ad credendum eo modo, quo credere teneretur Fide infusa veros articulos sibi sufficienter propositos, atque adeo pro ejus defensione tenetur mortem subire toto tempore, quo ignorantia invincibilis perseverat. Quibus præmissis, quæritur, an, si pro illo falso articulo moriatur, Martyr sit. Affirmanter utique respondet Raynaudus *loc. cit. n.* 14. *& plurib. seqq.* at negans opinio tutior esse videtur. Martyr enim est, qui occumbit pro confessione veræ Fidei Divinæ, non pro confessione Fidei humanæ, & acquisitæ: moriens autem pro dicto articulo non moritur ob confessionem Divinæ, sed humanæ Fidei, cum habitus infusus Fidei virtus sit intellectualis, verum attingens ita, ut ad actum falsum pertingere nullo modo possit; sicuti late prosequuntur Hurtado *loc. cit.* §. 3. Verricellus *de Apostol. Mission. tit. 1. quæst.* 29. Cardinalis Capisucchius *in controvers. de Martyrio* §. 16. *vers. Igitur.* Itemque simile judicium ferendum est de illo, qui renuit aliquid facere putans invincibiliter, id esse peccatum, licet re vera peccatum non sit: si enim hic ob eam causam moriatur, meritum sane consequitur, sed Martyr nequaquam est; cum virtus, pro cujus defensione quis moriens inter Martyres recensetur, debeat esse virtus certa & omnino indubitata, cui ex parte materiæ, vel objecti falsum subesse non possit; sicuti prosequitur Portel. *in dub. regular. in verb. Conceptio Deiparæ, n.* 7.

CAPUT VIGESIMUM.

De falsis Martyribus Hæreticorum, & Schismaticorum.

1. LIM Marcionitæ, Novatiani, Ariani, Donatistæ de multitudine Martyrum suorum glariabantur: & de Priscillianistis quidem ita legitur apud Sulpicium Severum *lib. 2. sacr. hist. cap. 51. num.* 7. *Ceterum, Priscilliano occiso, non solum non repressa est hæresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata latius propagata est; namque sectatores ejus, qui eum prius Sanctum honoraverant, postea ut Martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quin & jurare per Priscillianum summa religio putabatur.* Sed & de Martyrum suorum multitudine nostri temporis Hæretici sibi plaudunt. De similibus autem Martyribus sic eleganter loquitur Cardinalis Baronius *in præfat. ad Martyrol. cap.* 10. *Habent vespæ, sicut & apes, favos suos: quæ, etsi in cellularum constructione illas omnino imitari videntur, tamen non, sicut illæ, in unam eamdemque domum conveniunt; carent enim alvearia, quia nesciunt unitatem, nec insuper mel, quod illuc inferant, habent: ac, licet favum summo labore confecerint, cellulas cellulis intexendo, tamen inanis, aridus, ac melle vacuus semper esse conspicitur.* Apostolus ipse rem hanc definivit, ubi de se scribit *ad Corinth. 1. cap. 13. v. 3. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* quod desumpsit ex Lege Christi apud Lucam *cap. 11. Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit.* Suffragantur Ecclesiæ Patres. Augustinus videlicet sexcentis in locis contra Donatistas, Joannes Chrysostomus, Hieronymus, & Cyprianus. Hic enim *in epist. 52. ad Antonianum col.* 153. ita inquit: *Si ab Ecclesia dure & crudeliter segregatus ad Gentiles se vias & sæcularia opera convertat, vel ad Hæreticos, & Schismaticos rejectus ab Ecclesia transeat, ubi, etsi occisus propter nomen, postmodum fuerat extra Ecclesiam constitutus, & ab unitate atque a charitate divisus, coronari in morte non poterit.* Et *col.* 158. in fine: *Apostatæ vero, & Desertores, vel Adversarii, & Hostes, & Christi Ecclesiam dissipantes, nec, si occisi pro nomine foris fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem, quando nec Spiritus, nec Ecclesiæ tenuerunt unitatem.* Et rursus *in epist. 54. ad Cornelium Papam col. 172. Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium.* Et ad eumdem *epist. 57. col. 206. Non est, quod sibi quasi in confessione nominis blandiatur, cum constet, si occisi ejusmodi extra Ecclesiam fuerint, Fidei coronam non esse, sed pœnam potius esse perfidiæ, nec in domo Dei inter unanimes habitaturos esse, quos videmus de pacifica & Divina domo furore discordiæ recessisse.* Quæ quidem, atque alia Patrum testimonia erudite collecta legi possunt apud Cardinalem Baronium *loc. cit.* apud Alanum Copum *dialog. 6. cap. 4.* apud Molanum *cap. 10. in præfat. ad Martyrol. Usuardi.* Præterquamquod ipsi Martyres Christi maximopere curarunt a falsis Hæreticorum Martyribus discerni, ut ex Clemente Alexandrino observat Eusebius *lib. 5. historiæ cap. 16. pag. 232. Quotiescumque Ecclesiæ viri ad Martyrium pro vera Fide subeundum vocati una cum quibusdam de Phrygum hæresi, qui Martyres dicuntur, casu quodam coierint, semper ab illis dissentiunt: & communionem eorum sollicite vitantes, gloriosum Martyrii exitum consequuntur.* Tum subjicit: *Atque id verum esse constat ex iis, quæ nostra ætate in urbe Apamea, quæ ad Meandrum sita est, gesta sunt a Cajo, & Alexandro Martyribus oriundis Eumenia.* Huc quoque spectat canon 34. Synodi Laodicenæ *col. 788. tom. 1. collect. Hard.* ubi anathemate feriuntur, qui ad Hæreticorum Martyres confugiunt.

2. Hæresi affine est schisma, non solum quia ex schismate ut plurimum hæresis consurgit, teste S. Hieronymo *in epist. ad Titum cap. 3. (col. 738. tom. 7. oper.) Ceterum nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur*, sed etiam quia, etsi schisma hæresim comitem non habeat, ipsa sola separatio ab unitate capitis Ecclesiæ satis est, ut extra unitatem moriens inter Martyres recenseri non possit. *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam*; verba sunt epistolæ Synodalis Concilii Zertensis *col. 2003. tom. 1. collect. Hard.* quam S. Augustinus a se dictatam cognoscit. Idem S. Augustinus *de Fide, & Symbolo cap. 10. (tom. 6. oper. col. 161.)* ait: *Credimus & sanctam Ecclesiam, utique Catholicam; nam & Hæretici, & Schismatici Congregationes suas Ecclesias vocant. Sed Hæretici, de Deo falsa sentiendo, ipsam Fidem violant. Schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec Hæretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum, nec Schismatici, quoniam diligit Proximum:* itemque, quod attinet ad Martyrium, *lib. 1. contra Donatistas cap. 4.* inquit: *Schismatici Martyrium nec præmium quidem habet, sed est pœna supplicii.* Concordat Optatus Milevitanus *lib. 3. contra Parmen. n. 8. pag. 65. Probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fundamenta Martyrii ... nulla igitur est excusatio, quia Charitatem illos non habuisse manifestissime constat, sine qua nullum nec nominari potest, vel esse Martyrium.* S. Cyprianus *locis alleg.* æque loquitur de Hæreticis, & de Schismaticis; sed in libro de unitate Ecclesiæ *col.* 398. de Schismaticis tantum sermonem habet: *Quis ergo sic est sceleratus & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei?* Et *col. 401. Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur &c. Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa Fidei corona, sed pœna perfidiæ.* Et de Hæreticis, & Schismaticis hæc habentur in *cap. Firmissime, de Hæreticis*, quod est desumptum ex Fulgentio *de Fide ad Petrum c. 39. p.* 82.

(tom.

(*tom. 9. Bibliot. Patrum*): *Firmissime tene, & nullatenus dubites quemlibet Hæreticum, sive Schismaticum ... etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari .... quamdiu in eo hæretica, vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.* Ad hæc hospes profecto esset & peregrinus in historia Ecclesiastica, qui schisma Novati adversus S. Cornelium summum Pontificem ignoraret. Novatus scilicet ille est, qui aliquando Novatianus appellatur, de quo S. Pacianus Episcopus Barcinonensis, qui epistolas scripsit adversus Novatianos, *epist. 2. ad Sympronianum* (*Biblioth. Patrum tom. 4. pag. 308. in fine*) ita ait: *Porro, etiamsi passus est aliquid Novatianus ... etiamsi occisus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse, qui Martyr est.* Quod si vitam profundere, ne schisma oriatur, vel ut excitatum de medio tollatur, causam constituit sufficientem ad verum Martyrium, quemadmodum colligitur ex epistola Dionysii Alexandrini ad Novatum *apud Eusebium histor. Eccles. lib. 6. cap. 45. pag. 318. Si quidem invitus ut asseris, eo adductus es, id nobis ostendes, tua sponte redeundo. Satius quidem fuerat quidvis pati, ne Ecclesia Dei discinderetur. Nec minus gloriosum fuisset idcirco subire Martyrium ne Ecclesiam scinderes, quam ut ne idolis sacrificares: immo illud, meo quidem judicio, illustrius fuisset. Hic enim pro sua unius anima, illic pro omni Ecclesia Martyrium quis sustinet*; & ex Ennodio, qui dignos asserit Martyrii corona occisos ab asseclis Laurentii, quos S. Symmacho legitimo Pontifici adhærentes inveniebant; necnon etiam ex Ecclesiæ Constantinopolitanæ judicio, quæ tanquam Martyres venerata est Clericos a Schismaticis necatos tempore S. Joannis Chrysostomi, sicuti fuse habetur apud Cardinalem Baronium *ad an. 502. num. 13.* unusquisque facili negotio colligere poterit, extra unitatem Ecclesiæ, & in schismate Martyrium esse non posse, etsi Schismatici adhuc hæretici facti non fuerint.

3. Verum, ut clarius materia hæc explicetur, operæ pretium est casum a casu secernere: vel enim Hæreticus moritur, ut suam hæresim tueatur; vel moritur pro vero articulo Fidei Catholicæ, puta, si Calvinista moriatur pro Divini Filii *consubstantialitate*, in qua ipse a Catholicis non discordat. Si loquimur de Hæretico moriente pro suæ hæresis defensione, clarum est, eum in teterrimo peccato mori, ejusque mortem infeliciorem esse morte homicidæ, & rei læsæ majestatis; cum hic ut plurimum moriatur improbitatem suam detestans, & excusationem petens ab errore, stultitia, cæcitate, humana prolapsione, injuria accepta, ebrietate, & similibus; ille autem gravissimum scelus moriendo insolenter defendat, & maximum diabolicæ pertinaciæ specimen præ se ferat, quemadmodum bene prosequitur Alanus Copus *dialog. 6. cap. 5.* Addendum, quod Hæreticus moriens vel moritur recognoscendo suum errorem, & confitendo delictum; & tunc potius præbet testimonium veritati, quam errori; non tamen per Martyrium, sed per piam & justam confessionem, ac pœnitentiam: vel moritur negando delictum, & ore tantum Fidem confitendo; tuncque Martyr non est veræ Fidei, quam non credit, nec est testis sui erroris, quem ore non confitetur: vel denique moritur propter pertinaciam in suo errore, eligens potius mori, quam illum retractare; & talis mors Martyrium esse non potest, cum sanguis non effundatur pro Christo, nec mortis acceptio a pia & recta voluntate proveniat, quam verum Martyrium exposcit. Legi potest Suarez *in defens. Fidei Catholicæ lib. 1. cap. 20.* Præterquamquod inutile videri potest, alia ad rem, de qua nunc agimus, afferre, cum ipsimet Hæretici, & signanter Auctor historiæ Calvinismi, sive apologiæ Reformatorum *Roterodami edita an. 1683. part. 1. cap. 11.* conceptis verbis fateatur, Hæreticum propter hæresim morientem, in crimine mori, & tantum probare conetur, Calvinistas mortem subeuntes, ne Calvini dogmata deserant, non mori propter hæresim. Si vero sermo transferatur ad Hæreticum morientem pro veræ Fidei Catholicæ articulo, idem judicium de eo ferendum est, ac de Hæretico pro sua hæresi moriente, eum videlicet pro Martyre haberi non posse: licet enim pro veritate occumbat, non occumbit tamen pro veritate sibi per Fidem proposita, cum Fide careat. Patrum testimonia collecta legi possunt apud Pamelium *ad epist. 52. S. Cypriani num. 50.* & apud Theophilum Raynaudum *in tract. de Martyrio per pestem part. 2. cap. 4.* & huc quoque respiciunt verba Patrum in superioribus relata, qui Martyrium negant Hæreticorum, *etiamsi propter nomen* fuerint occisi. Mori quippe *propter nomen* idem est, ac mori pro vero Fidei articulo: meritoque idcirco subdit Alanus *cit. dialog. 6. cap. 7.* æqualem profecto utriusque morientis esse damnationem, etsi mitius in Inferis torquendus, qui pro vero articulo moritur, quam qui pro hæresi occumbit: *Æqualem esse utrisque damnationem, jam antea ex Cypriano, & Augustino docui, hoc est utrosque a regno & facie Dei prorsus ad pœnam æternam excludi. Non negarim tamen, forte non æqualem esse utrisque pœnæ cumulum, quæ singulis pro delicti ratione intenditur, aut remittitur; ut mors ab Hæretico suscepta non tollat, sed æternas tamen pœnas alleviet & mitiget, damnationemque ipsam tolerabiliorem faciat, quam si Christum negaret, aut pro hæresi pertinacius ultimo supplicio afficeretur.* Docuit quidem Durandus *in 3. sent. dist. 23. quæst. 9. n. 8.* Hæreticum negantem unicum articulum Fidei retinere habitum Fidei supra naturam, saltem informem: verum id communiter rejicitur a ceteris Theologis, duce D. Thoma *2. 2. quæst. 5. art. 3.* ubi propositæ quæstioni, *Utrum, qui discredit unum articulum Fidei, possit habere Fidem informem de aliis articulis*, respondet: *Quod in Hæretico discredente unum articulum Fidei, non manet Fides neque formata, neque informis .... Formale autem objectum Fidei est Veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex Veritate prima. Unde, quicumque non inhæret, sicut infallibili & Divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex Veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum Fidei, sed ea, quæ sunt Fidei, alio modo tenet, quam per Fidem &c. Manifestum est autem, quod ille, qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tamquam infallibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet. Alioquin, si de his, quæ Ecclesia docet, quæ vult, tenet, & quæ non vult, non tenet, non jam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati &c. Unde manifestum est, quod talis Hæreticus circa unum articulum Fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem.* Ex qua porro D. Thomæ doctrina Theologi communi etiam calculo docent, Hæreticum pro vero articulo Fidei morientem, utpote Fide & informi, & formata carentem, Martyrem esse non posse; Suarez *in cit. oper. de defens. Fidei Cathol. lib. 1. cap. 20. num. 5.* Vasquez *in 3. part. D. Thomæ tom. 2. qu. 68. art. 3. disput. 154. cap. 6.* Alanus Copus *cit. dialog. 6. cap. 7.* Theophilus Raynaudus *in tract. de Martyrio per pestem par. 2. c. 4. n. 3.* Maurus *Theol. t. 3. l. 11. qu. 96. n. 2.* Cardinalis Capisucchius *in controv. de Martyrio §. 20. v. Eadem ratio est*, Cardinalis Gottus *Theol. tom. 13. qu. 2. dub. 3. §. 2. v. Nec etiam erit Martyr*, & fuse Verricellus *de Apostol. Mission. tit. 1. qu. 27.* Sola autem, quæ inter eos superest disputatio, in eo residet, an invincibiliter Hæreticus, si pro vero Fidei articulo moriatur, sit vere Martyr: cui quidem respondere consuevit, eum Martyrem esse posse coram Deo, sed non coram Ecclesia. Asserunt nempe, Martyrem esse posse coram Deo, ex illo Joannis 15. v. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent:* dummodo tamen Hæreticus ille moriens pro vero articulo sit habitualiter (ut ajunt) dispositus ad omnia credenda, quæ sibi proponerentur a legitimo proponente. Martyrem deinde dicunt non esse futurum coram Ecclesia, cum Ecclesia non judicet de internis, sed de externis ac sensibilibus, ipsaque ab hæresi externa conjecturam inferat & præsumptionem hæresis internæ; quemadmodum late docent Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. part. 2. tom. 2. disput. 20. art. 10. n. 167. & seqq.* & Verricellus *de Apostol. Mission. cit. tit. 1. quæst. 28.* Nec enim urgent Sanctorum exempla, quos Ecclesia colit tanquam Martyres, utpote pro Fide mortuos, licet aliquid docuerint Fidei Catholicæ adversum, de quibus late Baillet *in præfat. ad vitas SS. §. 89.* Ut enim ipse *in notis num. 31.* bene animadvertit, id intelligendum est de Sanctis, qui ante Ecclesiæ definitionem aliquid docuerunt, quod post eorum mortem ab Ecclesia tanquam hæreticum & erroneum damnatum est; inter quos eminet S. Cyprianus, de quo alibi locuti sumus, ut etiam recte adnotavit Estius *in 3. lib. sent. dist. 23. §. 13. Diligenter in primis distinguendum est inter eos, qui, retenta generali promptitudine credendi quidquid Ecclesia Catholica credit, per ignorantiam tamen in quibusdam Fidei dogmatibus errant, propterea quod nondum satis declaratum iis sit, ita Ecclesiam credere, & eos, qui, post manifestatam sufficienter Ecclesiæ doctrinam, adhuc ab ea, vel contrarium asserendo, vel certe dubitando, dissentire eligunt, quod Hæreticorum est proprium. Nam de illis prioribus facilis est responsio, eos veræ Fidei communionem cum reliquis Catholicis habere*

in ea parte doctrinæ Catholicæ, de qua, quod verum est, tenent &c. de quorum numero fuit Cyprianus. Ab his, inquam, exemplis nihil inferri potest adversus ea, quæ hactenus dicta sunt, quippe quæ sibi locum vindicant quoad eos, qui *formaliter* Hæretici sunt, cum pro vero Fidei articulo mortem subeunt.

4. Hæreticorum mos est sua *Pseudomartyrologia* replere etiam nominibus illorum, qui sectæ ipsis contrariæ adhæserunt. Molanus id refert *in præfat. ad Martyrologium Usuardi cap.* 10. *Audio enim, in eis recenseri non unius tantum hæreticæ sectæ Pseudomartyres, sed ad unam usque omnium, quæ hoc tempore Romanam Ecclesiam obscurare conantur*. De Foxi mendaci Martyrologio sic loquitur Alanus Copus *in cit. dialog.* 6. *cap.* 16. *pag.* 820. *Hic promiscue video, non solum Zuinglianos, Lutheranos, Anabaptistas, aliosque Hæreticos, sed & in quos propter furtum, atque sacrilegium, propter magiam, & damnatas artes, propter læsam denique majestatem capitali pœna animadversum est, sanctissimorum Christi Martyrum locum occupare*. Et *pag.* 822. *Sed quis unquam crederet, Joanni Weseliano, qui negavit, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere, quod nec Foxus diffiteri poterit, locum in hoc catalogo datum iri? Quid, quod non solum Petrus, homo Germanus (quem Foxus ipse non negat, Christum nihil carnis ex Maria matre sumpsisse, solitum asserere), sed & Coubrigius, qui ne Christi quidem nomen ferre poterat, hic quasi in honorata quadam Martyrum sede, explosis Sanctis, & veris Dei Martyribus, Tharaco, Probo, & Andronico, collocantur?* Maimbourg. *in historia Calvinismi lib.* 1. *ad ann.* 1535. *pag.* 33. id ipsum adnotavit, a Calvinistis videlicet inter Martyres recenseri etiam eos qui sunt alterius sectæ, quam ipsi damnant; certum quippe est, Martyrum catalogo ab eis adscribi Joannem Hus, qui in sacramento Eucharistiæ *transubstantiationem* confessus est, quam ipsi negant. Quamvis enim Auctor supra citatæ apologiæ Reformatorum *part.* 1. *cap.* 12. impudenter respondeat, sibi, & suis satis esse, Joannem Hus adversus Romanam Ecclesiam fuisse debacchatum, ut inter Martyres recenseri possit; nemo tamen est qui non videat impudentem hominis stultitiam, qui tali furore abreptus est, ut Joannem putet a se, & suis in gravissimo articulo dissidentem ex hoc solo Martyrem esse, quod cum ipso, & suis concordat in odio irrationabili & impio adversus Romanam Ecclesiam, Romanumque Pontificem. Jacobus Apostolus inquit *cap.* 3. *v.* 10. *& seq. Quicumque autem totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor Legis*. Ideoque, quemadmodum quicumque ex Charitate totam Legem servavit, si postea offendat in uno, Charitatem amittit, & consequenter alia, quæ servat, non servat ex habitu Charitatis, cum Charitas consistat in dilectione Dei ex toto corde, atque in obedientia perfecta erga illum; sic qui omnia alia credit, sed unum aliquid non credit a Fide præscriptum, habitum Fidei supra naturam amittit, atque adeo quæ credit, non credit ex Fide infusa & supra naturam, cum Fides in uno consistat, scilicet in credendo omnia a Deo revelata in Scripturis secundum Ecclesiæ interpretationem.

5. Hactenus de Hæreticis: nunc de Schismaticis. Schisma itaque, quatenus ab Hæresi disjunctum sit, quod raro contingit, nihil aliud est, quam separatio ab unitate Ecclesiæ, juxta doctrina Div. Thomæ 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. *Proprie Schismatici dicuntur, qui propria sponte & intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis; nam unitas particularis aliquorum ad invicem ordinatur ad unitatem Ecclesiæ, sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput &c. Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex. Et ideo Schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant*.

6. In hujusce generis Schismaticis procedunt ea, quæ in superioribus dicta sunt, morientem videlicet in schismate Martyrem esse non posse, etiamsi moriatur pro Fide: moritur quippe extra unitatem Ecclesiæ, ideoque æternam salutem habere non potest. Quia vero aliquando contingit, ut, duobus ad summum Pontificatum electis, scissaque in duas factiones universa Ecclesia, ignoretur, uter ex eis legitime electus sit; atque in hoc rerum eventu aliquis adhæreat ei, quem putat legitimum Pontificem, sed cujus postmodum electio minime legitima & canonica judicata est; qui sic agit, revera Schismaticus non est. Schismaticus esset in eo solum casu, in quo, postquam ab habente jurisdictionem statutum est, minime legitimam fuisse electionem ejus, cui adhærebat, ipse nihilominus in ejusdem obedientia persisteret, & alteri jam declarato legitimo Pontifici parere recusaret. Doctrina hæc est Antonii de Butrio *in tract. de schismate*, & Petri de Ancarano in nonnullis *allegationibus juris* ab eo factis pro Concilio Pisano, concordatque Silvester *part.* 2. *in Summa in verb. Schismaticus num.* 7. ubi sic ait: *Si vero constat, unum canonice electum, alium vero non, qui non est canonice electus, cum sequentibus scienter est excommunicatus: si vero dubitatur, qui sit canonice electus, ignorantia facti excusat; ignorantia vero juris Civilis, aut Canonici, ad quod scilicet spectat hujus materiæ discussio, etsi non excuset, cum est tale jus, quod quis de facili scire potest per se, vel per alium, dum tamen habeat copiam peritorum, excusat tamen, si est tale, quod quis nec per se, nec per alios scire potest, cum peritissimos fallat, & diversi contraria sentiant*. Et late prosequuntur Sanchez *lib.* 2. *in Decalogum cap.* 36. *num.* 3. *&* 4. Cardinalis De Lugo *de Fide disput.* 25. *sect.* 3. *num.* 39. Castropalao *tom.* 1. *de Charitate tract.* 6. *disput.* 4. *punct.* 5. *num.* 9. Idcirco fit, ut si hic pro Fide Christi moriatur, debeat inter Martyres recenseri; se enim habet instar ejus, qui mortem pro Christo recepit, dum aliquod dogma crederet, aut doceret, de quo tunc impune disputabatur, sed post ejus obitum Ecclesia declaravit esse a Fide alienum. Uno verbo, sicut materialis Hæreticus Martyr esse potest, ita & materialis Schismaticus.

7. Tria potissimum exempla huic assertioni suffragari posse videntur. Inter Beatos a Clemente VII. legitimo Pontifice adscripti fuerunt Petrus de Luxemburgo, & Ludovicus Alamandus, juxta ea, quæ a Nobis dicta sunt *lib.* 1. *cap.* 39. *n.* 4. De Petri scilicet virtutibus plura legi possunt apud Spondanum *in continuat. annal. Baronii ad an.* 1387. *num.* 11. De miraculis vero ejus intercessione a Deo patratis plura habentur apud Baluzium *in notis ad vitas Paparum Avenionen. tom.* 1. *pag.* 1320. etsi ipse Petrus in Cardinalium cœtum fuerit cooptatus a Roberto Genevensi Antipapa, qui sibi Clementis VII. nomen assumpserat. Mortuus est autem cum annos vixisset duodeviginti; & ex fama quidem ipsius virtutum, ac miraculorum, Clementis Antipapæ, qui eum creaverat Cardinalem, existimatio non modicum recepit augmentum, teste Roberto Gervasio Episcopo Senecensi *in tract. de schismate fol.* 52. *Sed Divina providentia approbat, & confirmat adhærentes, & obedientes Domino Clementi VII. per miraculorum coruscationem, prout patet de Domino Petro de Lucemborg Cardinali facto per Dominum Clementem VII. cujus meritis & precibus Divina providentia valde multa miracula manifesta operatur his, qui credunt in eum*. Item de Ludovico Alamando, seu Alamanno plura legi possunt apud Ciacconium in ejus vita *tom.* 2. *pag.* 842. de quo præterea sic ait Æneas Silvius, qui ad Pontificatum evectus Pii II. nomen assumpsit: *In Arelate ad sepulcrum Ludovici Cardinalis Sanctæ Cæciliæ ejus urbis Episcopi, quem Basileæ in consessu Patrum vidimus Præsidentem, magna miraculorum opinio orta est, & invalidorum frequens undique concursus spe sanitatis factus*. Stetit autem Ludovicus in Concilio Basileensi adversus Eugenium legitimum Pontificem, & Felicem Antipapam consecravit, tum facti cum pœnituisset, ad Nicolai V. ipsius Eugenii Successoris obedientiam rediit, & Ecclesiæ unitatem restituit, uti conceptis verbis legitur in Martyrologio Gallicano 16. *Calend. Octobris*. Demum in teterrimo schismate inter Petrum de Luna dictum *Benedictum XIII.* & Angelum Corarium nuncupatum *Gregorium XII.* qui in Concilio Pisano, & subinde una cum Joanne XXIII. in Concilio Constantiensi depositi fuerunt, electo in summum Pontificem Martino V. magna pars Hispaniæ Petrum de Luna, seu Benedictum XIII. tanquam verum & legitimum Pontificem colebat, aliquæ vero Italiæ civitates Angelo Corario, seu Gregorio XII. pariter tanquam vero & legitimo Pontifici adhærebant. Sanctus itaque Vincentius Ferrerius Petri de Luna, seu Benedicti XIII. partes secutus, auctor etiam fuit Regibus Aragoniæ, ut eidem adhærerent: quamquam, statim ac ejus obstinationem, & malas artes perspectas habere cœpit, Ferdinando Regi Aragoniæ persuasit, ut ab ejus obedientia se subduceret, edictumque publicaret, quo sibi subditis districte inhiberet, ne illi, tanquam Pontifici quocumque prætexta adhærerent; tantaque fuit S. Vincentii sanctitatis, erudi-

eruditionis, & zeli pro tollendo schismate fama, ut Patres generalis Concilii Constantiensis congregati ad tollendum schisma trium illorum de Pontificatu contendentium missis Legatis eum rogaverint, ut ad Concilium veniret, si posset. Epistola ad eum missa extat *col.* 658. *tom.* 2. *operum* Joannis Gersonii Cancellarii Facultatis Parisiensis, qui eam composuerat, & *tom.* 1. *thesauri novi anecdot.* Patris Edmundi Martene *col.* 1749. Porro primum ex allatis exemplis ostendit, sanctitati non obstare, si aliquis bona fide procedens adhæserit Pontifici, quem legitime electum putabat, licet post illius obitum hujus electio fuerit damnata. Hujus generis est etiam exemplum S. Paschasii Diaconi & Confessoris, cujus mentio fit in Martyrologio Romano *ad diem* 31. *Maji*. Stetit enim is pro Laurentio contra Symmachum; & cum S. Gregorius *lib.* 4. *dialog. cap.* 40. *&* 41. (*tom.* 2. *oper.*) referat, eum in sua sententia usque ad diem sui exitus perstitisse, credendum est, eum vertente adhuc de electione Symmachi controversia, ex hac vita migrasse; quemadmodum habetur apud Cardinalem Baronium *in not. ad Martyrolog. ad dictam diem*. Secundum ex iisdem supra relatis exemplis patefacit, sanctitati obstare, si aliquis legitimo Pontifici obedire recuset, tum eum ante obitum facti non pœniteat. Ex tertio tandem exemplo desumitur, verum Schismaticum non esse, qui in dubia facti quæstione illi adhæret, quem una cum plerisque aliis similia sentientibus legitimum putat Pontificem; a quo tamen recedit, statim ac deprehendit, eum talem non esse. Quapropter quemadmodum Schismaticus materialis in prædictis circumstantiis Sanctus esse potest, sic etiam Martyr esse poterit, si pro Christo, & ejus Fide moriatur.

8. Pro vindicandis suis Pseudomartyribus Auctor apologiæ supra memoratæ scribit, vera Martyrii signa hæc esse; si ingens videlicet hominum multitudo pro una eademque re moriatur; si heroicæ fortitudinis & constantiæ, necnon pietatis indicia in obitu non desint; si demum ex omni ætate & sexu inveniantur, qui mortem generose subeant, uti fuse legi potest *ejusdem cap.* 11. *par.* 1. cumque hæc omnia in suis Pseudomartyribus adfuisse contendat, infert, de veritate Martyrii ipsorum non esse dubitandum.

9. Verum, ut ea, quo decet, ordine hujus asserti vis perpendatur, tria sunt examinanda; primum est, utrum prædictæ qualitates in nostris adsint Martyribus; secundum, an adsint in illis, quos ipsi *Martyres*, nos *Pseudomartyres* appellamus; tertium an eædem satis sint, ut tutum de veritate Martyrii judicium ferri possit.

10. Ducto itaque initio ab examine, an prædictæ qualitates in nostris adsint Martyribus, de hoc ambigendum esse non videtur: in Actis siquidem sinceris SS. Alexandri, & Epipodii *apud Ruinart*, ubi mentio fit SS. Martyrum Lugdunensium, dicitur *num.* 2. *pag.* 63. *Plurimi distinctis Passionibus, atque nominibus ad succedentium memorias pervenerunt; innumeros vero, qui vel indiscreta cæde concisi sunt, vel vincti in ergastulis defecerunt, inscriptos cælestis vitæ liber tantum continet*. Prudentius item *in hymno de Martyria S. Hippolyti Presbyteri Romani* sic cecinit de Martyribus, qui Romæ cæsi sunt *v.* 1.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Christi Valeriane sacer.

11. Eusebius Cæsariensis Episcopus *lib.* 8. *hist. Eccles. cap.* 6. *pag.* 382. ubi describit persecutionem a Diocletiano, & Maximiano excitatam, ait: *Tunc etiam Anthimus Ecclesiæ Nicomediensis Episcopus ob confessionem Christi in eadem urbe capite truncatus est. Huic adjuncta est ingens Martyrum multitudo &c. Alios quoque innumerabiles vinctos, & scaphis impositos carnifices in profundum mare projecere &c. Vix jam iniri numerus potest omnium, qui deinceps in singulis provinciis passi sunt Martyrum, ac præsertim eorum, qui per Africam, & Mauritaniam, per Thebaidem, & Ægyptum sunt interfecti*. Et *cap.* 8. *Illic enim viri prope innumerabiles cum uxoribus, & liberis pro Servatoris nostri doctrina temporalem hanc vitam aspernati, varia mortis genera sustinuerunt*. De eadem persecutione hæc etiam habentur apud Sulpicium Severum *lib.* 2. *sacræ hist. cap.* 32. *num.* 4. *Diocletiano & Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata est; qua tempestate omnis fere sacro Martyrum cruore orbis infectus est: quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum Martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est, neque majore unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus*. Marmor extat, de quo Jacobus Castellius *in not. ad Acta S. Restitutæ pag.* 96. in quo sculpta sunt hæc verba, quæ profecto multitudinem Christianorum in persecutione Diocletiani & Maximiani pro Fide Christi occisorum maximopere ostendunt:

DIOCLETIANVS. IOVIVS. ET
MAXIMIANUS. HERCVLEVS
CAESS. AVGG.
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM. ET. OCCIDENTEM
IMP. ROM.
ET
NOMINE. CHRISTIANORUM
DELETO. QVI. REMP. EVER
TEBANT.

Eusebius Pamphili Cæsariensis Episcopus *in lib. de Martyribus Palæstinæ* post enarrata Martyria concludit *cap.* 13. *pag.* 437. *Atque hæc sunt Martyria, quæ octo annorum spatio in Palæstina perpetrata fuerunt. Hujusmodi nostri temporis persecutio fuit &c. In quibus varia omnis generis certamina eorum, qui pro pietate fortiter pugnaverunt, innumerabiles in singulis provinciis Martyres præstiterunt*. Tum in Menæis Græcorum, tum in Martyrologio Romano, necnon apud Bollandianos *ad diem* 18. *Martii pag.* 617. *tom.* 2. mentio fit decem millium Martyrum, qui Nicomediæ pro Christi confessione gladio percussi sunt, Martyrium denique S. Simeonis Episcopi, & aliorum plurimorum SS. Martyrum in Perside fuse narratur a Sozomeno *lib.* 2. *histor. Eccl. cap.* 9. atque *in cap.* 14. *pag.* 63. *tom.* 2. *edit. Vales.* adjiciuntur hæc verba: *Verum, ut summatim dicam, cunctos ejus temporis Martyres tam viros, quam mulieres, quorum nomina recoluntur, sedecies mille numero fuisse perhibent, reliquæ vero multitudinis ne numerum quidem iniri posse*. Huc etiam referri possunt, quæ a Nobis dicta sunt *lib.* 5. *hujus Operis cap.* 4. *num.* 14. adversus somniatam a Dodwello Martyrum paucitatem. Sed de Martyrum invicta fortitudine & patientia si quis alia cupit, legere potest Theophilum Raynaudum *oper. tom.* 4. *in apolog. pro Christiana fortitudine lib.* 5. *sect.* 2. *cap.* 8. *num.* 151. *& seqq.* tum etiam Lactantium *lib.* 6. *cap.* 17. ubi inquit: *Spectatæ sunt semper, spectanturque adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova & inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari, cum immanium bestiarum ultra ipsam mortem carnificina sævierit. Has tamen exsecrabiles corporum lacerationes felix, atque invicta patientia sine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis, atque provinciis, & ipsis tortoribus miraculum maximum præbuit, cum Patientia crudelitas vinceretur*. Concordant testimonia eorum qui Christianam Fidem infectati sunt, de quibus apud Buddæum *in Isagoge historico-theologica* Lipsiæ edita anno 1730. *tom.* 2. *pag.* 877. quique videntes eos nedum ad cruciatus gravissimos, sed & ad mortem subeundam promptos, id ad insaniam, consuetudinem, vel obstinationem impie traducere ausi sunt. Ceterisque omissis, sat erit legere *tomum tertium mensis Junii* apud Bollandianos: ibi enim late exponitur mira inter tormenta constantia Sanctorum Aurei, & Justini, Nicandri, & Marciani, Theoduli, & Tribuni, Quirici, & Julittæ, Leontii, Zosimi, & Montani, Manuelis, Sabelis, & Ismaelis; & *tom.* 5. *ejusdem mensis Junii ad diem* 25. *pag.* 26. *& seqq.* ubi agitur de Sancta Febronia; & *tom.* 7. *mensis Julii ad diem* 29. *pag.* 40. ubi agitur de Sancto Calinico Martyre; & in toto demum opere Bollandi, & ejus Continuatorum. Et huc quoque referri possunt antiquorum Patrum dicta, Justini videlicet *in dialogo cum Tryphone Judæo num.* 110. *pag.* 203. ubi hæc habet: *Sed quanto magis, magisque talia nobis infliguntur, eo plures alii per nomen Jesu fideles, & pii fiunt. Quemadmodum vitis, si quis partes illas amputet, quæ fructum ferunt, ita proficit, ut alios florentes, & fructiferos palmites rursus proferat*: Tertulliani *ad finem apologetici pag.* 81. ubi sic loquitur: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum*: Augustini *de civitate Dei lib.* 22. *cap.* 6. *col.* 661. *tom.* 7. *oper.* ubi ait: *Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur*. Hæc enim nedum supponunt Martyrum multitudinem,

sed olterius ostendunt, ex Martyrum multitudine nullam in Christianam Fidem præjudicium, sed semper majorem credentium & profitentium copiam derivasse.

12. Transeuntes ad eos, quos Hæretici *Martyres*, nos *Pseudomartyres* appellamus, ultro quidem admittimus, nonnullos eorum mortem intrepide subiisse. Scilicet mors Hieronymi de Praga invicte & impavide tolerata narratur a Poggio Florentino in epistola ad Leonardum Aretinum *tom. 2. hist. Joan. Hus pag.* 533. & eodem modo describitur mors Annæ de Bourg a Thuano *in hist. lib.* 23. *n.* 11. *ad annum* 1559. Item de Anabaptistis hæc habentur apud S. Bernardum *serm. 66. in Cantica n. 13. col.* 1502. *vol.* 1. *Mirantur aliqui, quod non modo patienter, sed & læti, ut videbatur, ducerentur ad mortem: sed qui minus advertunt, quanta sit potestas Diaboli non modo in corpora hominum, sed etiam in cord.., quæ semel permissus possederit. Nonne plus est, sibimet hominem injicere manus, quam id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse Diabolum, frequenter experti sumus, qui se ipsos aut submerserunt, aut suspenderunt. Denique Judas suspendit se ipsum, Diabolo sine dubio immittente. Ego tamen majus existimo, magisque admiror, quod potuit immisisse in cor ejus, ut traderet Dominum, quam ut semet ipsum suspenderet.* A Wiclefo demum, & Husso prodierunt Adamitæ in Bohemia, qui lætantes ad mortem properarunt; multique alii nostris fere temporibus ex Heterodoxis similia præstiterunt, de quibus apud Alanum Copum *dialog. 5. sæpe cit. cap.* 3. Attameo, utcumque hæc sint, nulla fieri potest comparatio inter numerum nostrorum Martyrum ab initio Ecclesiæ usque ad hæc nostra tempora, & numerum eorum, quos Heterodoxi *Martyres*, nos *Pseudomartyres* appellamus; eo vel magis, si animadvertatur, numerum Pseudomartyrum ab eis componi, tum illorum ratione habita, qui pro una secta, tum aliorum, qui pro alia secta mortui sunt, licet una ab alia differat, atque adeo una admittat, quod negatur ab alia; quando contra innumerabilis nostrorum multitudo pro una eademque re, pro iisdem omnino dogmatibus, pro ipsa inconcussa & uniformi traditione sanguinem fudit. Baillet *in præfat. ad histor. de vitis Sanctorum* §. 88. testatur, non multa quidem, at aliqua tamen reperiri exempla nonnullorum Hæreticorum, qui mortem subierunt pro suorum errorum defensione; ita ut inter impossibilia habendum non sit, ut aliquis adeo obstinate suæ hæresi adhæreat, ut etiam pro ea mori velit: addit vero nullam Hæreticorum sectam reperiri, in qua tot ex omni sexu & ætate mortui sint, & mortem constanter subierint, quot inter Catholicos id præstiterunt. Quod cum fuerit ab Hæreticis nostri temporis bene perspectum, hinc factum est, ut audacter asserere inceperint, primorum & antiquorum Martyrum innumerabilem numerum, qui ante suam, quam jactant, reformationem, pro Christo mortui sunt, non ad nos, sed ad ipsos pertinere; eo scilicet quia mortui non sunt pro asserendis illis dogmatibus, quæ a nobis admittuntur, & ab ipsis rejiciuntur. Sed quam inane id sit, docte de more ostenditur a Cardinali Gotto *tom. 1. de vera Ecclesia cap.* 3. §. 2. ubi scite animadvertit, antiquos Martyres non posse ab Hæreticis tanquam suos vindicari, nisi probent vel eos mortuos fuisse, ne ex. gr. venerationem Imaginum, aut *Purgatorium* admitterent, quod ipsi minime admittunt; vel saltem mortuos fuisse in ea persuasione, ut cultus Imaginibus præstandus non sit, aut *Purgatorium* non detur: quæ porro ab ipsis nec hucusque probata sunt, neque unquam probabuntur, cum certum sit, omnia, quæ creduntur a nobis, ab eis credita fuisse: absonum autem esset contendere, Martyres illos ad nos non pertinere, eo quia expresse mortui non sunt pro cultu Imaginum, vel *Purgatorio*; tunc enim ea quæstio a nemine adhuc mota erat, ut idem Cardinalis prosequitur.

13. Pro complemento præsentis capitis nihil aliud superest, quam ut verba faciamus de tertio, quod erat a Nobis propositum, an prædictæ qualitates, multitudinis videlicet morientium, & invictæ mortis, satis sint, ut tutum de veritate Martyrii judicium ferri possit. Qua profecto in re dicimus primo, prædictas qualitates ex sui natura & indole ad veritatem Martyrii non sufficere; Secundo, eas pro veritate Martyrii nostris quidem Martyribus multum prodesse, sed nullo pacto proficere illis, quos Heterodoxi *Martyres*, nos *Pseudomartyres* appellamus. Dictum est ergo, prædictas qualitates ex sui natura & indole non sufficere ad veritatem Martyrii, cum non desint latrones, & homicidæ, nec defuerint, qui, licet pro suis criminibus damnati, impavide tormenta, & mortem sustinuerunt, & sustinent; cumque sæpe contingat, nonnullos homines mortem generose subire pro diversis doctrinis, quarum alteram falsam esse necesse est, & consequenter alios pro veritate, alios autem pro errore mori; Suarez *in defens. Fidei Cathol. lib. 1. cap. 20. n.* 3. Raynaudus *in tract. de Martyrio per postem part. 2. cap. 4. num. 6. & 7.* Alanus Copus *in cit. dialog. 6. cap. 1. per tot.* Fuit id quoque adnotatum a S. Augustino *serm. 2. in Nativitate S. Vincentii* (*col.* 1110. *tom. 4. oper.*) ubi ait: *Diabolicus & Seductor Spiritus plerumque implet vel fallaces vates, vel falsos Martyres suos, ut tormenta corporis vel ipsi sibi ingerant, vel ingesta contemnant.* Facile esset exempla cumulare eorum, qui propter scelera sua ad mortem damnati mortem ipsam, atque tormenta invicte sustinuerunt. De *Leæna* scilicet Atheniensi scribit Tertullianus *ad Martyres cap. 4. pag.* 192. *Cessit carnifici meretrix Atheniensis, quæ conscia conjurationis, cum propterea torqueretur a Tyranno, & non prodidit conjuratos, & novissime linguam suam comestam in faciem Tyranni exspuit, uti nihil agere se scirent tormenta, etsi ultra perseverarent.* Antiqua autem a recentioribus excipiuntur. Hieronymus enim Olgiatus, sive ut aliis placet, Oleatus, Civis Mediolanensis, unus ex eis, qui Galeatium Sfortiam Mediolanensium Ducem interfecerunt, captus, & in custodia detentus, itemque misere discruciatus, ut cædis socios proderet, commendans immo facinus sociorum, nullum pœnitentiæ, nullumque formidinis signum edidit; tum ductus ad locum horrendi supplicii impavide se gessit, uti narrat Fulgosus *lib. 3. dict. & fact. memorab. cap.* 3. *Nudus igitur in disco protensus, cruribus, brachiisque ad disci pedes deligatis, cum eos, qui astabant, præparatæ mortis species atque horror averteret, ipse speciosis verbis, atque intrepida voce peractum facinus extollens, nequaquam se, quod tunc instabat, sævum mortis genus curare, ostendit. A summo igitur humero usque ad medium pectus lanii falce divisus, nec verbis, nec voce mutata, vitam simul cum Catholica ad Deum oratione finivit.* Historiam pariter suppressionis Ordinis Equitum Templariorum a summo Pontifice Clemente V. in Concilio Viennensi, & mortem Magno Magistro, & plerisque Equitibus ob magna ab eis patrata scelera inflictam fuse refert Natalis Alexander *in hist. Ecclesiast. sæc.* XIII. *&* XIV. *dissert. 10. quæst. 2. art. 1. num.* 18. ubi hæc habentur: *Magni Magistri, & aliorum* (Templariorum) *in perferendo ignis supplicio constantia, seu pertinacia, eos insontes fuisse, non probat. Extant enim & vetera, & recentia exempla hæreticorum, & facinerosorum hominum, qui mortem intrepidi aspexerunt; nec minor aliquando visa est externa specie fortitudo in Martyribus Diaboli, quam in Martyribus Christi, ut Circumcellionum, Priscilliani, Joannis Hus, & Hieronymi Pragensis, aliorumque exempla notissima testantur.*

14. Hucusque adducta plane ostendunt, prædictas qualitates ex sui natura & indole non sufficere ad astruendam veritatem Martyrii: eæ porro nostris Martyribus favent, sed Pseudomartyribus Hæreticorum non item. Non eas quippe solas, uti faciunt Hæretici, sed eas una cum aliis rebus, & signanter cum causa Martyrii ponderamus. Communis enimvero esse potest & nostris, & illis tormentorum invicta tolerantia; at, quia (uti supra dictum est) Martyrem non facit pœna, sed causa, mors, & invicta inter tormenta constantia nostris quidem prodest ad verum Martyrium, non autem alienis, quemadmodum ex S. Joanne Chrysostomo, & aliis animadversum est. Multitudo etiam invicte morientium tessera est veræ Ecclesiæ, si causa apta ad moriendum non desit; quemadmodum ex S. Athanasio, aliisque Ecclesiæ Patribus probat Theophilus Raynaudus *cit. cap. 4. n.* 9. Inter Acta sincera & selecta Martyrum collecta a Ruinart Passio invenitur SS. Montani, Lucii, & aliorum Martyrum Africanorum, quæ contigit sæculo Ecclesiæ tertio, ubi de S. Montano hæc habentur *num. 14. pag.* 204. *Hæreticorum quoque superbiam & improbam contumaciam retundebat, contestans eos, ut vel de copia Martyrum intelligerent Ecclesiæ veritatem, ad quam redire debeant.* Pluribusque hoc idem argumentum prosequitur Cardinalis Gottus *cit. tom. 1. de vera Ecclesia cap.* 3. §. 1. ubi Jacobum Piceninum strenue redarguit asserentem, multitudinem Martyrum veræ Ecclesiæ signum non esse, cum continuum non sit: quandoquidem, uti bene respondet Eminentissimus Auctor, necesse non est, continuam esse multitudinem Martyrum, ut ea sit veræ Ecclesiæ signum; sufficit, eam non defuisse, nec deesse, cum Tyranni veram Fidem persequuntur; idque eo magis cum juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 1.

art. 1. *ad tertium*, Fideles utique debeant omni tempore esse prompti ad mortem subeundam pro Fide Catholica, sed eam actu subire non teneantur, nisi cum urget casus Fidei ejusdem confitendæ. Examen autem causæ Heterodoxi effugere cupiunt, ut ex allegato Auctore apologiæ fuse desumitur: vellent enim, totum de veritate Martyrii judicium externis prædictis conjecturis & præsumptionibus inniti, tum adjiciunt, de causa controversiam non esse movendam, cum controversia ista non ita facile definiri possit, & interim deesse non debeant argumenta, quibus veri Martyres a falsis discernantur. Ita nempe sentiendo, negari non potest, ipsos propositum suo recte inservire: ita autem sentiunt, quia bene noverunt, se causa cecidisse, si non in solam Passionem, sed etjam in hujus causam pro veritate Martyrii inquirendum sit; illud quoque sciunt, non modo errores suos esse ab Ecclesia damnatos, sed etiam separationem ab unitate Ecclesiæ a suis Auctoribus factam fuisse, & se obstinate in exsecrabili contumacia persistere; sciuntque præterea, suis Pseudomartyribus obstare S. Augustinum *epist.* 185. *ad Bonifacium Comitem*, ubi sic loquitur (*num.* 8. *col.* 646. *tom.* 2. *oper.*): *Isti insaniunt, qui dividant membra Christi, & exsufflant Sacramenta Christi, & de persecutione gloriantur; quia probibentur ista facere legibus Imperatorum, quae constituerunt pro unitate Christi, & jactant fallaciter innocentiam suam, &, quam non possunt a Domino accipere, ab hominibus quærunt Martyrum gloriam*. Sed & S. Cyprianus obstat *in lib. de unitate Ecclesiæ col.* 401. *Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est: ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit*. Addendum, Martyrium esse actum fortitudinis ab hac virtute elicitum, & a Charitate imperatum, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 2. quam communiter Theologi sequuntur. Itaque, quomodo vera a falsa fortitudine discerni poterit, nisi causa examinetur, propter quam quis constanter se morti offert, cum & ipsi Philosophi docuerint, fortitudinem ab iracundia, seu furore profectam esse longe dissimilem veræ fortitudini; quod vera fortitudo incliner ad perferenda mala, & aggredienda terribilia honestatis gratia, fortitudo autem ab iracundia, aut furore proveniens perferat mala, & aggrediatur terribilia vindictæ cupiditate, vel propter amorem, aut odium, nulla habita honesti ratione? Quod si signa aliqua externa veri Martyrii requirantur, ea profecto non desunt; miracula videlicet, quæ juxta fuse probata in primo hujus Operis libro ab Ecclesia in causis Martyrum requiruntur. S. Augustinus in ultimo libro de civitate Dei Christianam Fidem ex iis miraculis astruit, quæ ab illam professis, & confessis Martyribus ubique terrarum facta commemorat. Inquit enim (*cap.* 9. *col.* 673. *tom.* 7. *oper.*): *Pro ista Fide mortui sunt, qui hæc a Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac Fide præcessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur*. Subscribit S. Hilarius *lib.* 11. *de Trinitate n.* 3. *col.* 1084. nimirum, Fidem Christianam approbari ex miraculis, & præsertim Dæmonum expulsione ad Martyrum sepulcra: *Non enim* (ait) *negari jam Christus, quin Christus sit, potest, neque mundo ignorabilis effici. Hunc Prophetiæ volumina consignant; hunc temporum quotidie proficiens plenitudo testatur, hunc Apostolorum, & Martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulcra; hunc potestas nominis sui probat; hunc immundi spiritus confitentur; hunc punitorum Dæmonum resonant mugitus*. Aliaque plura Patrum testimonia collecta videri possunt apud Petavium *lib.* 14. *de Incarnatione cap.* 13. (*oper. tom.* 5.) Hæc porro sunt externa Martyrii indicia, quibus nostra Martyria illustrantur, sed quæ in Pseudomartyribus Hæreticorum prorsus deficiunt. Quare bene ait Cardinalis Baronius *cap.* 10. *præfat. ad Martyrol. Rom. Exhibeantur ab illis* (hoc est ab Hæreticis) *illa Divina miracula, quæ olim a Sanctis Martyribus, Gentilibus non credentibus, detestantibus, ac persequentibus, ut crederent, benedicerent, atque adorarent, sunt exhibita. Si tantopere conamini, ut vobis assentiamur, vel unum saltem ex tanta Pseudomartyrum turba Divinum miraculum editum demonstrate. Sed quid? Numquid colligere poterunt ex spinis uvas, aut de tribulis ficus? Certe ex sententia Domini, Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

15. Libri quinque S. Irenæi Episcopi Lugdunensis & Martyris mendis expurgati, & aucti novis fragmentis Græcis, editi sunt Parisiis an. 1710. Renatus Massuet Monachus Benedictinus e Congregatione S. Mauri eos observationibus ac notis illustravit. Aliæ quoque virorum eruditorum accesserunt adnotationes. Pro re, de qua nunc agitur, legi potest adnotatio *ad librum* 4. *cap.* 64. *pag.* 176. ubi congesta undique eruditione ostenditur, Martyrium Dei donum esse, quod extra unitatem & charitatem Ecclesiæ nemini conceditur; adeoque Hæreticos pro Martyribus prædicatos, Martyres non esse, cum extra Ecclesiam & unitatem, etiamsi invicte tormenta patiantur, occumbant; & momentum non in pœna, sed in causa esse constituendum, quemadmodum ipsi Lutherani tandem agnoverunt, quorum verba eo in loco referuntur. Robertus Personius Sacerdos Anglus, Fidei Catholicæ egregius defensor, tempore persecutionis Reginæ Elisabethæ tractatum Anglico sermone conscripsit *de tribus Angliæ conversionibus a paganismo ad religionem Christianam*. Prædictum tractatum Sacerdos Morellus ex Anglico in Italicum sermonem transtulit, typisque Romanis edidit an. 1740. Mentio fit *in ejus par.* 1. *cap.* 12. nonnullorum Anglorum, quos Foxius inter suos Martyres refert, quem Foxium ipse *vulpem* appellat tum propter versutiam, tum quia in idiomate Anglicano *Fox* idem sonat ac *vulpes*. Opportunum Nobis esse videtur in hunc locum inserere quæ de dictis Pseudomartyribus a Personio teste contemporali narrantur, ut eo magis confirmetur quod a Nobis dictum est, quæstionem non ad mortem, sed ad causam mortis esse referendam: ex quo facile dignosci poterit, nostros inter veros Martyres esse recensendos; secus autem Hæreticos, etiamsi omnes mortem & tormenta invicte & pari modo sustinuissent: *Giovanna Lasforda fanciulla maritata (come il Volpe la chiama) che prese avversione al Sacrifizio della Messa all'età di 11. anni (per buone ragioni, potete immaginarvi, in quella tenera età) siccome ancora Agnesa Potena, e Giovanna Tronfilda, moglie la prima d'un facitor di birra, e la seconda d'un calzolajo d'Ifvico, risolverono di andare ad ardere nelle fiamme per una visione che disse loro d'avere avuta un certo Ministro, detto Samuele, carcerato con esse: e un'altra donna, chiamata Rosa Notingamia, abbracciò per la stessa ragione il detto Ministro, e baciollo in mezzo alla strada, allorchè andava ad esser bruciato. In simile maniera Andrea Evito lavoratore in Londra, all'età di 19. anni risolvè di morire con Gio. Friteo carcerato nella torre, per quelle opinioni, per le quali il detto Friteo vorrebbe morire, sebben non sapeva quali si fossero. Parimente Guglielmo Untero lavorante in Londra, all'età di 19. anni fuggì via dal suo Maestro, e avendo trovato una Bibbia Inglese nella Cappella di Burnovudo, cominciò la leggerla, e subito diventò Protestante in diverse opinioni, per le quali ei fu contento d'esser bruciato. Di Ralingo Vaito, povero pescatore nella Vallia, racconta il Volpe, che avendo egli udito potersi avere dalla Sacra Scrittura una nuova dottrina, e dispiacendogli grandemente di non saperla leggere, mandò a scuola un suo piccol figliuolo; dal quale dopo ch'ebbe imparato a leggerla a sufficienza, ei l'ascoltava con grande attenzione; e in breve tempo profittò in essa di tal maniera, che il pescatore cominciò a farsi predicatore; onde lasciata la sua occupazione, andò quà e là per la Vallia col suo figlio appresso, portando la Bibbia, sulla quale egli predicava in ogni città e in ogni osteria, procurando in tal modo di pervertire quei che non eran più saggi di lui; nè potè mai esser distolto da quella sua volontaria follìa, finchè il Vescovo di Cardiffa lo fece pigliare, e metter prigione; e poi fu costretto a farlo bruciare, perchè stava ostinato nelle sue capricciose opinioni, che erano tali, che appena convenivano con qualunque altra setta. E finalmente Lorenzo Sandero, famoso Martire dei Protestanti, segnato a color rosso nel loro calendario, il quale essendo Prete ammogliato, e vedendo il suo piccol bastardo, portatogli in carcere dalla donna, da cui egli l'aveva avuto, si sentì muover sì teneramente verso di lui, che disse agli astanti con gran veemenza di spirito: Qual persona della mia vocazione non vorrebbe morire, per render legittimo questo bambino, e provare, che sua madre non è meretrice? E di questi esempj io potrei citarne moltissimi nella storia del Volpe, per mostrare, che forti motivi hanno avuto i suoi Martire di farsi bruciare; o piuttosto con che poca ragione, anzi senza veruna, ma per mera superbia, ostinazione, e pazzia, si sono gettati in braccio alla morte, non altrimenti che i Massiliani, i Montanisti, i Circuncellioni, e Martiriani famosissimi Eretici.*

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

De Virtute heroica.

1. EGIMUS hucusque de causis Martyrum: nunc opus est agere de causis Confessorum tum Pontificum, tum non Pontificum, itemque Virginum, & non Virginum, & Viduarum, in quibus omnibus de virtutibus quæstio instituitur, & in quibus dubium de virtutibus æquivalet dubio de Martyrio, & causa Martyrii in causis Martyrum. Glossatores juris Canonici docent, in Beatificando, & Canonizando multiplicem vitæ excellentiam requiri. Ita scribunt *in cap. Audivimus*, Joannes Andreas *num.* 4. Ancaran. *num.* 5. Zabarella *pariter num.* 5. Fagnan. *num.* 3. *de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*. Ponderant iidem Textum *in can. Miramur, dist.* 61. in quo ita legitur: *Cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci præmium deberetur*; verba quoque alterius Textus *in can. Quatuor*, 12. *quæst.* 2. ubi dicitur: *Oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri*; quemadmodum late prosequuntur Glossa *in cap. unic. in verb. Sedis Apostolicæ, de Reliq. & venerat. Sanctorum, in sexto*, Ostiensis *in Summa lib.* 3. *eodem titulo num.* 3. Gofred. *in Summa pariter eodem titulo num.* 2. S. Antoninus *in Summa Theol.* 3. *par. tit.* 12. *cap.* 8. §. 1. Cassaneus *in catalogo gloriæ mundi par.* 3. *consid.* 49. *vers. Et hæc bonitas*, Mascard. *de probat. concl.* 262. *num.* 4. *vers. pariter Et hæc bonitas*. Theologi docent, virtutes esse in Beatificando, & Canonizando necessarias, sed in gradu heroico; Scacch. *de not. & sign. sanctit. sect.* 2. *cap.* 4. *in principio*, Lezana *consult.* 1. *n.* 54. Castellin. *de certitud. glor. Sanctor. in append. ad cap.* 4. ubi: *Non omnes justos esse ab Ecclesia canonizandos, sed illos, qui heroicis virtutibus effulsere*: quod ipsum habetur in relatione facta in Consistorio secreto coram san. mem. Gregorio XV. a Francisco Maria Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali a Monte anno 1622. super vita, sanctitate, Actis Canonizationis, & miraculis tunc Beatæ, nunc Sanctæ Teresiæ. *Verum, quia Canonizatio, de qua agitur, virtutem postulat gradus heroici, & præexcellentis, hunc attigisse non leviter virtutes Teresiæ, quæ mox dicam, probabunt*. Id ipsum ante dictum fuerat a Rotæ Auditoribus in relatione ejusdem causæ *tit. de sanctitate vitæ B. Teresiæ in specie: Et quamvis quilibet justus totam illam gratiæ, virtutum, & donorum connexionem a Deo recipiat, non tamen quilibet justus ad eum pertingit gradum, quem ad Canonizationem Ecclesia requirit, sed qui multis progressibus excellenter heroicarum virtutum exercitio justus evasit. Itaque ad hunc effectum virtutes heroicæ in Canonizandis requiruntur*. Et quamvis non uno, eodemque verborum tenore Theologi, & juris Canonici Interpretes loquantur, unus nihilominus, idemque est sensus tum Theologorum, tum Juristarum in re, de qua nunc agitur, uti bene explicat Contelor. *de Canoniz. SS. cap.* 15. *n.* 9. Sed, cum aptiora sint verba Theologorum, Apostolica Sedes in examine causarum Servorum Dei illis utitur in discussione causarum Beatificationis, & Canonizationis: juxta quippe ea, quæ alibi dicta sunt, Dubium, quod disputandum proponitur, conceptum est his verbis: *An constet de virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, & Charitate, ac de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, ac Temperantia, & annexis in gradu heroico in casu &c. & ad effectum &c.*

2. De virtute Fidei mentio fit *Sap.* 3. *v.* 14. *Qui non operatus est per manus suas iniquitatem ... dabitur enim illi Fidei donum*; *Eccles.* 45. *v.* 4. *In Fide & lenitate ipsius Sanctum fecit illum*; & de Stephano *Actor.* 11. 24. *Plenus Spiritu Sancto, & Fide*. De Spe habetur *Ps.* 4. 10. *Tu, Domine, singulariter in Spe constituisti me*; *Ps.* 25. 1. *In Domino sperans non infirmabor*. *Ps.* 36. 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem*. De Charitate dicitur *ad Romanos* 5. *v.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*; & Apostolus 1. *ad Corinth.* 13. *v.* 13. ait, hominem sine Charitate nihil esse; *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. De Prudentia dicitur *Proverb.* 4. *v.* 5. *Posside Prudentiam.. ne dimittas eam, & custodiet te, dilige eam, & conservabit te*; & *cap.* 16. *v.* 16. *Acquire Prudentiam, quia pretiosior est argento*; & *Matth.* 10. *v.* 16. Salvator inquit: *Estote ergo prudentes sicut Serpentes*. De Justitia *Proverb.* 11. *v.* 4. *Justitia autem liberabit a morte*; *Eccles.* 1. 33. *Fili, concupiscens Sapientiam, conserva Justitiam, & Deus præbebit illam tibi*; & *cap.* 14. *v.* 17. *Ante obitum tuum operare Justitiam*. De Fortitudine *Psal.* 17. *v.* 1. *Fortitudo mea Dominus*. *Psalm.* 27. *v.* 8. *Dominus Fortitudo plebis suæ*; *Isaiæ* 12. *v.* 2. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus*; *cap.* 25. *v.* 4. *Quia factus es Fortitudo pauperi, Fortitudo egeno in tribulatione*; & *cap.* 40. *v.* 31. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt Fortitudinem*; & *Job.* 17. *v.* 9. *Tenebit justus viam suam, & mundis manibus addet Fortitudinem*. De Temperantia tandem *Eccles.* 10. *v.* 17. *Beata terra ... cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam*; & *Eccli.* 37. *v.* 32. *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam*.

3. Cumque juxta S. Dionysium *de Divinis nominibus cap.* 12. *pag.* 866. sanctitas nihil aliud sit, quam ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia, & juxta S. Joannem Chrysostomum, (sive Auctorem quicumque sit, certe antiquum *homil. in S. Lucam*) *ad cap.* 1. sanctitas sit *apta circa Deum æquitas*; nemo est, qui non videat, pro ea requiri virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem, quæ immediate circa Deum versantur juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. *in corpore*, pro qua facit illud *Eccli.* 2. *v.* 8. *& seq. Qui timetis Dominum, credite illi, sperate in illum, diligite illum*; quæ virtutes *Theologicæ* vocantur, vel quia, uti modo dictum est, circa Deum tanquam proprium objectum versantur, vel quia hominem quodammodo in Deum transformant, ac Divinum reddunt, vel quia a solo Deo infunduntur, aut demum quia sola Divina revelatione in sacra Scriptura nobis traditæ sunt, cum apud Philosophos fuerint incognitæ, juxta ea, quæ bene habentur apud Estium *in* 3. *lib. sent. dist.* 23. §. 1. Ceteræ virtutes aut sunt intellectuales, aut morales; ab illis perficitur intellectus, ab his appetitus; ab illis nemo simpliciter bonus, ab his vero bonus dici potest. Inter has nonnullæ principales, seu *Cardinales* vocantur, videlicet Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo, vel quia sunt quatuor genera virtutum, quibus reliquæ virtutes tanquam species subjiciuntur, vel quia singulæ versantur circa id, quod in unaquaque materia virtutis præcipuum est; ita ut ceteræ virtutes ad has, non ut species ad genera, pertineant, sed ut minus principales ad principaliores, veluti prosequitur citatus Estius *in* 3. *lib. sent. dist.* 33. §. 1. & hæ quoque ad Deum directæ ut ultimum finem pro sanctitate constituenda necessariæ sunt; veluti innuit B. Petrus Damiani *lib.* 2. *epist.* 18. *pag.* 135. per hæc verba: *Nobis pro modulo nostro penna sunt insitæ, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter utimur, ad cælestia sublevamur*; & Hugo de Sancto Victore *oper. t.* 2. *in opusc. de fructibus carnis c.* 1. *pag.* 114. *a tergo* virtutum Theologalium, & Cardinalium collectionem pro sanctitate constituenda explicat sequentibus verbis: *Prima autem virtutum Humilitati Fides accedit, quia impossibile est sine Fide placere Deo: & justus ex Fide vivit. Sed Fide quid proficis, si Spe non quæris, quod Fide complecteris? Quod enim nondum videmus, speramus, & Spes non confundit. Quia vero sperando amamus, quod jam Fide tenemus, Spei Charitas succedit, & sic Fides, quæ per dilectionem operatur, recte procedit. Qualiter autem istæ tres virtutes, id est Spes, Fides, Charitas, distinguendæ tenendæque sint, Prudentia docet & informat, Justitia ornat, & consummat, Fortitudo retinet & roborat, &, ne excurrant in nimia, & ne incompetenter intra suos terminos coarctentur, Temperantia moderatur & discernit. Si ergo has quatuor virtutes addas tribus superioribus, septenarius iste virtutum numerus plenitudinem septiformis gratiæ suis executoribus adducit, per quam vitiorum compago dissolvitur, corpus Diaboli superatur, & per semitam justitiæ fons & origo virtutum omnium additur*. Id bene explicarunt Rotæ Auditores in relatione causæ Servi Dei Nicolai Factor edenda in appendicibus, *tit. de virtutibus in genere*.

4. Virtus, ut colligitur ex verbis S. Augustini *in* 2. *de libero arbitrio*, est *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*: quam virtutis definitionem amplectitur & pluribus exornat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 55. *art.* 4. Non est hic au-

hic animus scribendi tractatum de virtutibus, aut de virtutibus Theologicis, vel de Cardinalibus, Theologi omnes de iis agunt: quocirca hic a Nobis sermo tantum instituetur de virtutum heroicitate, si hoc verbo uti liceat, prout opus est in discussione causarum Beatificationis & Canonizationis, & aliqua etiam innuentur de ipsis virtutibus sive Theologicis, sive moralibus in particulari, sed quasi in transitu; ut videlicet in memoriam revocentur, quæ fuse a Theologis in amplis voluminibus de iis dicta sunt. Utque recto ordine procedatur, primo loquemur de virtutum heroicitate apud Gentiles, deinde de eadem apud nos, & demum in quo consistat sæpe memorata heroicitas in re & ad effectum, de quo agitur.

5. Heroum, & heroicarum virtutum mentio habetur apud Gentiles, apud quos Hector, Alcides, Achilles, Æneas, Fabricius, Fabius, Scipio Africanus, Regulus, Cato, Socrates, Plato, Diogenes Cynicus Heroum nomine compellantur. Aristoteles *lib. 7. Ethic. cap.* 1. agit de virtute heroica, docetque, hominem, sicuti est aliquid medium inter Deum, & intelligentias separatas ex uno capite, ac bruta animantia ex altero, ita, si præcellat diuturno & perfecto virtutum usu, ut ductum rationis sequatur, conditionem exuere sensitivam, & in purum spiritum elevari, ita ut ejus virtutes non humanæ, sed heroicæ, & Divinæ censendæ sint; at si ita vitiis inserviat, & impotenter abducatur effreni perturbationum impetu, ut nullatenus rationem audiat, videtur omnino humanitatem exuisse, & quodammodo in brutum degenerasse, & vitium illius non humanum, sed ferinum apparet. Doctrina hæc Aristotelis illustratur a clar. mem. docto viro Cardinali de Aguirre *in Philosophia morali part. 2. lib. 7. cap.* 1. & acutissime de more fuit ante ipsum exposita a S. Thoma *ad lib. 7. Aristotelis lect. 1. litt. C.* ubi hæc habet: *Considerandum est, quod anima humana media est inter superiores substantias & Divinas, quibus communicat per intellectum; & animalia bruta, quibus communicat in sensitivis potentiis. Sicut ergo affectiones sensitivæ partis aliquando in homine corrumpuntur usque ad similitudinem bestiarum ... ita etiam rationalis pars quandoque in homine perficitur & formatur ultra communem modum humanæ perfectionis, quasi ad similitudinem substantiarum separatarum, & hæc nominatur virtus Divina supra humanam virtutem & communem.* Addit etiam ideo Gentiles virorum illustrium defunctorum animas *Heroes* vocasse. Concordat Franciscus Piccolomineus *in tract. de moribus grad. 6. cap.* 2. ubi sic loquitur: *Heroes sunt illustres homines, qui per eximiam aliquam virtutem conditionem sunt adepti super humanam præfulgentem, per quam vel præclaram ducunt vitam, vel vita functi per ora hominum celeberrime circumferuntur.* Et de viris heroicis juxta Aristotelis doctrinam pariter ait: *Hi dicuntur supra hominis conditionem elevari, quia (ut homini licet) se Diis similes præstiterunt: dicti sunt ducere genus a Diis.*

6. De Gentilium virtutibus, & earum heroicitate tractant etiam Theologi. Quærunt enim, an Infideles lumine naturali tantummodo utentes possint habere aliquam, vel aliquas veras & perfectas in suo genere virtutes, licet non meritorias æternæ vitæ, cum ad hanc gratia justificans requiratur; & an prædictæ virtutes ad gradum heroicum naturalem ascendere possint, ita ut illis præditus vere Heros dici valeat; & demum an eorum aliquis eas unquam in gradu heroico habuerit, & jure fuerit non nomine, sed re Heros. Et in eo quidem, quod attinet ad quæstionem, an Infideles lumine naturali tantum utentes habere possint aliquam, vel aliquas veras & perfectas in suo genere morales virtutes, licet æternæ vitæ non meritorias, sententia affirmans vera & certa est: si enim Infideles possunt honesta opera facere, & in eis frequenter se exercere, possunt etiam habitus talium operum acquirere, & sibi comparare, & sic per consequens veras & perfectas in suo genere habere morales virtutes. S. Ambrosius (*tom. 1. oper.*) *in Psalm.* 1. *v. Et folium ejus non defluet*, hæc habet *col. 757. Nam virtutes sine Fide folia sunt: videntur virere, sed prodesse non possunt: agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quanti Gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem, sed fructum non habent, quia Fidem non habent ... Et aliqui Judæi habent castimoniam, sedulitatem in lectione multam, & diligentiam, sed sine fructu sunt.* Sanctus ergo Ambrosius non negat, eas esse virtutes, sed solum ait, carere fructu salutis, quia pro æterna salute eis non prosunt. Ut Theologi suadeant, posse ab Infidelibus absque Fide fieri aliqua opera moraliter bona, utuntur textu Exodi *cap.* 1. ubi, cum obstetrices Ægyptiæ mandatum accepissent a Pharaone præfocandi in ipso ortu omnes Hebræorum masculos, illæ timuerunt Deum, nec fecerunt juxta præceptum Regis, sed mares servaverunt; quam quidem misericordiam laudat Scriptura, nec eam Deus sine mercede temporali reliquit; *v. enim* 20. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus ... & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos*; id est prolem copiosam concessit: utuntur textu Ezechielis 29. *v.* 20. ubi Rex Nabuchodonosor propter bellum feliciter gestum adversus Tyrios, sicut imperaverat Deus, mercedem temporalem recepit, terram scilicet Ægypti, & manubias ejus: *Dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus*, unde merito S. Hieronymus *in hunc locum* scribit *oper. tom. 5. col.* 353. *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri. Unde & per Jeremiam Nabuchodonosor* Columba Dei *appellatur, eo quod adversus populum peccatorem Dei servierit voluntati.* Legi potest D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. & plura pro eadem sententia cumulata sunt apud Suarez *in tract. de Fide, Spe, & Charitate disput. 57. sect.* 3. & apud Tournely *in prælect. Theolog. tom. 2. de Gratia Christi*. Inter damnatas quoque Michaelis Baji propositiones, & alias pariter subinde proscriptas nonnullæ reperiuntur, ex quarum damnatione desumitur, opera Infidelium, licet non sint bona bonitate meritoria æternæ salutis, non omnia tamen mala esse, vel indifferentia, sed bona esse posse bonitate morali. Inter Bajanas vigesima quinta hæc est: *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Vigesima octava hæc est: *Liberum arbitrium sine Gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Trigesima septima hæc est: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Trigesima octava: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde infusa Deus amatur.* Quadragesima: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Sexagesima secunda: *Illa distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circumstantiis rectum est & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum Charitatis, rejicienda est.* Inter proscriptas ab Alexandro VIII. trigesima prima est hæc: *Necesse est, Infidelem in omni opere peccare.* Aliæ consimiles proscriptæ leguntur in Constitutione san. mem. Clementis XI. quæ incipit *Unigenitus* (*Bullar. tom. 10. part. 1. pag.* 342.) Trigesima nona, videlicet: *Voluntas, quam Gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Quadragesima: *Sine Gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.* Quadragesima prima: *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire, nisi a Deo, & sine Gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.* Quadragesima octava: *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate?*

7. Admisso ergo, ut in Gentilibus modo explicato veræ virtutes morales reperiri possint, remanet, ut examinetur, an in eis aliqua ex virtutibus ad gradum heroicitatis ascendere possit; & deinde, an nonnulli ex dictis Gentilibus eas in gradu heroico habuerint, ita ut non abusive, sed proprie *Heroes* fuerint appellati. Et spectata quidem rei natura, nihil videtur obstare, quin inter Infideles aliquis ex. gr. ex impulsu honestatis pure naturalis ad conservandam pudicitiam sive conjugalem, sive virginalem non semel, sed pluries se morti exponat: in quo proinde rerum eventu non videtur esse dubitandum de virtute ejus heroica; sic enim agens ex rectæ rationis dictamine ceteros quamvis castos & fortes excellit in virtute Castitatis, & Fortitudinis. An autem aliqui fuerint inter Gentiles, qui virtutibus in gradu heroico excelluerint, ita ut veri Heroes dici potuerint, quæstio non est ad Theologiam pertinens, sed ad Historiam: & in ea quidem opinio est multorum, ipsos non fuisse virtutibus moralibus in gradu heroico præditos, nec Heroes vere potuisse appellari, cum ad constituendum Heroem collectio omnium virtutum moralium requiratur, quotquot vero apud Gentiles propter alicujus virtutis moralis excellentiam Herois nomen consecuti sunt, aliis ut plurimum caruerunt virtutibus, & vitiis fuerunt

inqui-

inquinati, quæ efficiunt, ut stricte Heroes dici non potuerint. Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 2. disput. 5. art. 2.* postquam probavit, posse in Infidelibus reperiri veras virtutes morales, docuit, regulariter eos habere non posse virtutes omnes morales simul junctas; concluditque, neminem ex iis, qui Heroes dicti sunt, illas adeptum fuisse; & *disp. 32. art. 7.* postquam probavit nihil obstare, quominus inter Infideles aliqua virtus heroica reperiri potuerit, inquit, etsi aliqua virtus heroica in quibusdam Infidelibus apparuerit, fuisse imperfectam, cum in genere virtutis naturalis moralis perfecta undequaque dici non potuerit. Latius hoc ipsum prosequitur argumentum Cardinalis de Aguirre *in tract. de virtutibus, & vitiis*, ubi postquam *disput. 12. quæst. 1. sect. 3. & 4.* erudite demonstravit, virtutem heroicam morum non fuisse re ipsa, sed in speciem tantum in Ethnicis hominibus, quos Romani venerati sunt tanquam sapientiæ & virtutis proceres, nec in Philosophis Græcis, quos omnes contendit vitiis fuisse inquinatos, *eadem disput. 12. quæst. 2. sect. 3.* statuit, & probat, possibilem esse heroicam virtutem philosophice in homine mortali. Quocirca ab eis discrimen ponitur inter possibilitatem, ut ajunt, & actualitatem, seu existentiam; primam quippe admittunt, secundam autem rejiciunt; idemque Cardinalis de Aguirre *in morali Philosophia lib. 7. cap. 1. num. 6.* ait: *Certe, si diligenter evolveremus virtutes illas quorumdam Ethnicorum supra memoratas, quæ heroicæ, & Divinæ habitæ sunt, inveniremus plane, non modo ea epitheta non meruisse adeo illustria, sed ne attigisse quidem gradum solidæ, & perfectæ virtutis, qua homo simpliciter probus est &c. Qui enim heroica virtute præditi censebantur, ea opera exhibebant in oculis hominum, quæ longissimo intervallo viderentur excellere solitam honestatis mensuram, quamvis, si serio, & juxta veritatem examinarentur, fortasse nec digna essent simplici appellatione virtutis.* Idque latissime prosequitur Theophilus Raynaudus *tom. 4. de virtutibus, & vitiis lib. 1. cap. 1. sect. 2. num. 82. & seqq.* Inter opera S. Basilii *tom. 2. pag. 173. & seqq.* extat eruditus dicti Patris sermo ad adolescentes, quomodo possint ex Gentilium libris fructum capere; & *pag. 179.* refert, Socratem summa cum patientia tolerasse percussiones quasdam in faciem sibi illatas ab homine ebrioso, & deinde ait *num. 5. Illud enim Socratis germanum est præcepto illi, maxillam cædenti præbere oportere & alteram, nedum ulciscamur nos.* Meminit Alexandri, qui noluit aspicere filias Darii captivas, quarum incredibilis pulcritudo fuisse prædicabatur, & postea inquit: *Hoc spectat eodem, atque illud, quod qui aspexerit mulierem libidinose, quamquam adulterium opere non commisit, quoniam tamen concupiscentiam in animum admisit, crimine non vacet.* Narrat demum, Cliniam unum ex discipulis Pythagoræ, noluisse jurare, ut multam effugeret trium talentorum, licet non esset falso juraturus; & post hæc ita animadvertit: *Præceptum, quo nobis jusjurandum interdicitur, ut mihi videtur, edoctus.* Facta hæc Gentilium a S. Doctore commendantur. Sed orationem reducamus ad actionum bonarum exempla. Putat, ex eis viam aperiri ad nostra præcepta servanda: *Quare quisquis in his fuerit prius eruditus, præceptis illis tamquam quæ fieri non possint, non denegabit amplius fidem.* Sed bene agnoscit, illos, qui ea perpetrarunt, vitiis fuisse inquinatos, ita ut Heroes nullo modo dici potuerint: *Sed ad hoc idem, quod initio dicebam, rursus revertamur, non omnia ex ordine, sed solum quæ utilia sunt, suscipienda nobis esse. Turpe namque fuerit, rejicere nos cibos exitiosos, disciplinarum vero, quæ animam nostram nutriunt, rationem nullam habere, sed torrentis in morem, quidquid obvium est, trahentes, id in animum recondere.*

8. Hactenus de Heroibus, & heroica virtute quoad Gentiles. Nunc ad Christianam religionem transeuntes, aliqua de Heroibus, & de virtute heroica exponemus, præsertim relata ad causas Beatificationis & Canonizationis. S. Augustinus *lib. 10. de civit. Dei cap. 21. (col. 256. tom. 7. ap.)* postquam animadvertit persecutiones Fidelium non modo non fuisse perniciosas, sed Ecclesiæ utiles, cum per eas numerus Martyrum impletus sit, de Martyribus inquit: *Hos multo elegantius, si Ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur, nostros Heroes vocaremus.* Et paulo post: *Sed a contrario Martyres nostri Heroes nuncuparentur, si, ut dixi, usus Ecclesiastici sermonis admitteret, non quod eis esset cum Dæmonibus in aere societas, sed quod eosdem Dæmones, id est aereas vincerent potestates.* Coquæus *in notis ad hoc caput S. Augustini* scite observat, Herois nomen inanem quamdam gloriam præseferre consuevisse, quam viri sancti spernebant, & a qua religio Christiana abhorrebat; quo sensu S. Augustinus ait, se Martyres nostros fuisse Heroas appellaturum, si Ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur. Cumque idem Coquæus bene animadvertat, si non nomine, saltem re Heroes fuisse tot Christi Martyres, qui pro Fide mortem contempserunt, & sanguinem profuderunt; Heroes quoque, si non nomine, re fuisse tot Virgines Christianas, quæ Diaboli tentationes, carnis irritamenta, & mundi fortissime superarunt; Heroes denique tot Confessores, qui non humanam, sed Angelicam prorsus in terris vitam egerunt, ut late prosequitur Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 2. cap. 4. pag. 154. & seqq.* hinc sequitur, ut, sicuti *in primo libro* diximus, Sanctorum cultum a Martyribus ortum habuisse, deinde fuisse ad Confessores extensum, ita in præsenti dicamus, profana voce sanctificata, & posteriori usu comprobata, Herois nomen primum Martyribus, deinde Confessoribus additum fuisse. Unde Cardinalis de Aguirre *de virtutibus, & vitiis disput. 12. quæst. 1. sect. 1. num. 10.* allatis recitatis verbis S. Augustini, adjicit: *Hucusque Augustinus; quo præeunte, jam usus longævus invaluit, cum Heroum appellationem non modo in Martyres, sed etiam in eos Confessores, qui eximiis & admirandis virtutibus atque operibus longissimo spatio supergressi sunt ceteros homines non modo impios, sed & probos ac justos, qui lentiori gradu honestatem sequuntur.* Recte quoque adnotavit Esparza (*de virtutibus moralibus in communi quæst. 5. illat. de virtute heroica art. 5.*) *Verum, hoc aditu per Augustinum aperto, posteriores Scriptores absque ullo scrupulo dixere, dicuntque passim Heroas non modo Martyres Christi, sed & Confessores omnis generis suppares Martyribus præcellenti virtutum claritate, similiterque dicunt heroicas virtutes ipsas & operationes virtuosas præcipuo supremi cujusdam gradus fulgore præeminentes.* In Martyribus ut plurimum sola mors est, in qua residet heroicitas: in ea quippe una tanta quandoque heroicitas continetur, quanta in omnem vel jam anteactam, vel post agendam vitam poterat extendi. In Confessoribus vero heroicitas non parte aliqua continetur, sed totam respicit vitam, respicit obitum, & multiplex esse debet, multisque actibus & habitibus extensa, ut infra videbitur.

9. Nomini res succedit. Vera etenim virtus heroica, & quasi Divina, quæ ex dictis vix, aut ne vix quidem in Gentilibus locum habuit, servata fuit uni populo Dei in Lege veteri, & Ecclesiæ Catholicæ in Lege Gratiæ: quocirca Abrahamus constantiæ ac fidelitatis, Joseph castimoniæ ac pudoris, Job patientiæ invictæ, David mansuetudinis, Machabæi fortitudinis admirandæ honor & exemplum ante Evangelicam Legem prædicantur; & post adventum Christi Joannes Baptista omnimodæ innocentiæ, Apostoli perfectionis Christianæ, Martyres fortitudinis, Confessores constantiæ, Virgines pudoris intemerati exempla admiranda præstiterunt. Heroicæ virtutis genus Divinum & Theologicum ad eas tantum virtutes coarctatur, quas supra omnem naturæ exigentiam Deus animabus nostris infundit in ordine ad objectum, seu finem supernaturalem. Tales non modo sunt virtutes illæ inditæ a solo Deo, ut Fides, Spes, Charitas, quæ speciatim versatur in ipso Deo tanquam objecto, & fine immediato, sed etiam aliæ morales ejusdem supernaturalis ordinis, quæ non immediate versantur in Deo ipso, sed in alio objecto supernaturali, inferiori, & creato, quamvis mediate in Deum finem ultimum supernaturalem contendant & ordinentur. Sed, cum ratio & natura heroicitatis non sit inseparabiliter virtuti Divinæ, seu Theologicæ conjuncta, alioquin quotquot virtutibus Theologicis præditi sunt propter gratiam justificationis, immo & Christiani in statu peccati retinentes Fidem, ac Spem Theologicam censerentur virtute heroica præditi, quod absonum est; hinc fit, ut in his virtutibus natura sua Divinis, sive Theologicis tunc solum inveniatur ratio virtutis heroicæ, cum attingunt supremum illum perfectionis apicem, quo aliquis longissime supergreditur bonitatem aliorum justorum, qui lentiori conatu ad perfectionem Christianam aspirant: quod ipsum virtutibus moralibus applicatur, uti bene animadvertit sæpe citatus Cardinalis de Aguirre *de virtutibus, & vitiis disput. 12. quæst. 1. sect. 2. num. 19. & 20.* De his, qui virtutibus attingunt perfectionis apicem, & supergrediuntur bonitatem aliorum justorum, prædicatur illud Ecclesiastici *31. v. 9. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Omnes eosdem suspiciunt, laudant, mirantur, & quasi a longe reverentur, sicuti olim populus Apostolos, de quibus *Actor. 5. v. 12. & 13. Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis; ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat*

cos

eos populus : adeo nempe virtute supra ceteros eminere videbantur. Iidem dicuntur effecti consortes Divinæ naturæ, juxta illud 2. *Petri* 1. 4. & dicuntur habere similitudinem cum Christo, uti loquuntur S. Thomas *in libro moralium cap.* 3. & S. Bonaventura *in* 3. *sent. dist.* 34. *qu.* 1. Quæ tamen cum grano salis, uti dicitur intelligenda sunt; qua de re infra, cum perfecta participatio & similitudo Dei, & Christi sit omnino impossibilis, & quantacumque sit hominis perfectio, semper immensum quid atque infinitum sit illud quo creatura distat a Creatore. Quare S. Augustinus *de Natura & Gratia* (*cap.* 33. *col.* 143. *tom.* 10. *oper.*) *Absit autem ut ei* (loquitur de Pelagio) *dicamus, quod a quibusdam contra se dici ait, comparari hominem Deo, si absque peccato esse asseratur, quasi vero Angelus, quia absque peccato est, comparetur Deo. Ego quidem hoc sentio: quia etiam cum fuerit in nobis santa justitia," ut ei addi omnino nihil possit, non æquabitur creatura Creatori.*

10. Cohærenter ad hæc scribentes de Canonizatione dicunt, heroicitatem esse *eminentiam quamdam actus ex habitu Charitatis, & ejusdem gradus intentionem quamdam, a quo operationes potentiarum nostrarum ex imperio voluntatis habent, ut dirigantur ad eminentissimum supernaturalem finem, ut de proximo illum attingant*; quemadmodum totidem verbis heroicitas definitur a Scaccho *de not. & sign. sanct. sect.* 2. *cap.* 4. *pag.* 144. cum quo concordant late deducta per Baldellum *Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 2. *de Spe, & Charitate disput.* 8. *n.* 18. Apud Cardinalem de Laurea *in* 3. *lib. sent. t.* 2. *disp.* 32. *ar.* 3. *n.* 27. heroicitas Christiana dicitur *ille virtutis gradus, perfectio, seu fulgor, & excellentia, quæ facit, ut homo circa materiam illius virtutis supra communem aliorum hominum operandi modum operetur, & in hoc Deo similis sit* (idque late prosequitur Clericatus *decis. miscell. decis.* 108. *n.* 2. Maderna *quæst. Theolog. tom.* 2. *tract.* 6. *quæst.* 3. *ar.* 2. *nn.* 4. docet, actionem heroicam Christianam esse illam, *qua homo circa materiam alicujus virtutis, & circumstantiis consideratis, valde arduam, propter Deum modo excellentiori communem operandi modum hominum superante, & simili modo operandi Divino aliquam operationem exercet*. Lezana *tom.* 3. *Theolog. tit.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 11. *pag.* 407. describens virtutem heroicam Theologicam docet, esse *virtutem excellentissimo modo naturam excedentem, ad Dei similitudinem accedentem, & quodammodo Divinam*; & concordat Michael Angelus Lapius olim Fidei Subpromotor *in tract. de heroicitate virtutum in Beatificandis, & Canonizandis requisita p.* 33. Matthæuccius *in practica Theologico-Canon. tit.* 2. *c.* 1. *nn.* 3. probat, *heroicitatem Theologicam, & supernaturalem esse eminentem quemdam gradum & splendorem virtutis, ad quem homo ex speciali Dei gratia & motione pervenit ita, ut cum gaudio ad altiores & perfectiores gradus supernaturales moveatur cum abnegatione sui, hoc est cum postpositione sui affectus circa bona, & commoda temporalia & sensualia*. Pater Antonius Gonzalez ex Dominicana familia doctus & diligentissimus Postulator causæ S. Rosæ de Lima, in sua elaborata informatione super ejus virtutibus *num.* 10. & 11. ait, heroicitatem esse *quamdam eminentiam virtutis in summo gradu, ad quem homines ex Dei gratia supra communes aliorum vires evolant*. Petrus Franciscus de Rubeis olim Fidei Promotor in suis animadversionibus, quas exaravit occasione disputationis dubii de virtutibus in gradu heroico S. Joannis de Cruce, Heroem Christianum docuit esse eum, qui in Christianis virtutibus se exercet eminenti quodam modo, quo superet communem operandi modum ceterorum hominum, qui in eadem virtute se exercent; & Prosper Bottinus Archiepiscopus Myrensis ipse quoque olim Fidei Promotor in suis animadversionibus exaratis,, dum in sacrorum rituum Congregatione proponebatur de virtutibus heroicis Servi Dei Nicolai Factor, postquam probavit, non omnes operationes & actus imperatos per habitum virtutis infusæ *heroicos* dici posse, ne promiscue Fideles existentes in Gratia, & laudabiliter operantes *Heroes* dici possent, uti supra adnotatum est, qualitatem heroicam reducit ad actus illos, qui excedunt operandi modum, quem viri, etsi probi, sectantur. In eamdem ferme sententiam descenderunt sacræ Congregationis Consultores, quorum suffragia, cum ageretur de virtutibus heroicis Servi Dei Cardinalis Bellarmini, typis edita fuerunt, in Positione ejusdem causæ, quæ super eodem dubio proponi debebat, at proposita non fuit, dum ego fungebar munere Fidei Promotoris. In suffragio siquidem clar. mem. Cardinalis Capisucchii tunc Magistri Apostolici Palatii habentur hæc verba: *Præmittendum est, virtutem heroicam esse illam, quæ*

sive ob excellentiam operis, sive ob circumstantiam intervenientem, quæ opus difficillimum reddat, erumpit in actum superantem communem modum operandi humanum, itaut tunc quis heroice operari dicatur, cum operatur supra communem hominum, etiam virtuose operantium, conditionem. In suffragio Patris Abbatis de Mier Benedictini sic legitur: *Ut brevitati consulam, doctrinas omittam. Quid sit, & in quo consistat virtus heroica, vulgare est. Festinanti satis sit dicere, virtutem heroicam debere excedere communes eo porportionali modo, quo magnificentia excedit liberalitatem*. Pater Martinus de Esparza *de virtutibus moralibus in communi quæst.* 5. *illat. de virtute heroica art.* 10. admittit, Heroem esse, qui plerosque alios homines recte agentes splendore superat, & laude virtutis, sed ait, id non sufficere ad omnimodam cognitionem heroicitatis, quia equidem ejus substantia non tangitur, sed exprimitur proprietas quædam accidentalis, ex comparatione ducta; ita ut aliquid absolutum præcedere debeat, in quo heroicitas fundetur. Plura idem Auctor in opere citato subtilissime prosequitur; sed in suffragio suo ad causam supra memoratam Servi Dei Cardinalis Bellarmini clarius rem explicat his verbis: *Heroicitas virtutum non deprehenditur in Sanctis Confessoribus, sicut in Martyribus, ex uno, vel altero opere exteriori valde arduo ac difficili atque mirabili; quia tale aliquod particulare opus paucis Sanctis Confessoribus, & raro occurrisse legitur, & quibus occurrit, quique talia peregere, non inde præcipue æstimantur, nec reputantur Heroes sanctitatis, sed quia ante, & post, maxime vero postea usque ad obitum, perstitere in continua nunquamque interrupta vitæ innocentis serie, peragendo omnia juxta præcepta & consilia Evangelica cum circumstantiis conferentibus ad summos apices perfectionis quoad substantiam & modum singulorum operum, cumque firmo atque intenso rerum omnium terrenarum contemptu, & pari cum adhæsione ad Deum ac Divina. Quæ quidem agendi ratio uniformiter ac invariabiliter longo tempore retenta usque adeo prætergreditur humanæ naturæ sibi relictæ conditionem variabilem utique & inconstantem multiplici ex capite, maxime vero propter assiduum passionum assultum sibi invicem adversantium per intervalla, continuo vero pellicientium concorditer ad delectabilia, & tantumdem avertentium a tota honestate, nedum a supremo honestatis gradu: prætergreditur, inquam, usque adeo humanæ naturæ conditionem sublimis ea, ac diu invariata agendi ratio, ut proxime accedat ad sanctitatem Divinæ naturæ essentialiter invariabilem, ideoque ad heroicitatem Evangelicam se sola sufficiat; quia se sola constituit hominem perfectum ad eum modum, quo Pater noster cælestis perfectus est. In Bellarmino autem nostro ita eminuit incontaminata ejusmodi vitæ series, & perfectissimus quoad omnia & singula agendi modus ab ipsa prope infantia usque ad postremum ætatis suæ annum septuagesimum nonum inclusive, ut nullum in eo peccatum, vel etiam veniale perfecte deliberatum, sed neque ullus imperfectionis nævus adversus consilia Evangelica, aut Regulas Religionis observari tam longo tempore quoquam potuerit. Quam in rem non necesse est singulos aliquos testes appellare, quia totum summarium scatet ejusmodi elogiis juratis, & aliis non quidem juratis, fide dignissimis tamen, & fidem certam facientibus propter præeminentem deponentium qualitatem. Quidquod in generali totius vitæ Confessione pro ultimo agone ægre reperire potuit Confessarius materiam sufficientem ad validam absolutionem? Hic igitur incontaminatæ vitæ longus & perfectissimus ac exemplaris agendi modus pro omni statu, omni tempore, ac loco concludenter probat se solo heroicitatem omnium virtutum Cardinalis Bellarmini*. Romæ quoque anno 1722. edita fuerunt nonnulla suffragia Academiarum, sive Universitatum Theologicarum Parisiensis, Salmanticensis, & Patavinæ in causa cujusdam Dei Servi Apparitii, de qua infra. Porro in suffragio Patris Nicolai de Buizo de Spinazzola Minoris Conventualis & Theologi primarii pro Scoti doctrina in Universitate Patavina hæc habentur *pag.* 185. *Admoneo, heroicum esse vocabulum a Gentilitate in Christianos invectum. Significat vero apud Christianos virtutis gradum, perfectionem, & excellentiam, qua homo circa materiam virtutis alicujus supra communem aliorum hominum operandi modum operatur, & per hoc fit Deo similis & apparet*; & in suffragio Michaelis Verii Theologiæ Doctoris & publici Dialecticæ Professoris in eadem Universitate Patavina ita legitur *pag.* 216. *Virtus igitur heroica est habitus generalis complectens, quod summum est in omni virtute; & tantum ac tale humanæ rationis supra passiones prædominium causat in omni materia, ut nullum objectum*

N vim

vim habeat, aut facultatem ad Heroem deturbandum ab eo, quod a recta ratione fancitum fuerit. Hinc est, ut virtus heroica Divina potius esse, quam humana videatur.

15. Hæc sunt, quæ habentur apud scribentes de Beatificatione & Canonizatione. Nunc reliquum est, ut ea referantur, quæ pertinent ad praxim Sedis Apostolicæ, & Congregationis sacrorum rituum, cum quæstio instituitur de virtutibus, & earum heroicitate. Porro in eo, quod attinet ad præsentem inspectionem, ponderandum est primo, quæstionem institui non de virtute, aut virtutibus pure politicis, sed de virtutibus Christianis; cum illæ respiciant solum honestatem virtutis intra fines honestatis moralis consideratæ, hæ vero referantur vel actualiter, vel virtualiter in ipsum Deum uti finem supernaturalem: secundo vim & naturam quæstionis non constitui in virtutibus Christianis utcumque, sed in earum heroicitate: tertio, heroicitatem nihil aliud esse, quam operis excellentiam, quæ ab ipsa operis arduitate ut plurimum causam habet & originem; quæ enim communia sunt & ordinaria, non sunt excellentia, nec excitant admirationem, uti bene ostendit Maderna loc. cit. num. 6. & 7. quarto, operis excellentiam, & ejus arduitatem judicandam esse habita ratione circumstantiarum; si enim ex. gr. puer jejunet, uti legitur de S. Nicolao Myrensi Episcopo; id utique erit aliquid excellens, at tale non erit, si jejunium fiat ab aliquo jam viro facto; si Rex, aut Princeps infirmis ministret in nosocomio, uti legimus factum a S. Ludovico Rege Galliarum, id habebitur pro opere excellenti, at pro tali non habebitur, si fiat a viro infimæ conditionis. quemadmodum, has similesque circumstantias referendo, bene prosequuntur Scacchus de not. & sign. sanct. sect. 2. c. 1. pag. 1. 18. & seqq. Matta de Canon. SS. part. 4. c. 6. n. 71. Maderna de virtutibus in communi tom. 2. tract. 6. quæst. 3. art. 2. n. 6. Matthæucc. pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatific. & Canoniz. pertractandas tit. 2. cap. 1. §. 2. num. 39. quinto, in re & ad effectum, de quo agitur, paucos actus, licet heroicos, non sufficere; cum multiplex excellentia vitæ requiratur in Canonizandis, uti loquuntur Canonistæ in superioribus allegati, & cum de virtutibus constare dici non possit in gradu heroico, uti loquuntur Theologi, si multiplices non proponantur actus a Dei Servis eliciti, qui qualitate heroica præditi sint; veluti late ostendit citatus Scacchus de not. & sign. sanctit. sect. 2. cap. 2. pag. 122. & eadem sectione cap. 3. pag. 132. & pag. 138. & satis apte innuit Rosignolius de discipl. Christianæ perfectionis lib. 3. cap. 1. ubi sic loquitur: Quanta ratio conservandæ virtutis est ejus perpetuus usus & exercitatio, est enim virtutis talentum illud Evangelicum, quod nullo modo otiosum relinqui permittit Deus. Quare, ut obeantur virtutum officia, summopere vigilandum est, omnisque, quæ offertur, occasio avide arripienda: siquidem in virtutis curriculo qui non pergit, regreditur: sexto, multitudinem actuum, licet heroicorum, satis non esse, ut virtutes Beatificandi, & Canonizandi approbentur; satis enim non est, si ex pluribus heroicis actibus, ex. gr. virtutis Fidei heroicus habitus Fidei comprobetur, sed ulterius requiritur, ut ex aliis actibus juxta modum infra explicandum habitus heroici aliarum virtutum Theologalium, & Cardinalium demonstrentur, juxta eumdem Scacchum in cit. tract. sect. 2. cap. 3. pag. 133. ubi sic loquitur: Remanet igitur, omnium virtutum considerationem, & actorum considerandorum in actis Servorum Dei ad septem cum primis capita reduci debere, videlicet ad habitum virtutum infusarum, quæ sunt Fides, Spes, & Charitas, & ad habitus quatuor virtutum Cardinalium, seu moralium acquisitarum, quæ sunt Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia. Nam reliquæ omnes virtutum earumdem actus ad hæc capita reducuntur vel tamquam illarum partes subjectivæ, vel tamquam partes potestativæ, vel tamquam species ad sua genera, ex quarum ratione & natura, ex objecto, circumstantiis, ac fine acta Servorum Dei sigillatim in praxi expendenda, ac examinanda veniunt. Quæ tamen sic explicanda sunt & intelligenda, non ut in quolibet Beatificando, & Canonizando opus sit, ut probetur existentia virtutum tum Theologalium, tum Cardinalium in gradu heroico per multiplices heroicos actus ejusdem generis ex unaquaque prædictarum virtutum procedentes; sed ut in omnibus & singulis Beatificandis, & Canonizandis per actus multiplices heroicos probetur existentia virtutum Theologalium, & præcipue Charitatis, in gradu heroico; tum quia illi, qui ratione eximiæ perfectionis virtutum Theologicarum se integre devoverunt Deo, ut fini supernaturali, veluti fidelissimi servi, & carissimi filii, sicuti tota animi contentione se exercent in virtutibus Theologicis, ita per illarum illustrationem & imperium eliciunt toto impetu & conatu actiones virtutum moralium, uti loquitur Cardinalis de Aguirre de virtutibus, & vitiis disp. 12. quæst. 1. sect. 2. n. 20. tum quia Charitas est vinculum perfectionis, teste Apostolo ad Coloss. 3. cum de ea 1. Joannis cap. 4. v. 16. scriptum sit: Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo; eademque est aliis virtutibus major juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 66. art. 6. in corpore, ubi hæc habet: Cum autem tres virtutes Theologicæ respiciant Deum sicut proprium objectum, non potest una earum dici major altera ex hoc, quod sit circa majus objectum, sed ex hoc, quod una se habet propinquius ad objectum, quam alia. Et hoc modo Charitas est major aliis, nam aliæ important in sui ratione quamdam distantiam ab objecto: est enim Fides de non visis, Spes autem de non habitis; sed amor Charitatis est de eo, quod jam habetur, est enim amatum quodammodo in amante, & etiam amans per affectum trahitur ad unionem amati; & denique quia ab eminenti Charitate splendor & eminentia aliarum virtutum dependet, uti late explicant Scacchus loc. cit. sect. 2. cap. 4. pag. 147. Pater Antonius Gonzalez ex Dominicana familia in sua Dissertatione de heroicitate virtutum S. Rosæ Limanæ tit. De principio, forma, & radice, ex qua virtutis promanat heroicitas, Castellin. de certitudine gloriæ Sanctorum in Appendice ad cap. 4. sect. 1. num. 12. Matthæucc. tit. 2. cap. 1. §. 2. Probatis autem modo prædicto virtutibus Theologalibus in gradu heroico, necesse est, ut probetur virtutum quoque Cardinalium, seu Moralium existentia non semper per actus heroicos, sed quandoque per actus heroicos, quandoque per actus communes, restricta actuum heroicorum necessitate ad eas virtutes, in quibus Dei Servus, dum viveret, juxta suum statum & conditionem potuit se exercere, quemadmodum deducitur ex doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 152. art. 3. ad secundum: Nihil enim prohibet, alicui virtuoso suppetere materiam unius virtutis, non autem materiam alterius, sicut pauper habet materiam temperantiæ, non autem materiam magnificentiæ. Doctrinam hanc exornant Patres Salmanticenses in cursu Theol. tom. 3. tract. 12. de virt. disp. 4. dub. 2. §. 1. sub n. 23. ubi docent, materiam alicujus virtutis posse esse dupliciter alicui impossibilem, vel absolute & per se, quia subjectum natura sua est incapax talis actus, sicut Angelus est incapax passionum, quæ sunt materia Temperantiæ, & Fortitudinis, & suppositum Divinum est incapax peccati, quod est materia Pœnitentiæ; vel per accidens ex aliqua accidentali suppositione, ut conjugatus ex suppositione status non potest habere materiam virginitatis, cujus tamen erat capax absolute & per se, & pauper, supposita amissione divitiarum, non potest exercere magnos sumptus, qui sunt materia magnificentiæ, quos tamen absolute & secundum se non est impossibile exercere. Sequitur Rosignolius de discipl. Christian. perfect. lib. 3. cap. 1. ubi hæc habet: Quinta industria est, ut eas virtutes potissimum exerceamus, ad quas vel natura, vel Gratia promptiores sumus; eam enim promptitudinem vel naturæ inseruit Deus, vel gratuito donavit ad hunc finem, ut iis ipsis virtutibus excellamus: & ideo verisimillimum est, ad earum perfectionem in primis vocare nos Deum, ut iis bene confirmati, quidquid difficultatis & laboris aliarum virtutum usus habiturus est, facilius deinde superemus. Quod etiam de virtutibus cujusque status & vocationis propriis intelligendum est, eas enim virtutes colere nos Deus vult, quibus nititur, quibusque perficitur munus vocationis, in qua ab eo constituti sumus. Ad rem prosequuntur Collectar. in cap. 1. in principio de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, Contelor. de Canoniz. SS. cap. 15. num. 10. Pavin. in relatione causæ S. Bonaventuræ par. 4. art. 4. & 9. Simonet. in relatione causæ S. Francisci de Paula, §. Non videndum, Auditores Rotæ in relatione causæ S. Andreæ Corsini, par. 3. §. 0. penes Lezanam consul. 1. n. 225. Matthæucc. loc. cit. num. 37. ubi bene observat, quod, si quoad omnes virtutes heroicitas verificari deberet, frustra ageretur de causis Anachoretarum, Religiosorum, Conjugatorum, & Pauperum, cum ratione status Anachoretæ subsidiis temporalibus proximum juvare, Religiosi voto paupertatis obstricti indigentibus eleemosynas conferre, Pauperes magnificentiæ Christianæ actus elicere non valuerint. Quocirca Pater Garzonius olim Procurator Generalis Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis in suo suffragio super virtutibus Servi Dei Cardinalis Bellarmini typis edito, in ul-

in ultima Positione causæ dicti Cardinalis super virtutibus ita scripsit: *Insuper, licet in Canonizando prærequiratur omnium earumdem virtutum possessio, non tamen est necesse, quod per actus singulares verificentur, aut probentur singulæ in eminentia, quia non omnes Sancti eodem modo per singulas virtutes hac excellentia fulsere, sed alter magis in una, quam in alia; & ideo unius Sancti laudatur humilitas, alterius patientia, alius paupertas, quia illis magis præminebant, ac de illis factum fuit majus experimentum. Quare in Canonizando satis est probatio earum virtutum in gradu eminenti & heroico, de quibus oblata sibi fuit occasio, & secundum conditionem, gradum, ac statum suæ personæ, juxta omnium Doctorum sententiam.* Septimo, adnotare quoque fas est, virtutum excellentiam per actus, licet multiplices & heroicos, probatam dici non posse, si prompte, facile, & cum delectatione prædicti actus eliciti non fuerint; veluti fuse demonstratur a Cardinali de Lauræa *in 3. lib. sent. disp. 32. art. 6. num. 77.* quod ipsum late prosequitur Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 2. cap. 4. pag. 150. & 151.* ubi hæc habet: *Facilitas & promptitudo potentiæ in producendis actibus virtutum est nota & signum habitus jam acquisiti. Delectatio demum in productione actus est nota habitus jam acquisiti, & intensi. Denique, si delectationi conjuncta sit suavitas, quam aliquis experiatur in eliciendo aliquem virtutis actum per ordinem ad finem supernaturalem ex instinctu Charitatis, hujusmodi suavitas & delectabilitas est nota & signum heroicitatis, quæ ex sua natura promptitudinem & delectationem quamdam cum suavitate præstat, ac generat in potentiis producentibus proprios actus.* Idque pluribus astruit Maderna *in cursu Theologic. tom. 2. tract. 6. de virtutibus in communi quæst. 3. de virtute heroica art. 2. n. 17.* Tandem, ut proposito de virtutibus heroicis dubio affirmando responderi possit, oportet, ut Heros semper fuerit idem, hoc est ut non defecerit a semita virtutis; ut docet Cardinalis de Aguirre *in tract. de virtutibus, & vitiis disp. 12. quæst. 2. sect. 2. n. 25.* ubi sic loquitur: *In quocumque autem gradu habeatur virtus heroica, non modo nullum permittit vitium, aut actionem deliberatam qualitercumque turpem, verum nec omissionem actionis cujuspiam honestissimæ & perfectissimæ juxta circumstantias personæ, temporis, & loci, in quibus oportuerit illam exercere. Itaque nihil abjectum, nihil vile unquam secum admittit, neque ullam morum imperfectionem, etiam culpa vacantem, ex plena deliberatione, sed semper & ubique retinet illam sublimitatem animi toto impetu tendentis ad summam honestatem, & imitationem Dei; quamvis in hoc, ut dicebamus, sit gradus summus, medius, & infimus juxta summam, mediam, & infimam intensionem habitus heroici, qui potest intendi magis ac magis sine termino certo.* Quod late prosequuntur Pater Martinus de Esparza *in tract. de virtutibus moralibus in communi quæst. 5. illat. de virtute heroica pag. 208. & seqq. Rom. edit. ann. 1674.* ac Matthæuccius *loc. cit. §. 2. num. 35.* quæ quomodo intelligenda sint, alibi explicabitur, quando videlicet tractabitur de peccatis; de quibus aliquando incidit quæstio in examine causarum Servorum Dei.

12. Dices, tum juxta Philosophos, tum juxta Patres Ecclesiæ virtutes esse inter se connexas, ita ut unam ex eis habens ceteras habere dicendus sit; atque hinc inferes, non esse necessarium, ut de unaquaque virtute probationes particulares afferantur, sed satis esse debere, ut una tantum ex eis probetur; qua probata, aliæ quoque probatæ censentur. Negari sane non potest, Philosophos sensisse, cum, qui habet unam virtutem, alias quoque habere; uti desumitur ex Tullio *lib. 4. de officiis*, & ex Aristotele *Ethic. lib. 6. cap. ult. in fine* ubi ait: *Sed, & hoc eodem modo dilui, ac refelli potest ea ratio, qua disputare possit aliquis virtutes inter se separari. Non enim idem ad omnes virtutes aptissimus est natura. Itaque hanc jam adeptus est, illam autem nondum erit consecutus. Nam in iis quidem virtutibus, quæ a natura ingenerantur in nobis, hoc evenire potest; in iis autem, ex quibus absolute vir bonus nominatur, non potest. Una enim cum prudentia, quæ una est, ceteræ omnes præsto aderunt.* A qua sententia aliqui Ecclesiæ Patres non recedunt, cum S. Ambrosius *lib. 2. de offic. cap. 8. num. 43. col. 80. tom. 2. oper.* ita scribat: *Promptius tamen nos justo viro, quam prudenti committimus, ut secundum usum vulgi loquar. Ceterum Sapientum definitione, in quo una virtus est, concurrunt ceteræ, nec potest sine Justitia esse Prudentia*; & S. Hieronymus *in epistola 66. ad Pammachium* hæc habeat (*num. 3. col. 362. oper. tom. 1.*) *Quatuor virtutes describunt Stoici ita sibi invicem nexas & mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam.* Nihilominus si res ea, qua decet, diligentia examinetur, unusquisque facili negotio deprehendet, non omnino subsistere ea, quæ modo dicta sunt, aut saltem assumptioni jam positæ nullatenus obstare.

13. De habitibus virtutum Theologicarum, hoc est de Fide, Spe, & Charitate, olim quæstio erat inter Theologos, an una cum Gratia in Baptismo infunderentur. Plerique enim ante Innocentium III. existimabant, adultis cum justificatione infundi habitus virtutum, præsertim Theologicarum, licet aliqui ex speciali ratione negarent, tales habitus parvulis in Baptismate infundi; veluti desumitur *ex cap. Majores, de Baptismo*, & probat Suarez *lib. 6. de Gratia cap. 8.* In Concilio Viennensi sub Clemente V. habita fuit tanquam probabilior sententia astruens, tum adultis Gratiam infundi, & virtutes, uti habetur *in Clementin. unic. de Summa Trinitate, & Fide Catholica.* Cumque postmodum in Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 7. de justificat.* sic decretum sit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem*; probabile nonnullis admodum videtur, post Tridentinum de Fide esse, justificatis dari habitus infusos Fidei, Spei, & Charitatis: ita Suarez *loc. cit. §. 14.* & Vega *in Conc. Trid. lib. 7. cap. 6.* Rursus, amissa per peccatum Charitate, nisi forte peccatum sit Infidelitatis, certum est, Fidem remanere, quæ, licet informis sit, & non viva, nihilominus est vera Fides. Quocirca in Concilio Tridentino *cit. sess. 6. de justificat. can. 28.* sic decernitur: *Si quis dixerit, amissa per peccatum Gratia, simul & Fidem semper amitti; aut Fidem, quæ remanet, non esse veram Fidem, licet non sit viva, aut eum, qui Fidem sine Charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* & licet ibi sacrum Concilium solum de virtute Fidei loquatur, ex ejus nihilominus doctrina *eadem sess. 6. de justificat. cap. 6.* ubi Spem in peccatore agnoscit, *In Spem eriguntur fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore*, sufficienter infertur, amissa per peccatum Charitate, præter Fidem remanere Spem, nisi peccatum sit desperationis. Quibus proinde præmissis, connexio virtutum Theologalium inter se non ab ipsarum natura, sed a Dei liberalitate, qui, quando aliquem sanat, perfecte sanat, in prima ipsarum infusione verificatur.

14. Exclusa necessaria connexione virtutum Theologalium inter se, videndum est de connexione virtutum prædictarum cum virtutibus moralibus, & de connexione virtutum moralium inter se. Adhuc sub Judice lis est, an dentur habitus virtutum moralium, & sic an eorum fiat infusio una cum habitibus virtutum Theologalium. S. Thomas *1. 2. quæst. 63. art. 3.* quærit, *Utrum aliquæ virtutes morales sint in nobis per infusionem*; & affirmando respondet, quia oportet, ut effectus suis causis & principiis proportione respondeant: unde, quemadmodum omnes virtutes tam intellectuales, quam morales, quæ nostris actibus acquiruntur, procedunt ex quibusdam naturalibus principiis in nobis jam existentibus; ita necesse est, ut virtutibus Theologicis, quibus ad finem supernaturalem ordinamur, quæque nobis a Deo conferuntur, respondeant alii habitus divinitus in nobis effecti, qui sic se habeant ad virtutes Theologicas, uti se habent virtutes morales, & intellectuales ad principia naturalia virtutum: & latissime docent Patres Salmanticenses *in cursu Theolog. tom. 3. tract. 13. disp. 3. per totam.* Scotus contra *in 3. sent. dist. 36. quæst. unic. art. 3.* præter virtutes morales acquisitas non admittit in homine Fideli morales infusas: cum enim ipse, & alii, qui eum sequuntur, dicant, Infidelem ad Fidem venientem, & justificatum omnia scire, quæ dictat Fides, tum quod juste & caste vivendum est, & fortiter agendum aliquando ex necessitate, aliquando autem ex utilitate obtinendi ultimum finem supernaturalem Fide cognitum, & per Charitatem dilectum; hinc inferunt, virtutes has morales infusas non esse admittendas, cum sine illis ipsarum actus ex dictamine Fidei, & determinatione Charitatis ad finem supernaturalem dirigi valeant. Glossa *in cit. Clement. unic. in verb. Sanctorum ac Doctorum, de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, utramque prædictam refert opinionem: ex quarum proinde contrarietate nemo est qui non videat, certo asseri non posse, connexionem reperiri inter habitus virtutum Theologalium, & moralium, exemplo potissimum parvulorum, qui (uti dictum est) in Baptismo recipiunt habitus infusos virtutum Theologalium; sed juxta eorum sententiam, qui non admittunt

habitus infusos virtutum moralium, hos absque dubio recipere non possunt.

15. Simile judicium ferendum est de connexione virtutum moralium inter se, cum experientia constet, aliquos esse humiles, sed non fortes. Scribit enim S. Gregorius Magnus *lib. 22. moral. cap. 1. num. 2. (col. 697. oper. tom. 1.) Sæpe quosdam pudicos quidem vidisse nos contigit, sed non humiles, quosdam vero quasi humiles, sed non misericordes, quosdam quasi misericordes, sed nequaquam justos, quosdam vero quasi justos, sed in se potius, quam in Domino confidentes*. Ideoque connexio virtutum solum necessaria esse videtur, ut sint omnino perfectæ; quemadmodum prosequitur idem S. Gregorius *loc. cit.* ubi sic loquitur: *Una itaque virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta. Ut enim, sicut quibusdam visum est, de primis quatuor virtutibus loquar, Prudentia, Temperantia, Fortitudine, atque Justitia, tanto perfectæ sunt singulæ, quanto vicissim sibimet conjunctæ; disjunctæ autem perfectæ esse nequaquam possunt*. Concordat S. Thomas *1. 2. quæst. 65. art. 1. in corpore*, ubi docet, virtutes morales considerari posse, ut sunt imperfectæ, & sic non esse connexas; contra vero connexas esse, si considerantur uti perfectæ; & *quæst. 73. art. 1. ad secundum*, ait, per habitum vitii amitti virtutem illi oppositam, & ex hujus amissione alias amitti virtutes, quantum ad rationem perfectam & formalem virtutis. Cumque in Beatificando, & Canonizando virtutes debeant esse non imperfectæ, sed perfectæ, hinc fit, de earum connexione esse videndum, ut dignoscatur, utrum fuerint perfectæ, an imperfectæ; atque adeo non sufficere probationem unius virtutis, sed omnium probationem requiri: non ita quidem, ut Beatificandus, & Canonizandus debuerit in omnibus heroice se exercere, cum sufficiat, sicuti dictum est, ut Heros fuerit in Fide, Spe, & Charitate, & eodem modo Heros fuerit in eis virtutibus moralibus, in quibus juxta statum suum potuit se exercere, cum præparatione animi ad sic se gerendum in aliis, si occasio oblata fuisset eas exercendi. Quocirca S. Hieronymus, qui *loc. cit.* connexionem virtutum admisit, ita ut unam habens alias habere dicendus sit, *in lib. 1. contra Pelag. n. 19. (col. 700. oper. tom. 2.)* interroganti Critobolo, *Et quomodo legimus, qui unam habuerit, omnes videtur habere virtutes*; respondet Atticus: *Participatione, non proprietate. Necesse est enim, ut singuli excellant in quibusdam*. Desumitur id quoque ex doctrina D. Thomæ *2. 2. quæst. 129. art. 3. ad secundum*, ubi connexionem explicat virtutum, & docet, esse intelligendam non quoad actus, sed quoad animi dispositionem; quod ipsum repetit *quæst. 152. art. 3. ad secundum*. Uberrime materia explicatur a sæpe citatis Patribus Salmanticensibus *cit. tom. 3. in 1. 2. D. Thomæ, qu. 65. dispu. 4.* Estius *in 3. lib. sent. dist. 36. §. 2.* ita scribit: *Quod autem negant interdum Patres, in uno homine, etiam Sancto, omnes inesse virtutes, quamquam de excellentia virtutum accipi potest, aliis enim virtutibus excelluerunt &c. potest nihilominus & de virtutibus intelligi, in quantum sunt habitus quidam, quibus expedite & delectabiliter operamur. Nam ad hunc modum non sunt omnes virtutes in iis, qui Charitatem habent, sed saltem secundum præparationem voluntatis ad ipsa virtutum opera loco & tempore exequenda; ita ut in Charitate tanquam in radice, omnes existere dicantur, juxta illud Gregorii homil. 27. in Evangelia: Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una Charitate generantur. Hoc autem sufficere ad rationem virtutis Christianæ, quæ in Charitate radicaliter existens cum aliis connexionem habeat, ostendimus ad dist. 27. lib. 2.* Concordat Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 2. disp. 4. art. 5. num. 76.* ubi concludit, in homine simpliciter, seu perfecte morali virtutes esse necessario connexas; & *art. 6. num. 97.* virtutes morales esse inter se hoc sensu connexas, ut habens unam veram virtutem alias habere debeat saltem præparatione animi, cum proposito videlicet implicito, aut explicito eas exercendi, si occasio suppeteret, adjiciens *in cit. art. 5. num. 84.* juxta praxim Sedis Apostolicæ probandas esse in Beatificando, & Canonizando omnes virtutes modo supra explicato: *Probatur ex facto, & praxi Ecclesiæ, quæ in Beatificatione & Canonizatione Sanctorum, tanquam perfectorum virorum, qui proponendi sunt ad imitationem, non est contenta de probatione alicujus virtutis, sed exigit probationem omnium (licet non sit necessarium, ut semper eis usus sit Servus Dei Beatificandus, neque ut omnes fuerint in gradu heroico, quia Sanctus Hieronymus existimat, id nunquam accidisse). Sufficiat autem nunc scire, quod ii existimantur perfecti ab Ecclesia, qui virtutes omnes habuerunt, & hi digni sint Beatificatione*. Concordat Matthæuccius *cit. tit. 2. cap. 1. §. 1.* itemque D. Thomas *1. 2. quæst. 66. art. 2.* ubi, proposita quæstione, *Utrum omnes virtutes simul in eodem existentes sint æquales*, eademque resoluta, distinguendo inter æqualitatem speciei, & æqualitatem proportionis, secundo loco sibi contrarium argumentum opponit: *Præterea, si omnes virtutes essent æque intensæ in uno & eodem, sequeretur, quod quicumque excederet aliquem in una virtute, excederet ipsum in omnibus aliis virtutibus. Sed hoc patet esse falsum, quia diversi Sancti de diversis virtutibus præcipue laudantur, sicut Abraham de Fide, Moyses de mansuetudine, Job de patientia; unde de quolibet Confessore cantatur in Ecclesia, Non est inventus similis illi, qui conservaret Legem Excelsi, eo quod quilibet habuit prærogativam alicujus virtutis. Non ergo omnes virtutes sunt æquales in uno, & eodem*. Sic autem argumento respondet: *Ad secundum dicendum, quod unus Sanctus laudatur præcipue de una virtute, & alius de alia propter excellentiorem promptitudinem ad actum unius virtutis, quam ad actum alterius*. Quod & ante D. Thomam dixerat S. Hieronymus *loc. cit.* asserens, eum, qui habet unam virtutem, ceteras habere participatione, & *num. 18.* idcirco necesse non esse, ut singuli excellant in singulis: unde in Salomone sapientia, in David mansuetudo, in Elia, & Phinees zelus, in Abraham Fides, in Petro perfecta dilectio, in Paulo studium excelluit prædicandi. Optime S. Gregorius Magnus *præfat. in exposit. libri Job cap. 6.* inquit (*col. 13. loc. cit.*): *Ut ergo noctis nostræ tenebras suo tempore editus, vicissimque permutatus stellarum, radius tangeret, ad ostendendam innocentiam venit Abel, ad docendam actionis munditiam venit Enoch, ad insinuandam longanimitatem spei & operis venit Noe, ad manifestandam obedientiam venit Abraham, ad demonstrandam conjugalis vitæ castimoniam venit Isaac, ad insinuandam laboris tolerantiam venit Jacob, ad rependendam pro malo bonæ retributionis gratiam venit Joseph, ad ostendendam mansuetudinem venit Moyses, ad informandam contra adversa fiduciam venit Josue, ad ostendendam inter flagella patientiam venit Job. Ecce, quam fulgentes stellas in cælo cernimus, ut inoffenso pede operis iter nostræ noctis ambulemus*. Quocirca S. Antonius, Sanctorum eremi incolarum Pater, dicebat, non esse a quolibet sancto viro omnes omnium virtutum præstantes actus exquirendos, teste Cassiano *lib. 5. de Instit. Cœnob. cap. 4. Vetus namque est Beati Antonii admirabilisque sententia, Monachum ... minime debere ab uno quamvis summo universa genera virtutum expetere. Alius enim scientiæ floribus exornatur, alter discretionis ratione robustius communitur, alter patientiæ gravitate fundatur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius simplicitatis gratia decoratur, hic magnanimitatis, ille misericordiæ, iste vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris studio superemines ceteros*. In rem eamdem recte Theophilus Raynaudus *oper. to. 8. de cultu Sanctorum speciali punct. 2. pag. 485. Exornantur quidem sancti viri decoribus omnium virtutum statui suo consentanearum. Tamen, sicut non omnis fert omnia tellus, sed est, quæ aliqua singulari fruge commendetur; ita Sancti plerumque unius alicujus virtutis singulariter præfulgentis decore nobilitantur, & non obstante virtutum omnium connexione .... una quæpiam est virens, quæ in eis eminet atque præcellit*.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

In quo proponuntur, & explicantur nonnullæ quæstiones ad heroicitatem Virtutum pertinentes,

1. EX dictis in capite præcedenti virtus Christiana, ut sit heroica efficere debet, ut eam habens operetur expedite, prompte, & delectabiliter supra communem modum ex fine supernaturali, & sic sine humano ratiocinio, cum abnegatione operantis, & affectuum subjectione. Unde S. Ambrosius *lib.* 2. *in Lucam cap.* 1. *num.* 19. (*col.* 1288. *tom.* 1. *oper.*) explicans illud, *Exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione*: inquit, *Nescit tarda molimina Sancti Spiritus gratia*. Et de Apostolis dicitur *in Actis* 5. *v.* 41. *Ibant (Apostoli) gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*: & *Sap.* 5. *v.* 4. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*. Ostendunt enim hæc omnia, proprium esse virtutis Christianæ heroicæ efficere, ut ea præditus operetur expedite, prompte, & delectabiliter, & cum abnegatione sui ipsius. Quæstio autem, quæ ex his oritur, in hoc consistit, utrum virtus heroica Christiana, ut id præstet, annexum debeat habere aliquod ex donis Spiritus Sancti, de quibus *Isaiæ* 11 *v.* 2. & 3. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*: quæ dona Spiritus Sancti sunt habitus, quibus homo perficitur ad prompte obediendum Spiritui Sancto, juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 4. Idem Auctor *art.* 5. docet, ea dona invicem connecti in Charitate, ita ut Charitatem habens omnia dona Spiritus Sancti habeat, quorum nullum sine Charitate haberi potest: *art.* 8. probat, virtutes Theologicas esse præferendas donis Spiritus Sancti, cum ea regant; sed in virtutibus moralibus eadem dona virtutibus præferri, cum perficiant vires animæ in comparatione ad Spiritum Sanctum moventem. At, ad propositam quæstionem ut redeamus, ei affirmando respondet Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 2. *disp.* 32. *art.* 6. *de virtute heroica*: communis enim virtus dat operari modo aliis communi, at heroica supra modum communem, & cum qualitatibus modo indicatis, quæ haberi non possunt, nisi ab altiori principio, & nobiliori, & efficacius movente, & sic ab uno, vel pluribus donis Spiritus Sancti: & sequitur Michael Angelus Lapius *in dissert. de virtutum heroicitate in Beatificandis & Canonizandis requisita pag.* 57. Contra Maderna *in cit. cursu Theologica tom.* 2. *tr.* 6. *de virtutibus in communi q.* 3. *de virtute heroica art.* 2. admittit quidem, in Christo omnes operationes fuisse ex donis Spiritus Sancti, cum ex citato loco Isaiæ de Fide sit, in ipso fuisse omnia prædicta dona; admittit etiam quandoque ad actus heroicos aliquod Spiritus Sancti donum concurrere; sed contendit *num.* 13. non esse de necessitate virtutis heroicæ, ut annexum habeat aliquod donum Spiritus Sancti, per quod ea præditus ex Dei instinctu operetur expedite & cum delectatione; sed ipsam virtutem supra communem modum intensam & perfectam efficere, ut qui illa præditus est, agat expedite, prompte, & delectabiliter supra communem operandi modum. Porro prima sententia est conformis doctrinæ D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. *in corpore, & ad primum*, & 2. 2. *quæst.* 159. *art.* 2. *ad primum*, & *in* 3. *sent. dist.* 34. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad primum*; & bene explicatur a Roligniolo *de discipl. Christian. perfect. lib.* 3. *cap.* 2. *Movet enim tunc Deus solus per se ipsum animum hominis non solum per virtutes Theologicas, & morales infusas, sed etiam per Spiritus Sancti dona, quæ in Isaiæ libro numerantur, Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, Timor Domini, qui sunt supernaturales habitus excellentissimi, semperque Charitatem comitantur. Quamvis enim apertum aditum Deus habeat in hominis animum per virtutes infusas sive Theologicas, sive morales, ad quædam tamen altissima virtutis officia exercenda immittit in hominem altissima illa dona, quibus quasi vinculis sibi maxime colligatum verset in omnem partem animum &c. Appellarunt forsan hujusmodi actiones Philosophi heroicas & purgati animi. Sancti Patres Spirituales, Deificas, & Divinas dixerunt. Qui enim hoc Divino Spiritu afflantur, non tam homines, quam quasi Dii sunt, quales fuerunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & viri Apostolici tam multi, qui præstantissimorum bonorum munerum beneficio a mortalibus & plusquam homines, & tanquam celestes viri suspiciuntur.*

2. Similis huic quæstioni alia est, an virtus heroica differat specie a non heroica. Negative respondetur a Cardinali de Lauræa *loc. cit. art.* 8. cum tam virtus Christiana heroica, quam non heroica ad summum Bonum supernaturale tendat, & heroicitas nihil aliud sit, quam perfectio virtutis, quæ idcirco efficere non potest, ut hæc ab illa differat specie. Hæc est etiam sententia D. Thomæ, qui 3. *part. quæst.* 7. *art.* 2. proposita quæstione, *Utrum in Christo fuerint virtutes*, & affirmando resoluta, ita sibi ipse opponit: *Secundum Philosophum 7. Ethic. virtus dividitur contra quendam heroicum, sive Divinum habitum, qui attribuitur hominibus Divinis: hic autem maxime convenit Christo: ergo Christus non habuit virtutes, sed aliquid altius virtute.* Cui oppositioni sic respondet: *Ad secundum dicendum, quod habitus ille heroicus, vel Divinus non differt a virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorem modum, in quantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quam communiter omnibus competat. Unde per hoc non ostenditur, quod Christus non habuerit virtutes, sed quod habuerit eas perfectissime ultra communem modum, sicut etiam Plotinus posuit quemdam sublimem modum virtutum, quas esse dixit animi purgati.* Concordat Scotus *in* 3. *sent. dist.* 34. *quæst. unic. num.* 22. *In omni bonitate assignat quatuor gradus, qui sunt ejusdem habitus in specie, scilicet perseverantiam, continentiam, temperantiam, & heroicam. Perfectissima igitur virtus in eadem specie manens est heroica.* Et prosequitur Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 1. *quæst.* 7. *art.* 2. *Virtus heroica non differt essentia a virtute communi, quia in eadem materia, & sub eadem ratione formali, seu motivo versantur; & perfectio, quam addit virtus heroica, solum est, ut parum, aut nihil habeat admistum vitii contrarii, & facilis & expedita sit ad ferventem & perfectum actum virtutis eliciendum, quæ perfectio accidentaria manifeste est.*

3. Ex his quoque, quæ paulo ante dicta sunt, virtutem videlicet heroicam Christianam præstare, ut agens agat prompte, delectabiliter, cum abnegatione sui ipsius, propter finem supernaturalem, quæstio alia oritur, an virtus heroica, ut talis sit, debeat esse virtus purgati animi, ita ut virtus, quæ non est purgati animi, heroica esse non possit. Pro cujus quæstionis resolutione prænotandum est, juxta Platonicos virtutes Cardinales dividi in virtutes politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares. Virtutes morales, seu Cardinales in Deo sunt eminenter uti exemplaria; unde *Ps.* 10. *v.* 8. legitur de Justitia, *Justus Dominus, & Justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*; de Fortitudine *Genes.* 46. *vers.* 3. *Ego sum fortissimus Deus*; de Temperantia *Exod.* 34. *vers.* 6. *Deus .... patiens, & multæ miserationis, ac verax*; de Prudentia *Job* 26. *v.* 3. *Et Prudentiam tuam ostendisti plurimam*. Quamobrem optime D. Thomas 1. 2. *quæst.* 61. *art.* 5. admissa distinctione virtutum moralium in politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares, docet, exemplar humanæ virtutis in Deo præexistere, sicut & in eo præexistunt omnium rerum rationes, & sic virtutes, prout sunt exemplariter in Deo, dici *exemplares*. Prosequitur idem S. Doctor virtutes easdem, prout in homine sunt, & docet, *politicas* vocari, quod secundum eas homo recte se habeat in rebus humanis gerendis: quocirca de Salomone prudenter regnum gubernante dicitur 3. *Regum cap.* 3. *v.* 29. *Dedit quoque Deus Sapientiam Salomoni, & Prudentiam multam nimis*; de Justitia *Psalm.* 71. *v.* 1. *Deus judicium tuum Regi da, & Justitiam tuam filio Regis, judicare populum tuum in Justitia*; de Fortitudine *Eccli.* 7. *v.* 6. *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*; & de Temperantia *Eccles.* 10. *v.* 17. *Beata terra, cujus Rex nobilis est, & cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam*. Item a virtutibus politicis transitum facit S. Doctor *loc. cit.* ad virtutes purgatorias, quarum ope pugna instituitur pro animi passionibus rationi subdendis.

Pro

Pro his virtutibus purgatoriis faciunt ea, quæ sequuntur. De Prudentia siquidem *Proverb. cap.* 3. *v.* 13. legitur: *Beatus . . . qui affluit Prudentia; cap.* 4. *v.* 1. *Attendite, ut sciatis Prudentiam; cap.* 9. *v.* 6. *Ambulate per vias Prudentiæ:* & *Matth.* 10. *v.* 16. *Estote ergo Prudentes, sicut serpentes.* De Temperantia, *Eccli.* 31. *v.* 34. *Qui autem abstinens est, adjiciet vitam; Tobiæ* 3. *v.* 16. *Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia;* & *Job* 31. *v.* 9. *Si deceptum est cor meum super muliere...., scortum alterius sit uxor mea.* De Justitia *Eccli, cap.* 4. *v.* 33. *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro Justitia.* De Fortitudine *Tobiæ cap.* 6. *v.* 13. *Forti animo esto, in proximo est, ut a Deo cureris.* Purgatoriis demum virtutibus succedunt virtutes jam purgati animi, ita scilicet, ut Prudentia sola Divina intueatur, Temperantia terrenas cupiditates nesciat, Fortitudo passiones ignoret, Justitia cum Divina mente perpetuo foedere societur, eam scilicet imitando, uti totidem verbis loquitur S. Doctor *loc. cit.* Exempla hujus virtutis animi purgati habentur in sacra Scriptura: cum enim Job tot & tanta mala in bonis naturæ perpessus calamitatum nuntios recepisset, minime turbatus ait *cap.* 1. *v.* 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit . . . sit nomen Domini benedictum.* Alia collecta legi possunt exempla a Cardinali de Lauræa *in* 3. *lib. sent. t.* 2. *disp.* 5. *ar.* 3. cum nobis satis sit innuisse prædictam virtutum divisionem, de qua etiam loquitur S. Bonaventura *in* 3. *sent. dist.* 33. *quæst. ult.* ubi ait: *Virtutes Cardinales respiciunt quadrifariam distinctionem, quia quædam sunt exemplares, quædam politicæ, quædam purgatoriæ, quædam animi jam purgati.*

4. Pater Antonius Gonzalez ex Dominicana familia *in cit. dissert. de virtutibus heroicis S. Rosæ de Lima* docet, virtutem heroicam non esse purgatoriam, sed purgati animi, & sic virtutem in statu unionis. Postquam enim docuit, virtutem heroicam esse quamdam eminentiam virtutis in summo gradu, & divisit virtutes in politicas, purgatorias, & animi purgati, dixitque, virtutem communem respondere viæ purgativæ, virtutem purgatoriam viæ illuminativæ, & virtutem purgati animi viæ unitivæ, ita concludit: *Exinde ergo deducitur, quod virtus in via illuminativa non est heroica, siquidem non operatur promptitudine & delectatione, sed difficiliter propter ignaviam voluntatis nondum ardente amoris unione calefactæ. Solum igitur virtus in statu unionis hanc facilitatem habet, quatenus operatur supra communem modum faciliter, & sine violentia, seu renitentia voluntatis. Unde sicut communiter quilibet virtuosus in parvis & minimis operatur, ita qui est adeptus felicem unionis statum, circa difficillima propter Dei amorem continua promptitudine, tranquillo animo, & quasi per modum naturæ versatur. Idcirco inquit Divus Thomas, & alii Auctores modo citati, quod virtus heroica non est purgatoria, sed purgati animi, id est, est virtus in statu unionis. Ipsa vero unio ad Deum, in qua virtus heroica consistit, non est illa unio, quæ communiter per Gratiam fit in via purgativa, sed est modus unionis animæ jam purgatæ cum Deo per quemdam contactum substantialem, quo præsens, & unitus sentitur. Tunc est ista unio, quando potentiæ spirituales animæ, quantum permittit vitæ præsentis status, Deo adhærent, intellectus per cognitionem pene continuam, & velut evidentem, voluntas denique per amorem non tantum desiderii, sed quodammodo fruitionis: siquidem jam Dei (licet imperfecta, quia non est clare visus) est possessio.*

5. Pro intelligentia nonnulla essent hic exponenda de statu incipientium, proficientium, & perfectorum, necnon triplicis viæ, purgativæ, illuminativæ, & unitivæ: sed de his aliqua innuentur, cum infra tractabitur de oratione, intereaque satis est noscere, heroicitatem virtutum moralium, seu Cardinalium juxta sensum citati Auctoris dari non posse, nisi virtus sit purgati animi; cui eidem sententiæ adhæsit Petrus Franciscus de Rubeis in suis animadversionibus factis in causa S. Joannis de Cruce super dubio virtutum in gradu heroico. En ejus verba: *Expendendum pariter erit, quod virtutes Cardinales in gradu heroico sunt, quando, passionum insultibus jam purgatis, illæ a Deo solum, & in summa perfectione tenent animam hominis, utpote si Temperantia terrenas concupiscentias ignoret, Fortitudo passiones nesciat, Prudentia solis Divinis intendat, Justitia mentem cum Deo perpetuo fœdere conjunctam teneat, quas solummodo Glossa in Clementina finali de Hæreticis inquit esse hominum totaliter purgatorum a molestiis passionum, & virorum perfectissimorum in hac vita.* Id ipsum innuit Cardinalis de Aguirre *in tract. de virtutibus, & vitiis disp.* 12. *quæst.* 3. *sect.* 2. *num.* 18. *Virtus heroica communiter censetur illa, quæ alias purgati animi dicitur.*

6. At, admisso, ut virtus purgati animi sit excellens & heroica, sicuti dixerunt Rotæ Auditores in relatione causæ S. Teresiæ *tit. de sanctitate vitæ in specie &c. His itaque suppositis, virtutes Beatæ Teresiæ adeo excreverunt, ut dictum heroicum gradum attigisse judicaverimus, & quod merito censeri debeant ex illo genere virtutum, quas Divus Thomas virtutes purgati animi appellat;* hinc tamen inferri nequit, heroicam esse non posse virtutem, quæ non sit virtus animi purgati. Et initio ducto a citata Glossa *in Clementina finali, de Hæreticis, in verb. Sexto quod se &c.* ea quidem distinguit virtutes in purgatorias, & purgati animi, docens, virtutes purgatorias esse virtutes hominum nondum purgatorum a passionum insultibus, & sic non summe perfectorum, sed ad id toto conatu tendentium; virtutes autem purgati animi esse virtutes, quibus prædicti sunt homines totaliter purgati a passionum molestiis: post quæ Glossa subjicit, id esse proprium Beatorum in patria, vel paucissimorum in hac vita perfectissimorum. Sed, his traditis, citata Glossa docens ulterius, virtutes purgatorias esse virtutes hominis imperfecti, hanc imperfectionem restringit ad defectum majoris perfectionis, quæ vel in Beatis in patria, vel in paucissimis in hac vita perfectissimis, uti dictum est, invenitur; eam vero non extendit ad defectum heroicitatis pro Canonizatione requisitæ. En verba Glossæ: *Hoc viso, sciendum est, quod dicere, imperfecti hominis esse se exercere in actibus virtutum moralium, reprimendo scilicet impetum passionum per judicium rationis, & imperium voluntatis, hoc est bene dictum, si sumamus imperfectum pro nondum habente summam perfectionem, ut prius dixi, qualem scilicet habent Beati in patria, & qualem habuerunt paucissimi in hac vita, scilicet Christus, Beata Virgo, primi Parentes in statu innocentiæ, & forsan alii ex privilegio speciali. Sed, si sumamus imperfectum pro vitioso, vel carente perfectione necessaria ad salutem, hoc est hæreticum. Apostolus enim, qui perfectissimus fuit in via, reprimebat insultus carnalium passionum, unde dicit in prima ad Corinthios &c. Item Jeremias, & Joannes Baptista, qui fuerunt sanctificati in utero, secundum Theologos habuerunt fomitem inclinantem ad venialia, licet non ad mortalia, & contra tales insultus bellaverunt; unde cantat Ecclesia de Joanne Baptista: Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti, ne levi saltem maculare vitam famine posses. Beatus Martinus legitur quod carnem spiritui servire cogebat. De Beato Benedicto Gregorius dicit, quod insultum carnalis tentationis repressit, projiciendo se inter urticas & spinas, ut per vulnera corporis educeret ab anima vulnus mentis.* Concordat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 61. *ar.* 5. *in corpore*, ubi docet, virtutes purgati animi esse Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. Subscribunt tum qui de Beatificatione, & Canonizatione, & de virtute heroica ad prædictum effectum scripserunt, tum alii, qui in sacrorum rituum Congregatione suffragium tulerunt de virtutibus heroicis Servorum Dei. Ad primam classem spectant hi, qui sequuntur, Almainus videlicet *in tract.* 3. *de virtutibus moralibus, & vitiis oppositis cap.* 12. *fol.* 56. *a tergo*, ubi sic ait: *Antiqui vocant gradum heroicum, quando ratione virtutis sunt ita sedatæ passiones, quod supra communem hominum facultatem non insurgunt, puta propter assuefactionem in operibus virtutis, vel quando parum insurgunt; nam est supra communem hominum facultatem, quod non insurgant, vel quasi non insurgant passiones;* Maderna *in curs. Theolog. tom.* 2. *tract.* 2. *quæst.* 3. *de virtute heroica art.* 2. *num.* 11. Clericat. *in decis. miscell. decis.* 108. *n.* 11. Matthæucc. *in practica Theologo-Canon. ad causas Beatificat. & Canonizat. tit.* 2. *cap.* 1. *num.* 12. & Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 2. *disput.* 32. *art.* 4. ubi docet primo, similitudinem cum Christo, quæ ex heroicitate virtutis oritur, non consistere in omnimoda ac perfecta purgatione passionum, ut sine ulla perturbatione quiescant, sicut erunt in Beatis, & sicut fuerunt in Christo Domino, & in Beatissima Virgine: docet secundo, similitudinem cum Christo, quæ ex heroicitate virtutis oritur, posse in hoc constitui, hoc est in purgatione secundum quid, quæ aufert radicitus fomitem, & passiones, sed ita coercet, ut vix, aut leviter insurgant. Pro hujusce rei explicatione videtur pendere posse, quod a S. Gregorio desumitur *lib.* 2. *moral. cap.* 16. (*col.* 49. *tom.* 1. *oper.*) *Nonnulli magnæ constantiæ Philosophiam putant, si disciplinæ asperitate correpti ictus verberum doloresque non sentiant; nonnulli vero tam nimis percussionum flagella sentiunt, ut immoderato*

dolore

dolore commoti etiam in excessum linguæ dilabantur. Sed quisquis veram tenere Philosophiam nititur, necesse est, ut inter utraque gradiatur: non est enim pondus veræ virtutis insensibilitas cordis, quia & valde insana per stuporem membra sunt, quæ & incisa dolere nequaquam possunt. Rursus virtutis custodiam deserit, qui dolorem verberum ultra, quam necesse est, sentit: quia, dum nimia afflictione cor tangitur, usque ad impatientiæ contumelias excitatur, & qui per flagella corrigere male facta debuerat, agit, ut nequitia per flagellum crescat. Contra insensibilitatem quippe percussorum per Prophetam dicitur: Percussisti eos, nec doluerunt, attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Contra pusillanimitatem percussorum per Psalmistam dicitur: In miseriis non subsistent.

7. Ad secundam pertinent classem (in qua etiam reponi possunt Cardinalis de Lauræa, & Matthæuccius, qui fuerunt sacræ Congregationis Consultores) Auditores Rotæ in relatione S. Petri Regalati (quæ in appendicibus dabitur) tit. de virtutibus in genere, ubi ita scripserunt: Virtutes autem habentur ab omnibus dupliciter: uno modo communi, & humano, & sic dicuntur virtutes politicæ, ex quo homo est animal politicum; alio modo excedenter, seu eminenter, quasi modo Divino, & tales virtutes a Philosopho heroicæ, seu Divinæ appellantur. Modus vero iste, seu ratio habendi virtutes hujusmodi heroicæ est duplex. Unus, prout homo est intendens ad talem perfectionem, quasi Divinam, & sic dicuntur virtutes purgativæ: alius vero, prout homo assecutus est terminum dictæ tendentiæ, quantum potest habere in præsenti vita, & secundum hoc dicuntur virtutes purgati animi, quales habuit Beatissima Virgo, & aliqui in hoc mundo perfectissimi &c. Ad effectum vero Canonizationis, virtutes istæ purgati animi non sunt necessariæ, sed sufficit, eas esse purgatorias, quæ sunt pariter virtutes heroicæ. Cardinalis Capisucchius in suo suffragio alias citato, quod protulit in causa Beatificationis Ven. Dei Servi Cardinalis Bellarmini: Nec vero existimandum est, heroicam virtutem esse illam, qua quis ita virtuose operaretur, ut motus appetitus sensitivi non sentiat, aut sine motibus naturalibus appetitus operetur. Ut enim optime docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 59. art. 2. si passiones dicantur inordinatæ affectiones, hæ non possunt esse in virtuoso, ita quod post deliberationem eis consentiatur: si vero passiones dicantur quicumque motus appetitus sensitivi, sic possunt esse in virtuoso, secundum quod sunt a ratione ordinatæ. Unde Aristoteles in 2. Ethic. cap. 3. ait, quod non bene quidam determinant virtutes impassibilitates quasdam, & quietes, quoniam simpliciter dicunt, sed deberent dicere, quod virtutes sunt quietes a passionibus, quæ sunt non ut oportet, & quando non oportet. Unde virtus heroica non removet passiones, sed illas cohibet, & superat. Unde & Apostolus Paulus certamen supponit in Christianis Heroibus, & in Sanctis adversus proprias passiones, ut iidem æternam assequantur coronam, cum ait: Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Et hoc ipsum idem Apostolus expertum se dicit in se ipso, cum sibi stimulum carnis datum dicit, qui eum colaphizet. Igitur virtutis heroicæ ratio in eo sita est, ut homo & proprias cohibeat passiones, & ita virtuose operetur, ut supra communem aliorum hominum, etiam virtuose operantium, conditionem operetur, & cum quadam facilitate, & alacritate. Pater Garzonius Procurator Generalis Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis in suo suffragio edito in eadem causa: Ad firmandam Servorum Dei sanctitatem juxta sacrorum Canonum, & summorum Pontificum sanctiones necessaria quidem prærequiritur eorumdem heroicitas, & eminentia virtutum tam Theologalium, quam moralium, seu Cardinalium, non tamen adeo perfectissima, ut ab omni & quacumque levi labe, aut animi, & passionum titillatione sit omnino immunis & purgata, cum ad hanc perfectissimam excellentiam solum pervenient Beati in patria, & pervenerint Christus Dominus, & Beatissima Virgo in via; verum illa excellentia sufficienter requiritur, quæ haberi potest ab homine viatore, illa scilicet, per quam elevatur animus ad quamdam Divinæ naturæ perfectionem & participationem, ac operetur ob finem supernaturalem supra communem hominum modum ex Dei dono, ac instinctu. Ita tamen, ut semper luctari debeat contra mundi, & tenebrarum potestates, contra quas habet occultam pugnam, per quam nunquam viator quiescit; nec ejus animus liber, aut omnino purgatus evadit, quia virtus in infirmitate perficitur: & sic omnes Sancti, & electi quasi in agone certarunt usque in finem. Sententia hæc autem retinenda videtur, non esse videlicet necessarium, ut virtus heroica sit virtus purgati animi; quod etiam confirmabitur ex iis, quæ infra dicentur, cum tractabitur de ærumnis atque tribulationibus Servorum Dei. Uno verbo, promptitudo, alacritas, & delectatio, quæ requiruntur, ut quis heroice operari dicatur, non excludunt passiones, sed cum eis cohærent, eoque magis si sint in gradu remisso; uti consideranti patet, & explicat Rosignolius de discipl. Christian. perfect. lib. 3. c. 3. Virtus est moderatrix affectionum hominis. Hæc ad omnes virtutes pertinet, sed præcipue ad eas, quæ in coercendis passionibus animi versantur, qualis est Fortitudo, & Temperantia: quare, cum dicitur virtus omnis perfectio, ideo dicitur, non quia radicitus passiones evellat, aut prorsus extinguat, sed quia earum vim & impotentiam frangit, & corrigit quidquid est in illis exsuperantiæ. Consonat doctrina D. Thom. 1. 2. q. 59. art. 2. & 3.

8. Aliquando Fidei Promotores, animadversa operis arduitate, quæ in constituenda actione heroica requiritur, controversiam excitarunt, an actio Christiana, ut heroica sit, debeat esse consilii, ita ut non sufficiat, si sit actio præcepti. Nonnullos nimis rigidos censores aliquando audivi asserentes, ea, quæ fiunt aut ratione Instituti, puta, si Religiosus servet quæ in Regula statuta sunt, si ab Episcopo ea patrentur, quæ ipsi facienda præscribuntur in sacris Canonibus; aut vi voti præcedenter emissi; bona esse & laudabilia, atque æternæ vitæ meritoria, si non desint, quæ adesse debent pro merito constituendo; sed ad apicem heroicitatis pertingere non posse; juxta illud Luc. 17. v. 10. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus: & juxta aliud Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus ... & veni, & sequere me. Verum ex prædictis assumptio non evincitur, quia illud Lucæ prolatum est ad suadendam humilitatem, juxta illud S. Bernardi (epist. 142. ad Monachos Alpense col. 148. vol. 1.) Inutiles vos reputatis, & humiles inventi estis. Recta facere, & inutilem se reputare, apud paucos invenitur, & ideo multi admirantur. Hoc, inquam, hoc prorsus vos de illustribus reddit illustriores, sanctiores de sanctis, & ubicumque divulgatus est sermo iste, replevit omnia odore suavitatis: & serm. 17. de diversis num. 1. (ibid. col. 1124.) Lucæ locum allegatum propter humilitatem concedit esse dicendum. Quod recte animadvertit Cardinalis Bellarminus controv. tom. 2. lib. 2. de Monachis cap. 13. num. 36. pag. 231. Adde, quod Dominus non ait: Servi inutiles estis; sed, Dicite: Servi inutiles sumus. Vult enim nos humiles esse, & non jactare nostra merita. Sed ipse tamen postea dicit: Euge, serve bone, & fidelis. Inutilem autem servum vocabit eum duntaxat, qui præceptis non obedierit, ut patet Matthæi 25. v. 30. in parabola de talentis: Inutilem (inquit) servum ejicite in tenebras exteriores: illud autem Matthæi a Domino indicatum est tanquam aliquid ad perfectionem conducens, non quia in eo stet perfectio: quemadmodum explicat D. Thomas 2. 2. quæst. 184. art. 3. ubi, proposita quæstione, Utrum perfectio consistat in præceptis, an in consiliis, eaque resoluta modo mox afferendo, oppositoque sibi textu allegato Matthæi, sic respondet: Ad primum ergo dicendum, quod in illis verbis Domini aliquid ponitur quasi via ad perfectionem, hoc scilicet, quod dicitur, Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Aliud autem subditur, in quo perfectio consistit, scilicet, quod dicit; Et sequere me. Unde Hieronymus dicit super Matthæum, quod non sufficit tantum relinquere, ideo Petrus adjungit, quod perfectum est, idest, Secuti sumus te. Ambrosius autem super illud Lucæ 5. Sequere me, dicit: Sequi jubet, non corporis gressu, sed mentis affectu; quod fit per Charitatem. Et ideo ex ipso modo loquendi apparet, quod consilia sunt quædam instrumenta perveniendi ad perfectionem, dum dicitur: Si vis perfectus esse, vade, & vende &c. quasi dicat: hoc faciendo, ad hunc finem pervenies. Idem S. Doctor loc. cit. in corpore docet, perfectionem per se, & natura sua consistere in Charitate, & sic in præceptis, secundario autem in consiliis, quæ omnia, sicut & præcepta, ordinantur ad Charitatem. Idem pariter 2. 2. quæst. 88. art. 6. proposita quæstione, Utrum magis sit laudabile, & meritorium facere aliquid ex voto, quam sine voto, dicit, triplici ratione melius esse & magis meritorium idem opus facere cum voto, quam sine voto; tum quia vovere est actus latriæ, tum quia ille, qui vovet aliquid, & facit, plus se Deo subjicit, quam ille, qui solum facit; & demum quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bono, quod ipsum latius prosequitur contra Gentiles lib. 3. cap. 138. num. 1. §. Videtur autem. Itemque postquam in 2. 2. quæst. 124. art. 3. ad primum, dixit, Martyrium non cadere sub præceptum, nisi in hypothesi, in qua aliquis a Persecutore deprehensus de Fide sua requiratur, quam confiteri tenetur; in supple-

men-

menis 3. partis quaest. 96. art. 6. ad primum haec habet: *Ad primum ergo dicendum, quod sustinere mortem propter Christum, quantum est de se, est opus supererogationis: non enim quilibet tenetur Fidem suam coram Persecutore confiteri, sed in casu est de necessitate salutis, quando scilicet aliquis a Persecutore deprehensus de Fide sua requiritur, quam confiteri tenetur; nec tamen sequitur, quod aureolam non mereatur. Aureola enim non debetur operi supererogationis, in quantum est supererogationis, sed in quantum perfectionem quamdam habet: unde, tali perfectione manente, etiamsi non sit supererogatio, aureolam aliquis mereretur.* Demum ex doctrina ejusdem S. Doctoris (ut alibi dictum est) habitus heroicus & Divinus non differt a virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorem modum, in quantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quam communiter omnibus competat. Ex quibus omnibus infertur, ad constituendum actum heroicum non esse necessarium, ut ejus materia spectet ad consilium, nec ab heroicitate excludi, quae fiunt ex praeceptis, vel ex Instituto, quod quis profitetur, aut ex voto, quod emisit, si cetera concurrant necessaria ad heroicitatem constituendam. S. Vincentius Ferrerius in sermone de S. Francisco *ante medium pag.* 403. sic loquitur: *Qui illam Regulam servat* (ab eo videlicet suis Religiosis praescriptam) *sanctus est, & quando moritur, posset canonizari: sed vix de mille unus servat.* Concordat Martinus Navarrus *comment. 4. de Regularibus (tom. 2. num. 17. circa medium): Adeo suspicio, & veneror Regulam illam altissimam Sancti Francisci, ut observantes eam ad unguem, & mentem Auctoris reputem esse quosdam incruentos Christi Martyres.* Jacobus Simoneta primum Rotae auditor, deinde S. R. E. Cardinalis, in relatione causae S. Francisci de Paula haec ad rem scribit: *Considerandum etiam plurimum puto, esse Religionem arctissimam, & in summa paupertate constitutam, quam ipse admodum adolescens instituit, ad extremumque vitae obitum constanter observavit. In qua quidem Religione qui profecerint, cunctis hominibus meliores esse existimat Augustinus, ut habetur in can. Quantumlibet, 47. dist. Quia, cum ex voto & voluntatem, & potestatem Deo subjecerint, felicique necessitate ad bonum compellantur, plus ceteris non profitentibus, seu voventibus mereri judicantur.* Porro aliter ratiocinando sequeretur absurditas, quia sequeretur, nullum actum heroicum elicitum fuisse a S. Teresia, cum sciamus, eam peculiari voto se obstrinxisse id semper agendi, quod perfectius cognovisset. Vetus argumentum est Sectariorum vota impugnantium, heroicitatem, atque adeo ipsam sanctitatem, non in obligatione, sed in libertate consistere juxta illud *Psalm. 53. v. 8. Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.* Inquiunt enim vota hanc libertatem auferre, & necessitatem imponere, & sic auferre heroicitatem, & sanctitatem. Fuse & docte de more id refellitur a Ven. Dei Servo Cardinali Bellarmino *lib. de Monachis cap. 18. pag.* 237. & fusius *cap.* 29. Et summa responsionis est, votum non auferre illam libertatem, quae requiritur ad laudem, ad meritum, ad heroicitatem; cum ut plurimum libentius fiat & promptius quod fit ex voto, quam quod fit sine voto. Votum siquidem ex se laetitiam gignit, cum ex magna charitate procedat, juxta illud 1. *Paralip. ult. v. 9. Laetatusque est populus, cum vota sponte promitteret; quia corde suo offerebat ea Domino.* Et quando res ipsa placet, & votum placet, meritum operantis ex voto augetur, superatque meritum eamdem rem operantis sine voto: quemadmodum bene docet S. Thomas *opusc.* 18. quod est *de perfectione cap.* 10. & 12.

9. Pro capitis complemento superest, ut examinetur assertio Patris Esparza in suffragio supra allegato, an videlicet Heros sit, qui toto tempore vitae suae innocentiam Baptismalem conservavit, ita ut immutabilitas ista satis sit ad constituendam Evangelicam heroicitatem: De hac controversia egerunt Rotae Auditores in relatione causae S. Aloysii Gonzagae: *Cum legitime constet* (verba sunt ipsorum) *Beatum hunc Adolescentem nunquam in toto vitae suae curriculo peccasse mortaliter, & in eo particulariter tam Theologicas virtutes, quam Cardinales eluxisse, ut infra dicemus; non abs re fore judicavimus, si ex eo, quod nunquam integerrimus Adolescens mortalis se labe peccati polluit, in eo superadditas virtutes fuisse, concludemus.* Prosequuntur iidem Auditores in praedicta relatione heroicitatem virtutum desumentes ab innocenti vita Beati, quem Confessarii plene testabantur toto vitae tempore nunquam mortaliter peccasse, ut in dicta relatione plene legi potest. Pater Andreas Budriolius Theologus Societatis Jesu alias a Nobis cum laude memoratus, & diligentissimus causae praedicti Sancti Postulator in sua elaborata & docta informatione super virtutibus, & super toto statu causae, quam exaravit, & obtulit sacrorum rituum Congregationi, dum ego fungebar officio Fidei Promotoris, & de exitu praedictae causae erat deliberandum, memoratam assumptionem Rotae Auditorum validis utique roboravit argumentis. Praemisit scilicet, omnes Sanctos vel propter innocentiam, vel propter poenitentiam Sanctos haberi, & sic duas esse in Ecclesia vias, seu titulos homines canonizandi, innocentiam videlicet, & poenitentiam; sed titulum tutiorem Canonizationis esse propter innocentiam, quam propter poenitentiam. Animadvertit enim, ab Ecclesia in Canonizatione alicujus definiri, eum in gratia atque amicitia Dei esse mortuum, ac propterea illis annumerandum, de quibus dicitur *Apocal. 14. v. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur*: cumque, ut Ecclesia id non temere, sed prudenter definire possit, debeat ante de hac finali saltem sanctitate Canonizandi certa esse, conclusit, prudentius ac tutius Ecclesiam judicaturam esse, obiisse Deo gratum atque amicum illum, qui gratus semper & amicus, gratiam & amicitiam perpetua vitae innocentia retinuit, quam alium, qui ingratus olim & inimicus, gratiam deinde & amicitiam per poenitentiam recuperavit. Addidit, quod cum constet de perpetua vitae innocentia, constat etiam de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, seu moralibus, prout Ecclesia requirit in Canonizando. Constat enim de Fide, Spe, & Charitate, quae infunduntur in Baptismo, necnon de virtutibus omnibus moralibus, quae juxta S. Thomae sententiam cum Charitate simul omnes infunduntur, nec, nisi per peccatum mortale, amittuntur. Et, quia providus & doctus vir opponi posse praevidit, per hanc viam procedendo, omnes pueros post Baptismum & ante usum rationis decedentes canonizari posse, adversus ea quae a Nobis dicta sunt *lib. 1. cap. 14. num.* 3. ut oppositionem evitaret, & in sola vitae innocentia heroicitatem constitueret, postquam probavit, ex innocentia vitae inferri virtutes Theologales, & Cardinales, his verbis doctrinam suam explicavit: *Simul autem constat & in gradu heroico habuisse. Nam, cum hominem adultum abstinere ab omni prorsus peccato gravi in omni genere per totam vitam, tum propter diuturnitatem temporis, tum propter latitudinem materiae, tum propter arduitatem ipsam rei durissimam humanae fragilitati necessitatem imponentis omnes omnis generis occasiones fugiendi, illecebras frangendi, tentationes superandi, sit per se opus heroicorum omnium heroicissimum, quod vel inde patet, quod etiam inter Sanctos tam pauci id assecuti perhibentur, ut merito admirabundus interrogaverit Ecclesiasticus,* Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: *quis non videt, ad tantae heroicitatis apicem, nisi per exercitium heroicum, si minus omnium (quod non est necesse) at certe plerarumque, & quidem praecipuarum virtutum perveniri non posse?*

10. Theorema hoc doctum, & ingeniosis profecto argumentis firmatum mihi non videtur ad praxim in re, de qua agitur, tuto deduci posse. Demus enim, continuatam innocentiam certo consequi virtutes non modo Theologales, sed etiam Cardinales; demus, heroicum esse non transgredi, cum quis potuit transgredi, nec mala facere, cum potuit; demus, id difficillimum esse, cum tot in hac mortali vita suppetant peccandi occasiones, quaerimus, quomodo de hac continuata vitae innocentia constare debeat Ecclesiae, quae certissimis inniti debet documentis, juxta alibi dicta, ut aliquem coetui Beatorum, aut Sanctorum adscribat. Tota vis necessario erit constituenda in attestationibus Confessariorum, quibus tantum patere potest, an Dei Servus mortaliter unquam peccaverit: & sane ex praedictis attestationibus innocentia vitae S. Aloysii ab eodem Patre Budriolio comprobata est. Porro, licet a Nobis in superioribus dictum & admissum sit, Confessariorum attestationes non esse in hisce causis rejiciendas, sed in magno pretio habendas; durissimum tamen aequis rerum aestimatoribus videri posset, tam grave negotium absolvere solis ipsorum testimoniis. Ut tuto ergo Ecclesia procedat, opus esse videtur, ut Confessariorum assertionibus de innocentia vitae testantibus testes alii plures addantur, qui de singularibus externis actibus testentur, & de modo, quo facti sunt; ut tuto definiri possit, Dei Servum Heroem, & heroicis virtutum habitibus praeditum fuisse. Quocirca S. Bernardus scribens vitam S. Malachiae Episcopi, pro ejus innocentia astruenda & sanctitate testes vocat, qui ejus externos actus viderunt & noverunt *cap. 19. col.* 682.

vol.

col. 1. Ut enim taceam interiorem hominem ejus, cujus pulcritudinem, fortitudinem, puritatem satis indicabant mores ipsius, & vita, ipsum exteriorem ita uno semper modo, ipsoque modestissimo & decentissimo, gessit, ut nil prorsus appareret in eo, quod posset offendere intuentes... At vero in Malachia, quis umquam, etiamsi curiosius observavit, deprehendit otiosum, non dico verbum, sed nutum? Quis manum, pedemve moventem frustra? Immo quid non ædificans in ejus incessu, aspectu, habitu, vultu? ... Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma. Quod si quæstio restringatur ad vitæ innocentiam solis & veris Confessariorum dictis comprobatam, unusquisque facile deprehendere poterit, expositam assumptionem sufficere ad summum pro constituenda sanctitate coram Deo, non coram Ecclesia.

11. Et hæc explicatio fundamentum habet etiam in doctrina eorum, qui voluisse visi sunt, solam vitæ innocentiam dictis Confessariorum patefactam satis esse pro heroicitate constituenda. Pater Esparza in citato suo suffragio voluit, heroicitatem virtutum in Sanctis Confessoribus non pendere, sicut in Martyribus, ab uno, vel altero opere exteriori valde arduo & difficili, sed a continua & nunquam interrupta serie vitæ innocentis. Cumque hanc innocentiam constituerit in peragendo omnia juxta præcepta & consilia Evangelica, cum circumstantiis conferentibus ad summos apices perfectionis tum quoad modum, probataque vitæ innocentia Vener. Dei Servi Cardinalis Bellarmini, de cujus virtutibus disputabatur, per attestationem Confessarii, præceptorum deinde, & consiliorum observationem per actus univocos & particulares dictis aliorum testium comprobatos in eodem suffragio deduxerit, infertur, eum a declaratione supra exposita neutiquam recessisse. Cardinalis de Aguirre *in tract. de virtutibus, & vitiis disp. 12. quæst. 3. sect. 5. num. 49.* hæc habet: *Cum vero existentia virtutum per se inditarum nequeat exterius apparere per se ipsam, utpote quiddam supernaturale animo impressum, nec per actiones internas supernaturales, ad quas immediate concurrit, superest, ut solum dignoscatur per effecta, sive opera, aut actiones externas, & verba juxta illud monitum Christi Domini*: Ex fructibus eorum cognoscetis eos: Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. *Quisquis enim e Catholicis diuturno & continuo vitæ progressu invenitur semper agere juxta præcepta communia & peculiaria sui status, neque umquam omittere illorum observantiam, merito existimatur præditus virtutibus per se inditis. Quisquis vero non præcepta solum, sed consilia Evangelica semper & toto animi conatu deprehenditur observasse usque ad ultimum vitæ momentum, neque umquam declinasse ab ea difficili & angusta via verbo, facto, aut omissione, idque judicio communi omnium tantam vitæ perfectionem admirantium in mortali homine, is sane probabiliter creditur fuisse præditus virtutibus per se inditis in gradu heroico: immo etiam virtutibus acquisitis in eodem gradu, quoniam in homine justo consuetudo actionum honestarum vivida & robusta absque intermissione simul auget moraliter virtutes per se inditas, & physice virtutes acquisitas.* Eminentissimus ergo hic Auctor in citatis verbis judicium commune exposcit, quod aliter profecto haberi non potest, quam ex plurium testium dictis, qui de continuatis extrinsecis actibus virtutum una cum suis circumstantiis deponant. Denique concordant iidem Rotæ Auditores in relatione causæ S. Aloysii Gonzagæ, & Pater Andreas Budriolius ejusdem causæ Postulator. Tam illi enim in sua relatione, quam hic in sua elaborata scriptura postquam Sancti innocentiam, & a quacumque culpa lethali immunitatem dictis Confessariorum comprobarunt, ex reliquis testibus virtutes heroicas in eo fuisse, per observationem præceptorum & consiliorum fuse demonstrarunt. Quocirca, ne aliqua obrepat ambiguitas, nonnulli casus distinguendi esse videntur. Primus est, in quo vitæ innocentia, proindeque immunitas a peccato mortali solis comprobatur dictis Confessariorum: & quoad hunc casum respondendum esse videtur, id non sufficere pro Canonizatione quoad Ecclesiam militantem. Secundus est, in quo innocentia vitæ comprobata dictis Confessariorum, confirmatur dictis aliorum testium, qui referunt, a Dei Servo elicitos fuisse alios atque alios actus, quibus ostenditur, ab eo præcepta & consilia fuisse impleta: & quoad hunc secundum casum dicendum esse videtur, prædicta non sufficere pro virtutum approbatione in judicio Beatificationis & Canonizationis, cum in prædicto secundo casu testes non probent qualitates promptitudinis, facilitatis, & delectabilitatis, quæ ex supradictis sunt necessariæ, ut actus existimentur heroici. Tertius casus est, in quo innocentia vitæ a Confessariis asserta dictis testium confirmatur, qui actus exprimunt cum enarratis qualitatibus, & cum observantia præceptorum & consiliorum juxta statum personæ Servi Dei, vel Beati, & juxta circumstantias, in quibus, dum viveret, fuit constitutus: & de hoc tertio casu loquendo, non videtur aliquid deesse ad approbationem virtutum requisitum in ordine ad Beatificationem & Canonizationem. Licet enim non doceatur de actibus arduis in particulari admirationem excitantibus, tota nihilominus vitæ series, continuataque innocentia per integrum vitæ cursum media inter pericula peccandi, quibus expositi sunt illi, qui degunt in humanis, una cum exacta observantia præceptorum & consiliorum, arduitatem constituunt, & considerantibus admirationem ingerunt. Ad rem Pater Bartolus *in vita Ven. Dei Servi Cardinalis Bellarmini lib. 3. cap. 9.* ait, populi errorem esse, & etiam aliorum, pro Sanctis eos tantum esse habendos, qui arduis pœnitentiis corpus suum per longum temporis spatium afflixerunt: *Talchè, se avessimo da poter dire, che il Cardinal Bellarmino portasse indosso per settantanove anni un cilicio, che il vestisse quanto avea lunga la vita, e lo si stringesse a' fianchi con una gran catena di ferro, parrebbe loro udire un miracolo di virtù, e nol parrà loro il dirne quel, che in fatti fu vero, che egli per settantanove anni di vita mai non imbrattò, neppur con una lieve macchia di colpa veniale deliberatamente commessa, la veste dell'innocenza Battesimale &c. Pruovisi, e crederallo a se stesso, chi nol crede altrui, quanto meno perfezion di virtù si richiegga a sottomettere, e domare il suo corpo con digiuni, con veglie, con battiture a sangue, fino a lacerarsi le vive carni indosso, che a tenere in ogni varietà d'accidenti gli affetti dell'anima in tanta suggezione e ubbidienza allo spirito, che non si risentano, non si muovano, non si faccian vivi, se non sol quando, e quanto egli loro comanda &c. Questa non è perfezion di virtù, che dia nell'occhio, nè meni gran rumore, anzi neppur si sente, come i gran fiumi, che quanto son più profondi, tanto corron più cheti.* Ultimus demum casus est, in quo, cum de vitæ innocentia non constet, multo autem magis, si de aliquo peccato, præsertim gravi constiterit, testes subsequentem pœnitentiam, & cursum vitæ referentes, in singularibus actibus testantur observationem præceptorum & consiliorum cum qualitatibus facilitatis & delectationis; nulla tamen facta mentione operum difficilium & arduorum a Dei Servo patratorum; & in hoc casu id ad rem de qua agitur, sufficere non videtur, cum ex alibi dicendis, coram Ecclesia pro sanctitate pœnitentis plus requiratur, quam pro sanctitate innocentis.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

De virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, Charitate, & heroicitate uniuscujusque eu iisdem.

UT in capite præcedenti innuimus, animus est, aliqua de singulis Theologalibus virtutibus, & uniuscujusque heroicitate referre: sed ut quam minima fieri potest confusione procedatur sit

§. I.

DE FIDEI VIRTUTE,

& ejus heroicitate.

1. FIdes ab Apostolo *ad Hebræos* 11. *v.* 1. definitur hoc modo: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ceteræ, quæ ab aliis proferuntur, Fidei definitiones sunt explicationes memoratæ definitionis ab Apostolo traditæ: talis est illa S. Augustini: *Fides est virtus, qua creduntur, quæ non videntur*; talis est illa S. Joannis Damasceni: *Fides est non inquisitus consensus*; talis est illa S. Dionysii: *Fides est manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipsis veritatem ostendens*: quemadmodum probat S. Thomas *quæst.* 4. *art.* 1. his definitionibus allatis. In eadem 2. 2. *quæst.* 4. S. Doctor alia plura inquirit: *art.* quippe 3. docet, Charitatem dici formam Fidei, in quantum per Charitatem actus Fidei perficitur, & formatur; *art.* 5. postquam præmisit, credere esse actum intellectus assentientis vero ex imperio voluntatis; &, ut actus hic sit perfectus, duo requiri; quorum unum est, ut certissime intellectus tendat in suum objectum, quod est verum; alterum, ut certissime ordinetur ad ultimum finem, propter quem voluntas assentit vero, docet, utrumque inveniri in actu Fidei formatæ, cum ex ratione ipsius Fidei intellectus semper feratur in verum, & ex Charitate, quæ format Fidem, certissime voluntas ordinetur in finem bonum; conclud itque, Fidem formatam esse virtutem, & Fidem informem virtutem non esse, quia, licet actus Fidei informis perfectionem habeat debitam ex parte intellectus, non habet tamen perfectionem ex parte voluntatis: & *art.* 7. probat, Fidem per se esse primam inter omnes virtutes, cum necesse sit, ut ultimus finis prius sit in intellectu, quam in voluntate; voluntas enim in aliquid non fertur, nisi prius est ab intellectu apprehensum. Concordant ceteri Theologi distinguentes Fidem in Fidem formatam, & informem; primam Charitati conjunctam, secundam a Charitate disjunctam; non quod Charitas sit forma essentialis Fidei, alias Fides non distingueretur a Charitate, sed quia Charitas reddit meritorios actus Fidei, meritorios, inquam, vitæ æternæ, & beatitudinis; juxta illud Apostoli *ad Galat. cap.* 5. *vers.* 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per Charitatem operatur*: & *in* 1. *ad Corinth. cap.* 13. *vers.* 2. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.*

2. Operibus ergo, quæ ex Charitate Dei, & Proximi prodeunt, formata Fides comprobatur, juxta illud Apostoli Jacobi *in epist. cap.* 2. ubi post plura concludit *vers.* 26. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & Fides sine operibus mortua est.* Quocirca ad rem nostram bene docet Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 3. *cap.* 1. *pag.* 178. in causis Servorum Dei eorum Fidem esse ex operibus desumendam: *Quoniam igitur in conscribendo Dei Famulos in sanctorum catalogo Fides necessario prærequiritur, Fides, inquam, formata & viva ac vera, necnon etiam certitudo Fidei beatitudinis, & gloriæ Servi Dei post mortem, quantum fieri potest, quæ certitudo Fidei si absit ab actibus alicujus, opera illius bona fore, nullo modo suspicari possumus, propterea nota sanctitatis alicujus Dei Famuli ex ratione Fidei solis ex operibus tantum elucescit, teste eodem Apostolo loco citato in illis verbis:* Quid proderit, Fratres mei, si Fidem quis habere dicat, opera autem non habeat? Numquid poterit Fides salvare eum? *Quasi dicat: nequaquam enim salvare poterit. Si ergo Fides sine operibus neminem salvare potest, plane constat, notam veræ Fidei, qua salvat hominem, expiscandam esse ex operibus bonis post Baptismum; atque ex his operibus bonis externis habitus Fidei talis, qualis requiritur in Dei Famulis canonizandis, expiscandus erit præsertim ex operibus, quæ a Charitate prodeunt, & a qua actus virtutum omnium habent, ut sint in gradu herico. Opera enim hæc in actis alicujus Dei Servi si aderunt, manifesto probabunt argumento, in eo Dei Servo Fidem formatam extitisse.* Quod ipsum late prosecuti sunt Rotæ Auditores in relationibus causarum S. Franciscæ Romanæ *part.* 2. *art.* 13. §. *Et licet*; S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ *tit. de excellentia Fidei* §. *Et licet*; S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ *tit. de excellentia Fidei* §. *Hujus Fidei*; S. Petri de Alcantara *art.* 4. §. 2. S. Isidori Agricolæ *tit. de excellentia Fidei nu.* 4. Servæ Dei Joannæ de Cruce *tit. de excellentia Fidei* §. 4.

3. Hinc ad opera & actus externos deveniendo, de quibus tantum Ecclesia potest ferre judicium, nonnulla in factis consistunt. S. Leo *in serm. de Nativit. Apostol. Petri, & Pauli in append. tom.* 1. *pag.* 189. S. Petri Fidem extollit ob externam Fidei confessionem, quam emisit de Christi Divinitate: *Ille primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cum dixisset, Tu es Christus Filius Dei vivi, respondit ei Jesus: Beatus es, Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, sed inspiratio cælestis instruxit, & non caro & sanguis, sed ille me tibi, cujus sum unigenitus, indicavit.* S. Maximus Taurin. *in serm.* 1. *de Sancto Latrone* (*tom.* 6. *Bibliot. Patrum pag.* 22.) Fidem ejus colligit ex Fidei confessione, qua in cruce positus, Christum filium Dei esse, confessus est: *Mira res! Confitetur Latro, quem Discipulus abnegavit. Mira, inquam, res! Latro honorificat patientem, quem Judas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera prædicantur. Hæc est Fidei plena devotio, ut, cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate ejus venia postuletur, cum videtur humilitas, tunc magis teneatur ejus Divinitas, cum morti addictus putatur, tunc Regis illi honorificentia deferatur.* Idemque *serm.* 2. *loc. cit. pag.* 23. ait: *Magna igitur & perfecta Fides in illo Latrone fuit. Magna plane est & admirabilis Fides, quæ Christum Crucifixum glorificari magis credidit, quam puniri.* S. Hieronymus *in epitaph. Paulæ Viduæ Romanæ* (*t.* 1. *oper. col.* 709. *n.* 22.) Fidem ejus demonstrat ab actu extrinseco, quo se Hæreticis adversam ostendebat: *Tangam ergo breviter, quomodo Hæreticorum cœnosos devitaverit lacus, & eos instar habuerit Ethnicorum. Quidam veterator callidus, atque, ut sibi videbatur, doctus & sciolus, me nesciente, cœpit ei proponere quæstiones, & dicere: Quid peccavit infans, ut a Dæmone corripiatur? In qua ætate resurrecturi sumus? Si in ipsa, qua morimur, ergo nutricibus post resurrectionem opus erit. Sin aliter, nequaquam erit resurrectio mortuorum, sed transformatio in alios.* Tum prosequitur, narrando ejusdem furfuris heterodoxas cavillationes ab homine hæretico Paulæ objectas, & refert, se ei responsiones pro Catholica veritate suppeditasse, deinde subjicit *num.* 25. *Ex quo die ita cœpit hominem detestari, & omnes, qui ejusdem dogmatis erant; ut eos voce publica hostes Domini proclamaret. Et hæc dixi ... ut Fidem tantæ feminæ ostenderem, quæ maluit inimicitias hominum subire perpetuas, quam Dei offensam amicitiis noxiis provocare.* Demum S. Thomas de Villanova *concion.* 1. *de S. Augustino pag.* 502. Fidei argumenta desumit ab ejus doctrina, qua Hæreticos confutavit: *Quantum, obsecro, refulsit Fide? Quantum Fidei contulit Augustinus? Martyr enim in illo oppido, vel civitate, ubi patiebatur, Fidem credentium confirmabat, At Augustinus doctrina sua Fidem non in uno oppido, sed in toto orbe defendit. Unde, sicuti majoris meriti est defendere Fidem sanguine, quam verbo, ita etiam majoris commodi eam in orbe, quam in urbe &c. Oppugnata est enim Ecclesia prius a leone in Tyrannis, & deinde a dracone in Hæreticis: nec minor fuit hæc draconis persecutio, quam leonis. Sed quomodo victus est leo in Martyribus, ita & victus est draco in Doctoribus. O quam gravissima fuit Augustino pugna cum isto dracone! Quam acerrimus extirpator extitit Hæreticorum! Quis enim ita defendit Fidem, ut Augustinus? Quis tot libros composuit contra Hæreticos? Quis omnibus modis,*

disse-

differendo, prædicanda, scribenda convictos ab Ecclesia Hæreticos expulit, ut Augustinus? O firmissimam Ecclesiæ columnam! O magnum Fidei propugnaculum! Merito proinde ab Ecclesia Malleus Hæreticorum *nuncupatus est*.

4. Juxta doctrinam S. Antonini *in Summa part. 4. tit. 8. cap. 3. §. 7.* Fides alicujus magna ostendi potest primo, si alta de Deo sentit; secundo, si caduca pro præmio æterno contemnit; tertio, si in adversis in Deo confidit, & non deficit; quarto, si a bono opere non desistit. Aliter res explicatur ab Hugone de S. Victore *oper. tom. e. serm. 35. pag. 235.* ubi hæc habet: *Duo itaque sunt, in quibus constat Fides, cognitio scilicet, & affectus. Quorumdam Fides cognitione magna est, affectu parva: quorumdam vero affectu magna, cognitione parva. Alii Fidem & cognitione, & affectu magnam; alii cognitione, & affectu parvam habent. Verum, affectum magnum in Fide magis laudabilem esse, quam cognitionem magnam. Dominus manifeste ostendit, ubi Fidem grano sinapis comparavit, quod quantitate quidem parvum est, sed non fervore. Hinc mulieri Chananææ parum quidem scienti adhuc, sed multum confidenti dictum est: Mulier, magna est Fides tua.* At, ut clare procedatur in re, de qua nunc agitur, hoc est in exponendis regulis necessariis, utque tutum feratur judicium de heroicitate virtutum Servorum Dei, & signanter Fidei, dicimus, habitum communem Fidei Theologicæ dignosci primo ab externa confessione eorum, quæ in corde per Fidem creduntur: cum enim juxta Apostolum *ad Roman.* 10. corde credatur ad justitiam, ore autem confessio fiat ad salutem, & Fidei confessio sit præceptum affirmativum, Fidem aliquando confiteri, est de necessitate salutis, quando videlicet per hujus confessionis omissionem subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas Proximis impendenda juxta doctrinam D. Thomæ 2. e. *quæst. 3. art.* e. secundo, dignoscitur ex observantia præceptorum: tertio, ex oratione ad Deum: quarto, ex cordis demissione & obedientia erga Deum, Ecclesiam Catholicam, & ejus visibile caput Romanum Pontificem in omnibus, quæ pertinent ad credendum & operandum propter salutem æternam: quinto, ex Fidei dilatatione, aut saltem ejus desiderio: sexto, ex timore Dei: septimo, ex cultu Dei, & Sanctorum: octavo, ex horrore peccati, & pœnitentia ejusdem commissi: nono, ex patientia in adversis: decimo, ex lætitia in operibus bonis: undecimo, ex humilitate, & sui abjectione. Item dicimus, habitum heroicum Fidei ex iisdem actibus dignosci, si eorum videlicet frequentia suppetat, si facilitas, promptitudo, & delectatio eos comitentur, & si ex circumstantiis, in quibus prodierunt, aliquid arduum excellens effulserit, quod admirationem conciliet, & sic agentem elevet supra communem operandi modum, etiam proborum virorum, ad quæ profecto concurrit donum Spiritus Sancti, quod dicitur *donum Intellectus*, de quo *Psalm. 15. v. 7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi Intellectum; & Psalm. 31. v. 8. Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris; firmabo super te oculos meos*. Hujus doni naturam bene explicat S. Bonaventura *in tract. de dono Intellectus (cap. 3. pag. 263. oper. tom. 6.) Cum veritates necessariæ ad salutem sint nobis absconditæ, & quasi velatæ tam in rerum naturis, quam in sacris Scripturis, quam in Divinis Sacramentis, & figuris, in tantum, ut intellectus humanus sine adjutorio supernaturalis luminis non possit ad eas apprehendendas plene pertingere, planum est, quod necesse fuit, ut Spiritus Sanctus intellectui humano superadderet aliquod lumen supernaturale, quo velamina dictarum veritatum penetraret, & veritates absconditas apprehenderet, & eas sic nobis manifestaret; quod utique Spiritus Sanctus facit, dum nobis donum Intellectus inspirat*.

5. Qui hucusque dictorum probationes cognoscere cupit, poterit id facile consequi, manu admota *ad tom. 2. in 3. lib. sent.* Cardinalis de Lauræa *disp. 32. art. 9. §. unic. per tot.* & *ad tom. 2.* Alexandri Maderna *in QQ. Theolog. tract. 6. quæst. 3. art. 3.* Infra nonnulla dicentur de studio orationis, Sacramentorum frequentia, humilitate, tolerantia in adversis: hic autem (ne actum agere videamur) nonnulla tantum afferentur exempla ex Actis Canonizationum desumpta, quibus ea, quæ e citatis Auctoribus dicta sunt, possunt confirmari & corroborari.

6. Ex Actis itaque Canonizationis S. Teresiæ, & signanter ex relatione Rotæ Auditorum super ejus virtutibus *art. 3.* hæc habentur: *Illam videlicet circa mysteria nostræ Fidei habuisse maximam quamdam certitudinem, ita ut nihil, quantumvis clarum & evidens, adæquasi valeret certitudini, quam circa veritates infallibiles nostræ Fidei ipsa habebat: quod ipsamet in quadam relatione suæ vitæ scriptum reliquit his verbis &c. quod & verbo absque scriptis sæpius confessa fuit, ut probant testes &c. Apparet, Beatam Teresiam eo firmius, & securius mysteriis Fidei adhæsisse, quo ea sublimiora & obscuriora sibi videbantur; dicebat enim, ut in libro suæ vitæ &c. & de prædictis deponunt testes &c. & insimul cum hac Fidei certitudine erat tanta cognitio, quam Beata Teresia habebat mysteriorum Catholicæ Fidei, quod, ut notat Reverendissimus Tirasonen. ubi supra, quasi alter Moyses inspiciebat Deum invisibilem Fide adeo viva, ac si illum clare vidisset: unde sæpe dicere solebat, se non invidere illis, qui in hac vita oculis corporeis Christum Redemptorem nostrum videre meruerunt. Videbatur enim ipsi, quod oculis Fidei ipsum Deum præsentem in Sanctissimo Sacramento altaris intuebatur, ita ut quantum ad hoc gauderet illius Divina præsentia corporali*. Ex Actis Canonizationis S. Petri de Alcantara, & signanter ex relatione Rotæ Auditorum *in quarto articulo* hæc subduntur: *Ad idem inducimus ex exteriori confessione Fidei sæpissime, & enixe ab isto Servo Dei in decursu vitæ suæ facta, quæ exterior confessio ordinatur ad significandum id, quod corde concipitur &c. Circa autem istam confessionem faciunt optime relata a testibus &c. ubi, quod Frater Petrus de Alcantara in Fide, tamquam in fundamento ceterarum virtutum, & principio nostræ justificationis, habuit tantam firmitatem, quod, si occasio sese obtulisset, non dubitasset pro unico puncto Fidei mori; & quod in illo nihil erat ita certum, evidens, & clarum, quod posset attingere, nec de longe, certitudinem, quam habebat, veritatis infallibilis nostræ sanctæ Fidei, contra quam numquam tentationem habuit, quia potius habebat pro certo, quod Inimicus generis humani non poterat illudere animam diffidentem de se, & firmam & fortem in Fide; & quod nec revelationes possent illum vacillare facere, nec in minimum dimovere ab eo, quod tenet, & prædicat Ecclesia Catholica, & sacra Scriptura docet*. Ex Actis demum Canonizationis S. Paschalis de Baylon, & signanter ex relatione Rotæ Auditorum *tit. de Fide* inter cetera pro ejus magnitudine argumenta ita legitur: *Magnam quoque in Ven. Dei Servo Fidem eluxisse &c. ex hoc intelligi potest, nam Frater alioquin ignarus, rusticis educatus in pabulis, nullis litteris imbutus, mirabili sermonis profunditate de rebus cælestibus, & de profundissimis Fidei nostræ arcanis, & præsertim de sacrosancto Redemptionis nostræ mysterio loquebatur, & hoc idem in scriptis reliquit, audientesque in Fide confirmabat, ut deponunt testes &c.*

7. En ergo, quomodo externa Fidei professio est actus Fidei, & ex ea habitus Fidei dignoscitur, & quomodo externa Fidei professio perfectiori quodam modo exhibita heroicum indicare potest habitum Fidei.

8. Quod dictum est de externa Fidei professione, applicari potest ceteris actibus supra indicatis, & ad habitum Fidei relatis. Inter ceteros actus Fidei propagationem, aut ejus desiderium, & sic zelum salutis animarum enumeravimus. Nunc autem opportunum esse videtur circumstantias exponere in causis præteritarum Canonizationum ponderatas, ex quibus major operis perfectio desumpta est, & sic heroicitas. In SS. Petro de Alcantara, & Teresia Fidei heroicitas ex desiderio Fidei propagationis, & morum reformationis desumpta est. De prima quippe legitur in citata relatione: *Ponderatur ad ejusdem Fidei excellentiam probandam in hoc Servo Dei desiderium, quo flagrabat propagandæ Fidei, & conversionis Infidelium in reformatione provinciæ Sancti Gabrielis, & reductione illius ad sui primævam regulam, & in fundatione provinciæ Sancti Joseph cum tanto rigore & asperitate, ex qua tot aliæ provinciæ emanarunt, ut supra retulimus; quæ omnia fuerunt directa ad exaltationem Fidei, & ad conversionem Infidelium, ut notant &c. ad quem finem sui Religiosi zelo ardentis Charitatis, & in summa paupertate instituti cum pœnitentia, oratione, exemplo, & doctrina adjuvarent salutem animarum totius mundi, & conversionem totius Infidelitatis*. De secunda autem ita ibidem subjicitur: *Idem desumitur ex immensa desiderio propagandæ Fidei, quo flagrabat, valde dolens Hæreticorum & Infidelium, qui carentes hac Divina luce damnabantur; &, cum huic zelo, & Fidei exaltationi apud ipsos Hæreticos & Infideles videret se ipsam, tamquam mulierem, operam dare non posse, fecit, quantum potuit, fundando ac erigendo tot ecclesias, & monasteria Fratrum, & Monialium istius sacræ Religionis non absque Divino consilio, tali intentione & fine præcipuo, ut in illis Regula primitiva Beatæ Mariæ de Monte Carmelo cum perfectione observaretur, & quod conti-*

una oratione, jejuniis, aliisque pœnitentiæ operibus in prædicta Regula contentis Christus Dominus a suis Religiosis summe coleretur, sicque Divino servitio traditi, magis acceptabiles & grata essent Deo eorum deprecationes & pœnitentiæ, quas offerebat ipsa, & in sua Religione offerri curabat pro exaltatione sanctæ Fidei, Hæreticorum & infidelium conversione, & pro defensoribus ejusdem Fidei Catholicæ.

9. Munera quoque, quæ a Dei Servis, dum viverent, præstita sunt, & occasiones, in quibus fuerunt constituti, & in quibus aliquid strenuum, & ultra communem operandi modum gesserunt, Fidei heroicæ argumentum suppeditarunt. S. Pius V. in civitate Comensi Inquisitoris munere, dum in minoribus esset, functus est, & a suprema Inquisitione Romana delegationem particularem obtinuit, ut, juris ordine servato, procederet contra Hæreticum cognomento *Plantam*, qui plurium suffragiis innixus præfici curabat Episcopatui Curiensi; & ut eadem Bergomi præstaret adversus ejus civitatis Episcopum hæretica labe infectum, & adversus Georgium Medolacum virum eloquentia & clientelis adeo instructum, ut ab inferendis illi debitis pœnis Inquisitores deterriti abstinerent: cumque Sanctus ille vir non modo Comi, sed & apud Helvetios, & Bergomi, quæ sibi mandata fuerant, feliciter peregisset, spretis carceris & vitæ periculis, quæ ipsi imminebant, merito hæc ad Fidei excellentiam pertinere dicta sunt in relatione Rotæ Auditorum *tit. de excellentia Fidei*; quam relationem per extensum edidit Bzovius *in tomo posthumo, & ultimo annalium Ecclesiasticorum col.* 1162. S. Jacobus de Marchia prædicationis munus obivit spatio annorum quadraginta, nec illud utcumque obivit, sed cum fervore adeo efficaci, ut languentem in audientibus Dei timorem & cultum Divinum instauraverit, & hæresim Fraticellorum de opinione nuncupatorum suis prædicationibus tempore summi Pontificis Martini V. a provincia Marchiæ Anconitanæ exstirpaverit; & ab Eugenio IV. Inquisitor hæreticæ pravitatis creatus in regnis Pannoniæ, & Hungariæ, infinitis propemodum exantlatis laboribus, non sine magno Catholicæ Fidei fructu & incremento, commisso sibi munere functus est: quæ omnia in relatione ejus causæ Auditores Rotæ heroicæ Fidei adscripserunt, quemadmodum videri potest *in tit. de Fide*. Mira sunt, quæ de prædicationibus S. Ludovici Bertrandi narrantur a Rotæ Auditoribus in relatione causæ ipsius *eod. tit. de Fide*: non modo enim in exteris regionibus cum magno vitæ discrimine Fidem propagavit, & ad veram Fidem quindecim hominum millia adduxit, sed & cum in ecclesia ruris de Albaida populo Dei verbum evangelizasset, & publica hominum peccata, ut sermonis materia suggerebat, acriter reprehendisset, & quidam Eques intentata per famulum morte eum adigere voluisset, ut quæ publice dixerat revocaret; magna cum benignitate & mansuetudine respondit, se mortem libenti animo subiturum, sed dicta non esse revocaturum: cumque die sequenti idem Eques tormentum igneum præ manibus habens illud adversus Sanctum explodere tentasset, exclamando, *Tu ne, inique Frater, audes reprehendere me?* sclopus in Crucifixum mutatus est, quo viso, supplex ad ejus pedes accessit; at Sanctus ejus pectus Cruce signans prohibuit, ne alicui, quæ viderat, patefaceret, cum triginta anni essent elapsuri, antequam aliquis hoc factum esset ab eo sciscitaturus, prout evenit. S. Franciscus Xaverius, instante Joanne III. Rege Lusitaniæ, in Apostolicum Nuntium electus est a summo Pontifice Paulo Papa III. ut in insulis, provinciis, & locis mox recensendis confirmaret verbo & exemplo quotquot ibi Christianam Fidem fuerant amplexi, & eos, qui Fidem ipsam nondum agnoverant, ad illam agnoscendam, colendam, & custodiendam invitaret & induceret. Porro in ora Piscariæ, in Comorino promontorio, in ora Travancoridis, in insula Manaria, & Ceylano, in Coromandelo, Malacæ, in Amboino, in insula Moro, in Japonia, apud Sinas, & in aliis pluribus, & longe inter se dissitis Indiæ regionibus, tanto cum fructu laboravit, ut ab ipso alibi duodecim millia, alibi viginti quinque millia, alibi integra oppida ac regiones, & alibi etiam ad centum usque millia ad Fidem adducta recenseantur; inter quos plurimi insignes nobilitatis genere extiterunt, & nonnulli Reges atque Dynastæ, imminentibus sæpissime vitæ periculis, uti satis constare potest ex barbarie & ferocitate populorum, contractoque demum lethali morbo, quo occubuit, itineris laboriosissimi causa, quod suscepit ad Sinas. Hæc, & alia Rotæ Auditores in suam relationem inseruerunt *tit. de Spe*, & ad eximia heroicæ Fidei signa retulerunt. De zelo conversionis Hæreticorum, quo SS. Carolus Borromæus, & Franciscus Salesius excelluerunt, alio in loco opportunius agetur: cumque non omnibus Dei Servis oblata fuerit, dum viverent, occasio fungendi munere Inquisitoris adversus hæreticam pravitatem, Concionatoris, aut Nuntii Apostolici, & Missionarii, uti etiam animadvertit Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 3. cap. 1. pag.* 181. operæ pretium esse videtur alia Fidei heroicæ exempla exponere, quæ a Dei Servis exhibita sunt, occasione desumpta ab illis circumstantiis, in quibus juxta seriem vitæ fuerunt constituti. S. Philippus Nerius vitæ cursum Romæ peregit: zelo Fidei ardebat desiderio in Indias proficiscendi, ut in ea regione una cum quibusdam suis alumnis Evangelium prædicaret: sed de contraria Dei voluntate admonitus a quodam sancto Monacho Cisterciensi, a quo consilium ea de re petierat, quippe post fusas ad Deum preces responderat, Romam esse debere ipsius Indias, heroicos actus Fidei in Urbe exercuit, cum in ea Palæologum Apostatam & Hæresiarcham, & Hebræos nonnullos ad veram Fidem reduxerit, & alios in Fide confirmaverit, quemadmodum legitur in relatione Rotæ Auditorum *tit. de Fide*. Pro heroicæ Fidei argumento iidem Rotæ Auditores in relatione causæ S. Cajetani *tit. de Fide*, acceperunt, quod fere interierit præ dolore, cum civitas Neapolitana sanctissimæ Inquisitionis tribunal respuit; item, quod inexplicabili affectus sit mœstitia, cum sacrum Concilium Tridentinum interruptum est; & demum, quod sedulus indagator Joannis Uvaldosi, & Bernardini Ochinani hæresim detexerit: & in relatione demum causæ S. Francisci Xaverii, de qua supra, & in relationibus causarum S. Ignatii, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Ven. Dei Servi (nunc Beati) Hieronymi Æmiliani *tit. de Fide*, quod longam, eximiam, & laboriosam curam in tradenda doctrina Christiana, & rudibus in Fide instruendis præstiterint.

10. Cetera opera supra indicata Fidem heroicam arguere possunt, si non ordinario, sed perfectiori modo supra pluries explicato exerceantur.

§. II.

De virtute Spei, & ejus heroicitate.

11. Fidei succedit Spes, quæ a Theologis definitur, *Virtus Theologica, qua voluntas fertur in Deum, ut est beatitudo nostra, difficilis ad consequendum, sed quæ obtineri tamen queat Divino auxilio, atque adeo mediis divinitus ad eum finem institutis*; ita Valent. *tom.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 1. Item Spes definitur, *Certa exspectatio futuræ beatitudinis proveniens ex gratia, & meritis præcedentibus*: ita Gerson. *tom.* 1. *par.* 3. ubi agit de septem virtutibus *in tract. de virtute Spei col.* 297. Rursus Spes describitur, *Habitus infusus, per quem voluntas firmiter tendit in Deum, ut in Bonum arduum futurum, consequi possibile ipsius Dei auxilio*: ita Salmanticenses *tom.* 3. *in arbore prædicamentali* §. 3. *num.* 18.

12. De Spe agit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 17. *per tot.* ubi *art.* 1. probat, Spem esse virtutem, cum faciat actum hominis bonum, & debitam regulam attingentem. Cum enim aliquid possibile nobis sit dupliciter, uno modo per nosmetipsos, alio modo per alios, quando speramus aliquid ut possibile nobis per Divinum auxilium, Spes nostra pertingit ad ipsum Deum, cujus auxilio innititur; *art.* 5. ostendit, esse virtutem Theologicam cum ejus principale objectum sit Deus: & *art.* 6. esse virtutem distinctam ab aliis virtutibus Theologicis, cum Charitas faciat hominem Deo inhærere propter se ipsum, Fides faciat hominem inhærere Deo, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem, & Spes faciat hominem inhærere Deo, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per Spem Divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam. Idem S. Doctor *art.* 7. & 8. demonstrat, Fidem absolute præcedere Spem, & in via generationis Spem esse priorem Charitate; quod late etiam explicatur in sacro Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 6. *de justificatione*.

13. Juxta S. Bonaventuram *in* 3. *lib. sent. dist.* 26. *quæst.* 4. duplici modo actus Spei elici possunt, formaliter videlicet, & virtualiter; & formalis actus elici quoque potest interius, vel exterius: interius quidem, cum aliquis mentem elevans in gloriæ æternæ contemplationem, illam desiderat Divino auxilio, in quo confidit, adipisci; exterius vero actus Spei elicitur, cum verbis se explicat aliquis ac dicit, se sperare vitam æternam, idque cum debitis circumstantiis & fundamentis. Virtualiter autem dicimus, aliquem elicere actum Spei, cum aliquod facit externum opus, in quo actus Spei includitur, puta, cum aliquis ex corde dolet de peccatis, aut aliquid

eni-

enixe petit a Deo in ordine ad beatitudinem assequendam, hæc enim non faceret, si in Deo Spem non haberet. Seclusis proinde actibus internis, de quibus (uti dictum est) Ecclesia non judicat, in causis Servorum Dei habitus Spei desumi poterit ex actibus externis formalibus, aut virtualibus, juxta ea quæ modo dicta sunt, & bene prosequitur Scacchus *de not. & sign. sanct. sect. 3. cap. 2.*

14. S. Basilius Magnus *homil. 18. in S. Gordium Martyrem (oper. tom. 2. pag. 146. num. 5.)* ejus vivam Spem desumit non modo ex factis, ex tolerantia videlicet tormentorum, sed etiam ex verbis vivam Spem exprimentibus media inter tormenta: *Martyr vero conjectis in Deum oculis animam suam demulcebat his sacrorum Psalmorum verbis:* Dominus mihi adjutor, & non timebo quid faciat mihi homo. *Et illud:* Non timebo mala, quoniam tu mecum es, *& ejusdem generis alia, quibus ad fortitudinem excitamur, quæ e sacris eloquiis didicerat. Sed tantum abfuit ut minis cederet, aut perterreretur, ut etiam provocaret in semetipsum supplicia: Quid cunctamini, inquit, quid statis? Lanietur corpus, torqueantur membra, perferant quoscumque volueritis cruciatus, Spem beatam mihi ne invideatis. Nam quanto magis tormenta augebitis, tanto majus mihi præmium comparabitis.* Similia sunt, quæ refert S. Athanasius *in vita S. Antonii Abbatis (pag. 803. n. 9. t. 1. oper. part. 2.)* ubi Spei in Deum adscribit celeberrimam victoriam, quam Antonius multitudine Dæmonum oppressus, & inflictis plagis pene exanimis relictus reportavit: *Hic adsum ego Antonius; non vestras fugio plagas, etiamsi plures inflixeritis, nihil me separabit a Charitate Christi &c. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Et S. Hieronymus *in epitaph. Paulæ matris ad Eustochium (oper. tom. 1. col. 703.)* refert, eam mediis in tribulationibus & angustiis illud Isaiæ pronuntiasse: *Qui ablactati estis a lacte: qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate, Spem super Spem;* & alia usurpasse ex Divinis eloquiis desumpta: *Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit:* post quæ & alia consimilia relata addit S. Doctor *(col. 705.) His & talibus testimoniis quasi armatura Dei, & adversus omnia quidem vitia, sed præcipue instruebat se contra invidiam sævientem, & patiendo injurias furorem rabidi pectoris mitigabat.*

15. Spes est *effectiva dilectionis*. Cum enim qui sperat Bonum aliquod obtinere, si sua virtute, vel a se ipso obtinere non possit, eum diligat, cujus virtute & auxilio illud obtinere potest, Spes idcirco cælestis præmii est causa, qua diligimus Sanctos, & multo magis facit nos diligere Deum, tanquam principale objectum futuræ beatitudinis. Spes est *delectationis productiva*. Qui enim sperat, delectatur Bono, quod sperat: & quamvis *Prov. 13. 12.* dicatur, *Spes, quæ differtur, affligit animam*; causa tamen afflictionis manat a dilatione præmii, quod speratur: eo modo quo mater de filio absente & gaudet, & tristatur; gaudet, quatenus sperat, ipsum, quem amat, cum magno honore reversurum; tristatur ex dilatione, considerans præcipue pericula, quæ regressum impedire possunt. Spes est *operationis perfectiva*; cum conatum & operationem excitet, ut futura beatitudo obtineatur. Spes denique est *præmii collativa*; cum illud Psalmi 39. 5. *Beatus vir, cujus est nomen Domini Spes ejus*, a S. Augustino ita explicetur, ut beatus scilicet sit ille vir, qui temporalia a Deo non sperat, sed ab eo tantum sperat æternam salutem. Hæc de Spe habentur *in Summa* S. Antonini *part. 4. tit. 7. cap. 2. §. 4.* Alias Spei qualitates idem S. Antoninus enumerat §. 5. quas felicissime explicat S. Gregorius *lib. 8. in Job cap. 7.* his verbis *(col. 247. tom. 1. oper.) Electus quisque vitam suam quasi mercenarii dies pensans, tanto fidentius Spe tendit ad præmium, quanto nunc robustius perdurat ad laboris incrementum. Qui sit decursus præsentis temporis, pensat, dies cum operibus numerat; ne a labore vacua transeat vitæ momenta, formidat, adversis gaudet, passione reficitur, mœrore refovetur; quia subsequentis vitæ præmiis tanto se remunerari largius conspicit, quanto pro amore illius quotidianis se mortibus verius impendit.*

16. At, ad institutum nostrum proxime accedendo, habitus Spei communis primo & principaliter adjuvat & inclinat ad sperandum ultimum finem, id est ad ipsum Deum videndum, & eo fruendum; secondario autem ad speranda concomitantia prædictum finem, hoc est, media & auxilia ad illum obtinendum necessaria. Item idem habitus communis Spei adjuvat & inclinat habentem ad spem suam in Deo constituendam in omni necessitate, & ad perferendum patienter omnia adversa propter vitam æternam. Habitus autem heroicus Spei adjuvat & inclinat ad sperandum finem ultimum, & media, sed cum maxima fiducia & securitate obtinendi, ad spem suam in Deo collocandam in omni necessitate, sed incessanter, alacriter, & firmissime, absque ullo prorsus dubio de eventu, & ad perferendum alacriter cum constantia imperturbata quævis mala, etiam extrema, propter vitam æternam cum assiduitate, promptitudine, delectatione, & perseverantia in actibus prædictis, aut saltem cum animi præparatione erga eos. Demum omnia opera bona Spem arguunt, & omnia opera bona eximia & sublimia Spem demonstrant eximiam, sublimem, & heroicam; veluti late prosequuntur supra citati Auctores, videlicet Cardinalis de Lauræa *loc. alleg. art. 10.* & Maderna *loc. pariter alleg. art. 4.*

17. Heroicam Spem S. Teresiæ Auditores Rotæ in relatione virtutum ejusdem desumpserunt ex perfecto modo sperandi, cum ipsum Deum tanquam finem, at reliqua creata Bona tantummodo speraverit & amaverit, quatenus necessaria, vel magis conducentia ad Bonum æternum consequendum; cum in solo Deo toto corde suo, tota securitate, & absque ulla dubitatione, aut hæsitatione, sed firmitate quemcumque timorem vanum & superfluam solicitudinem excludente speraverit; cum ad eum solum in omni necessitate & in quocumque periculo, tota animi fiducia humiliter orando & indesinenter supplicando confugerit; & cum in eo & propter eum difficillimas res speraverit & consecuta sit, suæ videlicet Religionis reformationem; licet mulier esset, pauper esset, ægrotaret, omnibus humanis auxiliis esset destituta, efficacibus impediretur obstaculis, & pericula imminerent; uti videri potest in prædicta relatione *art. 4. tit. De firmissima Spe B. Teresiæ.* Similia sunt ea quæ ab iisdem Rotæ Auditoribus narrata & probata legimus in relatione edita in causa S. Petri de Alcantara *art. 5.* cum ex testium dictis referatur, eum in omnibus suis necessitatibus ad Deum, in quo solo sperabat, ferventissime confugisse, difficilia propter Deum aggressum fuisse, & exantlatis in Domino laboribus, periculisque ejus auxilio superatis, reformationi provinciæ Sancti Gabrielis, & ejus reductioni ad primævam regulam, & fundationi provinciæ Sancti Joseph, & aliorum plurium monasteriorum strenuam operam navasse, & eorum alumnos ad perfectam induxisse paupertatem, exclusis videlicet quibuscumque reditibus, excluso quocumque adjutorio humano, & sola in Deo firmissima spe collocata. Item in relatione causæ S. Cajetani *tit. de Spe, & Fiducia in Deum*, in re & ad effectum, de quo agitur, iidem Rotæ Auditores institutionem referunt, & fundationem Religionis Clericorum Regularium Theatinorum talibus Constitutionibus institutam, ut, nec in communi Bona stabilia possidere, nec eleemosynas quærere possent, sed sola spe in Domino constituta de oblatis vivere deberent.

18. In aliis causarum relationibus ab iisdem Auditoribus narrata sunt, & probata ea, quæ sequuntur. In relatione scilicet causæ S. Ignatii aspera pœnitentia, quam fecit, de peccatis suis, cum per Fidem cognovisset, ad æternam beatitudinem peccatori aditum non patere, nisi per pœnitentiam, nec quis pœnitentiam agat, nisi speret indulgentiam: perfecta rerum temporalium renuntiatio; res quippe terrenas præsentes despiciendo propter futura æterna Bona, & Christum sequendo, & solum in eo omnem fiduciam collocando, firmam & excellentem Spem dicitur habuisse: magna quoque sui ipsius diffidentia, cum in nullis suis rebus prudentiæ suæ innixus sit, sed ad Deum supplex per orationem confugerit: mira & ardua, quæ pro Dei gloria, & animarum salute ausus, aggressus, & prosecutus est: lætitia præterea & jucunditas, quam habuit in laboribus, in ærumnis, in persecutionibus, quas pro Christo, & Justitia passus est. In relatione quoque S. Francisci Xaverii, postquam *tit. de Spe* facta est commemoratio despectus temporalium, voluntariæ perpessionis laborum, aggressionis difficilium, & quæ nec humanis viribus, nec auxiliis sperari poterant, aut expediri, securitatis in periculis, gaudii in adversis, iidem Rotæ Auditores sic concluserunt: *Et hæc omnia probant, habuisse ipsum eximiam Spem respectu præcipui objecti, quæ est æterna beatitudo, in quam tendimus, & Divinum auxilium, in quo nitimur. Sunt autem præterea plura alia, quæ probant de Spe respectu objectorum minus principalium, quæ tamen ad beatitudinem ipsam spectant, ut est venia peccatorum &c. Et Spei argumentum nullum validius est, quam quod exercitio ducitur bonorum operum, & actionibus virtutum, dicente Paulo,* Sobrie, juste, & pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam Spem &c. *Significat enim per id, virtutum exercitium separari non posse a spe vitæ æternæ,*

Con-

Concordant aliæ relationes editæ in aliis causis, & signanter in causa S. Ludovici Bertrandi, *tit. de Spe*, ubi sic legitur: *Hanc in Beato viro fuisse conclusimus, cum ipse in Religionem ingressus in solo Deo speraverit, in mortis periculis, etiam post assumptum venenum, impavidus spem in Deo collocaverit, & diversorum generum tum adversæ valetudinis, tum illatos a Christianæ Fidei hostibus cruciatus summa cum patientia toleraverit, solitus in ægritudine illa verba usurpare*, Domine, hic ure, hic seca, ut in æternum parcas; *& magis, se cruciari cupiebat ob certam spem futuræ beatitudinis*: & in ea S. Thomæ de Villanova *eod. tit. de Spe pag.* 500. post Contelorium *de Canoniz. Sanctorum*. De ingressu in aliquam Religionem, de Professione in eadem emissa cum omnium temporalium abdicatione, & de lætitia ex nuntio vicinæ mortis proveniente quæri potest, an Spes heroica dici possit. Ex ingressu in Religionem, & rerum temporalium abdicatione, si debitæ non desint circumstantiæ, ut videlicet hæc non fiat ex fine humano, sed ut Deo liberius & perfectius serviatur, nemo est qui non videat, Spem inferri posse; & etiam heroicam, dummodo impulsus aliquis minus dignus, sive humanus ad Professionem non impellat aut alliciat, veluti animadverterunt Rotæ Auditores in relationibus causarum S. Francisci Borgiæ, *art.* 2. §. *Item eadem Fides*; S. Paschalis de Baylon, *tit. de Fide*, §. *Ex quibus*; S. Thomæ de Villanova, *tit. de magnitudine Fidei*; §. *Ulterius*; S. Felicis a Cantalicio, *tit. de Fide*, *vers. Et terrena despiciens*; S. Catharinæ de Riccis, *tit. de Fide*, §. *Tertio, ex perfecta*: Servi Dei Juliani a S. Augustino, *cap.* 5. *de Fide*, §. *Primo*, *quod præceptum est*. Clariora autem heroicitatis signa apparebunt, si aliæ accedant circumstantiæ. Assumptio clarior fiet exemplis. Ingressus S. Aloysii Gonzagæ in Religionem Societatis Jesu inter heroicos actus Spei merito adscriptus est a Rotæ Auditoribus in relatione causæ, *tit. de Spe*: relicto enim Marchionatu Castilionensi postmodum in Principatum erecto, alacri animo, posthabitis humanæ vitæ voluptatibus & deliciis, prædictum Institutum amplexus est. Nonnulli Ecclesiastici Prælati, ut voluntati Marchionis patris obsecundarent, eum hortati sunt, ut aliam Religionem ingrederetur, cum in Societate dignitates, puta Cardinalatus, & similes, ex instituto Religionis, absque speciali præcepto summi Pontificis accipi non possint, pater autem optaret, ne hæc juveni decora intercluderentur. Ille vero intrepidus iter pedes arripuit; &, postquam Romam pervenit, hospitio receptus a Scipione Gonzaga Patriarcha Hierosolymitano, postmodum ad Cardinalatus dignitatem evecto, nec per unicum diem differre voluit ingressum in Religionem. In relatione causæ S. Joannis de Deo, *tit. de Spe & de Charitate in Deum, & in Proximum*, Religionis fundatio, & in eam ingressus tanquam quid heroicum habita sunt, cum mirabilis præcesserit ad Deum conversio; audita quippe concione insignis viri Magistri Avilæ, carnem & Diabolum abjecit, mundavit se a peccatorum colluvie, in platea publica se cœno ac luto involvit, lapide percutiens pectus misericordiam peccatorum, ac veniam a Deo deprecatus est, & habitus tanquam insanus, in dementium valetudinarium deductus, & sævis verberibus cæsus omnia æquo animo tulit; neque timuit, quid faceret sibi homo, cum in Deo speraret; nec respexit in vanitates & insanias falsas, cum nomen Domini esset spes ejus. In relatione causæ S. Paschalis de Baylon *eod. tit. de Spe*, pro Spei eximiæ argumento narratur, quod, licet ex paterna hereditate tenuem portionem consequi posset, oblatam tamen sibi heri divitis hereditatem recusarit, & Christum secutus in arctissimam Discalceatorum S. Francisci Religionem ingressus sit. Demum in vita S. Hyacinthi Ord. Prædicat. scripta a Patre Severino Cracoviensi Magistro sacræ Theologiæ ejusdem Ordinis *lib.* 1. *cap.* 4. hæc de ejus ingressu in Religionem S. Dominici habentur: *Accedit Hyacinthus adhuc sæculi conversatione detentus, & miraculi perpetratione, Beatissimique Dominici tanquam solis inflammantis radiis accensus, cum Beato Ivone Episcopo communicato consilio, in corde suo destinat, abjectis humanæ conversationis vestibus, Apostolicæ perfectionis se innodare vinculis. Non eum familiæ splendor, non consanguineorum numerositas, non Pontificiæ antiqua consuetudo, non Canonicatus amor, non divitiarum copia, non denique omnes totius mundi illecebræ poterant a proposito piæ conversationis revocare.*

19. De læto nuntio vicinæ mortis, & de ipsa mortis meditatione plura ad rem habentur in citatis, & aliis relationibus Rotæ Auditorum. In relatione causæ S. Philippi Nerii, *tit. de Spe* hæc leguntur: *Per virtutem Spei Philippus certissime vitam æternam se consecuturum esse, sperabat; ideo libentissime de morte loquebatur, & per aliquot dies, antequam ex hac vita migraret, adeo libenter de ea loquebatur, ut ex dictis gestisque appareret, magno cum gaudio exultare.* In relatione S. Teresiæ, *art.* 4. *Septimo & ultimo arguitur, istam excellentem Spem habuisse Beatam Teresiam, in illaque usque ad ultimum vitæ extremum perseverasse, in ardentissimo desiderio ex hac vita migrandi, ut summo Bono frueretur &c. Quam perfectissimam Spem morti proxima satis aperte monstravit, cum mira securitate coram sanctissimo Eucharistiæ sacramento, quando illud Divinum Viaticum suscipere volebat, quasi amore languens dixit illi verba hæc: O Domine, o Sponse mi, accessit tandem tempus optatum: æquum est, ut te videam: tempus est, mi Domine, quo ex hac vita migrem: fiat, obsecro, juxta placitum tuum. Venit demum hora, qua hoc exilio eripiar, & te fruar, quem tam ardenter exoptavi.* In Relatione S. Ignatii *eod. tit. de Spe: Quod autem Beatus Pater Spem firmam, & excellentem habuerit, probatum consuimus.* Post alia plura allegata argumenta dicitur: *Ex suavi mortis delectatione, quæ continua in eo erat, ut deponunt testes &c. quorum alter ex auditu ab ipso Beato Ignatio ait, quod dicta meditatio erat in eo adeo frequens, ut ab ea debuerit mentem abstrahere, ut valetudini noceret; nec enim illa continua propriæ mortis meditatio sine ullo timore & tristitia, immo cum summo gaudio & delectatione potuit esse, sine secura, certa & perfectissima spe consequendi beatitudinem.* In relatione causæ S. Petri de Alcantara *eod. tit. de Spe: Hanc perfectissimam Spem in Deo solo ex toto corde in gradu heroico demonstravit, quando ægrotus, propinquusque morti, de illaque a Medico corporali certificatus, hilari animo, genibus in terra fixis, oculis in Deum intentis, pronuntiavit illud Psalmistæ:* Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. *Ubi notanda est lætitia, qua fuit affectus, quando mors appropinquans sibi fuit nuntiata, & hoc quia, ut dixit,* In domum Domini ibimus, *quasi certus de gloria, pro qua consequenda per tot annum & totum vitæ curriculum militaverat, & quia jam videbat finem laborum & portum peregrinationis, & se vicinum paradiso, ubi satiaret suum continuum desiderium videndi Deum facie ad faciem: quæ omnia processerunt ex illa perfectissima Spe, quam habebat in Deo, & in suis promissionibus factis diligentibus se.* In relatione S. Aloysii Gonzagæ *tit. de Spe: In extremo vitæ constitutus, & omni vivendi voluptate spoliatus, Patri Antonio Guelfuccio, qui illi curabat suadere desiderium vitæ longioris, ut Deo diutius posset inservire, respondit cum Apostolo:* Melius est dissolvi. *Subinde petiit, ut sibi ad Spem magis excitandam revocaret in memoriam illud Psalmi,* Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus; & non respexit in vanitates & insanias falsas: *& Illustrissimo Cardinali Bellarmino, qui eum hortabatur, ut a Deo vitam longiorem postularet, quo ejus exemplo ceteri instruerentur, venia petita negavit, id exequi se posse; quia non potest (inquit) major a Deo in hominem conferri gratia, quam ad se illum vocare, dum in gratia reperitur; in quo gratiæ statu tunc esse sperabat.* Demum in relatione S. Catharinæ de Riccis *eod. tit. de Spe: Tertio in ipsa tum mortis meditatione sine tristitia, tum ad eam lætissima properatione, & circumstantibus exhibita consolatione, quod non potuit esse sine secura & perfectissima Spe, qua scilicet, mortem sibi fore salutarem excessum, & maximum lucrum, putabat.*

20. Spei Theologicæ respondet donum Timoris, Timoris, inquam, non mundani, non servilis, qui, licet sit a Spiritu Sancto, potest annexam habere voluntatem peccandi, sed filialis & casti, per quem ipsum Deum reveremur, & refugimus nos ipsi subducere: ex quo proinde infertur, Timorem filialem, & Spem sibi invicem cohærere, cum per Timorem filialem, non timeamus, ne nobis deficiat, quod speramus obtinere per auxilium Divinum, sed timeamus, ne ipsi nos hoc auxilio privemus, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 19. *art.* 9. *ad primum*. Cumque virtuti Spei respondeat donum Timoris, & pro heroicitate influxus requiratur alicujus doni Spiritus Sancti, influxus doni pro heroicitate virtutis Spei erit influxus doni Timoris, non cujuscumque, sed ejus, de quo modo dictum est.

§. III.

De virtute Charitatis in Deum, & ejus heroicitate.

21. CHaritas definitur, *Habitus supernaturalis inclinans ad amandum Deum super omnia amore amicitiæ:*

tiæ: quam definitionem late explicant Salmanticenses *loc. cit.* §. 4. *num.* 21. & *seqq.* De Charitate agit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 23. & *seqq.* ubi *art.* 3. probat, Charitatem esse virtutem, cum Deum attingat, & nos cum Deo conjungat, juxta illud S. Augustini *de morib. Eccles. cap.* 11. *Charitas est virtus, quæ (cum nostra affectio est rectissima) conjungit nos Deo, qua eum diligimus*: *art.* 6. ostendit, Charitatem esse excellentissimam virtutum, juxta illud *ad Corinth.* 1. *cap.* 13. *v.* 13. *Major autem horum est Charitas*: & additur, quod attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat: *art.* 7. ait, verum virtutem sine Charitate esse non posse; licet enim dari possit aliqua virtus, quæ ordinetur ad aliquod Bonum particulare, quod in se sit verum Bonum, hæc erit vera virtus, sed non perfecta, nisi referatur ad finale & summum Bonum: & *art.* 8. idem S. Doctor ait, Charitatem esse formam virtutum, cum per eam actus omnium aliarum virtutum ordinentur ad ultimum finem. Item de Charitate ita scribit Cardinalis Bona *in tract. de principiis vitæ Christianæ (part.* 2. *cap.* 49. *oper. tom.* 1.): *Consistit igitur sanctitas in omnimoda puritate, & in immobili cum Deo unione, quæ arctissimo amoris nexu perficitur, cum expurgata anima ab omni rubigine terrenorum affectuum, cunctisque rebus celsior, eam justitiæ perfectionem adepta est, ut vere & secure audeat dicere cum Apostolo*: Quis me separabit a Charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare a Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro *Rom.* 8. 35. *Jejunia, eleemosynæ, castigatio carnis, usus Sacramentorum, & alia ejusdem generis exercitationes ad consequendam sanctitatem plurimum valent, sed sine Charitate nihil prosunt, quamvis in cibos pauperum omnes facultates distribuantur, & proprium corpus igni tradatur, ut docet Apostolus* 1. *Corinth.* 13. *v.* 3.

22. Idem S. Thomas *quæst.* 24. *art.* 8. quærit, utrum Charitas in hac vita possit esse perfecta, docetque, perfectionem tripliciter contingere posse: uno modo, ut totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum; & hæc est perfectio Charitatis Patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem semper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione in ipsum: alio modo, ut homo studium suum conferat ad vacandum Deo, & rebus Divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit; & ista est perfectio Charitatis, quæ est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus Charitatem: tertio modo, ut habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, ut nihil cogitet, vel velit, quod Divinæ dilectioni sit contrarium; & hæc perfectio communis est omnibus Charitatem habentibus: cui subscribit S. Antoninus *in Summa par.* 4. *tit.* 6. *cap.* 2. §. 2.

23. Gradus Charitatis erga Deum narrantur, & exprimuntur a D. Thoma *Opusc.* 61. a Sancto Bernardo *lib. de diligendo Deum*, *col.* 589. *vol.* 1. & a S. Bonaventura *in Pharetra Divini amoris lib.* 2. *cap.* 29. *pag.* 145. *oper. tom.* 6. Primus est *languere utiliter*, juxta illud Sponsæ *in Cant. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*: secundus est *Deum incessanter quærere*, juxta illud *Psalmi* 104. *v.* 4. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper*: tertius est *operari indesinenter*, juxta illud *Genes.* 29. *v.* 20. *Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*: quartus est *sustinere sine fatigatione*, unde Christus *Matthæi* 5. *v.* 10. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*: quintus est *appetere impatienter*, unde dicitur *in Psalm.* 83. *vers.* 2. *Quam dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*: sextus est *currere velociter*, juxta illud *Psal.* 118. *v.* 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*: septimus est *audere vehementer*, quocirca Propheta *Psalm.* 72. *v.* 25. & *seq.* ad Deum clamans ait: *Quid enim mihi est in Cælo, & a te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*: octavus est *stringere indissolubiliter*, unde Apostolus *ad Philipp.* 1. *v.* 21. *Mihi enim vivere Christus est*; & *cap.* 3. *vers.* 20. *Nostra autem conversatio in cælis est*; & *ad Galatas* 2. *v.* 20. *Vivo autem ego jam non ego, vivit vero in me Christus*: nonus est *suaviter ardere*, de quo in *Psalm.* 38. *vers.* 4. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*: decimo est *similitudo perfecta cum Deo*, eo modo, quo creaturæ in hac vita competere potest; de qua similitudine in 2. *Petri* 1. *v.* 4. legitur: *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ*. Petrus ibi loquitur de iis, quæ Deus nobis per Christum donavit: sunt autem ea omnia, per quæ homo efficitur principium operationum supernaturalium, & moraliter perfectarum; quarum ratione assimilatur in modo operandi supernaturali Divinæ Naturæ, & declinat ab operationibus concupiscentiæ & corruptionis, quemadmodum desumitur ex his ejus verbis *loc. cit. v.* 2. *Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Jesu Domini nostri, quomodo omnia nobis Divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem, donata sunt per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ*. Et quia qui consors est Divinæ Naturæ, & similis Deo in operando actiones moraliter bonas & supernaturales, declinare debet ab operationibus concupiscentiæ & corruptionis, additur *v.* 4. *Fugientes ejus, quæ in Mundo est, concupiscentiæ corruptionem*.

24. Cum Charitas in voluntate existat, Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 3. *cap.* 3. sapienter docet, eam ab actibus externis esse desumendam, & signanter ex zelo Divini cultus & honoris, ut nimirum Deus ab omnibus ametur & colatur; ex desiderio moriendi, ut per mortem omnimoda fiat conjunctio cum Deo; ex gaudio interno externis signis expresso, cum de Deo fuerit sermo; ex pace in quibuscumque adversis, & ex lætitia, si contigerit aliquid pro Deo pati: unde de se dicebat Apostolus *ad Rom.* 8. 35. & *seq. Quis ergo nos separabit a Charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?... Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Charitate Dei*: & Rotæ Auditores in relatione causa S. Francisci Xaverii *tit. de Charitate in Deum*, dixerunt eam probatam ex præcipuis iis indiciis, quibus latens in animo clarissime proditur; quæ indicia esse dixerunt effectionem operum obligationis & consilii, Proximi dilectionem, Divinam conversationem, sui ipsius neglectum, timoris extinctionem, vitæ mortisque contemptum, & perpetuam Dei memoriam.

25. Cohærenter ad hæc S. Maximus Taurinen. (*hom.* 4. *pag.* 24. *tom.* 6. *Bibliot. PP.*) S. Petri Apostoli ardentem Charitatem erga Jesum his verbis exposuit: *Ambulavit enim in mari Petrus magis dilectione, quam pedibus. Non enim videbat, ubi pedum vestigium poneret; videbat autem, ubi figeret vestigium Charitatis. In navi enim positus considerat Dominum, & amore ejus ductus descendit in mare. Non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, non respicit elementum*. Et Auctor Actorum S. Agnetis (*ap. Surium ad diem* 21. *Maji*) sic eam inducit Juveni illius amore capto respondentem: *Discede a me ... pabulum mortis ... quia jam ab alio amatore præventa sum. Non potero ad contumeliam prioris amatoris vel aspicere alium, & illum derelinquere, cum quo sum Charitate devincta*. Et S. Hieronymus *in epitaph. Paulæ ad Eustoch.* (*col.* 688. *oper. tom.* 1.) describens ejus discessum ab Urbe, ut ad visitanda loca sacra Bethlemitica accederet, dilectionis Dei super omnia nobile suppeditat exemplum: *Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & quod his majus est, liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Jam carbasa tendebantur, & remorum ductu navis in altum protrahebatur. Parvus Toxotius supplices manus tendebat in litore. Rufina jam nubilis, ut suas exspectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat. Et tamen illa siccos tendebat ad cælum oculos, pietatem in filios pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, ut Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, &, quasi a suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret charitatem. Inter hostium manus, & captivitatis duram necessitatem nihil crudelius est, quam parentes a liberis separari. Hoc contra jura naturæ plena Fides patiebatur, immo gaudens animus appetebat; & amorem filiorum majore in Deum amore contemnens, in sola Eustochio, quæ & propositi & navigationis ejus comes erat, acquiescebat. Sul-*

cabat

cabat interim navis mare, &, cunctis qui cum ea vehebantur, litora respicientibus, ipsa aversos tenebat oculos, ne videret, quos sine tormento videre non poterat. Fateor, nulla sic amavit filios, quibus, antequam proficisceretur, cuncta largita est, exhaeredans se in terra, ut haereditatem inveniret in caelo. Plura alia facile cumulari possent, si hic ageretur de Martyribus; Sanctus enim Laurentius sic Tyrannum alloquitur *in sermone* Sancti Leonis *de eod. S. Laurentio* (*pag.* 168. *tom.* 1. *oper.*): *Nihil obtines, nihil proficis, saeva crudelitas. Subtrahitur inventis tuis materia mortalis, &, Laurentio in caelos abeunte, tu deficis. Flammis tuis superari Charitatis Christi flamma non potuit; & segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit.* Et de memorato S. Laurentio haec habentur apud Auctorem sermonum *in append. tom.* 5. *S. Augustini serm.* 206. *n.* 25. *cap.* 23. *col.* 341. *Corporali enim Beatus Laurentius laborat incendio, hinc amore Christi succenditur, inde Persecutoris flamma torquetur. Sed Divinus Salvatoris ardor materialem Tyranni restinguit ardorem.* At, quoniam agitur in praesenti de Confessoribus, habitus communis Charitatis erga Deum ex omnibus actibus supra ex Scaccho desumptis comprobari poterit; habitusque Charitatis heroicae erga Deum ex iisdem pariter actibus dignoscetur, si frequenter, si prompte, si alacriter, si cum delectatione, si in arduis, & cum vitae, vel Bonorum periculo emittantur. Frequentiam actuum exposcit Scacchus *loc. cit. pag.* 208. *Quia tamen actus isti Charitatis frequentiores in aliquibus, minus frequentes in aliis esse possunt, propterea necesse erit, attendere in his Dei Servis, an actus Charitatis, & Divini amoris frequentes fuerint, an de raro producti: ex frequentatione namque actuum habitus Charitatis magis, vel minus intensus hauritur, & ex actibus aliqui erunt intensiores, minus intensi, ac remissiores alii.* Operis arduitatem etiam cum vitae, & Bonorum periculo fuse exponit Cardinalis de Lauraea *in* 3. *lib. sent. tom.* 2. *disp.* 32. *art.* 11. *num.* 330. *Aliud communis Charitatis signum est observantia Divinae Legis, heroicae vero Charitatis est observantia cum Bonorum omnium, etiam vitae, periculo:* & rursus *num.* 337. *Aliud Charitatis communis signum est zelus Dei honoris; heroicae vero est fervens zelus, quo nihil timetur, nec ipsius vitae periculum, ut Dei honori consulatur.* Promptitudo demum, facilitas, & delectatio, quae sunt comites heroicitatis in virtute Charitatis, adscribitur dono Sapientiae, quod, utpote praestantissimum, respondet Charitati virtutum nobilissimae, juxta ea quae habentur apud Salmanticenses *loc. cit.* §. 4. *num.* 23. Sapientia quippe donum Spiritus Sancti est sapor ille, ac dulcis gustus, qui in notitia & contemplatione Divinorum, seu rerum Fidei credendarum & agendarum obtinetur, juxta illud *Psalm.* 18. *v.* 10. *Judicia Domini vera &c. desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Quocirca Guillelmus Abbas *de natura & dignit. Amor.* (*inter opera S. Bernardi vol.* 2. *col.* 268.) *c.* 10. *n.* 29. dixit: *Gustum autem,* (qui fit in Sapientia) *sequitur quaedam saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima modo quodam singulari, & ceteris sensibus incommunicabili, quae suscipit, cuncta discernit, & dijudicat, seque, omnesque sensus vegetat & confortat.*

26. Ad haec referri possunt, quae de Charitate erga Deum habentur in Actis Canonizationum, & signanter in relationibus Rotae Auditorum, quae adhuc extant, & quae praecipue ad sequentia capita reducuntur, ad mentem videlicet semper in Deum intentam, ad frequentem de Deo piam locutionem, ad continuam considerationem Divinae bonitatis, & mysteriorum nostrae religionis, & praecipue Passionis Domini nostri Jesu Christi, ad meditationes pro excitando in se amore erga Deum, ad relationem in ipsum omnium cogitationum, verborum, & operum, ad gravem molestiam ob absentiam Christi, ad observantiam praeceptorum & consiliorum, ad ecstases & raptus (de quibus alibi), & ad nonnulla signa extrinseca, quibus aliquando Deus servorum suorum internam Charitatem manifestare dignatus est, quorum nonnulla hic referentur, alia autem alio in loco narrabuntur.

27. In relatione ergo causae S. Petri de Alcantara haec habentur *tit. de Charit. Idem desumitur ex mente intenta, quam perseveranter in Deum habuit, ut fere numquam ab illius praesentia, & Divina consideratione, & oratione, recesserit, ad instar ardenter amantium, qui diu noctuque de persona dilecta fideliter intenteque cogitant: quod in isto Servo Dei evenisse, probant testes &c. Quae veritas confirmatur ex proposito efficaci, & cura continua, qua ambulabat, sui ipsius, suarumque actionum, & cogitationum de non offendendo Deum sibi adeo dilectum, quod inter alia signa bene demonstravit, quando per tres annos continuos semper incessit oculis clausis, ne videret occasionem offendendi Deum, & distrahendi se ab illius praesentia.* In relatione S. Isidori *eod. tit. de Charit. Quod etiam probatur ex illa mente intenta, quam perseveranter Isidorus in Deum habuit, ut fere numquam ab illius praesentia, & Divina consideratione, & oratione recesserit ad instar ardenter amantium, qui diu noctuque de persona dilecta fideliter, intenseque cogitant.* In relatione S. Ludovici Bertrandi *tit.* pariter *de Charit. in Deum. Saepissime contemplationi vacabat, indefessus in oratione persistebat, cum de rebus Divinis loquebatur, adeo ejus anima & pectus Divini amoris aestu fervebat, ut ad omnia sive prospera, sive adversa se paratum ostenderet, omnesque denique actiones in Dei honorem dirigebat.* In relatione causae S. Mariae Magdalenae de Pazzis *eod. tit. de Charit. in Deum. Quidquid loquebatur, seu meditabatur, dirigebat ad Deum, cujus voluntati cuncta subjiciebat, asserens, numquam se aliquid facturam, quod praeter illam esset, vel illi quoquo modo adversaretur &c. Nihil habebat jucundius, quam desiderium, ut assidue Dei cultus & notitia mortalium mentibus increbresceret & augeretur: quapropter, quoties legerentur gesta virorum Christiana pietate insignium, qui vel pro Dei veneratione, vel pro religionis incremento laborarent, ipsa sancto gaudio exsilire videbatur, & gratias agebat Deo, qui dignaretur admirabiliora operari per alios, quam per se ipsam; majorem nempe ex aliis, quam ex se, Domino processuram gloriam arbitrabatur. Acriter e contra affligebatur, cum cerneret, Religiosorum hominum coetus Divino cultui intepescere, & a strictiori illa semita declinare, per quam primi duces iter aperuerunt.* In relatione causae S. Andreae Avellini *tit. de Charit. Hanc eximiam Charitatem Andreae erga Deum probari censuimus ex maximo affectu ipsius erga Passionem Domini nostri Jesu Christi; nam, ut testes deponunt, erga illam fuit maxima devotione accensus, ita ut ingentem lacrymarum imbrem solitus esset profundere, dum de ea verba faciebat: quod pro maximo amoris signo accipiendum est, cum lacrymae ex intimo amantis affectu, & amore languentis provocentur.* In relatione S. Teresiae *super virtutib. tit. de Charit. Primo istius Divini amoris indicium manifestum desumitur ex ceteris aliis virtutibus, quibus illam Deus condecoravit. Secundo, hoc ipsum demonstratur ex mente intenta, quam perseveranter Beata Teresia in Deum habuit, ut fere numquam ab illius praesentia, & Divina considerationе, vel contemplatione recesserit ad instar ardenter amantium, qui diu noctuque de persona dilecta fideliter intenseque cogitant &c. Tertio, ad idem nos induxit, quod ita Beata Teresia Deum super omnia propter ipsum solum amavit; ut gloriae ejusdem Dei omnipotentis desiderio arserit, eamque augeri, summe summisque laboribus curaverit tam in reformatione istius Ordinis, illiusque propagatione, quam in mirabili doctrina librorum, quos conscriptos reliquit, ac in omnibus aliis suis actionibus & virtutibus heroicis &c. Quod etiam demonstravit in afflictione, qua animum suum vehementer cruciabat multitudo Haereticorum, & ardens desiderium, quo de illorum conversione flagrabat, & continua solicitudo, qua pro praedictis semper Deum precibus efflagitabat, ut ipsius Dei gloria augeretur &c. Quarto, accedunt praedictis efficax propositum, curaque continua sui ipsius, suarumque actionum, ac cogitationum, qua ambulabat, de non offendendo Deum sibi adeo dilectum nedum culpa veniali & levi, verum nec actu aliquo minoris perfectionis; ex quo processit illud votum carum, ac notatu dignum, quod emisit, nempe semper agendi, quod inter multa, quae illi occurrerent, gratius & acceptius Deo sibi videretur. Quinto, istius amoris Divini in Beata Teresia fortissima vis ostenditur ex molestia gravi, qua ex Christi absentia cor suum tamquam sagitta transfixum gerebat, ex qua animam exhalare sibi videbatur, ita ut voces amoris signa, cum absentiae dolorem auferre non possent, ederet &c. Octavo, quod apertissime amorem Dei inaestimabilem erga suam sponsam Teresiam arguit, fuit impetus amoris ultimus & magnus, quem morti proxima sensit, ex quo potius, quam ex vi morbi se obiisse, revelavit.* In relatione S. Ignatii eximia Charitas erga Deum comprobata fuit primo ex summo studio, quo curavit, propter Deum benefacere Proximo in spiritualibus & temporalibus: secundo, ab excellentia aliarum virtutum: tertio, ex maxima diligentia, qua studuit, cor suum mundum custodire, ita ut pluries in die maxima disquisitione conscientiam suam examinaret, etiam de erratis in quotidiana meditatione: quarto, ex meditationibus, & signanter ex illa, quam faciebat ad se excitandum ad

amo-

amorem spiritualem; ad memoriam quippe revocatis omnibus beneficiis & donis particularibus sibi a Deo collatis, omnia sua & se ipsum cum summo affectu Deo offerebat: demum ex directione omnium cogitationum & verborum & operum in Deum, tanquam ultimum finem. Strenuam præceptorum & consiliorum observantia, ferventia com Deo colloquia, abjectionem, cujuscumque timoris in periculis obeundis & arduis operibus aggrediendis, contemptum vitæ & mortis propter Deum, assiduam de Deo cogitationem iidem Rotæ Auditores observarunt tanquam signa eximiæ Charitatis in Deum in relatione causæ S. Francisci Xaverii. Aliqua ex prædictis pariter recensentur in relatione causæ S. Francisci Borgiæ; & in relatione causæ S. Aloysii Gonzagæ *tit. de Charit. in Deum* hæc habentur: *Rursus perfecta in Deum Charitas amantissimi Juvenis ostendit, ex quo, cum aliquem de ipso Deo loquentem audiret, vehementer accendebatur in facie, ita ut aliquando profunderet lacrymas: quamobrem Socii illum alio sermonibus deducere, & Superiores prohibere cogebantur, ne continuo in res Divinas cogitationem dirigeret, ad evitandum maximum corporis detrimentum*. Demum, ut aliqua exponantur extrinseca signa internæ ferventis dilectionis & charitatis, præter lacrymas, de quibus alibi loquemur, & præter alia eximia signa, de quibus alio in loco opportunius sermo instituetur, in citata relatione causæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, narratur, eam æstuantem Divino amore aliquanto tanto impetu ferri consuevisse, ut hortos & claustra percurreret, vestes dilaceraret, Moniales forte occurrentes sancto furore raperet, percunctando, an & ipsæ hoc amoris ardore fervescerent; easque, si annuerent, amplecteretur, si negarent, vehementissime provocaret; aliquando etiam fontem peteret, vel puteum, ut inter frigescentes undas brachia & manus mergeret, & sinum aspersione recrearet: & in relatione causæ Servi Dei Nicolai Factoris *tit. de Charit. in Deum*, sic dicitur: *Hujus ardoris incendium tam violenter eluxit e pectore Nicolai, ut illa fornace æstus stare loco nesciret, sed, cum ob rigentem hiemem gelu acuto aqua sæviret, ipse lacus & fontes ad extinguendos pectoris æstus impatienter adiret, & conjectus in undas in imis visceribus temperiem quæreret; quæ tamen unda, tanquam igne admoto, extemplo fervere videbantur, & penitus ebullire*.

§. IV.

De virtute Charitatis in Proximum, & ejus heroicitate.

28. IN 1. *Joannis* 4. *v.* 21. legitur: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*: ex quo loco D. Thomas desumit, habitum Charitatis non solum pertinere ad dilectionem Dei, sed etiam extendi ad dilectionem Proximi; uti videri potest 2. 2. *q.* 25. *art.* 1. Idem S. Doctor *ead.* 2. 2. *q.* 44. *art.* 7. rationem docet, & modum dilectionis Proximi: *rationem*, quia ex Charitate diligere debemus alios, cum sint nobis proximi, & secundum naturalem Dei imaginem, & secundum capacitatem gloriæ: *modum*, quia debemus diligere Proximum propter Deum, sicut nosmetipsos pariter propter Deum diligere debemus; cum deceat Proximo, non in malo, sed in bono annuere, quemadmodum nostræ voluntati solum in bonis satisfacere decet; & quia Proximum diligere debemus, non propter nostram utilitatem, vel delectationem, sed sicut bonum volumus nobismetipsis.

29. Præceptum dilectionis Proximi per totam resonat sacram Scripturam. *Levitici* quippe 19. legitur: *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*: ubi dictio *amicum* non sumitur late, sed significat Proximum; & Christus Dominus *in Evang. Joan. cap.* 13. *vers.* 34. inquit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Plura videri possunt apud Interpretes sacræ Scripturæ, & signanter apud Cornelium a Lapide ad hunc locum, quærentes, cur mandatum dilectionis a Christo *novum* dicatur. Hæc eadem repetuntur apud eumdem Joannem *in Evang. cap.* 15. *v.* 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: quod argumentum idem Apostolus prosequitur in sua prima epistola Canonica *cap.* 4. *v.* 7. *Charissimi, diligamus nos invicem, quia Charitas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est. In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est Charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere*.

30. Virtuti Charitatis erga Proximum assignari solent quædam quasi partes potentiales, ut eas vocant, Benevolentia videlicet, Beneficentia, & Misericordia: sed prima, prout est in ordine ad supernaturalia, non distinguitur a Charitate, & Beneficentia importat actum respondentem Benevolentiæ, & sic a Charitate elicitum: quocirca sola Misericordia erit virtus distincta. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 30. *art.* 3. quærit, *Utrum Misericordia sit virtus*; & respondet, Misericordiam significare dolorem de miseria aliena; tum, quatenus dolor hic est motus appetitus sensitivi, ait, Misericordiam esse passionem, & sic non esse virtutem; contra autem, esse virtutem, si motus appetitus Intellectivi, juxta quem alicui displicet malum alterius, a ratione regatur. Idem S. Doctor *art.* 4. docet, per Charitatem nos Deo per affectum unitos eidem similes esse, & per similitudinem operationis nos quoque Deo assimilari, quod fit per Misericordiam: & *quæst.* 31. *art.* 1. ostendit, Beneficentiam esse actum Charitatis, & *art.* 4. Beneficentiam non esse specialem virtutem.

31. Idem S. Doctor (ut ejus doctrinam prosequamur) *quæst.* 32. *art.* 1. explicat, quomodo eleemosyna sit actus Charitatis. Asserit enim, eleemosynam esse opus, quo datur aliquid alicui indigenti ex miseratione propter Deum, & sic dare eleemosynam esse proprie actum Misericordiæ; sed, cum Misericordia sit effectus Charitatis, per consequens dare eleemosynam esse actum Charitatis per Misericordiam exercitum: & *art.* 2. distinguit genera eleemosynarum, ut aliquæ videlicet sint corporales, puta pascere esurientem, potum præbere sitienti, vestire nudum, excipere hospitem, visere infirmum, redimere captivum, & sepelire mortuum; aliæ sint spirituales, puta docere ignorantem, consilium dare dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, parcere offendenti, ferre onerosos & graves, & pro omnibus orare. Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 3. *cap.* 4. late exornat recensita opera misericordiæ, & concludit, ab his actibus Charitatis in gradu heroico erga Proximum potissimum sanctitatis argumentum inferri, juxta illud Christi Domini *Matth.* 25. *v.* 24. *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Ubi rationem quoque assignat deductam ex operibus Misericordiæ exercitis: monetque prudenter idem Scacchus, de his in causis Servorum Dei esse inquirendum, sed juxta statum & conditionem uniuscujusque. Quæ enim hujus generis præstari potuerunt ab Episcopo, a Principe, a Clerico Sæculari, a Parocho, vel ab aliquo Dei Servo conjugato, præstari neutiquam potuerunt a Serva Dei Moniali intra Claustra, vel ab aliquo Servo Dei Regulari, qui pendet a nutu Superioris.

32. Heroicum Charitatis exemplum in Proximum ex operibus Misericordiæ corporalibus desumptum habetur *in orat.* 20. S. Gregorii Nazianzeni *de S. Basilio Magno tom.* 1. *oper.* Ibi enim, postquam descripsit civitatem Cæsariensem fame, rerumque omnium penuria miserrime laborantem, & divitum in hac miseria crudelitatem, hæc habet *pag.* 341. *Apertis enim per orationem suam & cohortationes suas locupletum horreis, facit, quod est in Scriptura, cibum esurientibus frangit, panibusque pauperes saturat, alitque eos in fame, atque esurientes animas implet bonis. Quo tandem modo? Neque enim hoc ad laudis cumulum parvi momenti est. Nam, cum eos, quos fames vulnerat, in unum coegisset, nonnullos etiam spiritum ægre trahentes, viros, feminas, pueros, senes, miserabilem omnem ætatem, omnia ciborum genera, quibus fames depelli solet, corrogans, atque ollas leguminum, salsique nostratis obsonii, & ad levandam pauperum famem accommodatis plenas proponens, ac deinde Christi, qui linteo præcinctus Discipulorum pedes abluere minime grave ducebat, ministerium imitans, simulque puerorum, sive conservorum suorum ad eam rem opera utens, pauperum corpora & animas curabat, honorem nempe cum necessario alimento connectens, atque ipsorum calamitatem utrinque leniens. Talis erat novus noster Procurator, & secundus Joseph: immo etiam aliquid amplius habemus, quod dicamus. Ille enim ex fame quæstum captat, ac per benignitatem Ægyptum emit, ubertatis tempus ad famis tempus disponens & administrans, atque aliorum somniis ad eam rem ordinatus. Hic autem gratis benignus erat, neque in hoc tribuendi frumenti auxilio lucrum ullum captabat, id unum spectans, ut misericordiam per misericordiam sibi compararet, ac per præstitam annonæ largitionem futura bona consequeretur*. Similia

leguntur de S. Paulo apud S. Hieronymum, de S. Odilone apud S. Petrum Damiani, de S. Martino Pontifice apud S. Thomam de Villanova. D. Hieronymus *in epitaph. Paulæ matris ad Eustochium* (*n. 5. col. 687. oper. tom. 1.*): *Quid ergo referam amplæ & nobilis domus, & quondam opulentissimæ omnes pene divitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum, & bonitatem, etiam in eos, quos numquam viderat, evagantem? Quis inopum moriens non illius vestimentis obvolutus est? Quis clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est? Quos curiosissime tota Urbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter objurgantes Propinquos, majorem se eis hereditatem, Christi misericordiam, dimittere loquebatur.* Et post multa *num. 15. col. 700. Liberalitas sola excedebat modum. Et usuras tribuens versuram quoque sæpius faciebat, ut nulli stipem rogantium denegaret. Fateor errorem meum: cum in largiendo esset profusior, arguebam illud proferens de Apostolo*, Non, ut aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio &c. *multaque hujuscemodi, quæ illa mira verecundia & sermone parcissimo dissolvebat, testem invocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere, & hoc habere voti, ut mendicans ipsa moreretur, ut unum nummum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone involveretur. Ad extremum inferebat: Ego, si petiero, multos inveniam, qui mihi tribuant. Iste mendicans, si a me non acceperit, quæ ei possum, etiam de alieno, tribuere, & mortuus fuerit, a quo ejus anima requiretur? Ego cautiorem in re familiari esse cupiebam: sed illa ardentior Fide toto Salvatori animo jungebatur, & pauperem Dominum pauper spiritu sequebatur, reddens ei, quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Denique consecuta est quod optabat, & in grandi ære alieno filiam dereliquit, quod hucusque debens, non suis viribus, sed Christi se confidit misericordia reddituram.* Et infra *num. 3. col. 717. Quid hac virtute mirabilius, feminam nobilissimæ familiæ magnis quondam opibus tanta Fide omnia dilargitam, ut ad egestatem pene ultimam perveniret?* S. Petrus Damiani *in vita S. Odilonis pag. 328. In erogandis præterea eleemosynis ita largus erat, ut nonnulli, dum eum omnia dispergentem sine cunctatione conspicerent, non dispensatorem, sed prodigum judicarent; præsertim quodam tempore, dum fames valida Aquitaniæ fines vehementer affligeret, ac plurimas Galliarum provincias pestilenter arctaret, exhaustis jam in pauperum usus ærariis, & horreis quorumcumque proventuum non mediocriter profligatis, mox etiam plurima sacrarii vasa confregit, insignia ecclesiæ ornamenta distraxit, coronæ quoque, quam sibi Imperator Henricus ob sui memoriam destinaverat, non pepercit. Ut igitur tam acerbæ famis, in quibus valuit, temperaret inopiam, quidquid hinc inde corradere potuit facultatum, in sustentationes, & alimenta contradidit egenorum.* D. Thomas de Villanova *conc. 2. de S. Martino Pontifice & Confessore pag. 548. Pietatis igitur, qua excelluit Divus Martinus, illud est testimonium, quod, præter omnes reditus Episcopatus in hoc solo consumptos, dimidiatum pallium catechumenus dedit pauperi, & pallium integrum quod jam Episcopus tribuit, gratissima Deo acceptissimaque obsequia usque adeo, ut in prima eleemosyna Christus cum Angelis apparens ovanter circumstantibus diceret: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit; & in secunda, Angeli brachia ejus nuda pretiosissimis manipulis auro gemmisque contegerent.*

33. Exempla heroicæ Charitatis in Proximum ex operibus Misericordiæ spiritualibus desumpta facile hauriri possunt, ut a ceteris abstineamus, a sermone S. Fulgentii *de S. Stephano Protomartyre*, *tom. 9. Bibliot. PP. pag.* 108. ubi observans, eum pro inimicis orasse, & eorum crudelitatem increpasse, ait: *Ipsa sancta Charitas summam servavit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correctione censuram; & ideo in oratione audiri meruit lenitas, quia sine Charitate non fuit in correptione severitas; ac per hoc, sive orando, sive corripiendo, Charitatem Beatus Stephanus reservavit, quia utrobique salutem errantium cogitavit, &, judicio sanctæ orationis ostendit, increpationem illam non fuisse odii, sed amoris. Hoc autem faciens & præsentibus Charitatem Beatus Martyr exhibuit, & utile nimis exemplum posteris reliquit: demonstravit enim geminam Ecclesiastici dispensatoris industriam, ut ad corrigendum cujuslibet peccantis errorem & non desit in ore correptio, & ad Deum pro eo supplex effundatur oratio; ut qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationem apud Deum adjuvetur, ac sic ipsa Charitas & in ore justitiam sonet, ut errantem corrigat, & in corde patientiam servet, ut pro errante orationem puro affectu dilectionis effundat.* Extant sermones S. Petri Damiani, alius *de S. Fideli Martyre*, qui dum in sæculari militia versaretur, nonnullos ex commilitonibus ad Christianam Fidem convertebat; ait enim (*pag. 277. tom. 1. oper.*): *Militaribus quidem castris intererat, sed cælestis militiæ signa gerebat. Armatorum denique videbatur cuneis admisceri, sed pro cælestibus castris sociare sibi alienæ professionis milites satagebat. Quibus nimirum non terrenæ militiæ baltheum, non temporalis stipendii donativum, sed cælestis promittebat Curiæ municipium*; alius *de SS. Donato, & Hilariano*, ubi postquam retulit Donatum fuisse a suis parentibus Gentilibus abjectum, inquit *pag. 235. Sed postmodum eos & ad Fidei Christianæ Sacramenta perduxit, & insuper ad Martyrium sibi congrua ordinatione præmisit. Unde clarus iste inter Beatos Martyres jure censendus est, qui filius simul, & pater est Martyrum. Filius utique per naturam; pater per collatæ Fidei gratiam*: alius denique *de S. Vitale Martyre* (ordine secundus) ubi, postquam Ursicinum in tormentis titubantem, ne a Fide deficeret, hortationibus ab eo confortatum & munitum narravit, hæc habet *pag. 187. O quam efficax & viva vox de ejus ore tunc prodiit: Quam fervida Charitatis flamma de vaporato ejus pectore æstuavit! Noli, noli (inquit) Ursicine Medice, qui alios curare consuevisti, te ipsum æternæ mortis jaculo vulnerare. Nec in auditoris cor frigida descendere potuit, quæ per exhortationis verba ex ipso Spiritus Sancti igne processit.* S. Ambrosius, sive alius Auctor *serm. 53. in Natali SS. Apostolorum Petri, & Pauli num. 4.* (*appendic. tom. 2. oper. col. 464.*) exponit illud Actorum, esurienti videlicet Petro post orationem circa horam nonam vas quoddam uti linteum magnum de cœlo demissum apparuisse, & vocem fuisse auditam sic dicentem: *Surge, Petre, occide, & manduca*; & hinc occasione desumpta, ardentem spiritalem Petri Charitatem sequentibus verbis prosequitur: *Mirandum, cur Sanctum virum post orationem fames sequatur, cum soleat fames oratione depelli. Sed puto, Petrum post orationem non cibum esurisse hominum, sed salutem, nec inedia vexatum esse corporis, sed inopia credentium laborasse. Cum enim Judaicus populus perfidus & ingratus, illo prædicante, Christo non crederet, famem quodammodo Petrus sui officii sustinebat .... Esurienti illi, hoc est cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute Judaici populi offertur vas diversorum generum animalibus plenum, velut Divinitate dicente illi: Tu in Judæos solos esuris, sed famem Fidei tuæ cunctarum Gentium diversitate reficio. Nam utique per diversa animalia collecta in uno vasculo diversarum Gentium congregatio in una Ecclesia demonstratur.* Item S. Gregorius Nazianzenus *in cit. orat. in laudem S. Basilii Magni* post descriptos errores, quibus populus inquinabatur, narrat *pag. 346.* eum non modo fervidas ad Deum fudisse preces, sed etiam errantes, qui præsentes erant severe corripuisse, absentes scriptis confutasse, & omnibus omnia factum, ut omnes Christo lucrifaceret: *Eos quidem, qui manus conferre ausi fuerant, armis linguæ cominus contundens; eos autem, qui procul ab eo dissiti erant, sagittis ex atramento confectis feriens &c. Deinde, quoniam imperfecta res est actio sermone destituta, & sermo ab actione remotus, idcirco actionis subsidium sermoni adjungebat, alios videlicet adiens, ad alios legationem mittens, alios accersens, admonens, arguens, increpans, minis insectans, probris incessens, pro gentibus, pro urbibus, pro singulis etiam hominibus certamen suscipiens, omne salutis genus excogitans, undecumque medicinam morbo adhibens.*

34. Alia plura facile colligi possent: sed ad praxim causarum Beatificationis & Canonizationis ut redeamus, communis Charitatis erga Proximum signa sunt bona temporalia ad aliorum subsidium erogare, propter eos corpus suum laboribus exponere, errantes corrigere, & ad viam salutis reducere, injurias acceptas condonare, salutem animarum curare, & illis ea optare, quæ pro nobis optamus. Quocirca *Matth. 5. v. 7.* legitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; & *Matth. 18. v. 15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum*; & in *Psalm. 140. v. 5. Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me*; & *Matth. 5. v. 44. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*: cumque inter præcepta habeamus, *Diliges Proximum tuum, sicut te ipsum*, quemadmodum homo tenetur salutem animæ suæ ante omnia procurare, juxta illud *Matth. cap. 16. v. 26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* sic & Proximorum salutem procurare tenetur.

petur. Heroicæ autem Charitatis signa & effectus erunt ea ipsa præstare, cum occasio se offert, prompte, facile, expedite, jucunde, non semel, nec bis, sed frequenter, & potissimum, si opera, quæ fiunt, ardua sint; ita ut ex omnibus simul conjunctis deprehendatur, sic operantem communem operandi modum proborum hominum excedere; uti late prosequuntur allegati Auctores, Cardinalis de Lauræa *loc. cit. art.* 12. & Maderna *art.* 6.

35. Consueverunt Rotæ Auditores in suis relationibus Charitatis erga Proximum actus separare, spiritales videlicet a temporalibus. In relatione itaque causæ S. Teresiæ *tit. de immensa Charitate erga Proximos*, observarunt primo immensum desiderium salutis Proximorum, quos illa Deo conciliare, & Hæreticos maxime ad ipsum convertere optavit; secundo, propagationem reformatæ Religionis Carmelitarum, ut Religiosorum labores, pœnitentiæ, & continuæ orationes a Deo salutem animarum pereuntium impetrarent; tertio, conversionem nonnullarum personarum nobilium, quæ nefarie vivebant; quarto, summum, quo torquebatur, mœrorem, cum aliquis egregius prædicator verbi Dei, & salutis animarum operarius ex hac vita decedebat, quem mœrorem exhibuit potissimum in morte S. Pii V. & viri illius Apostolici Joannis Avilæ; quinto, singularem inimicorum dilectionem, & suorum persecutorum, cum eorum defectus, quantum poterat, excusaret, & de eis quemquam obloqui non permitteret, pro eis a Deo veniam postularet, & incessanter pro iisdem oraret. In relatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *tit. de Charit. in Proximum*, quoad spiritalia narrarunt, eam nondum duodecimum annum egressam, nec adhuc ingressam monasterium consuevisse rudes puellulas Christiana documenta docere, & domi singulis diebus festis rusticana turba congregata, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Apostolorum Symbolum illi exponere; in ipsa autem adolescentia, dum inter Moniales Equitum S. Joannis morabatur, ægras invisere solitam fuisse, ad Sacramentorum frequentiam hortari, & sacra lectione reficere, tum assidue Deo commendare animas Peccatorum, & Infidelium, affinium servos, cognatarum famulas quacumque occasione ad se accedentes salutaribus documentis instruere; & cum gemini nocentes furcarum pœnam essent subituri, nec ad Deum converti vellent, fusis precibus a Deo impetrasse, ut mutato consilio, veniam culparum exposcerent, & pie in Domino morerentur, ita ut in ecstasi viderit alterum ex eis in Purgatorii flammas demissum, & alterum felicius in Empyrei sedem translatum. In relatione S. Ignatii *tit. de charit.* ex processibus desumpserunt, eum, ubi ageretur de Dei honore, & animarum salute, nullum recusasse laborem, Proximos inter se diffidentes reconciliare conatum esse, curam & solicitudinem habuisse, ut rudes, & pueri Christianam doctrinam discerent; omnes, quos potuit, verbo & exemplo ad pœnitentiam & viam salutis studuisse provocare; triginta annorum cum esset, ut Proximos juvare posset, litteras didicisse & ob defendendam Dei gloriam, & Proximorum procurandam salutem graviter Barcinone flagellatum, & pene ad mortem redactum Deo benedixisse, percussoribus pepercisse, & pro illis orasse. In relatione causæ S. Francisci Xaverii *tit. de Charitate erga Proximum*, ex Actis hauserunt, eum toto vitæ suæ tempore pueris Christianæ Fidei elementa tradidisse, rudibus adultis Christianam Legem uberius explicavisse, peccatores omni conatu ad officium revocasse, Infidelibus, discussis errorum tenebris, diem Evangelicæ prædicationis aperuisse, testibus allatis, qui de singularibus actibus testimonium reddebant. In relatione S. Petri de Alcantara *tit. de immensa Charitate erga Deum, & Proximum*, eum fuisse indefessum & eminentem Evangelii prædicatorem; & per plures annos in ejus expositione desiderio gloriæ Dei, & conversionis animarum se exercuisse; tum pluries, & fere semper pauperes ad portam monasterii pro eleemosyna accedentes non modo eleemosynis refecisse, sed doctrinam Christianam docuisse, illosque sanctissimis monitionibus, & consiliis aluisse. Insignes quoque S. Jacobi de Marchia & ferventes prædicationes, & meretricum veras conversiones in re, de qua nunc agitur, ponderarunt Rotæ Auditores in causæ relatione. In relationibus quoque SS. Philippi Nerii, & Cajetani plura referuntur de conversionibus peccatorum, laboribus exantlatis, & fusis precibus a Deo impetratis: & in relatione Servi Dei nunc Beati Hieronymi Æmiliani mentio fit conversionis meretricum, & collectionis puerorum per vicos & plateas, quibus non modo temporalia, sed & spiritalia comparabat. De hac ipsa puerorum collectione mentio fit in relatione S. Ludovici Bertrandi, in qua etiam additur eum singultibus, & lacrymis, & verberibus sanguine redundantibus, quæ suo corpori inflixit, mulierem libidinis cœno inquinatam ad bonam frugem revocavisse: & in relatione causæ S. Andreæ Avellini, eum ab Archiepiscopo Neapolitano electum, ut reformationi cujusdam monasterii Monialium operam præstaret, ab incepto opere non destitisse, licet in facie vulnus a viro nequam ea de causa acceperit; & memorem vocis Dominicæ præcipientis, ut inimicos diligamus, sui nepotis occisoribus ex corde ignovisse.

36. Nostrum hoc Opus in immensum excresceret, si singulos arduos & heroicos actus spiritalis erga Proximum Charitatis, qui in Actis Sanctorum occurrunt, commemorare vellemus, sive loquamur de actibus illis, qui narrantur in bullis Canonizationum, sive de aliis, qui exponuntur in citatis relationibus Rotæ Auditorum, sive de ceteris, quos admirabundi legimus in processibus causarum SS. Francisci Regis, Vicentii de Paulis, Camilli de Lellis, B. Hyacinthæ de Marescottis, & Ven. Servi Dei Josephi a Matre Dei, quorum omnium virtutes discussæ & approbatæ fuerunt a summis Pontificibus, dum Promotoris Fidei munere fungebamur. Quocirca, ut finem huic capiti imponamus, inter egregia opera Charitatis in Proximum quoad corporalia, continuæ visitationes infirmorum, servitium hospitalibus præstitum, morbi ex ea causa contracti, non intermissa ob eam rem ægrotorum cura, frequentes carcerum visitationes, eleemosynæ pauperibus distributæ non exigua, sed magna copia, subtractio rerum sibi necessariarum, ut subsidium Proximo laboranti exhiberetur, hospitalium pro infirmis collectis undique eleemosynis, collegiorum pro recta juventutis educatione fundationes & institutiones, tanquam argumenta & signa heroicæ corporalis Charitatis in Proximum, passim leguntur in relationibus causarum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, S. Franciscæ Romanæ, SS. Petri de Alcantara, Paschalis de Baylon, Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, Philippi Nerii, Cajetani, Joannis de Deo, Ludovici Bertrandi, Isidori, Ignatii, Xaverii, Aloysii Gonzagæ, Francisci Borgiæ, B. Hieronymi Æmiliani, & Servorum Dei Nicolai Factor, Juliani a Sancto Augustino, prætermissis aliis, quæ habentur in relationibus Caroli Borromæi, Thomæ de Villanova, & in Actis SS. Francisci Salesii, & Alfonsi Mogrobesii, de quibus agetur, cum de virtutibus statui Episcoporum congruentibus sermo instituetur.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

De virtutibus Cardinalibus, seu moralibus, Prudentia, Justitia, Fortitudine, Temperantia, & earum anneuis, & de heroicitate uniuscujusque ex ipsis.



QUEMADMODUM in capite præcedenti, cum ageremus de virtutibus Theologicis, evitandæ confusionis gratia, singillatim de unaquaque egimus virtute, ita hoc ipsum fieri debere censemus in capite præsenti, in quo de virtutibus Cardinalibus, seu moralibus sermo instituetur: quocirca sit

§. I.

De virtute Prudentiæ, & ejus partibus, & de ejusdem virtutis heroicitate.

1. PRudentia definitur *Recta ratio agibilium*; & ejus objectum est id omne, quod agi potest, caditque sub electionem & liberum arbitrium. Prudentia alia est carnis, alia spiritus. Quocirca *in epist. ad Rom.* 8. legitur *v. 6. Prudentia carnis mors est; Prudentia autem spiritus vita, & pax, quoniam sapientia carnis inimica est* Deo,

Deo, Legi enim Dei non est subjecta: quorum verborum sensus juxta Estium *in comment. loc. cit.* est hic: *Sapere, curare, providere ea, quæ carnis sunt, mortem affert, mortem meretur, utique æternam &c. Sapere, & curare ea, quæ sunt Spiritus Sancti concupiscentis adversus carnem, parit nobis vitam æternam.* S. Augustinus *lib. 1. contra Gaudentium cap. 5.* advertit, malos aliquando in sacris Litteris dici prudentes, sed nunquam innocentes. De utraque Prudentia spiritus, & carnis S. Basilius *homil. 11. variorum argumentorum in principium Proverbiorum* sic ait: *Una est Prudentia proprii commodi custos, & alieni doli observatrix, qualem serpens habet. Ille, si quid periculi imminere viderit, caput super omnia custodit. Ea videtur esse versutia illa, quæ prona est ad proprium commodum, & simpliciores defraudandos; quali Prudentia fuit ille sæculi prudens, & injustitiæ œconomus apud Evangelium. Vera autem Prudentia eorum, quæ agenda sunt, & non agenda, cognitio est; quam si quis recte sectatus fuerit, nunquam ab officio, virtuteque discedet.* S. Thomas 2. 2. *quæst. 47. art. 13.* triplicem Prudentiam distinguit, & primam esse dicit quamdam Prudentiam falsam, vel per similitudinem dictam; cum enim prudens sit, qui bene disponit ea quæ sunt agenda, propter aliquem bonum finem, ille, qui propter malum finem aliqua disponit, quæ sunt illi fini congruentia, falsam habet Peudentiam. Secundam Prudentiam ait esse veram; invenit enim vias accommodatas ad finem vere bonum: sed imperfecta est, aut quia illud bonum, quod accipit pro fine, non est communis finis totius humanæ vitæ, sed alicujus specialis negotii, aut quia deficit in principali actu Prudentiæ, cum ea præditus bene judicet etiam de his, quæ pertinent ad totam vitam, sed non efficaciter præcipiat. Tertiam denique ait Prudentiam veram & perfectam esse, quæ ad bonum finem totius vitæ rectis consiliis dirigit, judicat, & præcipit: primamque Prudentiam in solis peccatoribus reperiri, secundam, quæ est imperfecta propter finem particularem, esse communem bonis & malis, & tertiam in solis justis repeiri. Hanc eamdem doctrinam late prosequuntur Rotæ Auditores in relatione causæ S. Ludovici Bertrandi *tit. de Prudentia*, & in relationibus causarum S. Petri de Alcantara, & S. Teresiæ, *utrobique art. 7.* & de vera Prudentia dicitur *Proverb. cap. 4. v. 5. Posside Sapientiam, posside Prudentiam: ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei. Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conservabit te. Principium Sapientiæ posside Sapientiam, in omni possessione tua acquire Prudentiam. Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclita proteget te.*

2. Prudentia hæc postrema, de qua solum loquimur, norma est virtutum omnium moralium, juxta D. Thomam 2. 2. *qu. 166. art. 2. ad primum*, & Theologicarum quoque virtutum est regula, & administra exercitationis earum, ut late ostendit Bernardinus Rosignolius Theologus Societatis Jesu *in tract. de actionibus virtutis lib. 2. cap. 2. & seqq.* ubi *cap. 5. pag. 244.* hæc ad rem scribit: *Prudentiæ sunt actiones aliarum virtutum omnium: neque enim est Prudentia Christiana perfecta, si desint aliæ virtutes, immo si vel aliarum desit una. Ut ergo virtutum singularum quasi nota est & insigne Prudentia, sic vicissim actiones virtutum singularum testes & nuntia sunt Prudentiæ &c. quam etiam ob causam mensuram Prudentiæ collocat Sanctus Gregorius in actionibus aliarum virtutum, quia nimirum, quanta ea sit, ex harum momentis intelligitur.*

3. Actus Prudentiæ tres sunt, Consultatio, Judicium & Imperium: perquirere enim media accommodata ad consequendum finem formalem cujuslibet virtutis per medium accommodatum ad hunc, vel illum finem spectat ad Prudentiam per actum Consultationis. Consultationem sequitur Judicium: statim enim ac intellectus ponderavit rationes utriusque partis de hoc, vel illo medio eligendo, statim decernit, tale medium esse eligendum. Demum per actum Imperii jubet, hoc medium eligi, ut virtutis alicujus operatio ad finem debitum dirigatur. Et quamvis prædicti tres actus spectent ad virtutem Prudentiæ, actus tamen Imperii proprie est elicitus ab habitu Prudentiæ, uti fuse explicat D. Thomas 2. 2. *quæst. 47. art. 8.*

4. Ex partibus Prudentiæ aliæ sunt integrales, aliæ potentiales, aliæ subjectivæ, ut eas Scholæ vocant. Integrales, seu quasi integrales sunt *Memoria*, quæ est præteritorum cognitio; *Intelligentia*, quæ est cognitio præsentium; *Docilitas*, quæ est cognitio per alterius eruditionem: *Solertia*, quæ est cognitio per propriam inventionem; *Ratio*, quæ est cognitio parta per illationem unius ex alio; *Providentia*, quæ est ordinatio aptorum mediorum ad finem debitum; *Circumspectio*, quæ est animadversio circumstantiarum negotii; *Cautio*, quæ est machinatio quædam adversus ea, quæ obstare & impedire possunt in producendo aliquem virtutis actum. Legi potest D. Thomas 2. 2. *quæst. 48. art. unic.*

5. Partes potestativæ, sive potentiales sunt quasi quædam instrumenta, per quæ actus Prudentiæ perficiuntur, & sunt *Eubulia*, cujus actus est bene consulere; *Synesis*, cujus actus est judicare secundum leges communes; *Gnome*, cujus actus est judicare ex altioribus principiis præter communes leges secundum rationem naturalem, prout casus & circumstantiæ exposcunt: de quibus sæpe citatus D. Thomas 2. 2. *quæst. 51. art. 1. & tribus seqq.*

6. Partes denique, quæ virtuti Prudentiæ subjiciuntur, sunt quatuor; *Monastica*, quæ versatur circa bonum proprium; *Œconomica*, quæ versatur circa bonum domus, vel familiæ; *Politica*, quæ respicit bonum civitatis, seu reipublicæ, aut regni; & *Militaris*, quæ dirigit in rebus bellicis multitudinem ad tempus collectam in ordine ad patriam ab hostibus tuendam, & eorum impetus repellendos, juxta D. Thomam 2. 2. *qu. 50. art. 1. & seqq.* cui adhæserunt Rotæ Auditores in relatione causæ S. Pii V. *tit. de Prudentia*, impressa in tomo ultimo, & posthumo annalium Bzovii, & in relatione causæ Sancti Thomæ de Villanova post Contelor. *de Canoniz. SS. pag. 552.*

7. Agentes de Canonizatione Sanctorum, & signanter de heroicitate Peudentiæ cohærenter ad ea, quæ, cum de heroicitate in genere agebatur, dicta sunt, docent, actus Prudentiæ Christianæ communis esse consultare, judicare, & præcipere de mediis in ordine ad finem supernaturalem, & actus Prudentiæ Christianæ heroicæ esse eosdem actus exercere in ordine ad eumdem finem, sed in rebus arduis, & facile, & expedite, & jucunde: Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 12. disp. 32. ar. 13. num. 386.* Maderna *Theolog. tom. 2. tr. 6. qu. 3. ar. 7. num. 7.* Communis quoque est eorumdem sententia, prædictam facilitatem, promptitudinem, & jucunditatem ab habitu Prudentiæ, & a dono Spiritus Sancti, quod dicitur *Consilii donum*, causam habere: in Divinis quippe Scripturis nomine *Consilii* non solum ipsa consultatio significatur, sed etiam judicium, & imperium; unde Apostolus de Deo loquens ait *epist. 1. ad Ephes. cap. 1. v. 11. Secundum consilium voluntatis suæ:* quod ad rem late exponunt Rosignolius *de action. virtutum lib. 2. cap. 1. pag. 179.* Cardinalis de Lauræa *in allegat. disp. 32. art. 3. §. unic. num. 381. & num. 383.* Matthæucc. *in practica Theologo-Canon. tit. 2. cap. 3. §. 1. num. 28.* Demum concludunt, non esse in unaquaque causa cujuscumque Dei Seevi inquirendum de singulis partibus subjectivis Prudentiæ, sed de ea, aut de illis tantum, in quibus Dei Servus juxta vitæ tenorem potuit se exercere: Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 4. cap. 1. pag. 234. §. Prudentia.*

8. Apud Cardinalem de Lauræa *loc. cit. disp. 32. art. 13.* collecta habentur exempla, tum Monasticæ, tum Œconomicæ, tum Politicæ Prudentiæ. Idem Auctor *loc. cit. n. 405.* bene animadvertit, etiam juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, omnium aliarum virtutum heroicarum actus ab heroica dirigi Prudentia, & sic heroicæ Prudentiæ adstipulari, quæcumque de heroicitate aliarum trium virtutum moralium Justitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ dicentur. De Prudentia S. Adelardi Abbatis Corbejensis hæc habentur in ejus vita scripta a S. Paschasio Ratberto apud Bollandum *ad diem 2. Januarii cap. 5. num. 16. pag. 99. Porro Prudentia tanta illi inerat, ut fons consilii ex ejus animo manare videretur. Cernebat enim simul præterita, præsentia, & futura, ut de singulis prævideret, quid agendum, quidve sequendum Dei consilio monstraretur.* S. Gregorius Nazianzenus *orat. 20. de laudib. S. Basilii* sic ejus Prudentiam commendat (*pag. 332. tom. 1. oper.*): *Quis Prudentia perinde canus erat etiam ante canitiem? Quandoquidem hac re senectutem Salomon quoque definivit. Quis vel senibus, vel juvenibus, æque venerabilis, non de nostræ tantum memoriæ viris loquor, sed de iis etiam, qui longo ante tempore vixerunt? Quis doctrina propter mores minus eguit? Quis tamen uberiorem doctrinam cum moribus conjunxit?* Heroicam S. Pauli Prudentiam laudibus extollit S. Joannes Chrysostomus *homil. 4. in cap. 1. epist. ad Romanos pag. 455. tom. 9. oper.* Cum enim Apostolus, eos docendo, increparet de passionibus ignominiæ, Chrysostomus Prudentiam admirans ait: *Hic vero admiratione digna est Pauli Prudentia: quo pacto cum in res duas contrarias incideret, utramque cum omni*

accu-

accuratione perfecerit. Volebat enim & caste loqui, & mordere auditorem: hæc autem ambo facere non licebat, sed alterum alteri officiebat. Si enim caste loquaris, non poteris perstringere auditorem; sin velis vehementer incessere, rem, quam dicis nude, & clare proferre cogeris. Verum prudens illa, & sancta anima utrumque potuit eam accuratione facere, in naturæ nomine & accusatione augens, & quasi involucro quodam illo utens, ut castus esset loquendi modus. Deinde postquam mulieres primum perstrinxerat, ad viros procedit. Plura alia in Operis decursu heroicæ Prudentiæ exempla proferentur, & nonnulla tantum in præsenti desumentur ab Actis Canonizationum. In eis itaque monasticæ heroicæ Prudentiæ non desunt exempla. In relatione quippe causæ S. Isidori Agricolæ *tit. de quatuor virtutibus Cardinalibus, & signanter de Prudentia* Rotæ Auditores observarunt, electo per eum agricultoris officio honesto & laborioso, ut se & familiam suam alere posset, sic horas diei distribuisse, ut primas matutinas Missæ audiendæ, visitandis ecclesiis, ferventissimæ orationi, colendoque Deo applicaret, & reliquum diei tempus culturæ designaret. In relatione causæ Servi Dei (nunc Beati) Æmiliani *eod. tit. de Prudentia*, retulerunt, eum, ut se liberaret a cœno vitiorum, quo erat obrutus, sic rem aggressum esse, ut non omnia simul justo prælio adoriretur, sed quasi singulorum viribus divisione imminutis seorsim bellum inferret, & interitum moliretur; quod & feliciter præstitum est, ita ut, uno prostrato & penitus dejecto, aliud in aciem provocaverit, &, adversæ virtutis exercitiis oppugnatione instructa, non prius destiterit, quam, expugnato vitio virtus in animo sedem constituerit, & ad reliqua pari pugna, victoriæque cursu perrexerit, Item in relatione causæ S. Joannis de Deo *eod. tit.* Prudentiam heroicam desumpserunt tum ex ceteris virtutibus, quibus excelluit, tum ex eo, quod ita suæ vitæ modum disposuit, ut omnia removerit obstacula, quæ ipsum in via Domini vel præpeditum, vel segniorem reddere potuissent. Ad rem prosequitur Matthæuccius *cit. oper. tit. 2. cap. 3. §. 1. num. 23. Hinc in regimine sui Heros in monastica Prudentia est censendus, qui eam sensibiliter demonstrat in moderatione utriusque appetitus, sensualis, & rationis, in contemptu terrenorum, dirigens, quidquid cogitat, operatur, & agit, in finem supernaturalem. Si ex exemplo vitæ, humilitate, devotione, ceterisque virtutum functionibus in admirationem aque, ac sui æstimationem & cultum viros etiam sapientes, & probos rapiat &c. Si asperiora & duriora consilia, ac extraordinarias supererogationis functiones, ut potissima media ad fidem habendum, superaddat exactissimæ præceptorum observations &c. vel similia exhibeat, quæ a communiter prudentibus præstari non soleat.*

9. In iisdem Canonizationum Actis Œconomicæ pariter Prudentiæ non desunt exempla, & signanter in relationibus causarum SS. Jacobi de Marchia, Cajetani, Ignatii, Teresiæ, Philippi Nerii, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis *titul. de Prudentia*, aut quia Ordines Regulares fundarunt; aut quia Regularibus sibi subjectis ita præfuerunt, ut eos ad viam salutis factis & exemplis reduxerint; aut quia salubria consilia præstiterunt, quorum ope peccatores ad Deum conversi sunt, vel boni mirabiles progressus in Christianarum virtutum exercitio fecerunt; quemadmodum in citatis relationibus legi potest. In relatione quippe causæ S. Ignatii affertur testimonium summi Pontificis Gregorii XIII. qui *in bulla confirmationis instituti Societatis Jesu* ait, Beatum Patrem Ignatium ad finem, quem sibi præscripserat, defensionis & propagationis Catholicæ religionis, animarumque profectus convenientia media, Spiritu Sancto cooperante, accommodavisse. In relatione causæ S. Teresiæ habetur, eam suavi Prudentia & dexteritate magnum opus reformationis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo aggressam esse; prævidisse, multos futuros esse adversarios; omnia Dæmonis impedimenta superasse; opus in Domino perfecisse; leges, & constitutiones sanxisse cum tali temperatione suavitatis, & austeritatis, ut in eis condendis certo credi possit Divino lumine fuisse illustratam; & demum, præcipiendo, & hortando, eis mirifice usam fuisse in regendis monasteriis Monialium, & Fratrum. In relatione causæ S. Philippi Nerii narratur, eum prudentissimum fuisse in præstandis consiliis spiritualibus; summos ipsos Pontifices Gregor. XIII. Gregor. XV. & Clementem VIII. multos S. R. E. Cardinales, & Aulæ Romanæ Prælatos, ceterosque saluberrima & sanctissima ab eo in rebus arduis & felicia consilia recepisse. Demum in relatione causæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis dicitur, aptissima remedia subministrasse, ut vitia abjicerentur, & virtuti amplissimus locus aperiretur, & ad solidam animæ quietem sæpe adolescentulas revocasse tentationibus obnoxias, quas Confessarii ejus directioni subjiciebant. *Exodi* enim 28. *v.* 3. legitur: *Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu Prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi*: super quo textu Glossa hæc habet: *Qui hanc vestem composuerunt, quia primi virtutibus studuerunt, & aliis exempla præbuerunt.* Ad rem subjicit Matthæuccius *loc. cit. num. 25. In regimine familiæ œconomica Prudentia* (præditus) *in gradu heroico dicendus est, qui in ejus directione pro fine supernaturali obtinendo summopere floret, domesticos omnes in timore Domini, & morum disciplina diligentissime educat &c. quem adeo urget & sollicitat zelus salutis eorumdem, ut nihil prætermittat, quo in Deum assidue dirigantur. Hæc similiaque prompte & delectabiliter agere communes regulas excedit, altioremque modum operandi præsefert.*

10. Exempla denique Prudentiæ politicæ prostant in relationibus causarum SS. Pii V. Caroli Borromæi, & Thomæ de Villanova, de quibus alio in loco tractabitur.

11. In Evangelio Matthæi Christus ait *cap. 10. v. 16. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: & in epistola ad Romanos *cap. 16. v. 19.* legitur: *Sed volo, vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* De Simplicitate loquitur D. Thomas 2. 2. *quæst. 109. art. 2. ad quartum*, ubi Simplicitatem hoc modo describit: *Simplicitas dicitur per oppositum duplicitati, qua scilicet aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exterius.* De eadem, ut est conjuncta Prudentiæ, sermonem habet S. Gregorius *lib. 10. in Job (cap. 29. col. 360. oper. tom. 1.)* ubi ait: *At contra sapientia justorum est nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera, ut sunt, diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur: quia ab hujus mundi Sapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur.* Et S. Joannes Chrysostomus, postquam (*hom. 7. in Acta Apostolorum p. 59. oper. t. 9.*) laudibus extulit Simplicitatem; *Quis enim non obstupescat, quis non miretur videns hominem moribus simplicem? Aut quis non devinciatur homini nihil subdolum habenti?* Subjicit: *Etiam, inquies, sed Prudentia est opus. Sed quid aliud est Simplicitas, quam Prudentia? Cum enim nihil mali suspicaris, nihil mali parere potes. Cum nihil fers moleste, non poteris injuriarum recordari. Contumelia te quis affecit, non doluisti; obloquutus est, nihil passus es; invidit tibi, non ægre tulisti. Vis quædam est ad philosophiam Simplicitas.* Ad complementum ergo perfectæ Prudentiæ Simplicitas necessaria esse videtur: vera autem cordis Simplicitas in hoc consistit, ut, exclusa quacumque duplicitate, qua quis aliud in ore, aliud habet in corde, in omnibus & singulis actibus nihil proprium quæratur, sed aut Dei gloria, aut Proximorum salus, aut utrumque.

12. Primum autem Simplicitatis indicium est, si quis æquali modo se præbeat omnibus, & coram omnibus, juxta illud *Prov. 10. v. 9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Secundum est, si quis eadem promptitudine omnibus tam parvis quam magnis, tam pauperibus, quam divitibus, cum prodesse poterit, per opera Charitatis inserviat, cavendo a quacumque personarum acceptione. Tertium est, si quis semper eodem modo se gerat in quocumque loco tam publico, quam privato. Quartum Simplicitatis indicium oritur ex assidua hilaritate & alacritate vultus, quæ originem habet ab alacritate conscientiæ: *Tranquilla est* (conscientia) *quia omnibus est dulcis, & nulli gravis, utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, & quibus potest, ad beneficentiam*, ut inquit Hugo *lib. 3. de anima cap. 9. tom. 2. oper.* & ad rem bene prosequitur Matta *de Canoniz. SS. part. 2. cap. 16. num. 22. & seqq.* Nec omitti potest inter Simplicitatis indicia, si quis peccatum, aut culpam commissam non excuset, sed candide fateatur. Similitudine ericii utitur S. Gregorius ad rem, de qua nunc agitur, 3. *part. Pastoral.* (*cap. 21. col. 47. oper. tom. 2.*) ad illa verba Isaiæ, *Ibi habuit foveam ericius*, sic enim ait: *Ericii quippe nomine impuræ mentis sesequæ callide defendentis duplicitas designatur, quia videlicet ericius cum apprehenditur, ejus & caput cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur; sed mox, ut apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manus totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur. Sic nimirum, sic impuræ men-*

tes

tes sunt, cum in suis excessibus comprebenduntur: caput enim ericii cernitur, quia, quo initio ad culpam peccator accesserit, videtur: pedes ericii conspiciuntur, quia, quibus vestigiis nequitia sit perpetrata, cognoscitur: & tamen, adductis repente excusationibus, impura mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit: caput subtrabit, quia miris defensionibus nec inchoasse se malum aliquod ostendit; & quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is, qui corripit, cuncta, quæ jam cognoverat, subito amittens involutum intra conscientiam peccatorem tenet, & qui totum jam deprebendenda viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus totum pariter ignorat. Foveam ergo babet ericius in reprobis, quia malitiosæ mentis duplicitas sese intra se colligens abscondit in tenebris defensionis. Demum, ne a scribentibus de Canonizatione omnino recedamus, in relatione causæ S. Francisci de Paula de Prudentia, & Simplicitate Jacobus Simoneta Rotæ Auditor, deinde Cardinalis sic loquitur: *Prudentem vero debere esse bominem sicuti serpentem, & simplicem sicut columbam, docet Divina Veritas Matth. 10. Serpentis prudentia est diligenter cavere a supplantantium insidiis, non vi, non fraudi locum relinquere; sed columbæ simplicitas est nemini injuriam inferre, nulli dolos, aut insidias parare. Sancti namque viri quæcumque agunt, in conspectu Dei agunt.* Et in relatione causæ S. Philippi Nerii *tit. de Simplicitate*, postquam dictum fuit, eum præditum fuisse maxima Prudentia, transitu facto ad simplicitatem refertur, ex ejus ore puram semper veritatem absque ulla fictione, aut dolo auditam fuisse, mendacia prorsus horruisse, & mendaces, aut se excusantes a culpis commissis severe arguisse, & summopere lætatum fuisse, cum, se ab aliquo stultum reputari, intelligebat: quod ipsum fuse legitur in ejus prima vita Auctore Antonio Gallonio apud Bollandianos *ad diem 26. Maji cap. 19. num. 227. pag. 524. Ornavit Deus Philippum summa Prudentia, quæ maxime rebus ad Dei gloriam agendis, atque consiliis dandis eminebat. Hanc ille virtutem ut occultaret, simplicem se, stultumque simulabat, ut tandem cum Apostolo diceret:* Nos stulti propter Christum. *Hoc ergo unum manibus, pedibusque obniæ conabatur, ut summam Prudentiam specie quadam assimulatæ simplicitatis, atque stultitiæ tegeret.*

§. II.

De virtute Justitiæ, & ejus partibus, & ejusdem beroicitate.

13. PRudentiæ succedit Justitia, quæ dupliciter sumi potest, large videlicet, & stricte. Si large accipiatur, sumitur pro quocumque virtutis actu perfecta undique rectitudine absoluto: & juxta hanc significationem, viri boni in sacris Litteris viri justi appellantur; ait enim Christus Dominus Discipulis suis *Matth. cap. 6. v. 1. Attendite, ne Justitiam vestram faciatis coram bominibus*, & rursus *cap. 5. v. 20. Nisi abundaverit Justitia vestra, plusquam Scribarum, & Pbarisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quocirca, cum *Genes. cap. 6. v. 9.* Noe vir justus appelletur, S. Joannes Chrysostomus *bomil. 23. (n. 5. pag. 212. tom. 4. oper.)* subjicit: *Hac appellatione* (justi) *omnem virtutem complectitur; boc enim nomen justus consuevimus dicere de iis, qui omnigenam exercent virtutem*: & D. Hieronymus *ad Demetriadem* addit, omnes virtutis species uno Justitiæ nomine contineri. Ad Justitiam hoc modo sumptam, quæ Justitia legalis appellatur, pertinet observatio omnium legum: & hinc oritur inter Philosophos, atque Theologos insignis controversia, an hæc Justitia legalis sit specialis aliqua virtus, & prorsus sejuncta a ceteris, an potius indistincta, & ex illarum omnium satellitio consurgens. Controversia hæc fuse explicatur a Cardinali de Aguirre *in tract. de virtutibus, & vitiis disput. 10. quæst. 4. sect. 1. & seqq.* ubi juxta D. Thomam *in lib. 5. Etbic. lect. 2.* & latius *in 2. 2. quæst. 58. art. 5. & 6.* docet, Justitiam legalem dupliciter accipi posse, primo videlicet pro virtute quadam speciali, quæ ex propria ratione spectat bonum commune veluti objectum proprium, & in illud ordinat ceteras peculiares virtutes instar cujusdam causæ universalis; secundo autem accipi posse non pro causa universali intra genus virtutum, sed pro effectu, nimirum pro qualibet peculiari virtute imperata, seu ordinata a Justitia legali in bonum commune reipublicæ: quibus præsumptis, infert, Justitiam legalem, licet natura sua & essentia sit virtus peculiaris, & certæ cujusdam speciei, extensione tamen, sive imperio & ordinatione non esse nisi virtutem generalem. Nec enim per hoc, quod Justitia legalis, quæ est virtus universalis in efficiendo, imperet seu ordinet peculiares virtutes, Fortitudinem videlicet, aut Temperantiam, in bonum commune legibus præscriptum, mutatur natura Fortitudinis, vel Temperantiæ; sed solum iis additur expressus ordo ad bonum publicum civitatis, invariata illarum specie & essentia.

14. At, si Justitia stricte sumatur, eadem definitur: *Constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens*; quæ definitio sumpta est ex Ulpiano *in l. justitia, ff. de justitia, & jure*, eamque approbat, & explicat D. Thomas *2. 2. quæst. 58. art. 1. in corpore*, ubi docet, prædictam definitionem Justitiæ esse completam, si habitus loco actus substituatur: *Prædicta definitio est completa definitio Justitiæ, nisi quod actus ponitur pro babitu, qui per actum specificatur; babitus enim ad actum dicitur. Et, si quis vellet eam in debitam formam definitionis reducere, posset sic dicere, quod Justitia est babitus secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit; & quasi est eadem definitio cum ea, quam Pbilosopbus ponit in 5. Etbic. dicens, quod Justitia est babitus, secundum quem aliquis dicitur operativus secundum electionem justi.*

15. Juxta eumdem S. Thomam *loc. cit. art. 2.* cum Justitiæ nomen significet æqualitatem, Justitia babet, ut sit ad alterum, cum nibil sit æquale sibi, sed alteri; ideoque virtus Justitiæ non modo ratione objecti distinguitur a virtutibus Fortitudinis, & Temperantiæ, cum Fortitudo versetur in ferendis doloribus, Temperantia in temperando a voluptatibus, non autem in constitutione æqualitatis inter duo distincta supposita; sed etiam quod Fortitudo, & Temperantia sunt virtutes hominis ad se ipsum, & Justitia est ad alterum ut a se distinctum.

16. Justitiæ partes dividuntur in subjectivas, & potentiales. Partes, quæ subjiciuntur Justitiæ tanquam species generi, retinent & participant veram ac formalem rationem Justitiæ particularis per duplicem respectum, vel totius ad partes, vel partium inter se, uti subtiliter explicat citatus D. Thomas *2. 2. quæst. 61. art. 1.* atque hinc fit, ut Justitia particularis alia dicatur commutativa, alia distributiva. Commutativa servat inter partes æqualitatem rei ad rem; distributiva servat æqualitatem proportionum, ut scilicet unicuique detur secundum sua merita, vel necessitatem: & de utraque Justitia distributiva, & commutativa loquitur Apostolus *ad Rom. 13. v. 7. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui bonorem, bonorem; Nemini quidquam debeatis.*

17. Partes vero potentiales Justitiæ recensentur a D. Thoma, & a Theologis, Religio scilicet, Pietas, Observantia, Obedientia, Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia, Affabilitas, & Liberalitas. Omnes enim hæ virtutes, cum inter duo versentur, & sint ad alterum, ad virtutem Justitiæ referuntur, quamvis ex alio capite a propria ratione Justitiæ deficiant, cum aliquæ præsumant debitum, & proprie debitum, sed deficiant a constitutione æqualitatis, aliæ constituant æquale, sed a propria ratione debiti deficiant, uti consideranti patebit, & bene explicat citatus D. Thomas *2. 2. quæst. 80. art. unic.* qui etiam *quæst. 122. art. 6.* docet, præcepta Decalogi ad Justitiam pertinere, cum prima tria sint de actibus Religionis, quartum de actibus Pietatis, & alia sex de actibus Justitiæ communiter dictæ, quæ inter æquales attenditur.

18. De Religione fuse agit D. Thomas *2. 2. quæst. 81. art. 1. & seqq.* ubi docet, Religionem proprie significare ordinem ad Deum: quocirca Religio definitur virtus, quæ debitum cultum Deo tanquam primo rerum omnium principio exhibet. De Pietate agit idem S. Doctor *2. 2. quæst. 101. art. 1. & seqq.* & quemadmodum Religio est quædam protestatio Fidei, Spei, & Charitatis, quibus homo primario ordinatur in Deum, ita etiam Pietas est quædam protestatio Charitatis, quam quis habet ad parentes, & patriam. De Observantia tractat pariter *2. 2. quæst. 102. art. 1. & seqq.* Est autem Observantia virtus cultum deferens Superioribus, & aliis personis excellentibus, quæ homines gubernant, vel ad gubernandum sunt idoneæ. De Obedientia tractat idem Angelicus Præceptor *2. 2. quæst. 104. art. 1. & seqq.* Est autem Obedientia virtus, qua exequimur actus a Superiore præceptos, quia præcepti sunt. Gratia, seu Gratitudo virtus est, quæ benefacientibus gratiam rependit: & quia non quidquid debemus Deo, vel patri, vel personæ dignitate præcellenti, debemus cuilibet, a quo aliquod beneficium recepimus, hinc est, quod post Religionem, qua debitum cultum Deo impendimus, & Pietatem, qua colimus parentes, & Observantiam, qua colimus personas digni-

dignitate præcellentes, fubfequitur Gratitudo, quæ gratiam benefacientibus rependit; uti dictum eft, & bene explicat D. Thomas 2. 2. *quæft.* 506. *art.* 1. Vendicatio fpecialis virtus eft, & eft inter partes Juftitiæ potentiales, & pertinet ad Peccatorum emendationem, Juftitiæ confervationem, & Dei honorem: unde dicitur *in* 1. *Petri cap.* 2. *v.* 13. *Subjecti igitur eftote omni humanæ creaturæ propter Deum, five Regi quafi præcellenti, five Ducibus tanquam ab eo miffis ad vindictam malefactorum.* Veritas eft, qua aliquis & vita & fermone talem fe demonftrat, qualis eft; & non alia de fe jactat, quam quæ funt, nec majora, nec minora. De ea legitur in *Pfalm.* 14. *v.* 2. *Qui ingreditur fine macula, & operatur Juftitiam, qui loquitur veritatem in corde fuo, qui non egit dolum in lingua fua.* Amicitia, five Affabilitas virtus eft, quæ convenientiam ordinis obfervat: cum enim homo naturaliter fit animal fociale, eum oportet convenienter ad alios homines ordinari in communi converfatione tam factis, quam dictis, ut fcilicet ad unumquemque fe habeat, fecundum quod decet. Demum, cum juxta S. Auguftinum *in lib. de libero arbitrio* ad virtutem pertineat bene uti his, quibus male uti poffumus; & poffimus bene & male uti non folum iis, quæ intra nos funt, puta potentiis & paffionibus animæ, fed etiam iis, quæ extra nos funt, rebus fcilicet hujus mundi nobis conceffis ad vitæ fuftentationem, idque ad Liberalitatem pertineat; hinc eft, quod Liberalitas inter virtutes, & partes Juftitiæ potentiales debet recenferi.

19. Defumuntur hæc omnia ex D. Thoma 2. 2. *quæft.* 108. *art.* 1. *& fegq. quæft.* 109. *art.* 1. *& fegq. & quæft.* 117. *art.* 1. *pariter, & feqq.* ubi etiam idem S. Doctor explicat, quomodo omnes iftæ virtutes fint partes potentiales Juftitiæ: & hanc S. Thomæ doctrinam fufe illuftrant Salmanticenfes *in curf. Theolog. tom.* 3. *in arbore prædicamentali, five generali divifione omnium virtutum* §. 7. *& plurib. feqq.* Maurus *in curfu Theolog. tom.* 2. *quæft.* 193. & fequuntur, quotquot de Canonizatione fcripferunt, videlicet Scacchus *de not. & fign. fanct. fect.* 4. *cap.* 2. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. fent. tom.* 2. *difp.* 32. *art.* 14. Matta *de Canoniz. SS. part.* 2. *cap.* 8. Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. tit.* 2. *cap.* 3. §. 2. Maderna *in curf. Theolog. tom.* 2. *tract.* 6. *art.* 8. Auditores Rotæ in relationibus caufarum S. Andreæ Avellini *cap.* 8. Sanctorum Thomæ de Villanova, Ludovici Bertrandi, Pii V. Pafchalis de Baylon, Cajetani, Petri Regalati, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis *tit. de Juftitia*, & in relationibus caufarum Beat. Hieronymi Æmiliani, & Servi Dei Nicolai Factoris, *eodem pariter titulo.*

20. Scite animadvertit Scacchus *de not. & fign. fanctit. fect.* 4. *cap.* 2. *pag.* 247. In caufis Servorum Dei inquirendum effe de Juftitia, & partibus ejufdem, attenta tamen conditione, & ftatu uniufcujufque, uti etiam in fuperioribus a nobis adnotatum eft. *Propterea in difcutiendis Servorum Dei Actis confiderandum occurret, qualiter fe gefferint in obfervantia, & in exercitio actionum Juftitiæ tam commutativæ, quam diftributivæ juxta Statum Reipublicæ, in qua vixerunt; ita tamen, ut nequaquam in quibufcumque Dei Servis omnes Juftitiæ actus ad cujufcumque Juftitiæ fpeciem requirantur (quofnam actus Juftitiæ exequi poterit folitarius, qui ab hominum commercio feceffit?) fed attenta conditione, & ftatu uniufcujufque Servi Dei, Juftitiæ actus ab unoquoque illorum requirantur, qui ftatui & conditioni illius correfpondere poterunt, five fubditus, five Præful extiterit is, de quo agitur, cui in primis diftributivæ Juftitiæ ratio cordi effe debet.* Sequuntur Rotæ Auditores in relatione caufæ S. Aloyfii Gonzagæ *tit. de Juftitia*, ubi fic locuti funt: *Poftquam in Beato Aloyfio Prudentiam eluxiffe conclufimus, agemus de ejufdem Juftitia fecundum conditionem, quæ potuit in illo, habita ratione perfonæ, ftatus, & temporis, reperiri*: & in relatione caufæ Servi Dei Nicolai Factoris *tit. de Juftitia*, cum agerent de Liberalitate, quæ eft pars potentialis Juftitiæ, hæc dixerunt: *Cum egenis opes & divitias impertiri fibi non conceffcrit Religiofa paupertas, his faltem auxiliis, quibus a Charitate locupletabatur, Proximum femper adjuvit, & altioribus bonis ditabat animos.* Ecquis enim eft, qui grati animi virtutem in omnibus Dei Servis exquirere poffit fimilem illi, qua præditus fuit S. Pius V. qui ad Pontificatum evectus fe gratum & liberalem plurimis exhibuit ob levia quædam in eum collata munera, quorum ipfi fuerant obliti? qui a Paulo IV. Purpura donatus, cadaver ejus humili loco jacens in ædem S. Mariæ fupra Minervam maxima pompa deferri juffit, atque in magnifico fepulcro recondi; qui Carafenfes ejufdem Pauli IV. affines proftratos erexit, & graviffima Patrum fententia in priftinam dignitatem reftituit, ejufdemque Pauli Familiares, atque Adminiftros partim reditibus auxit, partim hofpitio excepit, partim fibi adeffe & miniftrare voluit: qui Joannem Hieronymum Albanum Comitem Bergomenfem egregium Sacræ Inquifitionis defenforem, cujus beneficio mortem fibi ab Hæreticis paratam evaferat, Romam accitum Protonotarium Apoftolicum conftituit, Piceno præpofuit, & inter Cardinales numeravit; qui aulam Regiam prætergrediens ipfo die, quo poffeffionem Lateranenfis Bafilicæ inierat, inter circumfufam multitudinem rufticum quemdam agnovit, a quo ante annos fexdecim tuguriolo exceptus fuerat, cum ad necem ab Hæreticis quæreretur, nihil hujufmodi cogitantem accerfivit, & mille aureis ad duas Filias in matrimonium collocandas, quingentifque ad proprios ipfius ufus large donavit, ut ex Gabutio, & Catena, & ex Actis Canonizationis ipfius defumitur.

21. Sanctus Bernardus *ferm. in Octavam Epiphaniæ* (*num.* 4. *col.* 811. *oper. vol.* 1.) ita loquitur de virtute Juftitiæ: *Eft autem Juftitia quædam ftricta, & angufta valde, ita ut, quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadas, nec præponere fe æquali, nec æquare præpofito. Hujus definitio eft, reddere unicuique, quod fuum eft. Altera latior, & amplior Juftitia, nec æquare fe pari, nec inferiori præponere: ficut enim grandis, & gravis eft fuperbia præferre fe æquali, aut æquare prælato, ita magnæ Humilitatis eft inferiorem fe exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima, & plexa Juftitia eft fe inferiorem exhibere etiam ipfi inferiori: ficus enim fumma & intolerabilis fuperbia eft fuperiori fe præponere, ita inferiori fe fupponere fumma & plena Juftitia eft. Quod Joannes ait*, Ego a te debeo baptizari; *de prima fuit, quia fuperiori fe fubdidit. Quod autem Chriftus fecit, de plena Juftitia fecit; ficquidem ille fervuli fui manibus fe inclinavit.* Sermo hic S. Bernardi refpicit illud Chrifti ad Joannem *Matth.* 3. *v.* 15. *Sine modo: fic enim decet nos implere omnem Juftitiam.* Et Sanctus ibi loquitur de Juftitia, non ftricte, fed large; in quo fenfu ex fupradictis fumitur pro quocumque actu virtutis, & fic etiam pro virtute Humilitatis, de qua infra. Preffius de Juftitia loquitur S. Petrus Chryfologus *ferm.* 145. *de Generatione Chrifti tom.* 7. *Biblioth. PP. pag.* 956. in illud Matthæi, *Jofeph autem vir ejus, cum effet juftus &c.* ubi bene conjungit Juftitiam cum Pietate, quæ ex fupradictis eft pars potentialis ipfius: *Quomodo juftus, qui conceptum fponfæ duxit non difcutere? Sufpecti non exquirit caufam pudoris, conjugii famam non vindicat, fed requirit. Voluit occulte dimittere eam. Hoc pio magis videtur convenire, quam jufto, fed humano judicio, non Divino. Penes Deum neque Pietas fine Juftitia eft, neque fine Pietate Juftitia. Cælefti fenfu fine bonitate æquitas, fine æquitate bonitas non habetur. Virtutes, fi feparatæ fuerint, dilabuntur. Æquitas fine bonitate fævitia eft, & Juftitia fine Pietate crudelitas. Jofeph ergo merito juftus, quia pius; & pius, quia juftus. Denique, dum pietatem cogitat, crudelitate caruit, dum caufam temperat, judicium cuftodivit, dum vindictam differt, crimen evafit, dum refugit accufatorem, fugit fententiam.*

22. Adduntur nonnulla alia, quæ pertinent ad partes potentiales Juftitiæ. De infigni virtute Religionis Sanctæ Paulæ, dum loca fancta inviferet, teftis eft infignis S. Hieronymus in ejus epitaphio *ad Euftochium* (*num.* 10. *col.* 692. *loc. cit.*) *Bethleem ingreffa, & in fpecum Salvatoris introiens, poftquam vidit facrum Virginis diverforium, & ftabulum, in quo agnovit bos poffefforem fuum, & afinus præfepe Domini fui &c. me audiente, jurabat, cernere fe oculis Fidei Infantem pannis involutum, vagientem in præfepi Dominum, Magos adorantes, Stellam fulgentem defuper, Matrem Virginem, Nutricium fedulum, Paftores nocte venientes, ut viderent Verbum, quod factum erat &c. mixtifque gaudio lacrymis loquebatur: Salve, Bethleem, domus panis, in qua natus eft ille panis, qui de cælo defcendit &c. Et ego mifera, atque peccatrix digna fum judicata deofculari præfepe, in quo Dominus parvulus vagiit, orare in fpelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc requies mea, quia Domini mei patria eft; hic habitabo, quoniam Salvator elegit eam.*

23. De ejufdem S. Paulæ Obfervantia, quæ etiam ex dictis pars eft potentialis Juftitiæ, ita profequitur S. Hieronymus *loc. cit. num.* 14. *col.* 698. *Occurrente fibi fancto, & venerabili Epifcopo* (Alexandriæ) *Ifidoro Confeffore, & turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos Sacerdotalis, & Leviticus fublimabat* gra-

gradus, lætabatur quidem ad gloriam Domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ego norrem Macarios, Arsenios, Serapionas, & reliqua columnarum Christi nomina? Cujus non intravit cellulam? Quorum pedibus non advoluta est? Per singulos Sanctos Christum se videre credebat, & quidquid in illos contulerat, in Dominum se contulisse, lætabatur.

24. Obedientia pariter ex dictis pars est potentialis Justitiæ: heroicam autem Abrahæ Patriarchæ Obedientiam miris laudibus prosequitur S. Zeno Veronensis Episcopus & Martyr serm. 1. de Abraham pag. 10. Unicus ille filius sollicitu Senis adhuc parvulus, cui pietas, & miseratio major debetur, postulatus ad victimam, cui si per humanam fragilitatem aliqua in corpore infirmitas nasceretur, aut humanus exitus contingeret, vix in ejus casibus pater vivere potuisset, si annis teneris moreretur. Hic igitur infans, e cujus vita paternus affectus, & maternus pendebat, ad explorationem Fidei suæ Divina voce postulatur ad victimam. Volo (dixit Deus) mihi fieri sacrificium Abraham tuis manibus in monte de Filio tuo: hæc mihi victima placet, hoc me sanguine deplacabis, iste meis Sacris debetur. Vade immolari, jam jubeo. Non contristat frontem devotissimus Abraham, nec dolor patri lacrymas persuasit, sed exultat & gaudet. Nec timuit, ne parricidium ei imputaretur, sed magis, ut devotioni pareret, lætabatur, hoc jussisse Deum. De filio hostia parabatur festina . . . Ascenditur in montem, omni mysterio, sacrificioque disposito. Ductus filius gaudens, gaudente patre, patris dextera feriendus &c. O Fratres, secura devotio! O pater spiritum captans, corpus vero, mortemque contemnens! O qui, servum Domini ita se esse, meminerat, ut, patrem se esse, nesciret! Quamque Deo sit accepta virtus Obedientiæ, legitur in vita S. Dositbei Monachi apposita sermonibus S. Dorothei pag. 139. Non multis post Beati Dositbei obitum diebus quidam sanctus, ac magnus Senex . . . . videre cupiebat Sanctos, qui in eo cœnobio vita defuncti erant & dormierant. Rogavit itaque Deum, ut id, quod petierat, manifestare illi dignaretur, & vidit veluti in choro illos astantes omnes, inter quos etiam vidit & juvenem quemdam astantem, & ait: Quisnam, obsecro, erat juvenis ille, quem inter ceteros Patres sanctos astantem vidi? Cumque formæ illius signa, & characteres accurate descripsisset, agnoverunt omnes, Dositbeum fuisse, & Deum glorificaverunt admirantes, de qua vita conversatione, de quo primo statu, & ratione vivendi ad quanta præmia, qualemve mensuram tam brevi tempore pro sola duntaxat Obedientiæ indiscussa observatione, & abnegatione propriæ voluntatis pervenire promeruerit.

25. Veritatem denique, & liberalitatem cum D. Thoma partibus Justitiæ potentialibus adscripsimus. Porro S. Maximus Episcopus Taurinensis serm. 6. de Sancto Cypriano in anecdotis Muratorii tom. 4. pag. 69. sic fatur de ejus veracitate: Fuit in eo cordis, ac linguæ simplex consensus, atque indivisa societas. Nam quidquid ori ejus cordis ipsius spiritus intulisset, hoc cunctis audientibus sancta ejus lingua dictabat, ut ait Salvator, Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona &c. Terribilis nimirum erat Cypriani lingua, qua & integritatem pectoris ejus, & illa omnipotentis Dei tremenda judicia peccantibus ingerebat; qui se ita totum sancto in sermone fundebat, ut nihil penitus in secreto sui pectoris relinqueret, quod lateret. Celeberrima est etiam S. Paulini Nolani Episcopi liberalitas apud Patres. De ea inquit S. Ambrosius epist. 58. (col. 1013. oper. tom. 2.) ad Sabinum: Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus tam suis, quam etiam conjugalibus, in hos sese induisse cultus ad Fidem comperi, ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam, & ipse pauper ex divite factus, tanquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quo impensius Deo serviat. Concordat S. Augustinus lib. 1. de civit. Dei cap. 10. Paulinus noster Nolensis Episcopus, ex opulentissimo divite, voluntate pauperrimus, & copiosissime sanctus . . . . ibi enim habebat omnia sua, ubi eum condere, & thesaurizare ille (scilicet Christus) monstraverat. Præclare quoque S. Hieronymus epist. 118. ad Julianum (num. 5. col. 790. oper. tom. 1.) ait: Nec est, quod excuset nobilitatem, & divitiarum pondera. Respice sanctum virum Pammachium, & ferventissimæ Fidei Paulinum Presbyterum, qui non solum divitias, sed se ipsos Domino obtulerunt &c. Nobilis es; & illi, sed in Christo nobiliores. Dives, & honoratus; & illi, immo ex divitibus, & honoratis pauperes & inglorii, & idcirco ditiores, & magis incliti, quia pro Christo pauperes, & inhonorati. In vita autem S. Antonii hæc de eo refert S. Athanasius (pag. 796. part. 2. tom. 1. oper.): Contigitque (quando scilicet ecclesiam ingressus est), ut tum Evangelium legeretur, & audivit Dominum diviti illi dixisse: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me: & habebis thesaurum in cælis. Antonius porro, quasi divinitus immissa sibi esset Sanctorum memoria, & quasi sui causa lecta illa fuissent, egressus quamprimum ex Dominico, quas a majoribus habuit possessiones (erant autem illi arvæ trecentæ fertiles, & perquam amœna) vicanis dono dedit, ne sibi, sororique molestiam afferrent. Mobilibus vero omnibus venditis, multam hinc collectam pecuniam pauperibus distribuit, paucis solum sororis causa reservatis. Rursus in Dominicum ingressus, audivit Dominum in Evangelio dicere: Nolite soliciti esse in crastinum. Nec ultra illic remanere sustinens, egressus, illa quoque tenuioribus largitus est. Sorore vero virginibus notis sibi, atque fidelibus commendata, atque ad parthenonem tradita, ut illic educaretur, ipse ante domum suam asceticæ vitæ deinceps operam dedit.

26. Alia ex sacro Textu actuum heroicorum Justitiæ, & annexarum virtutum exempla legi possunt apud Cardinalem de Lauræa loc. cit. In hujus autem Operis decursu se offeret occasio plura narrandi ex Actis Canonizationum desumpta ad Justitiam, & ad annexas virtutes spectantia; intereaque adnotare sufficiat, heroicos esse illos actus Justitiæ, qui ad eam, aut ad virtutes illi annexas pertinent, si prompte, facile, & cum delectatione exerceantur, & præsertim in materia ardua, veluti late ostendunt Cardinalis de Lauræa, Maderna, & Matthæuccius locis supra indicatis.

§. III.

De virtute Fortitudinis, ejus partibus, & heroicitate.

27. POST Justitiam agendum est de Christiana Fortitudine, de qua S. Gregorius lib. 7. moral. (c. 21. col. 221. oper. tom. 1.): Alia justorum, atque alia est Fortitudo reproborum. Justorum quippe Fortitudo est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. Reproborum vero Fortitudo est transitoria sine cessatione diligere, contra flagella Conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium, nec ex adversitate quiescere, ad inanem gloriam, etiam cum vitæ detrimento, pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solum verbis, ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine ullo desiderii defectu perpetrare.

28. Porro Fortitudo quoque Christiana duplici significatione sumi potest, large videlicet, & stricte. Si large sumatur, complectitur omnes virtutes; ideoque S. Prosper lib. 3. de vita contempl. cap. 20. pag. 92. inquit: Animi Fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diversis pulsata molestiis inconcussa permaneat, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbat. Sed, si stricte sumatur, Fortitudo definiri poterit Habitus, seu virtus firmans animum ad agendum, vel patiendum ea, quæ rectæ rationi sunt consentanea. De Fortitudine stricte sumpta, & prout est virtus specialis, fuse tractat D. Thomas 2. 2. quæst. 123. ubi art. 1. postquam docuit, virtutem hominis esse, quæ facit bonum hominem, & opus ejus bonum reddit, dicit, id tripliciter contingere posse; uno modo, secundum quod ipsa ratio sanctificatur, quod fit per virtutes intellectuales; alio modo, secundum quod rectitudo rationis in rebus humanis instituitur, quod pertinet ad Justitiam; tertio modo, secundum quod tolluntur impedimenta hujus rectitudinis in rebus humanis ponendæ: & quia voluntas humana dupliciter impeditur, ne rectitudinem rationis sequatur, vel ab aliqua re jucunda, vel ab aliqua alia re difficili, concludit, sublationem primi impedimenti ad virtutem Temperantiæ, secundi pertinere ad virtutem Fortitudinis.

29. Idem S. Doctor art. 2. postquam præmisit, nomen Fortitudinis dupliciter accipi posse, uno modo, secundum quod absolute significat quamdam animi firmitatem, & alio modo, secundum quod significat firmitatem tantum in sustinendis, & repellendis iis, in quibus maxime difficile est firmitatem habere; ait, Fortitudinem primo modo sumptam esse conditionem cujuslibet virtutis, secundo autem modo acceptam esse specialem virtutem:

tem: tum ad ulteriora progrediens in explicando proprietates hujus virtutis, *art.* 3. probat, Fortitudinem esse circa timores, & audacias, cohibendo videlicet timores, & audacias modreando; & *art.* 4. eam versari circa timores periculorum mortis, cum maxime terribile inter omnia mala corporalia sit mors, quæ tollit omnia corporalia bona, quod non solum *art.* 5. ostendit procedere de periculis mortis, quæ sunt in bello, sed etiam de periculis cujuscumque alterius mortis: denique *art.* 6. proposita quæstione, *Utrum sustinere sit principalis actus Fortitudinis*, ait, difficilius esse timorem reprimere, quam audaciam moderari; & sic principaliorem actum Fortitudinis esse sustinere, id est immobiliter consistere, quam aggredi.

30. Juxta doctrinam ejusdem S. Doctoris 2. 2. *quæst.* 128. *art. unic.* nullæ sunt partes subjectivæ Fortitudinis, prout est particularis virtus. Integrales tamen non desunt: *Fiducia* videlicet, ut scilicet aliquis promptum habeat animum ad aggrediendum; *Magnificentia*, quæ pertinet ad operis executionem, ne scilicet aliquis deficiat in executione illorum, quæ cum fiducia inchoavit: *Patientia*, per quam animus non frangitur tristitia, nec a sua decidit magnitudine; & demum *Perseverantia*, hoc est continuatio boni operis usque ad finem. Si enim hæ coarctentur ad propriam materiam Fortitudinis, hoc est ad pericula mortis, ab Angelico Præceptore dicuntur partes integrales Fortitudinis; sed si referantur ad aliquas alias materias, in quibus minus periculi sit, erunt virtutes distinctæ a Fortitudine secundum speciem suam, licet ei adjungantur, sicut secundarium principali.

31. Doctrinam D. Thomæ illustrat Rosignolius in suo sæpe citato tractatu *de actionibus virtutis lib.* 2. *cap.* 11. in cujus initio, postquam exposuit, apud Philosophos Fortitudinis nomen & laudem tribui bellicæ Fortitudini, ait *pag.* 296. *Majorem item campum Fortitudini bellicæ dat Christiana religio, quam forte Philosophia: nec enim, si rem suo pondere examinemus, Fortitudo bellica in angustias unius publici belli compellenda est. Ast, aut esse potest unicuique suum bellum, imminet Christiano cuilibet, ac pio viro suum ab Fidei Christianæ, & virtutis hoste periculum: in acie nobis standum est, &, si gladio non petendus hostis, sustinendus certe ejus impetus; discrimen capitis subeundum pro Fide, proque virtute. Cum res postulat, vita, sanguisque fundendus &c. Sed adhuc latius patet Fortitudo Christiana; munit enim, & corroborat hominem adversus quæcumque alia vitæ discrimina.* Late ad ipsum Rotæ Auditores in relatione causæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *tit. de Fortitudine*. En eorum verba: *Prudentiæ, & Justitiæ Fortitudinem subdere, operæ pretium est; quæ, cum importet animi firmitatem, in duplicem actum dividitur, in aggrediendo scilicet, & sustinendo. Ad primum actum duo requiruntur, quorum alterum pertinet ad animi præparationem; & quoad hoc ponitur Fiducia: alterum pertinet ad operis executionem, ne scilicet aliquis deficiat in executione illorum, quæ fiducialiter inchoavit; & quoad hoc subnectitur Magnificentia. Hæc duo, si ad propriam materiam Fortitudinis coarctentur, scilicet ad pericula mortis, erunt quasi partes integrales ipsius, sine quibus Fortitudo esse non potest. Ad alium actum Fortitudinis, qui est sustinere, duo requiruntur, quorum primum est, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam, & decedat a sua magnitudine; & quantum ad hoc ponitur Patientia. Aliud est, ut ex diuturna difficilium passione homo non fatigetur usque ad hoc, ut desistat; & quantum ad hoc ponitur Perseverantia. Quatuor igitur sunt partes Fortitudinis integrales, nimirum quoad actum aggrediendi Fiducia, & Magnificentia, quoad actum sustinendi Patientia, & Perseverantia.* Hoc ipsum iidem Rotæ Auditores prosecuti sunt etiam in relatione causæ Servi Dei Nicolai Factor *tit. de Fortitudine*, & in relatione S. Thomæ de Villanova, *eod. tit.* post tractatum Contelorii *de Canoniz. Sanctorum*: quibus adhæserunt quotquot scripserunt de Canonizatione Sanctorum, Scacchus videlicet *de not. & sign. sanct. sect.* 4. *cap.* 3. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 2. *disp.* 32. *art.* 15. Maderna *in cursu Theolog. tom.* 2. *qu.* 3. *art.* 9. Matthæuccius *in practica Theologo-Canon. tit.* 2. *cap.* 3. §. 3.

32. Actus Christianæ Fortitudinis, ut est communis virtus, sunt aggredi ardua juxta rectam rationem ob finem supernaturalem in omni materia sive præcepti, sive consilii. Heroicæ autem Fortitudinis actus erunt prædicta omnia aggredi prompte, faciliter, jucunde, etiam cum omnium Bonorum, & vitæ periculo. Rursus Fortitudinis Christianæ communis actus sunt patienter mala sufferre propter Deum, calamitates, & dolores. Heroicæ autem Christianæ Fortitudinis actus sunt ea, & similia immo acerbiora, & mortem ipsam, quatenus opus sit, prompte & hilariter ferre, & propter Deum tolerare, uti concludunt citati Auctores. Porro præter Fortitudinem, quæ virtus est, datur etiam Fortitudo, quæ est donum speciale Spiritus Sancti, quod consolidat firmitatem, & depellit trepidationem naturæ, ita ut fortis absque ullo timore, immo cum lætitia mortem ipsam subeat; quæ forte præstare non posset sola virtus Fortitudinis, quæ, licet inclinet ad superandum opus difficile, sola tamen virium imbecillitatem solidare nequit, juxta doctrinam D. Thomæ *in* 3. *dist.* 34. *quæst.* 3. *ar.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad tertium*, ubi sic ait: *Virtus Fortitudinis est circa difficillima secundum genus, non tamen secundum comparationem ad operantem, quia non excedunt vires ejus; sed Fortitudo donum etiam est circa illa, quæ excedunt humanam facultatem.* Maderna *loc. cit.* contendit, virtutem heroicam Fortitudinis ut plurimum habere annexum Fortitudinis donum, sed posse dari heroicam Fortitudinem absque prædicto dono; at Cardinalis de Lauræa *loc. cit.* probabilius id negat, inhærendo principiis generalibus alibi expositis de virtute heroica.

33. Egregia Christianæ Fortitudinis, & heroica facinora a Nobis in superioribus relata sunt, cum de Martyrio agebamus. S. Leo Papa *in sermone* 83. *de S. Laurentio Mart. cap.* 2. ita scribit: *Quam gloriosa polleat dignitate, etiam Persecutores ipsius sentire potuerunt, cum illa mirabilis animi Fortitudo de Christi principaliter amore concepta non solum ipsa non cederet, sed etiam alios exemplo suæ tolerantiæ roboraret.* Sanctus autem Augustinus *serm.* 276. (*cap.* 2. *col.* 1112. *oper. t.* 5.) de S. Vincentio Martyre ita loquitur: *Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce, tantaque pœnarum asperitas sæviebat in membris . . . ut miro modo putaremus, Vincentio patiente, alium non loquentem torqueri.* Si sermo hic habendus esset de Martyribus, multa alia Fortitudinis ipsorum monumenta hauriri possent ex S. Ambrosio *lib.* 1. *de Virginibus* (*cap.* 6. *col.* 148. *oper. tom.* 2.) ubi loquitur de S. Agnete; ex S. Basilio *homil. in Gordium Martyrem pag.* 141. & *homil. de Barlaam Martyre* (*pag.* 138. *oper. tom.* 2.); ex Beato Petro Damiani *serm.* 17. *qui est primus de S. Vitali Martyre*, & *serm.* 31. *qui est secundus de S. Apollinari Episcopo & Martyre* (*t.* 2. *oper.*) atque ex sexcentis aliis, qui de eximia Fortitudine Martyrum loquuntur. At, quoniam nunc de Confessoribus tractatur, exempla Fortitudinis eorum infra narrabuntur, cum de ærumnis, & tribulationibus Dei Servorum loquemur. Ibi quippe memorabuntur ægritudines, luctus, infamia, dolores ax patria, propinquis, amicis, & alia similia, quæ omnia Fortitudo præstitit, ut constanter superarentur: itemque sermo fiet de Sancto Job, de quo sic ait S. Ambrosius *lib.* 1. *officior. cap.* 39. (*num.* 304. *col.* 52. *oper. tom.* 2.): *Quid horum Sancto Job vel in virtute defuit, vel in vitio obrepsit? Quomodo laborem ægritudinis, frigoris, famis pertulit? Quomodo despexit salutis periculum? Numquid rapinis divitiæ coacervatæ, de quibus tanta in opibus affluebant? Numquid avaritiam sensus, aut voluptatis studia, cupiditatesque excitavis? Numquid trium Regum injuriosa contentio, vel servorum contumelia in iram excussit? &c. Quis igitur tam fortis, quam Sanctus Job?* Interim hic nonnulla exponentur de Patientia, & de Perseverantia Confessorum, quæ ex dictis sunt partes integrales Fortitudinis, & alia nonnulla ad Fortitudinem pertinentia juxta morem ex Actis desumentur præteritarum Canonizationum.

34. S. Gregorius *dialog. lib.* 4. *cap.* 15. (*col.* 396. *oper. tom.* 2.) loquens de transitu Romulæ Ancillæ Dei sic fatur: *Romula, ea, quam Græco vocabulo Medici Paralysim vocant, molestia corporali percussa est, multisque annis in lectulo decubans pene omni jacebat membrorum officio destituta: nec tamen hæc eadem ejus mentem ad impatientiam flagella perduxerant; nam ipsa ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum, quia tanto sollicitius ad usum orationis excreverat, quanto & aliud quodlibet agere nequaquam valebat.* S. Hieronymus *epitaph. Paulæ ad Eustoch.* (*num.* 1. *col.* 685. *oper. tom.* 1.) invictam ejus inter dolores Patientiam commendat: *Inter doloris aculeos, quos mira Patientia sustinebat, quasi apertos sibi cælos aspiceret, loquebatur: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Egregium factum S. Romualdi invictam ejus Patientiam comprobans refertur a B. Petro Damiani in ejus vita (*cap.* 4. *oper. tom.* 2.): *Rudis, & nullatenus ordinæ vitæ singularis instructus* ... (loquitur de Marino)

plerumque de cella exiens una cum Discipulo passim per latitudinem eremi, psallendo, spatiabatur, nunc sub ista arbore vicenos, nunc sub illa tricenos, vel quadragenos contiuens Psalmos. Romualdus autem, quia sæculum idiota reliquerat, aperto Psalterio, vix suorum versuum notas syllabatim explicare valebat . . . . Marinus vero virgam in dextera gerens, Romualdo e diverso sedenti sinistram capitis partem sæpissime verberabat. Post multa autem Romualdus gravi admodum necessitate compulsus; humiliter ait: Magister, si placet, a dextero me deinceps tempore percute, quia jam lævæ auris auditum funditus perdo. Tunc ille tantam ejus potientiam admiratus, indiscretæ severitatis temperat disciplinam. Et in eadem vita *cap.* 49. falsam exponens accusationem de pessimo crimine adversus eum oppositam a Pseududiscipulo, inquit: *Mox itaque discipuli omnes adversus eum irati, omnes infesti, alii clamant, Senem impium laqueo debere suspendi, alii dignum judicant eum ipsa cellula ignibus concremari. Quod utique valde mirabile fuit, præsertim spirituales viros ex decrepito Sene, & ultra quam centenario tam nefarium scelus credere potuisse, cui etiamsi voluntas adesset, natura tamen, & frigidus sanguis, & ariditas attenuati corporis hoc penitus denegaret. Sed credendum est procul dubio, ad augendum Sancti viri meritum hoc sibi tam gravis adversitatis cælitus accidisse flagellum. Nam & ipse asserebat, hoc in eremo, unde nuper abscesserat, veraciter agnovisse, & ad hoc dehonestatis improperium subeundum alacriter advenisse.*

35. Perseverantiam laudat S. Bernardus *epist.* 129. (*n.* 2. *col.* 139. *vol.* 1. *oper.*) *Et nunc quid restat, carissimi, nisi, ut admoneamini de Perseverantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus? Prorsus absque Perseverantia nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium; soror est Patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle Perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem Fortitudo.* De S. Paulæ Perseverantia loquitur S. Hieronymus *in cit. epitaph. ad Eustoch.* (*col.* 718.): *Mater tua audivit cum Abraham*, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam ostendam tibi; *& per Jeremiam Dominum præcipientem*: Fugite de medio Babylonis, & salvate animas vestras, *& usque ad diem mortis suæ non est reversa in Chaldæam, nec ollas Ægypti, & virulentias carnium desideravit, sed choris comitata virgineis civis est Salvatoris effecta.* Et in vita S. Hilarionis (*tom.* 2. *oper. col.* 17.) post narratam miram ejus abstinentiam, & vitæ austeritatem, subdit *num.* 11. *Incredibili fervore mentis, ut eo tempore quasi novus accederet ad servitutem Domini, quo ceteri solent remissius vivere.* Tandem S. Athanasius in vita S. Antonii Abbatis (*num.* 93. *pag.* 864. *oper. tom.* 1. *par.* 2.) ait de ejus heroica Perseverantia: *Sed ex iis æstimate, cujusmodi fuerit homo Dei Antonius, qui ab adolescentia ad tam grandem ætatem, æquali servato ad asceticam studio: nec ob senectutem, lautioris cibi desiderio victus, nec ob corporis infirmitatem mutata habitus forma, nec ablutis aqua pedibus: nihilominus omnino incolumis perduravit. Illæsos quippe oculos, atque integros habuit, ita ut recte videret: dentiumque illi ne unus quidem excidit, solummodo prope gingivas attriti erant ob grandem senis ætatem. Pedibus autem manibusque sanus omnino permansit: & sane omnibus, qui variis cibis, lotionibus, variisque vestibus uterentur, vegetior apparebat atque omnino robustior.*

36. Cetera succedunt ad materiam virtutis Fortitudinis referenda, quæ ex Actis præteritarum Canonizationum desumuntur. In relatione itaque causæ S. Francisci Xaverii *tit. de insigni Fortitudine*, narrantur ejus labores in peregrinationibus, & navigationibus, quas pro Dei amore, & animarum salute suscepit ab anno 1541. quo in Indiam navigavit, usque ad annum 1552. quo diem clausit extremum: narratur, quomodo, maximis superatis difficultatibus, Japoniam attigerit, quam ardua & aspera non solum alacriter aggressus sit, sed etiam constantissime, diuturnis & gravissimis laboribus exantlatis, animi hilaritate, impavido vigore, perpetua in Deum fiducia, etiam in extremis & certissimis vitæ periculis superaverit. In relatione S. Pii V. *eod. tit. de Fortitudine* signanter de ejus Perseverantia, quæ pars est Fortitudinis, hæc habentur: *Hanc Pius usque ad mortem unico vitæ tenore ostendit in arduis operibus ad Christi gloriam, & Christianorum utilitatem extreendis, in quibus vitam in apertum discrimen sæpius exponere non est veritus.* In relatione S. Joannis de Deo *tit. de quatuor virtutibus Cardinalibus* inter cetera pro ostendenda Fortitudine heroica exponitur, quomodo propter Dei amorem plurimas calamitates & angustias impavido pectore subiverit, cum diu noctuque, licet frigoris, calorisve urgerent molestiæ, denudatis capite, pedibus & tibiis huc illuc perrexerit, eleemosynas pro pauperibus perquisiverit, eosdemque humeris exceptos, in valetudinarium intulerit, excitatoque incendio Granatæ in Regio pauperum valetudinario, sese in ignem conjecerit, ut infirmos e flammis eriperet. In relatione S. Jacobi de Marchia refertur, eum tumultuosis & sævientibus seditiosis ultro se objecisse pro Christo, & instantis mortis periculis nequaquam perterritum, Evangelium Barbaris prædicavisse. In relatione S. Cajetani *tit. de Fortitudine*, dicitur & comprobatur, illum in Urbis direptione sub Clemente Papa VII. cum, assumptis sociis, se in collem Pincium recepisset, & miles, qui eidem, cum sæcularis esset, inservierat, pecuniam & aurum postulasset, ipseque respondisset, se sæculari statu divitem fuisse, sed ante quatuor annos inopem pro Christo evasisse, milesque & ceteri commilitones ex hoc indignati, eum variis affectum cruciatibus crudelissima tandem barbarie injecto in pudenda fune elevaverint: illum, inquam, tormentum hoc mira animi, corporisque constantia ac fortitudine libenter pro Christi amore sustinuisse; & rursus, Barbaris magno impetu eum subinde adorientibus, dum inter Romanæ urbis ejulatus & querelas in sua ecclesia decenter ornata, prout temporum calamitas & angustia patiebatur, coram sanctissimo Eucharistiæ sacramento prostratus orabat, teterrimis carceribus inclusum mira animi constantia in ipsorum militum animos religionis spiritum insinuare conatum esse, sedatoque animo vinculis circumdatum se gessisse, perinde ac si proprium collegium habitaret; ita ut, cum unus ex Ducibus ipsum una cum sociis Divina Officia recitantem observasset, animique tranquillitatem esset admiratus, qua nec in proprio Choro magis frui potuisset, non siverit, ipsum amplius sub custodia servari, sed liberum dimiserit. Denique, ut exemplis virtutis Fortitudinis finis imponatur, præter illa alio in loco referenda, satis erit lectorem remittere ad ceteras eorumdem Rotæ Auditorum relationes editas in causis SS. Ignatii, Philippi Nerii, Ludovici Bertrandi, Petri de Alcantara, Aloysii Gonzagæ.

§. IV.

De virtute Temperantiæ, ejus partibus, & heroicitate.

37. ULtimus locus inter virtutes Cardinales, seu morales datur virtuti Temperantiæ. S. Ambrosius *lib. unic. de virginit. cap.* 18. *num.* 114. *col.* 241. *oper. tom.* 2. hæc habet de Temperantia Christiana Charitati innixa: *Sacratæ vinculo Charitatis, mysteriorumque contemplatione cælestium negligit corporis voluptates.* S. Augustinus *de morib. Eccles.* (*cap.* 19. *col.* 700. *oper. t.* 1.): *Munus enim ejus* (Temperantiæ) *est in coercendis, sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt a legibus Dei, & a fructu bonitatis ejus*: & rursus (*lib.* 1. *de liber. arbitr. cap.* 13. *col.* 580. *loc. cit.*): *Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur.* Eamdem virtutem Temperantiæ sic describit S. Prosper, seu quivis alius Auctor (*lib.* 3. *de vita contemplativa cap.* 19. *pag.* 92.): *Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Hæc virtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit.*

38. De Temperantia agit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 141. ubi *art.* 1. probat, Temperantiam esse virtutem, cum maxime inclinet ad id, quod est secundum rationem: *art.* 2. ostendit, esse specialem virtutem; licet enim unicuique virtuti morali competat rationem ponere in humanis operationibus & passionibus, cum tamen Temperantia refrænet appetitum ab iis, quæ maxime hominem alliciunt, specialis est virtus, cum specialem habeat materiam: *art.* 3. proposita quæstione, *Utrum Temperantia sit solum circa concupiscentias & delectationes*, ait, sicuti virtus Fortitudinis, de cujus ratione est firmitatem præstare, præcipue versatur circa passionem pertinentem ad fugam corporalium malorum, scilicet circa timorem,

rem, & ex consequenti circa audaciam, quæ aggreditur terribilia sub spe alicujus Boni; ita etiam Temperantiam, quæ quamdam moderationem importat, præcipue versari circa passiones tendentes in Bona sensibilia, scilicet circa concupiscentiam & delectationem, & ex consequenti circa tristitiam, quæ oritur ex absentia talium delectationum. Quia vero naturales operationes, quibus natura individui per cibum & potum, & natura speciei per conjunctionem maris & feminæ conservantur, & earum delectationes consequuntur sensum tactus, & circa utrumque usum nonnulla sunt, quæ eum faciunt delectabiliorem, sicuti pulcritudo, & ornatus feminæ, & sapor delectabilis in cibo, & etiam odor; hinc infert S. Doctor *art.* 4. Temperantiam esse circa delectationes ciborum & potuum, & circa delectationes venereas, ideoque præcipue circa delectationes tactus, & secundario circa delectationes gustus, vel olfactus, vel visus, & magis circa gustum, quam circa alios sensus, cum gustus tactui propinquior sit ceteris sensibus. Ad ulteriora progreditur idem S. Doctor. Quocirca *art.* d. scribit, Temperantiam accipere necessitatem hujus vitæ sicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitæ requirit; & *art.* 7. statuit, Temperantiam esse virtutem principalem, seu Cardinalem, cum delectationes tactus sint nobis magis naturales, & ideo sit difficilius ab eis abstinere, & earum concupiscentias refrænare; & *art.* 8. Temperantiam, utpote moderantem solum concupiscentias & delectationes eorum, quæ pertinent ad ipsum hominem, esse virtutem minus excellentem Justitia, & Fortitudine, cum Justitia, & Fortitudo pertineant ad Bonum multitudinis, & esse pariter minus excellentem Prudentia, & virtutibus Theologicis.

39. Partes integrales Temperantiæ dicuntur perfectiones quædam, quæ comitantur actum Temperantiæ tam intrinsecus, quam extrinsecus, ita ut talis actus omnino perfectus ab habitu prodeat Temperantiæ; quocirca hujus virtutis partes integrales sunt *Honestas*, & *Verecundia*. Partes subjectivæ sunt virtutes, quæ ad Temperantiam tanquam ad genus suum referuntur; & sunt *Abstinentia*, *Sobrietas*, *Castitas*, quæ etiam *Pudicitia*, & *Virginitas* appellatur. Partes potentiales sunt nonnullæ aliæ virtutes, quæ ex aliquo capite affines sunt Temperantiæ, & ex alio capite a vera Temperantiæ ratione deficiunt: occupantur enim hæ virtutes in cohibendis quibusdam appetitionibus circa quædam delectabilia, non quidem adeo vehementis delectationis, quemadmodum sunt delectabilia tactus, aut gustus: & octo quidem sunt, quæ inter partes potentiales recensentur, nempe *Continentia*, *Mansuetudo*, *Clementia*, *Modestia*, *Humilitas*, *Studiositas*, *Eutrapelia*, & *Simplicitas*. Legi potest D. Thomas 2. 2. *quæst.* 143. *art. unic.* & tam quæ in hoc paragrapho, quam quæ in antecedenti ex eodem S. Doctore desumpta sunt, fuse exornant scribentes de Canonizatione Sanctorum, Scaccbus videlicet *de not. & sign. sanctit. sect.* 4. *cap.* 4. Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 2. *disp.* 32. *art.* 1d. Maderna *in curs. Theolog. tom.* 2. *tract.* 6. *quæst.* 3. *art.* 10. Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. tit.* 2. *cap.* 3. §. 4. Auditores Rotæ in omnibus fere relationibus editis in caussis Canonizandorum, signanter autem in relatione SS. Jacobi de Marchia, Joannis de Deo, Felicis de Cantalicio, Aloysii Gonzagæ, Petri Regalati *tit. de Temperantia*, & in relationibus caussarum B. Hieronymi Æmiliani, & Servi Dei Nicolai Factoe *eod. tit. de Temperantia*.

40. Honestas sic dicitur quasi honoris status ex Isidoro *lib.* 10. *origin.* & quia nihil dignum est honore præter virtutem, idcirco honestum generatim sumptum coincidit cum virtute; neque hoc modo acceptum, est pars Temperantiæ, aut alicujus virtutis, sed genus ad omnes spectans, & quidem eas transcendens. Cum autem moralis pulcritudo, sive honestas in illa virtute potissimum eluceat, quæ id, quod turpissimum est, tanquam sibi contrarium repellit, & Temperantia excludat ab homine carnales & brutas concupiscentias & delectationes, hinc oportet, ut in ipsa Temperantia honestas potissimum splendear, & ipsi peculiari titulo tribuatur, & ejus pars dicatur.

41. De Honestate agit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 145. *art.* 1. *& seqq.* ubi, postquam *art.* 1. docuit, honestum, proprie loquendo, idem esse cum virtute, *art.* 4. probat, Honestatem specialiter pertinere ad Temperantiam, non uti partem subjectivam ejus, vel virtutem adjunctam, sed tanquam partem integralem, & quamdam conditionem, cum ad Temperantiam pertineat repellere, quod est turpissimum & indecentissimum homini,

scilicet brutas voluptates. De Verecundia tractat idem S. Doctor 2. 2. *quæst.* 144. ubi *art.* 1. proposita quæstione, *Utrum Verecundia sit virtus*, respondet, stricte loquendo, non esse virtutem, cum virtus sit perfectio quædam, Verecundia autem repugnet perfectioni; est enim timor alicujus turpis, quod potest exprobrari; sed lato modo loquendo, virtutem appellari posse, cum sit passio laudabilis, & communiter virtus dicatur omne, quod est bonum & laudabile in humanis actibus vel passionibus: item *art.* 4. *ad quartum* scite considerat, Verecundiam non esse partem Temperantiæ, sed dispositionem ad ipsam, jacit enim prima fundamenta Temperantiæ, & incutit horrorem turpitudinis: & 3. *par. quæst.* 95. *art.* 1. *ad secundum* assignat discrimen inter Verecundiam, & Pœnitentiam; licet enim utraque malum respiciat, Verecundia tamen respicit turpe factum ut præsens, pro quo timet confusionem, Pœnitentia vero illud respicit ut præteritum; est autem contra perfectionem virtutis, ut aliquis in præsenti committat turpe factum, de quo oporteat verecundari; sed non est contra perfectionem virtutis, ut aliquis prius commiserit turpia facta, quorum oporteat eum pœnitere, ut ex vitio ad virtutem evadat.

42. De Abstinentia multa habentur apud D. Thomam 2. 2. *quæst.* 146. ibi quippe *art.* 1. ait, Abstinentiam ex suo nomine significare subtractionem ciborum; sed hoc modo descriptam non designare virtutem, vel actum virtutis; tunc solum significare vel habitum virtutis, vel actum, cum a ratione regitur, quæ facit, ut abstineamus, sicut oportet, scilicet cum hilaritate mentis, & quomodo oportet, scilicet propter gloriam Dei, non propter gloriam nostram: & *art.* 2. proposita quæstione, *Utrum Abstinentia sit specialis virtus*, affirmando respondet, cum delectationes ciborum abstrahant hominem a bono rationis, & necesse sit, specialem esse virtutem, quæ militet contra impetum hujus passionis. *Eadem* 2. 2. *quæst.* 149. agit S. Doctor de Sobrietate, ibique *art.* 2. ostendit, esse specialem virtutem, & specialem partem Temperantiæ, cum conservet bonum rationis adversus speciale impedimentum a nimio potu vini descendens, quod suis vaporibus cerebrum perturbat. De Castitate quoque, & Pudicitia, necnon de Virginitate, multa præclara habentur apud eumdem S. Thomam 2. 2. *quæst.* 151. quippe *art.* 1. ait, Castitatem esse virtutem; cum per eam ratio concupiscentiæ refrænetur: *art.* 3. esse virtutem distinctam ab Abstinentia, cum hæc sit circa delectationes ciborum, illa autem circa delectationes venereorum: *art.* 4. Pudicitiam ad Castitatem ordinari, non quasi virtutem ab ipsa distinctam, sed sicut exprimentem quamdam circumstantiam Castitatis; Castitas enim respicit veneream commixtionem, & Pudicitia signa venereorum, puta aspectus impudicos, oscula, & tactus: *quæst.* autem 152. *art.* 3. docet, Virginitatem esse specialem virtutem se habentem ad Castitatem, sicuti Magnificentia ad Liberalitatem; cum conservet hominem immunem ab experimento venereæ voluptatis, & habeat quamdam laudis excellentiam præ alio, qui se conservat immunem ab inordinatione, ut loquitur S. Doctor, venereæ voluptatis.

43. *In eadem* 2. 2. S. Doctor fuse explicat partes potentiales Temperantiæ: *quæst.* quippe 155. sermonem facit de Continentia, ibique *art.* 1. ait, Continentiam non esse virtutem, sed quoddam mixtum, quod habet aliquid de virtute, & in aliquo deficit a virtute; sed, largius loquendo, sumpta virtute pro quolibet principio laudabilium operum, dici posse virtutem: item, postquam *artic.* 2. demonstravit, Continentiam proprie versari circa concupiscentias delectationum tactus, *art.* 3. *ad primum* docet, Continentiam eis delectationibus resistere, sed eas non moderari, quod pertinet ad Temperantiam. Clementia, & Mansuetudo conveniunt in hoc, quod impetum iræ refrænant, sed differunt ad invicem, cum Clementia moderetur exteriores punitiones, at Mansuetudo passionem iræ diminuat. Utraque virtus est, cum appetitum rationi subdat, & utraque est pars Temperantiæ, cum ex dictis in quadam refrænatione consistant, juxta doctrinam sæpe citati D. Thomæ 2. 2. *q.* 157. *art.* 1. *& seqq.* Modestia est pars Temperantiæ, & ei adjungitur tanquam principali: Temperantia quippe se habet circa ea, quibus modum ponere difficile est, uti sunt delectationes tactus, & Modestia modum ponit iis, quæ sunt mediocria, & quibus non ita difficile est modum ponere, ut idem S. Doctor probat 2. 2. *quæst.* 160. *art.* 1. De Humilitate infra agetur; solumque hic adnotare fas sit, Humilitatem esse virtutem, cum temperet & refrænet animum, ne immoderate tendat in excelsa, & Humilitatem esse partem Temperantiæ,

cum repeimat motum spei, qui est motus spiritus in alta rendentis, juxta S. Doctorem 2. 2. *quæst.* 161. *art.* 1. & *art.* 4. Subsequitur Studiositas, de qua idem D. Thomas *quæst.* 166. ubi *art.* 2. statuit, Studiositatem esse partem potentialem Temperantiæ sicuti virtutem eidem subjectam, cum revocet voluntatem & appetitum a vana curiositate, ita ut aliquis cognoscere, aut scire nolit, nisi ea, quæ expediunt & congruunt suo statui & conditioni. In ludis quoque potest esse aliqua virtus; oportet enim aliquando adhibere remedium fatigationi per aliquam delectationem, intermissa intentione insistendi usui rationis, quæ requies cum ludo honesto habetur. Ut itaque homo refrenetur ab immoderatione ludorum, circa ludos aliqua virtus habetur, quæ *Eutrapelia* vocatur, de qua idem S. Doctor *quæst.* 168. *art.* 2. Parcitas denique, sive Simplicitas, seu Moderatio virtus quædam est, per quam quis moderate utitur externis rebus ad corpus pertinentibus, ornatu, vestibus, omnique apparatu secundum sui status conditionem; juxta ea, quæ fuse habentur apud eumdem D. Thomam *quæst.* 169. *art.* 1.

44. His generaliter præmissis, ut descendamus ad ea, quæ ad nostrum pertinent præsens institutum, in causis Servorum Dei, de quorum virtutibus quæritur, judicium instituendum est de virtute Temperantiæ, & ei annexis; ea tamen adhibita moderatione alibi significata, ut instituatur judicium, habita ratione status ipsorum & conditionis: quemadmodum animadvertit etiam Scacchus *de not. & sign. sanct. sect.* 4. *cap.* 4. *num.* 281. Temperantiæ Christianæ, sed communis, actus erunt, ea exercere, quæ ad ipsam & virtutes ei annexas pertinent. Heroicæ autem Christianæ Temperantiæ actus erunt, ea ipsa exercere, sed prompte, expedite, & delectabiliter, cum discrimine quoque corporalis salutis ac vitæ, ex dono Spiritus Sancti; cum donum Timoris virtuti Temperantiæ respondeat, juxta D. Thomam 2. 2. *quæst.* 141. *art.* 1. ubi, proposita jam memorata quæstione, *Utrum Temperantia sit virtus*, propositoque sibi tertio loco argumento, *Cuilibet virtuti respondet aliquod donum: sed Temperantiæ non videtur aliquod donum respondere, quia jam in superioribus dona omnia sunt aliis virtutibus attributa; ergo Temperantia non est virtus*; sic et respondet: *Ad tertium dicendum, quod Temperantiæ etiam respondet aliquod donum, scilicet Timoris, quo aliquis refrenatur a delectationibus carnis, secundum illud Psalmi*, Confige Timore tuo carnes meas. *Donum autem Timoris principaliter quidem respicit Deum, cujus offensam vitat, & secundum hoc correspondet virtuti Spei; secundario autem potest respicere quæcumque aliquis refugit ad vitandam Dei offensam. Maxime autem homo indiget Timore Divino ad fugiendum ea, quæ maxime alliciunt, circa quæ est Temperantia: & ideo Temperantiæ etiam correspondet donum Timoris.*

45. Plura de actibus heroicæ Temperantiæ infra exponentur, cum agetur de carnis & corporis mortificatione. Nunc autem nonnulla dicentur de jejuniis aliquorum Sanctorum, & de assumptis a nonnullis ex eis adversus carnem austeritatibus, quæ omnia ad heroicam pertinent Temperantiam. S. Ambrosius *serm.* 52. *n.* 4. *col.* 461. *in append. t.* 2. *oper.* de S. Joanne Baptista hæc habet: *Fuit utique jejunus, humilis, parcus, & virgo . . . Esca autem ejus erant locustæ, & mel silvester . . . Quæ præclarior abstinentia, quam, spretis vitæ hujus deliciis, stridulis vesci locustis, ac melle silvestri?* S. Gregorius Nazianzenus *in cit. orat.* 20. *in laudem Sancti Basilii* inquit *pag.* 357. *Quis unquam tanta inedia fuit, pene etiam dixerim, quis tam carnis expers? Nam voracitates & saturitates ad eos abjecerat, qui ad brutorum naturam propius accedunt, quorumque servilis atque in terram prona vita est &c. Necessariis tantum cibis, quandiu licebat, vitam tolerabat &c. Suavissima cœna & obsonium, panis & sal, novum inquam illud condimentum; & potio sobria, & uberrima, quam nobis nihil laborantibus fontes profundunt.* Apud S. Gregorium Papam *dialog. lib.* 2. *cap.* 1. *col.* 209. *oper. tom.* 2. narratur mirabile S. Benedicti jejunium, qui in teterrimo specu permanens, soli cognitus cuidam Monacho, cui nomen *Romanus*, pane sibi ab ipso delato per tres annos vitam asperrimam duxit. B. Petrus Damiani *in vita S. Romualdi cap.* 52. hæc de illo testatur: *In Syria denique Vir venerabilis per septem fere annos inclusus mansit &c. Vivebat autem, vergente jam senectute, nimis districte, videlicet, cum jam & ipsi perfecti viri solent remissius vivere, & aliquid sibi de sui propositi rigore laxare. Nam per unius Quadragesimæ spatium nihil aliud neque in cibo, neque in potu penitus habuit, nisi de modica farina & paucis herbis sorbitiunculam faciens, ex ea ad imitationem Hilarionis vixit. Quinque vero hebdomadibus nihil aliud comedens, ad modicum se infusi ciceris adstrinxit &c. Si quando vero eum ou aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accurate illum præparari præcipiens, ori & naribus apponebat, & solum capians odorem dicebat: O gula, gula, quam dulcis, quam suavis modo tibi saperet iste cibus; sed væ tibi, ex eo numquam gustabis: & sic intactum ad cellarium remittebat.* Denique S. Bonaventura *in Legenda S. Francisci cap.* 5. *pag.* 302. *oper. tom.* 7. hoc de ejus abstinentia profert testimonium: *Cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat, & raro: admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ ut plurimum reddebat insipidum. De potu quid dicam? cum & de aqua frigida, dum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet.*

46. Succedunt ceteræ austeritates adversus carnem assumptæ, de quibus pariter infra tractabitur, cum agetur de carnis & corporis mortificatione, ubi etiam tum jejuniorum & abstinentiarum, tum ceterarum austeritatum exempla congregabuntur ex Actis Canonizationum desumpta. Intereaque referre satis erit, quæ habentur apud S. Joannem Climacum *in scala paradisi grad.* 5. *pag.* 115. ubi affabre locum describit a se visum, quem appellabant carcerem Pœnitentiæ: *Vidi quosdam ex innocentibus illis reis totas noctes ad usque mane sub dio immotis pedibus stantes, & miserabiliter cum somno & natura luctantes, vique hujus pene fractos, dum nullam sibi penitus quietem indulgerent, immo se ipsos graviter adhuc objurgarent, & conviciis insuper, & contumeliis excitarent: alios cælum intuentes, & illinc opem cum lamentabili voce gemituque implorantes: alios item, qui in precibus perseverabant, manus post terga sceleratorum ritu revincti vultus alto mœrore confusos humi defigebant, ut qui se indignos judicarent, qui cælum respicerent, &c. Sedebant alii humi in pavimento super cinerem & saccum, genibusque vultum tegebant, frontibus humum ferientes: alii assidue pectus tundebant, animæ suæ statum primum, vitamque præteritam, quam cum virtute traduxerant, revocantes. Ex his ergo alii pavimentum lacrymis inundabant, alii lacrymarum fonte destituti se ipsos diverberabant, alii tamquam in funere animas suas lamentabantur, nec magnitudinem doloris pectore poterant continere, & alia hujusmodi.* Deinde prosequitur *pag.* 119. *Videre erat in illis linguas ardentes, & pro more canum ex ore promissas: alii in gravi Solis æstu se cruciabant: alii frigore se torquebant: alii, cum modicum quid aquæ libassent, desierunt, tantum ut ne siti enecarentur: alii, cum panem gustassent duntaxat, illum rursus procul ab se rejiciebant, se indignos dictitantes, qui cibum humanum sumerent, qui bestiarum opera exercuissent. Ubi signum apud illos risus? Ubi otiosæ fabulæ? Ubi subitus furor? aut ira? . . . Ubi cura corporis? Ubi vestigium vanæ gloriæ? Ubi deinceps deliciarum spes? Ubi de vino cogitatio? Ubi vel pomi gustatio? Ubi culinæ, & ollæ solatium? Ubi gulæ illecebra? Omnium bonorum deinceps in omni præsenti vita spes apud illos penitus sublata, & deleta erat.* Et post alia multa *pag.* 121. *Erat videre in illis genua, quæ ex assidua geniculationum consuetudine callum obduxerant; oculos excæsos, & depiles, altosque in sinus capitis recedentes: genas habebant saucias, & ardore ferventium lacrymarum adustas; vultusque pallentes, & emaciatas facies, nihil a mortuis, si conferres, differentes; pectora plagarum ictibus liventia, & e crebris pugnorum verberibus cruenta sanguinis ex pectore ejecta sputa. Ubi illic lectus quieti positus? Ubi munditiæs, & adversus frigora vestis munimentum? Rupta, & lacera omnia, & inquinata, sordibusque verminum scatentia &c.*

47. Inter partes potentiales Temperantiæ Humilitatem, & inter partes subjectivas Castitatem, Pudicitiam, & Virginitatem enumeravimus: quocirca necessarium esse videtur hic nonnulla de prædictis innuere. De Humilitate habetur *Matth.* 11. *v.* 29. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*: super quo Matthæi textu S. Thomas 2. 2. *quæst.* 161. *art.* 5. *ad quartum* ita scribit: *Dicendum, quod ideo Christus præcipue nobis Humilitatem commendavit, quia per hoc maxime removetur impedimentum humanæ salutis, quæ consistit in hoc, quod ad cælestia & spiritualia tendit, a quibus homo impeditur, dum in terrenis magnificari studet; & ideo Dominus, ut impedimentum salutis auferret, exteriorem celsitudinem contemnendam monstravit per Humilitatis exempla: & sic Humilitas est quasi quædam dispositio ad liberum accessum hominis in spiritualia & Divina Bona. Sicut ergo est perfectio potior dispositione, ita etiam Charitas,*

& alia

& aliæ virtutes, quibus homo directe movetur in Deum, sunt potiores Humilitate.

48. De Humilitate esse inquirendum in causis Beatificationis, & Canonizationis, concors est Doctorum sententia *in cap. Audivimus, de Reliq. & venerat. Sanctor.* quod & adnotarunt Rotæ Auditores in relatione causæ S. Francisci Xaverii *tit. de Humilitate*, §. *Et hac satis*, & in relatione S. Raymundi *part. 2. art. 2.* & bene prosequitur Scacchus *de not. & sign. sanct. sect. 5. cap. 5. pag. 351. Hæc autem virtus Humilitatis est adeo essentialis & pernecessaria in Christi sectatoribus, ut totius ædificii spiritualis ex Christi dogmatibus ad normam Evangelicam construendi fundamentum esse credatur &c. Cumque ad perfectam sanctitatis rationem in quovis Fideli plurimarum virtutum actus in gradu heroico sint necessarii, propterea, dum sanctitatis argumenta inquiruntur in actis alicujus Dei Servi, primo Humilitatis habenda est ratio; ipsa enim est cælestis ædificii firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium atque magnificum Salvatoris, quo fit, ut in quocumque Dei Servo maxime perquirenda sit.*

49. Humilitas duplex est, quædam pure philosophica, nota lumine naturali, & non ordinata ad finem supernaturalem: quædam autem Christiana, id est nota per Fidem, & directa ad finem supernaturalem; quæ rursus duplex est, quædam communis, & cuilibet Christiano sub præcepto necessaria, & ea est, qua homo superbiam fugit, id est excellentiam honoresque sibi indebitos renuit; quædam perfectorum, qua homo non modo indebitos, sed etiam debitos honores rejicit, seque omni honore indignum reputat, spectata sua imperfectione, propensione ad peccandum, & defectu virtutis ad perseverandum sine peccatis.

50. Multiplices sunt Christianæ Humilitatis gradus. Juxta Glossam *super tertium caput Matthæi v. 15.* ad illa verba, *Sic enim decet, nos implere omnem justitiam:* tres gradus Humilitatis assignantur, qui illum respiciunt, cui humilis se subdit: *Primus est subdere se majori, & se non præferre æquali ... secundus gradus est subdere se æquali, nec præferre se minori ... tertius est subesse minori.* Si gradus juxta ordinem actionum, quibus ad perfectissimum Humilitatis gradum pervenitur, consideremus, septem juxta S. Anselmum assignantur; primus est, peccatorem & contemptibilem se esse, cognoscere: secundus, de suis peccatis & imperfectionibus dolere: tertius, illa confiteri non tantum in sacramentali Confessione, sed etiam extra: quartus, velle, ut etiam alii defectus nostros cognoscant, & illa nobis esse credant: quintus, patienter sustinere, ut nobis objiciantur ab aliis, & divulgentur; quidam enim, inquit S. Anselmus, semetipsos satis judicant, & culpam fatentur, sed ferre nequeunt, ut tale quid ab aliis dicatur: sextus est, ferre patienter, se pro sua culpa contemptim tractari: septimus de hoc gaudere. Demum statui possunt gradus Humilitatis juxta comparationem actuum interiorum ad exteriores, in quos redundant, vel exteriorum ad interiores, pro quibus disponunt: & hoc modo considerati, duodecim a S. Bernardo recensentur. Primus gradus est, corde & corpore semper Humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus; cui opponitur curiositas. Secundus gradus est, ut pauca verba & rationabilia aliquis loquatur non clamosa voce; cui opponitur levitas mentis. Tertius gradus est, ut non sit aliquis facilis & promptus in risu; cui opponitur inepta lætitia. Quartus gradus est taciturnitas usque ad interrogationem; cui opponitur jactantia. Quintus gradus est tenere, quod Regula Communitatis, & Monasterii habet; cui opponitur singularitas. Sextus gradus est credere & pronuntiare se ceteris viliorem; cui opponitur arrogantia. Septimus est se ad omnia inutilem & indignum confiteri & credere; cui opponitur præsumptio. Octavus est confessio peccatorum; cui opponitur defensio eorumdem. Nonus est, in duris & asperis patientiam amplecti; cui opponitur simulata confessio. Decimus est obedientia; cui opponitur rebellio. Undecimus, ut homo non obsequatur propriæ voluntati; cui opponitur libertas; Duodecimus est Timor Dei; cui opponitur peccandi consuetudo. Fusa hæc omnia traduntur a D. Thoma 2. 2. *quæst. 161. art. 6. & quæst. 162. art. 4. ad quartum.*

51. Et, ne aliqua hinc ambiguitatis occasio desumatur, operæ pretium est adnotare, juxta veriorem sententiam virtutem etiam Christianæ Humilitatis positam esse in medio extremorum, hoc est inter exsuperantiam, & defectum. Quocirca delinqueret, qui omnibus occurrentibus demitteret caput usque ad terram, aut passim, & ubique clamaret, se esse deteriorem quolibet peccatore, ut despectui atque irrisioni haberetur. Peccaret quoque, qui sciens ex principiis certis, aliquid esse malum, obaudiret cuilibet alteri, etiam imperito, asserenti, id esse licitum ex nimia quadam animi dejectione, qua putaret, se omnibus hominibus esse inferiorem sapientia & prudentia. Sunt hæc excedentia & regulæ prudentiæ adversantur. Sed, quantum ad actus internos circa Deum, cum Humilitas præ aliis virtutibus moralibus potissimum sita sit in eo habitu, quo quis despicit se ipsum, & demittit Deo cognito, ut Auctori Bonorum omnium quæ in se habet, & cui proinde honor & gloria reddenda est, in hac demissione nullus excessus esse potest, neque unquam devenietur ad summam perfectionem demissionis; cum inter Deum, & creaturam infinita sit distantia, nec unquam creatura aliqua ita se Deo demittat, ut ille dignus adhuc non sit majori demissione creaturæ in infinitum; quemadmodum conceptis verbis animadvertit Cardinalis de Aguirre *in tract. de virtutibus, & vitiis disp. 4. sect. 4. num. 42. & 43.* & concordat D. Thomas 2. 2. *quæst. 161. art. 3.* ubi, proposita quæstione, *Utrum homo debeat se omnibus per Humilitatem subjicere*, in responsione *ad tertium* docet, in exterioribus Humilitatis actibus, sicut & in actibus ceterarum virtutum, moderationem esse adhibendam, & præcipue, si, per Humilitatem alteri se subjiciendo, id vergeret in detrimentum illius, cui se subjicit, quia ex hoc superbiret, vel ipsum contemneret.

52. Cum gradibus Humilitatis supra recensitis concordant actus, qui præcipue occurrunt in examine causarum Servorum Dei, de quorum virtutibus agitur: quorum primus est sincera sui ipsius abjectio, qua quis in suis operibus bonis reputat se inutilem servum, juxta illud *Luc. 17. v. 10. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Secundus est, se omnibus viliorem & inferiorem verbis pronuntiare, idque etiam intimo cordis affectu credere, & factis ostendere, juxta illud *Psal. 21. v. 7. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quod tamen cum debita moderatione intelligendum est: nec enim, ut quis humilis sit, debet se peccatorem reputare pejorem quolibet alio, cum Apostolus absque Humilitatis præjudicio dixerit *ad Galat. 2. v. 15. Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores;* sed potest aliquid boni reputare esse in Proximo, quod ipse non habeat, vel aliquid mali in se, quod in alio non sit, ex quo potest se ei per Humilitatem subjicere, quemadmodum explicat D. Thomas *quæst. 161. art. 3. in corpore.* Tertius est, propriam voluntatem abdicare, & eam Divinæ voluntati subjicere, juxta illud *Luc. 22. v. 42. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quartus, in ipsa obedientia patientiam constanter amplecti, & ab ea propter injurias nunquam recedere, juxta illud *1. ad Corinth. 4. v. 12. Maledicimur, & benedicimus;* & juxta aliud *ad Philipp. 2. v. 8. Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quintus, in conversatione cum aliis, & in consessibus, servata tamen ratione muneris & dignitatis, inferiorem locum sibi sumere, juxta illud *Luc. 14. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, sed recumbe in novissimo.* Sextus, de honoribus & plausibus sibi præstitis ex corde dolere, eosque declinare exemplo ejusdem Apostoli, qui *1. ad Corinth. 15. v. 8.* de se ait: *Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est & mihi; ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Septimus, nihil operari propter finem humanæ gloriæ, juxta illud *Joan. 8. Ego autem non quæro gloriam meam.* Octavus, officia & dignitates, nisi cogente obedientia, aut vocante Superiorum auctoritate, non accipere, juxta illud *ad Hebr. 5. v. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Nonus, linguam coercere, nisi Dei gloria, rerumque suarum, aut Proximi necessitas abrumpat silentium, juxta illud *Psal. 38. v. 2. Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam.* Decimus, non facile solvi in risum, & ineptam lætitiam, dicente Spiritu Sancto *Eccl. 21. v. 23. Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix tacite ridebit.* Undecimus, ostentationem evitare in contentionibus, & disputationibus, & negotiis gerendis, ut est *Eccles. 5. v. 13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas, & cum sapientia proferas responsum verum,* & *v. 15. Honor, & gloria in sermone sensati.* Duodecimus, vestimentis vilibus & modestis uti, attenta tamen conditione dignitatis & muneris; unde legitur *Eccles. 11. v. 4. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris.* Ultimus, in omni opere, gestibus,

ſtibus, & dictis demiſſum & abjectum apparere, juxta illud David *Pſal.* 130. *v.* 1. *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulavi in magnis.*

53. Actibus hiſce recitatis, ſubjicit Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. tit.* 2. *cap.* 3. §. 4. *num.* 87. ſi de eis conſtet, de virtute Humilitatis dubitandum non eſſe: ſu eo autem, quod attinet ad heroicitatem, heroici erunt omnes prædicti actus, ſi non modo ad finem ſupernaturalem dirigantur, ſed etiam prompte, delectabiliter, expedite, & etiam in arduis materiis eliciantur, uti proſequitur Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. ſent. tom.* 2. *diſp.* 32. *art.* 16. §. 1. ubi Humilitatis heroicitatem adſcribit donis Timoris Dei, vel Sapientiæ, & Conſilii: quam ad rem ſubjicit S. Bernardus *ſerm.* 34. *in Cantica* (*vol.* 1. *oper. num.* 3. *col.* 1198.): *Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, & libenter. Primi rei ſunt, ſequentes innoxii, ultimi juſti.* Et paulo poſt *num.* 4. *Vis autem videre humilem recte gloriantem, & vere dignum gloria? Libenter (inquit) gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Non dicit, patienter ſe ferre infirmitates ſuas, ſed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam, ſibi bonum eſſe, quod humiliatur; nec ſufficere omnino, ut poſſideat animam ſuam tamquam patienter humiliatus, niſi & gratiam accipiat tamquam ſponte humiliatus.*

54. S. Ambroſius *in cit. ſerm.* 52. *de Sancto Joanno Baptiſta* (*num.* 4. *col.* 462. *oper. tom.* 2.) miris laudibus ejus Humilitatem proſequitur: *Quæ major Humilitas in Propheta, quam, contemtis mollibus veſtimentis, pilorum aſperitate veſtiri?* Item S. Joannes Chryſoſt. *homil.* 11. *in cap.* 3. *v.* 11. *Matthæi* in illud, *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt*, S. Joannis Baptiſtæ Humilitatem accurate perpendit (*num.* 4. *pag.* 153. *tom.* 7. *oper.*): *Deinde quantum intervalli eſſet inter ſe, & illum declarans, ne videretur id ad gratiam dicere, ex comparatione donorum quæ ab utroque manarent, id peragit. Non enim ſtatim dixit, Cujus non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere; ſed poſtquam baptiſmi ſui ſimplicitatem poſuit, & oſtendit illum nihil plus habere, quam quod ad pœnitentiam ipſos deduceret: neque enim dixit In aqua remiſſionis, ſed pœnitentiæ; Chriſti baptiſmum ponit ineffabili dono refertum. Ne, inquit, cum audis ipſum poſt me venire, illum deſpicias, quod poſtremus venerit: diſce vim doni ipſius, & clare ſcies me nec dignius quidpiam, vel magnum protuliſſe cum dixi, cujus non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere. Itaque cum audieris ipſum fortiorem me eſſe, ne putes id me per comparationem dixiſſe, Neque enim dignus ſum inter ſervos ejus computari, immo ne inter ultimos ſervos, neque miniſterii vel viliſſimam partem obire. Quamobrem non ſimpliciter dixit calceamenta, ſed, neque corrigiam, quod extremum omnium videtur eſſe.* Idemque S. Joannes Chryſoſtomus exponens illud *epiſtolæ ad Romanos cap.* 1. *v.* 11. *Deſidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos, id eſt ſimul conſolari in vobis per eam, quæ invicem eſt, fidem veſtram, atque meam*; ſic de S. Pauli humilitate fatur (*homil.* 2. *num.* 4. *pag.* 440. *oper. tom.* 9.): *Non enim ſimpliciter dixit conſolari, ſed ſimul nos conſolari. Neque id illi ſatis fuit, ſed & illam mitigationem addidit, dicens, per mutuam fidem, veſtram & meam. Papæ, quanta humilitas! Se ipſum bis egere indicavit, ſeque illis indigere, nec illos ſolum ipſo opus habere, atque diſcipulos Magiſtrorum loco habuit, nullam ſibi prærogativam relinquens, ſed æqualitatem magnam oſtendens. Communis eſt utilitas, inquit, conſolatione egemus, ego veſtra, vos mea. Et quomodo hoc? Per fidem mutuam veſtram, & meam.*

55. Huic capiti nunquam finis imponeretur, ſi Chriſtianæ heroicæ Humilitatis quotquot occurrunt exempla referri deberent ex fuga gloriæ, licet non exiguæ ſe obtulerint ejus captandæ occaſiones. Nonnulla tamen in præſenti exponemus. Celebre eſt illud S. Hieronymi in vita S. Hilarionis Eremitæ *num.* 30. *col.* 29. *oper. tom.* 2. En ejus verba: *Mirentur alii ſigna, quæ fecit; mirentur incredibilem abſtinentiam, ſcientiam, humilitatem. Ego nihil ita ſtupeo, quam gloriam illum, & honorem calcare potuiſſe. Concurrebant Epiſcopi, Presbyteri, Clericorum, & Monachorum greges, Matronarum quoque Chriſtianarum (grandis tentatio), & hinc inde ex urbibus, & agris vulgus ignobile, ſed & potentes viri, & Judices, ut benedictum ab eo panem, vel oleum acciperent. At ille nihil aliud, niſi ſolitudinem, meditabatur.* Et *num.* 40. *Ea tempeſtate terræmotu totius orbis, qui poſt Juliani mortem accidit, maria egreſſa ſunt terminos ſuos, &, quaſi rurſum Deus diluvium minaretur, vel in antiquum chaos redirent omnia, naves ad prærupta delatæ montium pependerunt. Quod cum viderent Epidauritani, frementes ſcilicet fluctus, & undarum moles, & montes gurgitum litoribus inferri, verentes, quod jam evenîſſe cernebant, ne oppidum funditus ſubverteretur, ingreſſi ſunt ad Senem, &, quaſi ad prælium proficiſcentes, poſuerunt eum in litore. Qui cum tria Crucis ſigna pinxiſſet in ſabulo, manuſque contra tenderet, incredibile dictu eſt, in quantam altitudinem intumeſcens mare ante eum ſteterit, ac diu fremens, & quaſi ad obicem indignans paulatim in ſemetipſum relapſum eſt ... Mirabatur omnis civitas ... Quod intelligens Senex, in brevi lembo clam nocte fugit, &, inventa poſt biduum oneraria navi, perrexit Cyprum.* S. Gregorius Papa *dialog. lib.* 2. *cap.* 1. *col.* 209. *oper. tom.* 2 refert, interceſſione & precibus S. Benedicti adhuc adoleſcentis capiſterium nutricis ſuæ ad purgandum triticum a vicinis mulieribus commodatum, & infortunio quodam confractum adeo in priſtinum reſtitutum fuiſſe, ut in eo fracturæ veſtigia inveniri non potuerint. Poſt hæc autem ſubjicit: *Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quam laudes, & plus pro Deo laboribus fatigari, quam vitæ hujus favoribus extolli, nutricem ſuam occulte fugiens, deſerti loci receſſum petiit, cui Sublacus vocabulum eſt, qui ab Romana urbe quadraginta fere millibus diſtans frigidas atque perſpicuas emanat aquas.* B. Petrus Damiani *ſerm.* 65. *de Sancto Barbotiano Presbytero & Confeſſore, oper. tom.* 2. modum exponit, quo miracula ſanationum abſcondebat, quæ a Deo interceſſione ejus patrabantur: *Ad hoc quippe pertinet, quod his, quibus ſanitatem reſtituere cupiebat, ſæpe ſuperponendum quid, velut emplaſtrum, ſæpe comedendum aliquid, quaſi medicinale antidotum, conferebat; eo nimirum, ut opinor, ſtudio, ut, dum herbarum virtus, vel medicinalium ſpecierum potentia creditur, nequaquam ſanctitatis ſuæ viribus reſtituta ſanitas adſcribatur, &, dum ab eo medicina ſuſcipitur, magis Medicus, quam Sanctus, eſſe videatur &c.* Alanus in ſecunda vita S. Bernardi *cap.* 27. *col.* 1285. *edita poſt novam editionem operum prædicti Sancti* exponit judicium ab eo datum de nonnullis mirabilibus ſignis a Deo ſua interceſſione patratis: *Facta ſunt aliquando ſigna per ſanctos homines & perfectos; facta ſunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conſcius ſum, nec fictionis. Scio enim, Sanctorum mihi non ſuppetere merita, quæ miraculis illuſtrentur. Confido autem, nec ad eorum ſortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & a Domino ignorantur. Hæc, & hujuſmodi crebrius ſecretiuſque cum viris ſpiritualibus conferebat. Noviſſime vero opportunum ſibimet viſus exitum reperiſſe. Scio (inquit) hujuſmodi ſigna non ad ſanctitatem unius, ſed ad multorum ſpectare ſalutem, & Deum in homine per quem talia operetur, non tam perfectionem conſiderare, quam opinionem, ut in eo commendet hominibus, quæ illi creditur ineſſe, virtutem.* Demum de S. Franciſco hæc leguntur in Legenda S. Bonaventuræ (*cap.* 7. *pag.* 304. *oper. tom.* 7.): *Cum populi merita in eo ſanctitatis extollerent, præcipiebat alicui Fratri, ut in contrarium verba ipſum vilificantia ſuis auribus inculcando proferret. Cumque Frater ille, licet invitus, eum ruſticum, & mercenarium, & inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quam facie reſpondebat: Benedicat tibi Dominus, Fili cariſſime, quia tu veriſſima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire.* Si aliquis alia videre vellet Humilitatis heroicæ exempla, poterit ea legere collecta apud Cardinalem de Lauræa *in* 3. *lib. ſent. tom.* 2. *diſp.* 32. *art.* 16. & in relationibus Rotæ Auditorum in cauſis Canonizationum, & ſignanter SS. Petri de Alcantara, Franciſci Xaverii, & S. Franciſcæ Romanæ, ubi ſinguli actus ponderantur.

56. Ut ad Pudicitiam, & Caſtitatem tranſeamus, Pudicitia ad Caſtitatem refertur, non quaſi virtus ab ipſa diſtincta, ſed ſicut exprimens quamdam Caſtitatis circumſtantiam, abſtinentiam videlicet a quibuſdam exterioribus ſignis, inter quæ abſque dubio recenſeri debet frequens converſatio cum perſonis alterius ſexus; ſuper qua re plura collecta legi poſſunt apud Theophilum Raynaudum *oper. tom.* 12. & præcipue *pag.* 270. *& ſeqq.* Caſtitas virtus eſt carnalium voluptatum moderatrix, de qua Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 7. *v.* 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus*: & 1. *ad Timoth.* 2. *v.* 2. *Quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & Caſtitate.* Triplex eſt; conjugalis, vidualis, & virginalis. De virginali Caſtitate S. Auguſtinus *in libro de ſancta Virginit. c.* 13. *col.* 345. *tom.* 6. *oper.* ait: *Virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas Angelica portio eſt, & in carne corruptibili*

ptibili

ptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Castitas virginalis etiam apud Romanos in summa fuit reverentia, ut in virginem quacumque causa sævire nefas haberetur: quocirca, si virgo morti esset addicenda, non prius interficiebatur, quam a carnifice, aliove vitiata, virgo esse desiisset. Suetonius *in Tiberio* ita habet *cap.* 61. *Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, deinde strangulatæ*: quod confirmat Tacitus *lib.* 5. ubi agit de Sejani Filia morti addicta. Sed, cum plurimæ Virgines Christianæ subierint Romæ Martyrium absque hujusmodi pudoris detrimento, fateri oportet prædictum scelus fuisse postmodum antiquatum, uti animadvertit Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrol. Rom. ad diem* 3. *Septembris*. Plura de honore Virginitatis apud Gentiles erudite collecta legi possunt *in dissert. Philolog.* Joannis Frontonis *de Virginitate honorata, erudita, adorata, fœcunda*. Castitas denique virginalis aliis duabus præcedit: quocirca S. Thomas 2. 2. *quæst.* 152. *art.* 5. scribit, Virginitatem esse excellentissimam in genere Castitatis, & Virgines dici illustriorem portionem gregis Christi per comparationem ad Viduas, & Conjugatas: & concordat Venerabilis Beda apud S. Vincentium Ferrerium *in Sermone de S. Martha*: *Bona est Castitas conjugalis: melior continentia vidualis; sed optima perfectio virginalis*. Exempla heroicæ Castitatis, conjugalis, vidualis, & virginalis collecta legi possunt apud Cardinalem de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 2. *disp.* 32. *art.* 16. §. 2. ubi ait, actus Christianæ Castitatis heroicæ in quovis genere, sive Castitatis virginalis, sive conjugalis, sive vidualis, esse ex fine supernaturali, & absque humano ratiocinio prompte, delectabiliter, & expedite actus venereos corpore & mente fugere, quamvis cum periculo cujusvis corporalis incommodi, & etiam mortis. Idemque Auctor *loc. cit. n.* 459. *& seqq.* proposita quæstione, *An ad effectum, ut Castitas heroica dici possit, debeat esse conjuncta cum periculo vitæ, aut Bonorum, aliorumve incommodorum*, negando respondet, quoniam plerique Sancti heroice casti fuerunt: licet enim adacti non fuerint ad servandam Castitatem prædictis periculis, externis tamen & internis tentationibus validis, ex Dei dono & instinctu, cum delectatione, sæpe & frequenter restiterunt, & ad impediendas repellendasque tentationes variis mediis sensui ingratis usi sunt, juxta illud Apostoli, de quo alibi, 2. *ad Corinthios* 12. *v.* 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet*: & S. Hieronymus de semetipso *ad Eustochium* scribit (*epist.* 22. *num.* 7. *col.* 92. *oper. tom.* 1.) *Repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam*: & *col.* 91. *Pallebant enim ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat*.

5d. Castitas conjugalis duplici modo considerari potest, in matrimonio videlicet rato, & in matrimonio consummato. Verum fuisse matrimonium inter Beatissimam Virginem & S. Joseph, certum est ex sacris Litteris, & signanter ex illo *Matthæi* 1. *v.* 16. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ*; & *v.* 19. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus*: & *v.* 20. *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, & *v.* 24. *Et accepit conjugem suam*; & ex illo Matthæi 1. *v.* 19. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*. Acceperat ergo eam in uxorem, cum nemo dimittere dicatur, quod non habet: & quamvis Angelus Josephi suspicionem ex deprehensa graviditate sedaturus dixerit, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, hæc tamen est phrasis Hebraica actum continuatum significans, non inchoatum; quocirca perinde est, ac si dixisset, *Acceptam conjugem serva ac retine; noli dimittere*. Illibatam Virginitatem eo in matrimonio servatam fuisse, Catholicæ Ecclesiæ Fides asseverat, & admittunt ipsi Lutherani, & Calvinistæ, qui servatam Virginitatem a Beatissima Virgine consentiunt, sed nullo voto obstrictam: quod tamen non modo Patrum concordi adversatur auctoritati, sed etiam ipsius Virginis assertioni, quæ ab Angelo admonita *Luc. cap.* 1. *v.* 31. futurum esse, ut Christum conciperet, *Ecce concipies in utero, & paries filium*, respondit *v.* 34. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, *Quomodo concipere possum in utero, & filium parere, si votum Virginitatis emisi?* Pia quoque traditio est, nullum a S. Joseph, ante matrimonium cum Maria Virgine, cum alia femina fuisse matrimonium contractum, & sic eum quoque virginem mortuum fuisse; unde S. Hieronymus *adversus Helvidium* (*num.* 19. *col.* 227. *oper. tom.* 2.) *Tu dicis, Mariam Virginem non permansisse. Ego mihi plus vindico, etiam ipsum Joseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius nasceretur, si enim in virum Sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuisse, non scribitur*: & concordat S. Petrus Damiani *opusc.* 17. *de cælibatu Sacerdotum* (*cap.* 3. *oper. tom.* 3.) *Et, ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit Mater, Ecclesiæ fides est, ut virgo fuerit & is, qui simulatus est pater*. Quærunt Theologi, quomodo verum matrimonium potuerit esse inter Beatissimam Virginem, & S. Joseph, non obstante voto Virginitatis in antecessum ab ea emisso; & aptior eorum responsio est, Virginem, antequam nuberet Josepho certa revelatione Divina fuisse admonitam, Josephum nunquam usurum potestate sibi tradita in corpus ipsius, nunquam debitum petiturum, vel quia votum Virginitatis esset & ipse nuncupaturus, vel quia Deus mentem ejus a debito petendo esset aversurus. Aurea sunt verba D. Thomæ *in* 4. *sent. dist.* 30. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad secundum*: *Beata Virgo, antequam contraheret cum Joseph, fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili proposito erat; & ideo non se commisit periculo nubens*: Et 3. *part. quæst.* 28. *art.* 4. idem S. Doctor docet, Dei Matrem, antequam Josepho desponsaretur, absolute Virginitatem non vovisse, sed eam in optatis habuisse, voluntatemque suam Divino arbitrio commisisse; tunc autem absolute vovisse, cum sibi innotuit, hoc esse Deo acceptum, quod ei manifestatum est, antequam ab Angelo annuntiaretur; acceptoque Sponso, simul etiam cum eo votum Virginitatis emisisse. Alia matrimonia in Ecclesia memorantur, in quibus sancti conjuges illibatam servarunt Virginitatem. Cæcilia quippe virgo Angelo Virginitatis suæ custode munita, atque protecta nupsit citra periculum Valeriano, sciens Angelum a petendo debito Valerianum aut avocaturum, aut congressum maritalem impediturum, quod illi feliciter cessit. In bulla Canonizationis S. Chunegundis Imperatricis *Constitut.* 29. *pag.* 38. *cod. Canonizat.* habentur hæc verba: *Qui* (sermo est de testibus examinatis) *jurati dixerunt, quod, sicut ex celebri fama & solemni scriptura noverunt, Beata Kunegundis Sancto Henrico Imperatori fuit matrimonialiter copulata, sed ab eo non extitit carnaliter cognita. Unde, cum Dominus Imperator ageret in extremis, Principibus, & Parentibus inquit de illa: Qualem mihi eam assignastis, talem vobis eam resigno: virginem eam dedistis, & virginem reddo*. Apud Nicephorum *lib.* 15. *historiar. cap.* 15. & apud Cardinalem Baronium *ad an.* 450. *num.* 17. narratur, Pulcheriam Marciano nupsisse, *& ad an.* 453. *n.* 20. & virginem mortuam fuisse. Apud Surium *ad diem* 9. *Januarii* similia leguntur de SS. Juliano, & Basilissa, & subjicitur *n.* 8. *pag.* 140. auditam de cælo vocem fuisse hæc verba promentem: *Vicisti, Juliane, vicisti*. Alia virginea connubia in Ecclesiasticis prostant historiis, Sancti videlicet Boleslai V. Polonorum Regis, qui Pudicus inde dictus est, & Chunegundis Belæ Hungarorum Regis filiæ; Sancti Conradi Regis filii Henrici IV. Imperatoris cum Mathilde; & alia plura addi possent, de quibus apud Scacchum *de not. & sign. sanctit. sect.* d. *cap.* d. *pag.* 476. & *seqq.* Alibi tractabitur de matrimonio B. Luciæ Narniensis, in quo Virginitatem servavit. Interea adnotare fas sit, adhuc pendere in sacrorum rituum Congregatione resolutionem dubii super virtutibus in causa Ven. Servi Dei Sebastiani de Apparitio Religiosi Laici Professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia. Cum enim, antequam nomen daret Religioni, duplex matrimonium contraxisset, & neutri debitum reddidisset, bon. mem. Archiepiscopus Myrensis Fidei Promotor, & ego successor in dicto munere, illum peccasse diximus non quia laudabilia quodammodo, & heroica dici non debeant matrimonia, in quibus, mutuo accedente conjugum consensu, nulla fit ejus consummatio, sed quia de consensu tam primæ, quam secundæ uxoris non constabat, & querimoniæ non defuerant consanguineorum prædictarum feminarum, quod eis debitum non redderetur, ex quibus inferebatur prædicti consensus defectus. Multa fuerunt a doctis Postulatoribus allata, ut difficultati satisfieret. Suffragia quoque Academiarum Parisiensis, Salmanticensis, & Patavinæ (ut alibi dictum est) requisita, & Romæ edita anno 1722. fuerunt omnino concordia in asserendo, matrimonia non modo valida fuisse, sed commendatione digna, mulierumque consensum implicitum, aut explicitum non defuisse, & querimonias a consanguineis excitatas fuisse, non quia uxores umquam de redditione debiti cogitaverint, sed quia ipsi, pinguem Servi Dei hereditatem ad filios ex suis consanguineis nascituros, deferri, ardenter exoptabant. Scripturæ Postulatorum, & Theologorum suffragia legi possunt: at judicium sacræ Congregationis erit exspectandum

ex

ex particularibus facti circumftantiis potiffimum defumendum.

58. Caftitas, feu continentia maritalis donum Dei eft, uti bene expoóit S. Auguftious *lib. de Continentia cap. 1. col. 297. oper. tom. 6.* dicens: *Dei donum effe Continentiam, primum dicimus, & probamus*; & paucis interjectis, fubjicit: *Quoniam ipfa quoque Caftitas conjugalis, nifi contineatur ab illicito concubitu, non poteft cuftodiri, utrumque Apoftolus donum Dei effe prædicavit, cum de vita utraque, id eft & conjugali, & ea, quæ eft fine conjugio, loqueretur dicens: Vellem, omnes homines fic effe ficut me ipfum: fed unufquifque proprium donum habet a Deo, alius autem fic.* Caftitatis conjugalis in matrimonio confummato non defunt exempla; & quidem non folius abftinentiæ ab illicitis voluptatibus, in quo rerum ftatu nullam haberet excellentiam fupra communem Caftitatem, quemadmodum bene docet D. Thomas 2. 2. *quæft. 152. art. 3. ad quintum*, fed abftinentiæ a voluptatibus etiam licitis. Narrat enim Volaterranus *lib. 22. commentar. Urbanor. in Urbano V.* Sanctam Francifcam Romanam, ut urentem libidinem repri-meret cum viro debitum conjugale petenti reddebat, ardens laridum ad uterum applicaffe; quod ad infigne Caftitatis conjugalis exemplum referunt Rotæ Auditores in relatione caufæ ipfius *part. 2. art. 2. in fine*, Apoftolus *in 1. epiftola ad Corinth. cap. 7. v. 4.* inquit: *Mulier fui corporis poteftatem non habet, fed Vir: fimiliter autem & Vir fui corporis poteftatem non habet, fed Mulier. Nolite fraudare invicem, nifi forte ex confenfu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in id ipfum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veftram: hoc autem dico fecundum indulgentiam, non fecundum imperium.* Suadet itaque Apoftolus, ut Conjuges ad tempus contineant fe, ut vacent orationi & jejunio: ex quo defumitur, eos laudabiliter & heroice fe gerere, fi per totum vitæ tempus fe contineant, ut orationi vacent & jejunio; dummodo tamen abfit periculum incontinentiæ, & lapfus in adulterium, vel alias libidines, quemadmodum prædictum textum Apoftoli late explicant Eftius, & Cornelius a Lapide. Tempus duorum menfium ab Ecclefia indulgetur *in cap. Ex publica, de converf. conjug.* unicuique ex conjugibus ad fufpendendam primam debiti redditionem, ut deliberare poffit, an Religionem ingredi velit, & in ea Profeffionem emittere. Item *Tob. cap. 8. v. 4.* Tobias junior fuam fponfam Saram compellavit his verbis: *Sara, exfurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & fecundum cras; quia his tribus noctibus Deo jungimur, tertia autem tranfacta nocte in noftro erimus conjugio. Filii quippe Sanctorum fumus, & non poffumus ita conjungi, ficut Gentes, quæ ignorant Deum.* Et *cap. 6.* narratur, quomodo Angelus Raphael id ei fuaferat: *Tu autem, cum acceperis eam, ingreffus cubiculum per tres dies continens efto ab ea, & nihil aliud nifi orationibus vacabis cum ea. Ipfa autem nocte incenfo jecore pifcis fugabitur Dæmonium. Secunda vero nocte in copulatione fanctorum Patriarcharum admitteris. Tertia autem nocte benedictionem confequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes. Tranfacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in femine Abraha benedictionem in filiis confequaris.* Cui Tobiæ, & Saræ exemplo Sanctam Birgittam, & Ulfonem ejus virum fe pie & fancte conformaffe, narratur in bulla Canonizationis ejufdem Sanctæ Birgittæ (*Conftitut. 66. pag. 153. cod. Canonizat.*): *Et, cum infimul convenire deberent, quamquam idonei effent ad viriles amplexus, maritus videlicet in duodecimo octavo, & fponfa in tertio decimo anno conftituti, communi tamen voluntate Tobiam juniorem, & Saram Raguelis imitati, annum continuum & ultra a concubitu abftinuerunt, Deum humiliter deprecantes, ut, fi conjungi foret expediens; in commixtione non peccarent, & Deus illis talem prolem concederet, quæ ad fervitium ejus effet. Simul poftea convenerunt in timore ac tremore, non libidini, fed pofteritati vacantes, cum interim devota mulier nec jejunia, nec orationes, nec alia pia & folita opera prætermitteret.* Probant autem hæc omnia Caftitatis conjugalis in matrimonio confummato excellentiam, fi conjuges ab opere venereo abftineant, ut orationi vacent, excluſo libidinis periculo. In caufa B. Petri Forerii, dum ageretur de ejus virtutibus, memini, me tunc Fidei Promotorem inter cetera oppofuiffe, de ejus Prudentia dubitari poffe, cum ejus confilio multi conjugati ab actu conjugali per aliquot annos, immo & per totam vitam abftinuiffent, propter periculum fignanter incontinentiæ, cui aliquos obnoxios fuiffe, verifimile effe videbatur: fed cum Poftulatores ftrenue refumentes, quæ modo dicta funt de Caftitate conjugali, in aperto pofuiffent, confilium ab eo non fuiffe datum nifi illis, de quorum Continentia dubitare non poterat, confiliumque ipfum felici exitu non caruiffe, merito animadverfio a me ratione officii contra virtutes Beati propofita, in ejus laudem & commendationem converfa eft.

59. S. Hieronymus *lib. 1. in Jovinianum col. 310. oper. tom. 2.* exempla ex variis nationibus congerit, ut oftendat, etiam apud Ethnicos Caftitatem vidualem magna in exiftimatione fuiffe, abftinentiam videlicet a fecundis & ulterioribus nuptiis, mortuo primo conjuge: quod argumentum late profequitur Efpencæus *lib. 3. de Continentia cap. 17.* Juxta jura civilia, de quibus *ad tit. Cod. de fecundis nuptiis*, uxor fuperftes jubebatur per annum defunctum maritum lugere, & a nuptiis abftinere: fed, cum juxta Apoftolum, mulier, viro fuo mortuo, foluta fit a lege viri fui, & nubere poffit in Domino, cui voluerit, merito facri Canones cenfuerunt, poffe uxorem, etiam citra infamiæ notam, mortuo viro, intra annum luctus ad fecunda vota tranfire, ut habetur *in cap. 4. & 5. de fecundis nuptiis*: ita tamen, ut, interdicta Parocho benedictione fecundarum nuptiarum, quam Ecclefia dandam ftatuit in primis nuptiis, oftendat, fecundas nuptias non æque fibi probari, ac primas, ut *in cap. 1. & 3. de fecundis nuptiis*. Viduitatem fecundis nuptiis præferendam effe, nec has tamen improbandas, late probat S. Auguftinus *in lib. de bono viduitatis*, feu *in epift. ad Julianam viduam*, atque inter alia *ibid. cap. 4. col. 371. oper. tom. 6.* fcribit: *Quapropter hoc primum oportet ut noveris, bono, quod elegifti, non damnari fecundas nuptias, fed inferius honorari. Nam, ficut bonum fanctæ virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat unas nuptias tuas, fic nec viduitas tua cujufdam fecundas &c. Nec ita extollas bonum tuum, ut, quod malum non eft, tamquam malum crimineris alienum: fed tanto magis gaude de tuo bono, quanto magis vides, non tantum illo devitari mala, fed quædam bona etiam fuperari.* Nonnullæ Viduæ fuerunt in Sanctarum album relatæ a fummis Pontificibus, Elifabetha videlicet, quæ poft obitum viri fui nomen dedit Sanctimonialibus Tertii Ordinis Minorum, de qua fic Gregorius IX. loquitur in bulla Canonizationis (*Conftit. 45. pag. 74. cod. Canoniz.*): *O inclita Vidua, virtutum fœcunda fobole, quæ ftudent ex gratia confequi, quod a natura non poterat indulgeri &c. fic amabilem immortali Sponfo fe præbuit*; Hedwigis, quæ, mortuo Henrico conjuge, Sanctimonialis Cifterciensis fuit, de qua fic loquitur Clemens IV. in bulla Canonizationis (*Conftit. 53. pag. 103. codic. Canoniz.*): *Ipfo denique Duce chriftianiffime, prout afferitur, fpiritum exhalante, protinus ad illius, cujus pulcritudinem fol & luna mirantur, tamquam libera, & a lege viri terreftris foluta, familiare confortium amplius afpiravit*; Birgitta, de qua multa heroica referuntur poft obitum viri ab ea patrata in bulla Canonizationis ipfius edita a Bonifacio IX. Francifca denique Romana, de qua Paulus Papa V. in bulla Canonizationis (*Conftit. 82. pag. 281. cod. Canoniz.*) fic loquitur: *Itaque, defuncto marito, paucis annis ante fuam dormitionem variis fervitutis obfequiis non deftitit Chrifto famulari. Proinde fanctum clauftralis vitæ propofitum folicite adimplere volens, abfque more Oblatas, quas ipfa Chrifto pepererat, nudis pedibus adit, ac, vinculo de collo pendente, prona in terram, multifque cum lacrymis, quafi peccatrix indigna, non tamquam earum parens, fuppliciter illas orat, ut fe ipfarum numero adfcribant.*

60. Hæc quoad vidualem Caftitatem. Nunc autem ad virginalem ut redeamus, pro rei complemento quærendum effe videtur, quomodo Virginitas probari poffit: de ea quippe re in caufis Servorum Dei aliquando tractatur. Medici, per phyfica principia procedendo, multa afferunt Virginitatis figna tam in mafculo, quam in femina, quæ apud eofdem legi poffunt, & fignanter apud Gafparem Rejes *jucundarum quæftionum elyfio campo quæft. 38. & 39.* & apud Zacchiam *in quæft. medico legal. lib. 4. tit. 2. quæft. 1. & feqq.* Actum fuit hac de re in caufa S. Thomæ de Villanova, & Virginitatis probationem Rotæ Auditores in relatione caufæ ipfius defumpferunt ex publica voce & fama, & concordi omnium confenfu, quod fatis effe dixerunt in materia difficilis probationis, ut in dicta relatione videri poteft *tit. de Caftitate pag. 619. & feqq.* poft Contelor. *de Canoniz. Sanctorum.* Latius hoc argumentum profecuti funt in relatione S. Pii V. *tit. de Temperantia*, ubi, præmiffa difficultate probationis in demonftranda Virginitate, mul-

multum detulerunt attestationibus Confessariorum, qui excipientes ejus Confessiones dixerunt, nullam se in eo deprehendisse culpam lethalem, testibus ex publica voce & fama adhibitis, Chirurgis, qui in sectione cadaveris retulerunt, se eas corporis partes, quæ generationi deserviunt, integras invenisse usque adeo, ut infantis munditiam & puritatem referrent. Alias quoque addiderunt conjecturas desumptas ex ingressu in Religionem ab ineunte ætate, ex voto Castitatis emisso, ex odio adversus vitia carnis, & mulieres fornicarias, ex pudore eximio, cum nec in discrimine vitæ constitutus passus sit, pro sedandis vesicæ doloribus partes generationi inservientes e Medicis videri, ex sobrietate insigni, & ex frequenti sumptione sacræ Eucharistiæ. De virginali quoque Castitate tractatum est in causa S. Philippi Neri, & tam ex his, quæ in relatione causæ ipsius deducta sunt, quam ex aliis modo enarratis inferri potest, rem difficilis esse probationis, in ea per conjecturas esse procedendum, nec unam, aut aliam sufficere, sed plures esse uniendas, ut ex omnibus simul junctis de servata Virginitate judicium ferri possit. Verba relationis Rotæ Auditorum in causa S. Philippi Neri sunt hæc: *Virginalem Castitatem Philippus perpetuo conservavit, ut ipsemet manifestavit Francisco Bucca ejus in Christo filio, ut eumdem ad Castitatem induceret, & Cardinali Baronio suo Confessario, ut in summario &c. Et etiam communi amicorum fama ab omnibus semper virgo est reputatus, ut deponunt viginti novem testes in summario &c. Adhuc adolescens quosdam, qui ipsum ad impuritatem provocare volebant, Dei verbo ad bonam frugem convertit, ut deponunt in summario &c. Laicus etiam cum esset, a duabus puellis in ejus cubiculum ingressis, ut ipsum ad impuritatem converterent, oratione se muniens fuit a Deo mirabiliter liberatus, ut in summario &c. Vocatus Philippus ad cujusdam Cæsareæ domum, ut ejus Confessionem audiret, fuit ab eadem Cæsarea aperte tentatus, & ipse statim, ut alter Joseph, aufugit, &, licet illa per scalam descendenti scabellum post terga projecerit, ipse tamen Divino protectus auxilio illæsus evasit, ut in summario &c. Cum Confessionibus audiendis initium daret, raro feminarum Confessiones excipere solebat, & cum eis asperis & severis verbis utebatur, numquam earum vultum inspiciens, ut in summario &c. Et ob candorem suæ puritatis, etiam cum æger esset, nullam sui corporis partem passus est a quoquam videri, ut in summario &c. In ejus corporis sectione suis ipse manibus eas corporis partes, quas indecorum ostendi vivo fuisset, semel iterumque occultavit, ut in summario &c. Idem etiam antea, dum lavaretur, acciderat, ut in summario &c. Ejus puritatis candor etiam ex facie atque oculis emicabat, ut in summario &c. Ad Philippum accedentes castitatis ac puritatis odorem ab eo emanantem sentiebant, ut in summario &c. Familiariter conversantes cum Beato Philippo ob ejus eximiam puritatem etiam ipsi sanctitatem consequebantur, ut in summario &c. Ob suam etiam insignem puritatem ipsum puritatis odorem, & e diverso immunditiæ fœtorem in aliis sentiebat, ut in summario &c. Alumnos suos ad servandam Castitatem continuo adhortabatur, admonitionesque pro ejusdem conservatione utiles dabat, ut deponunt in summario &c.*

61. Virginitas ergo S. Philippi Nerii ipsius dicto probata est una cum ceteris adminiculis in eadem relatione narratis; quod ipsum in S. Dominico contigisse, alibi videbitur: absurdum quippe maximum esset, si eorum dictis, de quorum sanctitate ex tot aliis constat documentis, fides non præstaretur. S. Ambrosius *in orat. funeb. de obitu fratris lib. 1. num. 52. col. 1128. oper. t. 2.* ejus Virginitatem prædicavit, & probationem e conjecturis, & præsumptionibus desumpsit: *Velut quadam virginali verecundia suffusus ora .... rarus attollere os, elevare oculos, referre sermonem, quod pudico quodam mentis pudore faciebat, cum quo castimonia quoque corporis congruebat. Etenim intemerata sacri Baptismatis dona servavit mundo corpore, purior corde, non minus adulterini sermonis opprobrium, quam corporis perhorrescens, non minorem ratus pudicitiæ reverentiam deferendam integritate verborum, quam corporis Castitate. Denique in tantum Castimoniam dilexit, ut nec uxorem expeteret, licet in eo non solum Castitatis appetentia fuerit, sed etiam pietatis gratia. Miro autem modo & conjugium dissimulabat, & jactantiam declinabat, tantaque erat dissimulatio, ut, nobis quoque urgentibus, differre magis consortium, quam refugere videretur. Hoc unum itaque fuit, quod nec fratribus crederet, non aliqua cunctationis hæsitantia, sed virtutis verecundia.* Nec dissimili modo S. Gregorius Nazianzenus *orat. 20. de laudib. S. Basilii Magni* ejus Virginitatem commendat & probat: *Quis igitur magis, quam ille, aut Virginitatem in pretio habuit, aut carni leges imposuit, idque non suo tantum exemplo, sed etiam per ea, quibus operam dedit? Cujus sunt Virginum cœnobia? Cujus præcepta illa litteris mandata, quibuscum omnes sensus coercebat, tum membra omnia componebat, ac Virginitatem vere colere admonebat, pulcritudinem ab iis rebus, quæ aspectu sentiuntur, ad ea, quæ oculorum obtutum fugiunt, convertens, atque id quidem, quod externum est, debilitans, flammæque materiam subtrahens, quod autem internum & occultum est, Deo qui solus purarum animarum sponsus est, atque insomnes animas, si modo cum claris lampadibus, & copiosa olei alimonia obviam ipsi prodierimus, secum introducit, spectandum offerens!* Demum Virginitatis prærogativa ab ea non aufertur, quæ stuprum per vim non patitur: Tyranno siquidem minanti S. Luciæ, se eam producturum ad lupanar, Sancta respondit: *Si invitam jusseris violari, Castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Cum enim integritas membri corporalis per accidens se habeat ad Virginitatem; immunitas autem a delectatione materialiter, ut Scholæ loquuntur, se habeat, & propositum perpetuo abstinendi a tali delectatione se habeat formaliter & completive ad Virginitatem; hinc fit, ut si aliqua invita constupretur, corruptio istiusmodi non magis Virginitati præjudicet, quam si manus, aut pes corrumperetur, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 152. *art.* 1.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

De Oratione, & ejusdem speciebus, & ejus necessitate in Dei Servis beatificandis & canonizandis.

1. DUM in superioribus de virtute Fidei ageremus, mentio habita est Orationis. Fides est Orationis fundamentum; qui enim petit a Deo, profitetur, se credere, Deum posse dare quod postulatur, & esse primum auctorem omnis Boni; immo etiam credit, esse veracem & fidelem in eo quod promisit: unde Apostolus *ad Rom. 10. v. 14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* Mentio quoque, saltem implicita, Orationis habita est in superioribus, dum ageremus de virtute religionis. Affectus enim orandi cum procedat ex causa & impulsu colendi Deum, & ei offerendi mentem nostram, recognoscendo, & quasi per Orationem protestando nostram indigentiam, obsequium erga ipsum, servitutem & subjectionem, & e converso potentiam ejus, bonitatem ac providentiam erga nos; affectus hic inde ortus, est actus elicitus a religione, cujus proprium munus est cultum Deo reddere, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 3. & *quæst.* 81. *ar.* 5. quam late exornat Suarez *de religione tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 7. & bene prosequitur Cardinalis Bona in tractatu etiam infra allegando *de principiis vitæ Christiana part.* 1. *cap.* 50. ubi ita de Oratione scribit: *In ea omnium virtutum actus exercentur. Prima vero ante omnes occurrit Fides; nemo enim oraret, nisi crederet, Deum esse præsentem, & preces clamantium ad se audire, easque posse & velle, si juste petimus, exaudire. Spes erigitur, quia maximam in Dei ope & misericordia fiduciam habemus. Charitas excitatur Divinæ bonitatis consideratione, quæ urget nos ad ipsum super omnia diligendum. Per eam discimus adimplere omnem justitiam, & justorum prudentia omnia perpendere. Fortitudo exercetur, quia orans firmiter statuit servire Deo, & pro ejus amore adversa omnia tolerare. Temperantiæ actus eliciuntur, quia mens orantis a terrenis & corporeis abhorrens, cæli delicias degustat &c. Multis ergo virtutibus fulget, qui multum Orationi incumbit.* Sed, cum in causis Beatificationis & Canonizationis frequens se offerat occasio quærendi de Oratione Servorum Dei, necessarium Nobis visum est, in hoc capite, & in capite sequenti nonnulla de Oratione indicare.

2. Scribentes de Canonizatione Sanctorum dicunt, studium Orationis maximopere in Canonizandis commendari. Ita docent Cardinalis de Laurea *in 3. lib. sent.*

tom. 2. disp. 32. de virtute heroica art. 9. §. unic. num. 136. Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatific. & Canonizat. tit. 2. cap. 3. §. 2. a num. 22. ad 27.* & late prosequuntur Rotæ Auditores in relationibus causarum SS. Paschalis de Baylon, Felicis a Cantalicio, Francisci Xaverii, Joannis de Deo, Petri de Alcantara, Francisci Borgiæ, Jacobi de Marchia, Caroli Borromæi, Pii Papæ V. Franciscæ Romanæ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Desumitur hoc ipsum ex bullis Canonizationum, Sancti videlicet Thomæ Episc. Herfordiensis, (*Constit. 60. pag. 132. eod. Canoniz.*) *Orationi vero insistebat assidue*; S. Ludovici Episcopi Tolosani (*Constit. 56. pag. 123. eod. cod.*) *In Orationibus autem sedulis, & devotis mentem ad Deum elevatam tenuit*; S. Petri Cælestini, (*ibid. Const. 55. pag. 119.*) *Hic beatus vir, jam mortificatis spiritu carnis desideriis, & repressis, summe devotus Deo, orando assidue, animum ad Deum tenuit firmiter elevatum*: S. Philippi Nerii (*Const. 85. pag. 320.*): *Inter cetera, quibus ad hujusmodi Charitatis gradum pervenit Philippus, summum fuit Orationis studium*; S. Cajetani (*Const. 94. pag. 449.*): *Orationi ita additus, ut, quidquid a domesticis negotiis, atque animarum procuranda salute, temporis aut otii superesset, Orationi & meditationi daret*; S. Paschalis Baylon (*Const. 96. pag. 473.*) *Quidquid temporis sibi ex obedientiæ præscripto,.... supererat, totum id Orationi & contemplationi ubique impendebat*. Sed, ut hæc via & ratione explicentur, operæ pretium est nonnulla præmittere.

3. Oratio, quæ dicitur ascensio mentis ad Deum juxta S. Joannem Damascenum, vel collocutio cum Deo juxta S. Basilium, dividitur ex formula in mentalem, & vocalem; in meditativam, & contemplativam, in publicam, & privatam, & demum in Orationem laudis, Orationem gratiarum actionis, & Orationem petitionis.

4. Oratio vocalis ea est, quæ voce exprimitur, ita tamen, ut mens ori conjuncta sit; alioquin, si sine intentione & attentione fieret, Divinæ improbationi esset obnoxia, juxta illud *Matth. cap. 15. v. 8. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me*. Quam ad rem animadvertit S. Augustinus *in Psalm. 118. (serm. 29. num. 1. col. 1353. oper. tom. 4.)*: *Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silente corporis voce, alium quemlibet hominem potest latere, non Deum*. Oratio vero mentalis sine voce sensibili expletur: quilibet enim in semetipso experitur, quomodo omnia, quæ voce profert, intra se dicere valeat sine vocali pronuntiatione.

5. Diximus, hanc mentalem Orationem dividi in meditativam, & contemplativam. Meditativa nihil aliud est, quam cogitatio attenta alicujus mysterii Fidei, vel cujuslibet rei revelatæ, quæ fit ratiocinando, & procedendo de una re in aliam. Meditatur aliquis ex. gr. Christi nativitatem: mente cogitat, quis sit, qui nascitur; & considerat, esse Deum, qui homo factus est, & de hoc miratur; considerat locum, stabulum videlicet, & miratur; considerat tempus, rigidissimam scilicet hiemem, & miratur, considerat nascentis paupertatem, quod vilibus pannis involutus jaceat in præsepe, & miratur; considerat, eum sine offensa materni virginalis pudoris, & sine dolore ex matris ventre prodiisse, & miratur; considerat cetera, quæ in ea contigerunt nativitate, & ex horum omnium consideratione elicit actum amoris erga Christum natum, & in Deum prædicta patrantem.

6. Oratio contemplativa, seu contemplatio definitur a S. Thoma *2. 2. quæst. 180. art. 4. Contemplatio Divinæ veritatis*. Quod ut clare explicetur, ponamus, aliquem legere, vel audire alium legentem hunc Fidei articulum: Filius Dei est Incarnatus. Divinæ Gratiæ auxilio credit, eum esse verum; mente animoque versat Incarnationem, & modum ejus; positoque actu credendi, meditatur & considerat veritatem illam, hoc est Filium Dei esse incarnatum, in ea figens aciem mentis, ipsam simplici actu intuendo; tum huic actui intellectus superaddit actum voluntatis, seu affectus & dilectionis circa eam rem. Unde S. Thomas *2. 2. cit. quæst. 180. art. 1. ad primum argumentum*, in quo contendebatur, contemplationem esse actum solius intellectus, sic respondet: *Ex hoc ipso, quod veritas est finis contemplationis, habet rationem Boni appetibilis & amabilis & delectantis, & secundum hoc pertinet ad vim appetitivam*.

7. Demum publica Oratio ea est, quæ fit a Ministris Ecclesiæ nomine Ecclesiæ: privata, quæ fit a qualibet persona privata, sive pro se, sive pro aliis. Item ex terminis patet, quid sit Oratio laudis, quid gratiarum actionis, quid petitionis. Ad Orationem laudis pertinent nonnulli Psalmi, videlicet *Confitebor tibi Domine &c. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit &c. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium &c.* Ad Orationem gratiarum actionis spectant alii Psalmi, *Laudate pueri Dominum &c. Laudate Dominum de cælis &c. Laudate Dominum omnes gentes &c. Confitemini Domino, quoniam bonus &c.* De Oratione autem petitionis locutus est Christus *Matth. 7. v. 7. Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis*: & *v. 11. Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se*.

8. His præmissis, quæ hausimus ex octo opusculis Cardinalis de Lauræa *de Christiana Oratione*, ad nostrum institutum quod attinet, duo certa sunt. Alterum est, Orationem esse necessariam, ut æternam salutem consequamur, juxta plene collecta in Catholicis institutionibus Francisci Amati Pouget *tom. 2. pag. 613. §. 2. de necessitate Orationis*, & juxta doctrinam D. Thomæ *in 4. d. 15. q. 4. ar. 1. quæstiunc. 3.* ubi ait: *Ad Orationem quilibet tenetur ex hoc ipso, quod tenetur ad bona spiritualia sic procuranda, quæ non nisi divinitus dantur; unde alio modo procurari non possunt, nisi ut ab ipso petantur*: Et *in responsi. ad primum* subjicit: *Amor, qui maxime voluntarius est, necessarius est, si quis velit ad salutis finem pervenire: & hoc modo etiam Oratio necessaria est, & sub præcepto cadens respectu eorum, quorum voluntas sub necessitate prædicta cadit*. Alterum est, de utilitate vocalis Orationis non esse dubitandum, juxta eumdem D. Thomam *2. 2. quæst. 83. art. 12.* ubi docet, utilem esse vocalem Orationem primo ad excitandam interiorem devotionem, secundo, ut homo Deo serviat secundum illud totum, quod ex Deo habet, tertio ob quamdam redundantiam ab anima in corpus, vehementem scilicet affectionem, juxta illud Psalmi *15. v. 9. Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea*. Idem prosequitur ex Dominicana Familia Pater Ildefonsus Manrique in tractatu de Conditionibus Orationis desumpto ex littera S. Thomæ *cap. 1. §. 1. & 2.* De necessitate autem Orationis ita scribit pius Cardinalis Bona in suo tractatu de principiis vitæ Christianæ *cap. 44. part. 1. pag. 43. Tanta est necessitas Orationis, ut Fidei dogma sit, neminem sine illa salutem consequi posse. Quis enim potest Deum vocantem sequi, nisi de novo Gratia adjuvetur? Ejus autem auxilium quis potest sine Oratione promereri? Idcirco docet Scriptura, oportere semper, & sine intermissione orare, quia semper & in omnibus auxilio Dei indigemus. Semper autem orat, qui orandi tempora nullo umquam die prætermisit*.

9. Ea ergo, quæ est inter Theologos disputatio ad hoc reducitur, an adsit præceptum privatæ vocalis Orationis. Nonnulli ex Theologis docent, nullum extare præceptum naturale, neque Divinum, neque Ecclesiasticum Deum orandi Oratione vocali privata, cum præceptum orandi sufficienter adimpleri possit etiam per Orationem mentalem, quemadmodum late probat Suarez *de relig. tom. 2. lib. 3. de Oratione vocali in communi cap. 6.* & videtur esse ex mente D. Thomæ *2. 2. cit. quæst. 83. art. 12.* ubi ait: *Oratio vero singularis est, quæ offertur a singulari persona cujuscumque sive pro se, sive pro aliis orantis; & de hujusmodi Orationis necessitate non est, quod sit vocalis*. At alii ex eisdem Theologis docent, præceptum vocaliter orandi cuilibet Christiano capaci esse impositum, & esse innixum exemplo Christi, & praxi universalis Ecclesiæ, quemadmodum late prosequitur Cardinalis de Lauræa *cit. opusc. 1. de Oratione cap. 7.* cum Christus Dominus pluries vocaliter oraverit, & ab Apostolis rogatus *Luc. 11. v. 1. Doce nos orare*, responderit *Cum oratis, dicite: Pater noster, sanctificetur nomen tuum*: quo in loco absque dubio sermonem habuit de Oratione vocali; *Matth.* quippe *6. v. 7.* inquit: *Orantes autem, nolite multum loqui, sicut Ethnici*; & *v. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis &c.*

10. Verum, utcumque sit de hac controversia, cujus examen ea in re, de qua nunc agitur, superfluum esse videtur, cum percipi non possit, agi de aliquo Dei servo beatificando, aut canonizando, qui, dum viveret, vocaliter non oraverit; satis erit adnotare, non cujuscumque vocalis Orationis in Beatificando, aut Canonizando haberi posse rationem, sed momentum tantum esse constituendum in excellenti & perfecta, ideoque heroica vocali Oratione; pro qua licet attentio sit necessaria quoad verba, quoad sensum verborum, & quoad finem, Deum videlicet, & rem, pro qua oratur, juxta ea quæ late docet D. Thomas *2. 2. cit. quæst. 83. art. 13.* quæ omnia interna sunt, & ab Ecclesia directe cognosci non possunt; perfectio nihilominus & excellentia vocalis Orationis indirecte ab actibus externis hauriri potest, puta ex lacrymis (de quibus infra),

infra), ex corporis compositione, ex loco in quo oratur, ex tempore quo oratur, & orandi assiduitate, quemadmodum explicat Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 5. *c.* 4. quæ Orationis assiduitas non est certo temporis spatio alligata, cum, loquendo de privata vocali Oratione, tantum durare debeat, quantum requiritur ad excitandum interioris desiderii fervorem, juxta illud S. Augustini: *Absit ab Oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si frequens perseverat intentio.* Quod late exornant D. Thomas *loc. cit. art.* 14. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *cap.* 7. Rosignolius *de actionib. virtutis lib.* 2. *cap.* 3.

11. Cohærenter ad hæc, pluribus aliis prætermissis, quæ facile cumulari possent, in vita S. Lucæ junioris Thaumaturgi *ad diem* 7. *Februarii tom.* 2. *cap.* 3. *num.* 28. *pag.* 87. apud Bollandianos hæc habentur ex dicto Discipuli ejusdem desumpta: *Cognovi*, *inquit*, *illum genua solo figentem, ac frontem illidentem terræ. Ad singulas porro genuflexiones publicam illam accinebat vocem. Tunc, velut fervore incalescens, crebriores genuflexiones adhibebat, inque illis durabat, donec, corporis virtute exhausta (neque enim illud pari conatu promptæ spiritus alacritati inservire valebat) supinus corrueret, diuque immotus permaneret. Sed & ita efficax erat, nec pigritiæ indulgebat. Non somno concedebat, sed sursum manus, corporisque pariter, atque animæ oculos habebat, consuetamque illam precationem,* Domine miserere, *tota animi contentione dicebat. Tum post modicam illam corporis remissionem iterum surgens in pedes stabat, seque Orationi ad primam usque diei lucem dabat.*

12. In vita S. Romualdi apud eosdem Bollandianos *cit. tom.* 2. *Februarii ad diem* 7. *cap.* 2. *n.* 7. *pag.* 126. sic legitur: *Vere, quia Pater Sanctus Romualdus sic erat in carne præmortuus, sic a mundo penitus alienus, continue sacris Orationibus, & Divinis laudibus erat occupatus.*

13. In vita S. Pii V. apud eosdem Bollandianos *tom.* 1. *Maji lib.* 6. *num.* 320. *pag.* 697. dicitur: *Erat porro vehementer assiduus in studio sacræ precationis, quod sane cum ceteris omnibus, tum præcipue Pontificibus singulari dicebat esse præsidio. Ac propterea ante lucem in ea exercitatione, statis Sacerdotum precibus recitatis, ita defixus immorari consueverat, ut ad se interpellandum accedentes, nisi vestis tractu sibi restitutus, aliquando vix exaudiret, indeque recedens in Divina raptus sæpenumero videretur esse, neque percunctantibus ad rem satis respondere: quod quidem certo efferveścentis in Deum charitatis, animique Divina patientis erat indicio.* Et num. 321. *Ceterum hanc ipsam orandi rationem gravioribus in rebus conficiendis perpetuo Pius servavit. Litanias præterea, statasque preces in Apostolico palatio coram se, nisi graviter impediretur, ac tota præsente familia, vespertinis horis quotidie pie recitari voluit. Nec interim tamen quidquam de iis, quæ ad officium pertineret suum, prætermittebat. Cogitabat enim, Pontificis munus esse præcipuum, pro delictis ac necessitatibus populi apud Deum intercedere, & propterea familiarem & gratum se oportere esse ei, apud quem intercessor esset constitutus. Itaque ad miscenda cum Deo colloquia a negotiis recurrebat identidem, exemplo Moysis crebro Tabernaculum intrantis & exeuntis, ut intus a Deo disceret, quæ foris populum edoceret, & qui intus contemplatione sapiebatur in Deum, foris hominum onera portans omnium saluti consuleret. Dicere vero solebat, se ad impositum sibi onus egregie sustinendum, sanctarum precum subsidio vehementer indigere; ac propterea & publice, & sacris in cœnobiis, & item a privatis hominibus assidue pro se, reque Christiana publica Deo supplicandum curabat. Beatissimæ Virgini Dei matri ita se devoverat, nullam ut ageret diem, quo, vel dum summus esset Pontifex, tantisque rebus occupatur, sacri quod vocant Rosarii precationem non adhiberet: quem quidem precandi ritum aliis præterea multis, ut diximus, Apostolicæ Indulgentiæ donis cumulavit. Sed pro mortuis, quod sibi magnis in periculis aliquando præsidio fuisse testabatur, pie riteque precari quotidie consueverat.*

14. In vita denique S. Simeonis junioris Stylitæ *cap.* 6. apud Bollandianos *tom.* 5. *Maji num.* 46. *pag.* 324. ejus Oratio sic describitur: *Per integrum pene diem, ad horam scilicet nonam usque, continenti vacabat Orationi; hora autem nona thurificationis officium alia excipiebat Oratio: deinde, sole jam occumbente, aliam denuo exordiebatur, a qua tandem sole diem reducente, desistebat: ac tum demum illud sibi occineas*, In pace in idipsum dormiam, & requiescam; quoniam tu, Domine, singulariter in spe habitare fecisti me, *somnum perinde ac famulum accersebat, indulgebatque illi parcissime ad necessarium duntaxat corporis usum. Oratio autem ejus erant Psalterium totum, & Mosaicæ cantiones, plagaque dextera inflictæ pectori (nam sinistra ad Deum tendebatur) & velut rivuli lacrymarum pannosam detritamque lacernam irrigantes: hanc vero excipiebat lectio, atque meditatio Divinorum oraculorum. Incensum quoque dextera prehensum offerebat sæpe Deo, & fumus (o quis mirabilia Domini annuntiabit?) sine prunis sublime ferebatur: alias vero audiebatur simul psallere cum turba, simulque, Allelaja, subjicere. Longissimo sæpe tempore nihil omnino somni oculis videbat, adeo ut triginta interdum noctes integras, totidemque dies continuaret rogitans Deum, expertem somni vitam ducere. Verum, Gratia intus loquente, arcanum tacitumque responsum accepit: Oportet, aliquantulæ quieti te tradas.*

15. Quia vero Dei Servi, vitæ activæ negotiis occupati, vocali Orationi aliquando vacare non potuerunt tempore, quo id efficere exoptabant, alias horas substituere conati sunt, quamvis minus commodas, ne a solita Oratione vocali cessarent. Exemplum habetur in vita S. Stephani Fundatoris Ordinis Grandimontensis *cap.* 3. apud Bollandum *tom.* 2. *Februar.* (*ad diem* 8. *cap.* 3. *n.* 17. *pag.* 207.): *Exceptis etenim Ecclesiastici Officii regularibus debitis, Agenda videlicet diei, & Beatissimæ Mariæ, ac Fidelium defunctorum, a prima die, qua venit in eremum, usque ad ultimum diem vitæ suæ Ordinem de Sancta Trinitate cum novem lectionibus, & horis Canonicis singulis diebus ac noctibus devotissime celebravit. Psalmodiam vero, & familiares Orationes in tantum amabat, & gratiam illius excellentissimæ contemplationis, in qua Deus melius cognoscitur, tam affluentem habebat, quod nunc hujus dulcedine raptus, nunc illarum occupatione detentus, frequenter biduo, aut triduo a corporali vacabat edulio. Verum, si pro eorum colloquio, quibus, servata charitate, deesse non poterat, ea, quæ orando facere, vel dicere consueverat, statutis horis, sive temporibus quandoque non impleret, differri quidem poterant, non omitti. Postquam enim ab eo qui advenerant, recedebant, quæcumque hora tunc esset, antequam comederet, vel dormiret, omnia, quæ de consuetis Orationibus necessario intermiserat, cum omni devotione restituebat. Unde plerumque usque in crastinum nullum sumebat cibum, Christi Discipulorum imitator verus, qui propter venientes, & redeuntes manducandi spatium non habebant.*

16. Exempla hucusque relata, & alia eis consimilia prodesse possunt his, qui in causis Beatificationis & Canonizationis suffragium præstare debent, ut recte dignoscant, quænam privata vocalis Oratio excellens, perfecta, & heroica, argumento ab actibus externis desumpto, dici possit; nec enim, uti etiam supra dictum est, cujuscumque privatæ vocalis Orationis ea in re ratio haberi debet. Cum autem in Oratione animadvertendum quoque sit, quis oretur; Oratio etenim ad Deum dirigitur, ut ad principalem auctorem Gratiæ, & Gloriæ, & omnium beneficiorum, quæ ad illam conferunt, & uti ad causam primam; ad Sanctos vero dirigitur, ut sint intercessores nostri apud Deum, & pro nobis impetrent, juxta ea, quæ a Nobis dicta sunt *lib.* 1. *cap.* 1. & juxta late deducta per Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. non erit inopportunum hoc in loco controversiam referre in sacrorum rituum Congregatione excitatam, dum munere fungebar Fidei Promotoris, & ex posita incongrua intercessoris invocatione petitam.

17. Dei Serva in ditione Florentina existens, annos nata decem & octo, in privata vocali Oratione se commendaverat Fratri Hieronymo Savonarolæ Dominicanæ familiæ alumno jam defuncto, ut a morbo, quo vexabatur, liberaretur. Ego tamquam Fidei Promotor opposui, eam peccasse: licet enim pro Hieronymo Savonarola editæ fuerint apologiæ a Joanne Francisco Pico Mirandulano, a Marsilio Ficino, & a pluribus aliis, quorum dicta erudite collegit Abraham Bzovius *in annal. tom.* 18. *ad ann.* 1498. *n.* 10. constat nihilominus, & ipsum, & duos ejusdem socios fuisse brachio sæculari traditos, strangulatos laqueo, & flammis exustos in urbe Florentina anno 1498. post editum adversus ipsos processum a Patre Generali Magistro Ordinis Prædicatorum, & a Romolino Episcopo, postea Cardinali Surrentino Judicibus ab Alexandro VI. Pontifice delegatis; ex quo processu quamvis nullatenus constiterit, aut Savonarolam egisse, ut sibi a sociis revelarentur sacramentales Pœnitentium Confessiones, aut eum vitæ impuritate laborasse, prout nonnulli & ante obitum & post obitum ejus ausi sunt asserere; legitimis nihilominus constitit documentis, necnon ipsius Rei confessione, illum Pontificiis non obtemperasse mandatis, audientes e suggestu sæpius concitasse adversus Romanæ Curiæ vitia, se prophetam a

Deo missum dixisse, & alia nonnulla peregisse, de quibus apud Raynaldum *in annal. ad ann.* 1497. *n.* 17. *& seq.* & *ad an.* 1498. *num.* 10. *& plurib. seqq.* & apud Spondanum *in continuat. annal. Card. Baronii ad annum* 1498. *num.* 7. *&* 8.

18. Multa profecto a Postulatoribus allata fuerunt, ut ostenderent, factum nullatenus esse probatum, Dei Servam preces exhibuisse Fratri Hieronymo Savonarolæ jam defuncto; tum ad ulteriora procedentes, & omnibus omissis, quæ pro innocentia Savonarolæ vindicanda a pluribus scripta sunt, dixerunt, eum, dum viveret, sanctitatis fama claruisse, teste Philippo Comineo *in memoriis lib.* 8. *cap.* 2. Hoc ipsum fusius scriptum est a Gotofredo *in observat. ad dictum lib.* 8. *a pag.* 418. *ad pag.* 435. *num.* 2. a Francisco Guicciardino *in hist. Italiæ*, a Scipione Ammirato *in hist. Florentina*, ab Antonio Maria Gratiano *in lib. de casibus virorum illustrium*, a Cardinali Rosensi Joanne Fischerio *oper. part.* 5. a Timotheo Bottono Perusino *in vita Savonarolæ*, a Sixto Senensi *in Bibliotheca*; a Raynaldo demum, & Spondano *locis citatis*: ut interea silentio prætereatur epistola S. Francisci de Paula, de qua *tom.* 2. *vitæ Hieronymi Savonarolæ in additionibus* Joannis Quetif Ordinis Prædicatorum *tom.* 2. *pag.* 531. quæ olim asservabatur in sacrario ecclesiæ S. Cæciliæ Urbis, & modo custoditur in bibliotheca familiæ Chisiæ, quam commentitiam putat Papebrochius, sed uti veram vindicat vir satis eruditus, tunc Episcopus Ravellensis & Scalensis, Joseph Maria Perimezzi *dissert.* 10. *ad vitam S. Francisci de Paula*. Item dixerunt, Savonarolam in communione sanctæ Romanæ Ecclesiæ decessisse, sacra Exomologesi tam ipsum, quam socios humiliter conscientiam expiasse, Eucharistiam recepisse, oblatamque a summo Pontifice Indulgentiam Plenariam in articulo mortis cum gratiarum actione suscepisse, testibus Joanne Pico, Timotheo Bottono *in vita Savonarolæ*, Jacobo Nardo, & Bzovio *ad annum* 1498. *num.* 23. Ex his autem, & aliis intulerunt, potuisse Dei Servam absque peccato privatas preces exhibere Savonarolæ: Ad rem enim, de qua nunc agitur, hoc est ut a peccato excusetur, qui privato cultu aliquem Defunctum, quem putat apud Deum intercessorem, colit & veneratur, satis est, ut maxime probabilis de ejus æterna salute non desit opinio, juxta bene deducta per Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 10. *sub num.* 24.

19. Addiderunt iidem Postulatores, alios quoque & sane cordatos sanctosque viros, hoc ipsum fecisse, quod a Dei Serva factum est, Narrat enim Bzovius ex probatis testibus *ad ann.* 1497. *num.* 19. S. Philippum Nerium Imaginem Savonarolæ in sacrario sui cubiculi radiis in capite circumdatam retinuisse. De eodem quoque S. Philippo Nerio narratur, excitata de doctrina, & libris Savonarolæ tempore Pauli IV. summi Pontificis gravissima controversia, ipsaque magnis animorum motibus agitata tempore summi Pontificis Pii IV. illum preces ad Deum fudisse, ne opera prohiberentur, & ut inconcussa staret eorum doctrina; antequam autem reportatæ victoriæ nuntium adveniret, Deo revelante, victoriam cognovisse, & exclamasse: *Heus, gratias agimus omnes Altissimo. Vicimus, Fratres. Frustra contra Hieronymum, ejusque doctrinam arietarunt Adversarii. Stat inconcussa illa, Sanctissimique Domini nostri judicio comprobata.* Sic enim legitur in ejus vita scripta a Patre Gallonio; in qua, quamvis factum narretur, mentione Hieronymi omissa, re vera tamen revelationem contigisse occasione disputationis, & reportatæ victoriæ de scriptis Savonarolæ, non modo testatur Amplificator vitæ ipsius scriptæ a Pico *cap.* 13. sed etiam referunt testes nonnulli recensiti in processu Canonizationis S. Philippi Nerii.

20. Major Suffragantium numerus, & quidem fere unanimis, vim responsionis agnoscebat & confitebatur: sed, cum æstu disputationis nonnulli abrepti non modo virtutum in vita & in obitu, sed etiam mortis absque legitima causa Savonarolæ & sociis illatæ, licet in transitu, verba facere cœpissent, quod tamen mortis absque sufficienti & legitima causa argumentum non solum erat vero fundamento destitutum, sed etiam aut nihil, aut parum prodesse poterat pro vindicando facto Servæ Dei (pro hac quippe assumptione satis esse poterat & erat, quod Savonarola pie vixisset, in exitu vitæ pœnitentiæ non ambigua signa dedisset, & mortem ea qua debebat Christiana humilitate acceptasset, & in vita & post obitum fama de ejus sanctitate increbuisset) re delata ad san. mem. Benedictum Papam XIII. placuit Sanctitati suæ, postquam omnia summa diligentia & prudentia examinavit, & postquam omnia, quæ utrinque allata fuerant, a me tunc Fidei Promotore fideliter scriptis brevioribus commissa perlegit, ne de justitia, vel injustitia condemnationis Savonarolæ quæstio jam olim excitata, & quasi extincta revivisceret, decretum edidit, in quo, imposito super prece a Dei Serva exhibita Savonarolæ silentio, ita ut ex ea nihil amplius deduci posset pro, vel contra ejus causam, mandavit, ut ad ulteriora in ea procederetur; quod decretum fuit a san. mem. Clemente Papa XII. confirmatum.

21. Absoluta relatione quæstionis in sacrorum rituum Congregatione pertractatæ, reditus fit ad institutum. Succedit itaque privatæ vocali Orationi publica & communis, de qua S. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. ubi hæc habet: *Communis quidem Oratio est, quæ per Ministros Ecclesiæ in persona totius Fidelis populi Dei offertur; & ideo oportet, quod talis Oratio innotescat toti populo, pro quo profertur: quod non posset fieri, nisi esset vocalis: & ideo rationabiliter institutum est, ut Ministri Ecclesiæ hujusmodi Orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire.* Certum est de ea quoad aliquos urgere Ecclesiæ præceptum, uti signanter colligitur ex præcepto Clericis, & Religiosis Professis imposito de Officii Divini recitatione. De hac communi, publica, vocalique prece nihil est, quod in re, de qua nunc agitur, adnotandum esse videatur, cum huic publicæ, communi, vocalique Orationi congrue applicari possint ea, quæ modo dicta sunt de privata vocali prece. Summus Pontifex Clemens Papa V. in bulla Canonizationis S. Petri de Morono, de fervore & excellentia publicæ & communis Orationis vocalis ita locutus est (*Constit.* 55. *pag.* 119.) *Hic Beatus Vir jam mortificatis spiritu carnis desideriis, & repressis, summe devotus Deo, orando, assidue animum ad Deum tenuit firmiter elevatum. Ipse etenim ad Matutinas laudes media nocte surgens, ipsis dictis, legebat Psalterium cum Litania, & Collectis quampluribus, crebris genuflexionibus, & disciplinis duris carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigebat. In aurora vero Missa per ipsum celebrata, iterum devote recipiebat Psalterium, & orare usque ad horam tertiam non cessabat:* quæ eadem leguntur *in bulla Canonizationis Sancti Ludovici Episcopi Tolosani*. Item S. Bonaventura in Legenda S. Francisci *cap.* 10. *pag.* 313. *oper. tom.* 7. hæc habet: *Solitus erat vir Sanctus Horas Canonicas non minus timorate Deo persolvere, quam devote. Nam, licet oculorum, stomachi, splenis, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere, dum psalleret; sed Horas semper erectus, & sine capucio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat.*

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

De mentali Oratione, triplici vita, activa, contemplativa, & mixta, statibus incipientium, proficientium, & perfectorum, & aliis nonnullis ad Orationem vocalem, & mentalem pertinentibus.

1. ETSI nonnulla de mentali Oratione, & de meditatione, & contemplatione in antecedenti capite dicta sint, alia tamen particularia hic subnectenda esse videntur de Oratione mentali, & aliis cum ea connexis, quantum tamen pertinere potest ad causas Beatificationis, & Canonizationis.

2. Præstat Oratio mentalis Orationi vocali: quocirca S. Th. 2. 2. *qu.* 182. *ar.* 2. *ad tertium* scribit: *Quanto autem homo animam suam, vel alterius propinquius Deo conjungit, tanto sacrificium est Deo magis acceptum; unde magis acceptum est Deo, quod aliquis animam suam, & aliorum applicet contemplationi, quam actioni.* Et quidem David *Psalm.* 138. *v.* 14. sic cum Deo loquebatur: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo;* & *v.* 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Psalm.* 62. *v.* 7. *In matutinis meditabor in te. Psalm.* 76. *v.* 13. *Meditabor*

bor

bor in omnibus operibus tuis. Et *Ps.* 118. *v.* 117. *Meditabor in justificationibus tuis*. In superioribus dictum est, necessarium esse omnibus Deum orare. Hoc ipsum modo confirmatur ex sacris Litteris, cum *Eccli.* 18. *v.* 22. legatur: *Non impediaris orare semper*; & *Luc.* 18. *v.* 1. *Oportet semper orare, & non deficere*. De hac porro necessitate orandi sic loquitur S. Joannes Chrysostomus (*homil.* 1. *de precatione pag.* 780. *oper. t.* 2.): *Nam quicumque Deum non precatur, neque Divino colloquio assidue frui cupit, mortuus est, & anima sensuque caret*. Et post multa subjicit *col.* 781. *Et fieri quidem omnino non posse, ut sine precibus vita cum virtute ducatur, perspicuum esse omnibus existimo*. Rursus in superioribus dictum est, disputari inter Theologos, utrum adsit præceptum privatæ vocalis Orationis. Similis autem viget disputatio inter eosdem quoad mentalem Orationem, hoc est meditationem, seu contemplationem. De qua disputatione ut aliqua innuamus, dicimus, non esse pro salute æterna simpliciter necessariam meditationem, & contemplationem. Salvator enim noster interrogatus, *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondit: *Serva mandata*. Et iterum interroganti, quæ essent mandata, reposuit, narrando præcepta secundæ tabulæ tantum: loquebatur enim cum Judæo credente in unum Deum, & Sabbatum sanctificante. Idemque Salvator interrogatus a Legisperito, quod esset mandatum magnum in Lege, *Diliges* (inquit) *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Diliges Proximum tuum, sicut te ipsum &c. In his duobus præceptis tota Lex pendet, & Prophetæ*: asserenti autem, *Hæc servavi ab adolescentia mea: quid adhuc restat?* subjecit: *Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Quod & late explicat Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *c.* 4. & fuse prosequitur Theophilus Raynaudus *tom.* 15. *suorum operum in opere, cui titulus*, Heteroclita spiritualia *pag.* 158. Quocirca apud Hurtadum *in tr. de vero Martyrio digression.* 4. *de Choro Ecclesiastico sect.* 2. *pag.* 304. nota temeritatis inuritur propositioni enuncianti, neminem salvari posse, qui quotidie per aliquod temporis spatium Orationi mentali non vacet.

3. Dicimus item nullum urgere præceptum universale mentalis Orationis, ita ut, universaliter loquendo, præcepto Divino, & naturali orandi Deum bene satisfacere unusquisque possit, orando aut vocaliter, aut mentaliter. Totum id subtiliter explicatur *tom.* 2. *Theolog. mystico-scholast.* Patris Sebastiani a Conceptione Carmelitæ Discalceati Congregationis Hispanæ *disput.* 2. *de principio quoad Divinam contemplationem quæst.* 3. Ab hac tamen regula excipiuntur, quicumque in ea re aut ob speciale votum, quod emiserint, aut ob Religiosum Institutum, cui nomen dederint, gravi aliquo peculiari præcepto obstricti sunt. Sed cum iidem Theologi cujusdam necessitatis, quam appellant *secundum quid*, sæpe mentionem faciant, & res, quæ dicitur necessaria *secundum quid*, non sit absolute requisita ab obtinendum effectum, sed ad melius & facilius obtinendum, loquendo de hoc genere necessitatis *secundum quid*, fatendum erit, meditationem, & contemplationem esse necessarias, & sic sub implicito saltem consilio contineri. Certum quippe est, dari consilium de acquirenda perfectione. *Estote ergo vos perfecti* (ait Christus *in Matth. cap.* 5. *v.* 48.) *sicut & Pater vester cælestis perfectus est*; & Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 12. *v.* 31. ait: *Æmulamini autem charismata meliora*; & in *Apocalypsi cap.* 22. *v.* 11. legitur: *Qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus, sanctificetur adhuc*. Quod si consilium datur acquirendæ perfectionis, implicitum per consequens datur etiam consilium meditationis, & contemplationis, quod Religiosos potissimum respicit, quemadmodum etiam fatetur Hurtadus *loc. cit. pag.* 305. *Verum est, quod Religiosi, etsi respectu illorum non sit præceptum Divinum Orationis mentalis, aut meditationis, majori vinculo adstricti sunt ad illam ratione sui status, qui est Charitatis perfectio, & fervor, ac spiritualis suavitas, & promptitudo in omnibus bonis operibus, & præsertim in his, quæ ad Divinum cultum & pietatem pertinent*.

4. Porro, ut id facilius explicetur, nonnulla sunt prænotanda. Primum est, triplicem esse vitam, activam scilicet, contemplativam, & mixtam; & contemplativam quidem esse activæ præferendam, & demum mixtam esse utraque perfectiorem. Quod autem vita triplex sit, activa, contemplativa, & mixta, patet: qui enim inter Fideles continuo, aut saltem frequenti vacant exercitio operum misericordiæ spiritalis & corporalis, & assiduo virtutum exercitio erga Deum & Proximum, sive opera sint præcepti, sive consilii, vivere dicuntur vita activa; unde Auctor incertus *in tract. de modo bene vivendi* (*cap.* 53. *inter opera S. Bernardi vol.* 2. *col.* 886. *n.* 126.) *Soror carissima, inter activam & contemplativam vitam maxima est differentia. Activa vita est, panem esurienti dare, verbum sapientiæ Proximos docere, errantem corrigere, ad viam humilitatis superbientem reducere, discordantes ad concordiam revocare, infirmos visitare, mortuos sepelire, captivos & in carcere positos redimere, quæ singulis quibuscumque expediat dispensare, necessaria unicuique providere*. Illi, qui continuæ, aut saltem frequenti Dei ac Divinorum, & omnium rerum revelatarum considerationi vacant, prædìti Charitate cum totali abdicatione sæculi, puritate cordis, & passionum subjectione, vivere dicuntur vita contemplativa, uti prosequitur idem Auctor *loc. supra cit. Contemplativa vita est, Charitatem Dei & Proximi tota mente retinere, ab exteriori actione requiescere, soli desiderio Conditoris inhærere: ita ut jam nihil agere libeat, sed, despectis omnibus curis sæculi, ad videndum faciem sui Creatoris animæ inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis optare hymnidicis Angelorum choris interesse, appetere admisceri cælestibus civibus, de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere*. Illi demum, qui ea peragunt, quæ modo dicta sunt, quique modo in activa vita, modo in contemplativa se exercent, vivere dicuntur vita mixta; quocirca idem *n.* 128. sic prosequitur: *Viri sancti, sicut aliquando egrediuntur a secreto contemplationis ad activam vitam, ita rursus ab activa vita revertuntur ad secretum intimæ contemplationis, ut intus Deum laudent, ubi acceperunt, ut de foris ad ejus gloriam operentur. Sicut Deus vult, ut aliquando contemplativi egrediantur ad activam vitam, ut aliis proficiant; ita aliquando vult, ut nemo eos inquietet, sed ut quiescant in secreto contemplationis suavissimæ*. Hoc autem est, quod dicitur *in Canticis*: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, nec evigilare faciatis animam Divinæ contemplationi deditam, Orationibus, & Divinis lectionibus occupatam*. Item, vitam contemplativam perfectiorem esse activa, desumitur ex S. Gregorio *in Ezechielem* (*lib.* 2. *homil.* 2. *num.* 9. *col.* 1324. *oper. tom.* 1.) ubi respiciens ad oraculum Christi *Luc.* 10. *vers.* 42. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, hæc habet: *Bene has utrasque vitas duæ illæ mulieres signaverunt, Martha videlicet, & Maria, quarum una satagebat circa frequens ministerium, alia vero sedebat ad pedes Domini, & audiebat verba de ore ejus*; &, dum Martha quereretur, Dominus dicit: *Maria autem optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea . . . Neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam, ut etiam pars Marthæ indicaretur bona*. Plura a S. Thoma afferuntur, ut probet, contemplativam vitam activa perfectiorem esse, uti videri potest 2. 2. *quæst.* 182. *art.* 1. *in corpore*. Ex sacris Litteris desumi posse videtur, Petrum plus ceteris amasse Christum, at Joannem plus ceteris a Christo amatum fuisse: quocirca S. Aug. *in Joan. tr.* 124. *n.* 4. *col.* 820. *oper. t.* 3. scribit: *Illud etiam in his duobus Apostolis Petro, & Joanne quem non moveat ad quærendum, cur Joannem plus dilexerit Dominus, cum ipsum Dominum plus dilexerit Petrus? Ubicumque enim se commemorat Joannes, ut nomine suo tacito ipse possit intelligi, hoc addit, quod* Eum diligebat Jesus, *quasi solum diligeret, ut hoc signo discerneretur a ceteris, quos utique omnes diligebat. Quid ergo, nisi amplius se se dilectum, cum hoc diceret, volebat intelligi?* Quæstionem autem solvit idem S. Augustinus, cujus responsum D. Thomas 1. *part. qu.* 20. *art.* 4. *ad tertium* paucis complectitur: *Vita activa, quæ significatur per Petrum, plus diligit Deum, quam vita contemplativa, quæ significatur per Joannem; quia magis sentit præsentis vitæ angustias, & æstuantius ab eis liberari desiderat, & ad Deum ire. Contemplativam vero vitam Deus plus diligit, quia magis eam conservat; non enim finitur simul cum vita corporis, sicut vita activa*. Quod denique vita mixta ex contemplativa, & activa sit perfectior utraque, facile suadetur, tum quia si utraque bona est & perfecta singillatim sumpta, perfectior erit illa, quæ ex utraque componitur; tum quia Christus Dominus, Magister & Doctor noster, virtutum omnium exemplar ac prototypum, in utraque vita se perfectissime voluit exercere, quod ipsum præstitum fuit ab Apostolis, & subinde ab aliis Sanctis. Quare S. Augustinus *de civit. Dei lib.* 19. *c.* 19. *col.* 563. *oper. t.* 7. primo dicit: *Ex tribus vero illis vitæ generibus, otioso, actuoso, & ex utroque composito, quamvis, salva Fide, quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, & ad sempiterna præmia pervenire, interest tamen, quid amore teneat veritatis, quid officio Charitatis impendat. Nec sic quisque debet esse otiosus,*

ut in

ut in eodem otio utilitatem non cogitet Proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. Deinde declarans illud Apostoli, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, pluribus docet, Episcopum, qui est in statu perfectionis exercendæ, debere pro opportunitate modo vitæ activæ, modo contemplativæ, & sic mixtæ vacare. De hac mixta vita hæc leguntur in bulla Canonizationis S. Cajetani (94. *pag.* 446. *cod. Canoniz.*): *Orationi ita addictus erat, ut quidquid a domesticis negotiis, atque animarum procuranda salute, temporis aut otii superesset, orationi & meditationi daret; mane matutinas preces maturius auteverteus, ac vespere ad multam noctem orans ante aram maximam elevata in Deum mente transigeret*. S. Gregorius Nazianzenus carmen composuit de vita sua, quod in solutam orationem versum a Daniele Cardono editum est apud Bollandianos *tom.* 2. *ad diem* 9. *Maji*, ubi *c.* 2. *pag.* 432. exponitur, eum de instituenda vita deliberantem, modo de bonis activæ, modo de bonis vitæ contemplativæ sedulo cogitasse, & tandem mixtam elegisse: *Hæc omnia cum attentius mecum cogitarem, mediam inter solitarios, & Actionibus deditos viam tenendam statui, ut, quam hi ex contemplatione, & illi ex actione utilitatem capiunt, ego quoque ipse consequerer.*

5. Secundo prænotandum est, apud Theologos de Oratione tractantes sæpe sermonem haberi eorum qui sunt in statu incipientium, aliorum qui sunt in statu proficientium, & aliorum qui sunt in statu perfectorum, necnon triplicis viæ, purgativæ (ut eam vocant), illuminativæ, & unitivæ. Quocirca inter ceteras propositiones Michaelis de Molinos proscriptas a san. mem. Innocentio XI. vigesima sexta est hæc: *Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica*. In statu incipientium sunt, qui justificationem obtinuerunt, sed passiones non habent ita moderatas, ut facile superare possint tentationes, ita ut continua indigeant pugna ad conservandam & exercendam Charitatem, vel alias virtutes, sine quibus ipsa esse non potest: & ad hunc statum pertinet via purgativa, quæ per se tendit ad disponendam animam tum ad justificationem a peccatis præteritis, & ad satisfaciendum pro illis, tum ad præservationem a futuris. Illi sunt in statu proficientium, qui passiones redactas habent ad aliquam moderationem, ita ut peccatis mortalibus facile abstineant, sed difficile peccata venialia evitent, cum temporalia eos multum delectent, & mens variis phantasmatibus, & cor multis desideriis agitetur: & ad hos pertinet via illuminativa, quæ per se tendit ad profectum virtutum, & majorem passionum moderationem, quæ non solum in gravioribus peccatis vitandis, sed etiam in levioribus minuendis, & in moralibus virtutibus exercendis præbeat facilitatem. In statu denique perfectorum sunt, qui animum habent a temporalibus omnibus ita abstractum, ut pace fruentes, nec variis desideriis agitentur, nec passionibus ut plurimum moveantur, sed in Deum sint principaliter intenti, & aut semper, aut frequenter attenti: & ad hos pertinet via unitiva, quæ præcipue occupatur in unione cum Deo per amorem ex actuali usu & exercitio illius. Fuse hæc explicat Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *de Oratione cap.* 11. *num.* 3. & clare desumuntur ex Doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 24. *art.* 9. *Primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium Charitatis movent: & hoc pertinet ad incipientes, in quibus Charitas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat: & hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis Charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, & eo fruatur: & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo*. Eadem repetit S. Doctor *in respons. ad tertium*.

6. Tertio prænotandum est, per meditationem utique acquiri aliquam conjunctionem cum Deo, consentaneam tamen conditioni, & qualitati meditantis, qui, si sæpius de Deo cogitet, & actus amoris erga eum eliciat, habitum acquirere potest meditandi, de Deo cogitandi, & eum diligendi, ita ut facile & prompte sine intermissione de Deo cogitet, & eum diligat, & sic conjunctionem cum Deo acquirat, juxta illud Christi Domini *Joan.* 14. *v.* 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; sed per contemplationem perfecti contemplativi acquirunt unionem cum Deo ita perfectam, ut in hac vita perfectior dari non possit. Unio hæc autem dicitur *mystica*, id est secreta, præstantissima, & supernaturalis: & de ea loquitur S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 11. ubi eam variis exemplis explicare conatur: *Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino a se tota deficere videtur, dum & saporem vini induit & colorem, & quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimum fit pristina propriaque forma exutum, & quomodo Solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non jam illuminatus, sed lumen ipsum esse videatur; sic omnem tunc* (id est, eo tempore, quo anima Deo est intime unita) *in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a se ipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem*. Perfecta hæc mystica unio reperitur regulariter in perfecto contemplativo, qui in vita purgativa, & illuminativa, id est meditativa, & contemplativa diu exercitatus ex speciali Dei favore ad infusam contemplativam evectus est. Facit hæc unio unum unitate spiritus inter Deum, & animam, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 6. *v.* 16. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*; & *v.* 17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*. Ex parte animæ causæ morales & proximæ unionis duæ sunt, perfecta videlicet contemplatio, & perfecta Charitas, sive amor Dei, juxta D. Thom. *in* 3. *part. quæst.* 6. *art.* 6. *ad primam*: *Unio nostra ad Deum est per operationem, in quantum scilicet eum cognoscimus, & amamus*; Et *in* 3. *sent. dist.* 2. *quæst.* 1. *ar.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad tertium*: *Conjunctio animæ ad Deum per fruitionem consistit in operatione intellectus, & voluntatis*. Ex parte vero Dei, causa proxima unionis est influxus in animam contemplantem, qua se illi ostendit speciali modo in caligine per dona Spiritus Sancti, illuminans intellectum ad se sublimiori modo cognoscendum, & inflammans voluntatem ad se ardentiori modo amandum, & simul animam illam amans. De hac sublimi unione hæc leguntur in bulla Canonizationis S. Rosæ Limanæ (62. *cod. Canoniz. pag.* 409.); *Anno ætatis suæ duodecimo elevata fuit ad sublimem illum contemplandi gradum, quem mystica Theologia unitivum appellat. Inter manuales labores intellectus aciem immobiliter in Deum figebat, ita ut nec in vigilia, nec in somno mentis ejus oculo cælestis Sponsi elaberetur præsentia, quæ ita suaviter occupabat interiores animæ illius vires, ut loquendo cum ipso Deo intus, simul etiam alia quæque necessaria expedite foris pertractaret*.

7. Quarto prænotandum est, duplicem a Mysticis speciem contemplationis assignari, acquisitam videlicet, & infusam; & contemplationem infusam appellari mysticam Theologiam, desponsationem animæ cum Deo, osculum Dei, ingressum animæ in Divinam caliginem, silentium, & otium, *liquefactionem* animæ, *annihilationem*, *experimentalem* Dei cognitionem habitam de Deo per amoris unitivi complexum. Definitur contemplatio infusa, & supernaturalis, seu potius describitur sequentibus verbis: *Simplex intellectualis intuitus cum sapida dilectione Divinorum, aliorumque revelatorum, procedens a Deo speciali modo applicante intellectum ad intuendum, & voluntatem ad intelligendum ea revelata, & concurrente ad eos actus per dona Spiritus Sancti, Intellectum, & Sapientiam, cum magna illustratione intellectus, & inflammatione voluntatis*. Donum quippe Intellectus, & donum Sapientiæ sunt dona Spiritus Sancti, quorum primum consistit in lumine quodam, quo intellectus Fide præditus res a Deo revelatas ita intelligit, ut quasi clare & sine obscuritate eas intueatur; alteram autem consistit in qualitate quadam infusa, per quam anima intuens objectum revelatum, saporem gustat dulcissimum & suavissimum ex veritate illa cognita, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 8. *art.* 1. ubi de dono Intellectus ait, *Proprium esse doni Intellectus cognoscere supernaturalia, quæ latent in revelatis; quemadmodum humani intellectus proprium est sub accidentibus cognoscere naturam rei substantialis, sub verbis significata verborum, sub similitudinibus & figuris figuratam veritatem*; Et *part.* 1. *quæst.* 43. *art.* 5. *ad secundum*, ubi de dono Sapientiæ scribit: *Hæc proprie dicitur Sapientia, quasi sapida scientia*, secundum illud *Ecclesiastici* 6. *v.* 23. *Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est ejus*. Utrumque concurrit ad hanc contemplationem, & facit, ut objectum a Deo revelatum clarius cognoscatur, & suavius ac dulcius ametur. Theologi docent, in pluribus convenire contemplationem infusam, & acquisitam, & in pluribus differre: convenire quidem in aliquibus subjectorum dispositionibus, cum utrique contemplantes debeant esse exercitati in virtutibus moralibus, & in via purgativa;

&

& in utrisque requiratur cordis munditia, seu status Gratiæ, impulsus Charitatis, auxilium Dei efficaciter vocantis & adjuvantis: differre vero, cum insusa (regulariter loquendo) requirat in subjecto contemplante multo plures dispositiones, quam acquisita, ut videlicet per viam purgativam non modo transierit, sed etiam multo tempore in ea se exercuerit, & per omnium virtutum moralium exercitium sensum rationi subjecerit: cum deinde in acquisita homo multo labore, & summa cum difficultate, præviaque lectione, vel contemplatione, in meditatione alicujus objecti revelati abstrahat se a cogitatione aliarum rerum, ut quod revelatum est, intueatur & amet; at in infusa homo legens, vel cogitans, aut meditans aliquod objectum revelatum sine suo labore, aut studio, abjectis omnibus aliarum rerum cogitationibus, a Deo elevetur ad intuitum, amorem, & dilectionem objecti revelati; præterea cum per acquisitam non agnoscantur alia objecta, nisi ea, quæ antea per Fidem erant credita; per infusam vero Deus non solum ea ostendat, quæ antea fuerant credita, sed vel ea ostendat cum novis circumstantiis & perfectionibus, vel nova objecta revelet, novas eorum species infundendo: cum denique in acquisita raro accidat ecstasis, seu perfecta alienatio a sensibus, ea autem sæpe accidat in infusa, & post actum contemplationis acquisitæ possit homo recordari eorum, quæ contemplatus est, & aliis narrare; sed post actum infusæ, qui eam habuit, raro recordetur eorum quæ vidit, uti testantur B. Angela de Fulgineo, S. Teresia, SS. Petrus de Alcantara, & Joannes de Cruce. Denique sæpe memorati Theologi docent, infusam contemplationem interdum concedi perfectis, interdum non perfectis: conceditur enim aliquando incipientibus, & proficientibus, qui utique perfecti non sunt; unde ait S. Gregorius (*lib.* 2. *homil.* 5. *in Ezechiel. n.* 19. *col.* 1361. *oper. t.* 1.): *Non enim contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur; sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est Fidelium officium, a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest.* Et paulo post: *Nemo ex hac gratia, quasi de singularitate, glorietur, nullus se donum veri luminis existimet habere privatum, quia in eo, quod se habere præcipuum putat, sæpe alter est ditior, quam habere apud se boni aliquid non putabat.*

8. Hæc a Nobis relata sunt atque desumpta ex opere supra citato Cardinalis de Lauræa, cum nullum alium invenerimus, qui materiam Orationis, clarius, subtilius, & tutius explicaverit. Relata autem sunt, non animo tractandi ex professo de Oratione, non animo hic agendi ex professo de contemplativis, non animo denique statuendi solos contemplativos in Beatorum & Sanctorum album esse referendos, tum quia in superioribus jam nonnulla adnotavimus de perfectione vitæ activæ; tum quia scimus, plerosque Beatorum & Sanctorum catalogo fuisse adscriptos, qui nullatenus fuerunt contemplativi, ut adnotavit idem Cardinalis de Lauræa *de Oratione opusc.* 7. *cap.* 2. *Licet contemplativa juxta Salvatoris oraculum sit optima, & ideo perfectior, quam activa, non propterea in hac sola consistit Christiana perfectio; rarissimi namque contemplationi vacant, & maxime infusæ, at notorium est, innumeri vero meditationi; & tamen complures perfectos experimur canonizari, licet in processibus pro eis factis de infusa contemplatione non fiat mentio, sed de aliis virtutibus in gradu heroico, & de miraculis fiat constans probatio.* Sed modo relata eo animo a Nobis scripta sunt, ut Consultores Congregationis sacrorum rituum aliquid compendiosum præ oculis habere possint ad meditationem & contemplationem pertinens, cum sermo de meditatione & contemplatione non solum se offerat in causis Servorum Dei contemplativorum, sed etiam in causis aliorum, qui non fuerunt contemplativi; contemplari enim ad actum refertur, & esse contemplativum notat habitum & statum, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 1. *ad quintum*, ubi sic loquitur: *Religiosi quamvis dici possint communiter omnes, qui Deum colunt, specialiter tamen religiosi dicuntur, qui totam vitam suam Divino cultui dedicant a mundanis negotiis se abstrahentes. Sicut etiam contemplativi dicuntur, non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant.*

9. Examen Confessariorum, & Directorum spiritualium (quod alibi utile diximus) in hisce causis prodesse utique maximopere poterit, ut dignoscatur, an Dei servi meditationi & contemplationi vacaverint, quales fuerint ipsorum meditationes & contemplationes, qualem fructum ex eis hauserint, an, & quæ in eis obtigerint visiones & revelationes, de quibus suo loco tractabitur. Hoc ipsum haberi poterit ex scriptis ipsorum Dei servorum, si suorum Superiorum jussu ea scriptis mandaverint, quæ ad suas meditationes, contemplationes, visiones, & revelationes pertinent: & ex his omnibus deprehendi poterit, an fuerint assidui in meditando & contemplando, quomodo in distractionibus & ariditatibus se gesserint (de quibus infra), cum sint communia etiam contemplativis. Desumuntur hæc omnia ex secunda relatione Rotæ Auditorum de virtutibus S. Teresiæ *ar.* 21. §. 1. *Quod si velimus a testibus fide dignis petere, habemus ipsiusmet Beatæ testimonium in iis, quæ de sua propria Oratione, & Contemplatione Divina in suis libris scripta reliquit. Frequentissima enim ejus mentis suspensio, altissima quies, arctissima unio, creberrimi raptus, intimæ charitatis vulnera, vehementissimi amoris impetus, suavissima Dei colloquia, tenerrima blandimenta, quibus ipsius Scripta respersa sunt, sublimitatem Orationis procul dubio Angelicæ, atque ad alios erudiendos absolutissimam peritiam cælitus infusam facile demonstrant. Habemus etiam testes majores omni exceptione, & de hac re optime per diversa temporum curricula instructos, nempe graves, doctos, spirituales, & pios, quorum plures Confessarii ejusdem Beatæ, & inter illos aliquos dignissimos Antistites, quos non semel in ista relatione nominavimus, qui super hoc articulo optime & latissime deponunt, quibus ipsa suam Orationem, gradus, & effectus illius, gratias & favores Divinos, & statum, ad quem, medio Orationis studio, ascenderat, fidelissime pro majori animæ suæ securitate & directione semper communicare curavit. Qui omnes, facto periculo de spiritu ac doctrina librorum hujus sanctæ Virginis, eam non immerito quasi spiritualis doctrinæ Magistram a Deo optimo maximo Ecclesiæ suæ datam fuisse affirmant, ut jam supra ar.* 2. *diximus.* Deficientibus vero hisce probationibus, cum judicium desumendum sit ab externis, primum desumi potest ab ecstasibus, & raptibus, si forte contingant, de quibus alibi: *Suspendebatur multoties* (verba sunt S. Bonaventuræ in Legenda S. Francisci *c.* 10. *pag.* 312. *oper. tom.* 7.) *tanto contemplationis excessu, ut supra semetipsum raptus, & ultrahumanum sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exterius, ignoraret. Transiens namque semel per Burgum Sancti Sepulcri castrum atque populosum, pro debilitate corporis subvectus asello, obvias habuit turbas in eum præ devotione ruentes: tractus autem, & detentus ab eis, compressus quoque, ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, &, velut exanime corpus, de his, quæ fiebant circa ipsum, nihil penitus advertebat. Unde, cum, jamdiu transito castro, turbisque relictis, pervenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliunde rediens cælestium contemplator sollicite requisivit, quando propinquarent ad Burgum.* Desumendum erit etiam judicium a tempore, quo Dei Servi permanent in Oratione meditando, & contemplando. Sane mentalis Oratio, sive meditativa sit, sive contemplativa, diu durare non solet, attenta imperfectione præsentis vitæ; unde, cum *Apocal.* 8. *v.* 1. legatur, *Factum est silentium in cælo quasi media hora*, Sanctus Gregorius (*loc. cit. homil.* 2. *num.* 14. *col.* 1327.) sic ait: *Cælum quippe est anima justi, sicut per Prophetam Dominus dicit*, Cælum mihi sedes est, & Cæli enarrant gloriam Dei. *Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo, quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed, quia hæc quies mentis esse in hac vita perfecta non potest, nequaquam hora integra factum in cælo silentium dicitur, sed quasi media hora, ut neque ipsa media hora plene sentiatur, cum præmittitur quasi, quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, & confusus cæcatur.* Hæc tamen, & similia intelligi debent (regulariter loquendo) de meditatione & contemplatione acquisita, quæ non protrahitur nisi ex speciali Dei favore ad tempus longius: at contemplatio infusa, quæ non est obnoxia impedimentis terrenarum cogitationum, tamdiu durat, quamdiu a Deo conservatur, uti bene explicat Cardinalis de Lauræa *opusc.* 2. *cap.* 12. & *opusc.* 6. *cap.* 10. *de Oratione*. Quapropter in bulla Canonizationis S. Ludovici Bertrandi 93. *pag.* 443. *cod. Canoniz.* hæc habentur: *Inter cetera, quibus ad sublimem perfectionis gradum pervenit, summum fuit Orationi mentali per quatuor integras horas quotidie vacare, Dominicæ Passionis mysteria magno cum fervore, & mentis jubilo recolendo. His post meridiem contemplandis Beatissimæ*

me Virginis gaudiie dimidiam boram addebat. In bulla Canonizationis S. Paschalis de Baylon 96. *pag.* 473. *ejusd. cod.* sic legitur: *Pervigil semper nocte intempesta, nocturnis horis aderat; & , quamvis perpetuis laboribus atque afflictionibus fatigatur, & pene fractus, non nisi post auroram revertebatur in cellulam, toto eo tempore in Choro, vel ecclesia inter medicandi delicius traducto*. In relatione causæ S. Francisci Xaverii *tit. de orandi studio* hæc exponuntur: *En assiduitate & sedulitate orandi insigne plane in eo Orationis donum convincitur; nullis enim difficultatibus adeo premebatur, quin semper & ubique secum, & cum Deo habitaret; non locus ullus, non tempus, non frequentia ad id importuna; nullæ erant occupationes, nulla tam ardua negotia, quæ illum ab hoc retraherent, aut avocarent. Ergo quotidie statum tempus habebat per certum spatium orandi, & meditandi, quod numquam intermittebat, nisi extrema necessitate compulsus: & hoc a se religiose servatum ut a suis quoque servaretur, severe exigebat, ut constat ex Epistola illius relata in Vita lib. 6. cap. 13. Quod si aliqua de causa tempus illud definitum defluxisset occupatione, qua declinari non posset interceptum, aliud pro illo reponebat, & , cum aliter non poterat, nocturnæ quieti subtrahebat, & hoc ex more, & certa lege servatum: subinde autem aliquando noctes integras in oratione transigebat, vel illarum partem majorem, & , cum facultas erat, ob id se in sacras ædes conferebat*. In processibus causæ Sancti Aloysii Gonzagæ legitur, eum per integras noctes in Oratione permansisse; & in bulla Canonizationis Sancti Petri de Alcantara 90. *pag.* 382. *cod. Canoniz.* sic narratur: *Pro quovis praconio sufficeret referre illa, quæ de hoc viro sanctissimo dixit sanctissima pariter virgo Teresia Carmelitarum Reformatorum parens, videlicet, nu momento quidem diei ac noctis Petrum ab Oratione cessasse; & , ne somnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tandem indulgere cogebatur, ad ligni stipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Teresia teste, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat, adeoque depressa erat, ut flexis genibus, & curvis semper humeris in illa hærere cogeretur*.

10. Aliæ quoque externæ circumstantiæ debita animadversione dignæ videntur, puta, si Dei Servus orando vultum ostenderit tamquam flamma accensum: quocirca Venerabilis Dei Servus Cardinalis Bellarminus, qui testis fuit in causa Canonizationis Sancti Aloysii Gonzagæ, sic locutus est: *Io l' ho visto spesse volte infiammato nel volto, e credo, che nascesse dal fuoco dell' amor Divino, che gli ardeva nel cuore ec. Questa era la comune opinione ec. de' Padri spirituali, e questa causa assegnavano di tali infiammazioni*. Item si mens Dei Servi adeo fuerit orando in Deum elevata, ut in oratione perstiterit media hieme, absque eo quod frigore, quo ceteri omnes affligebantur, affligeretur. De eodem S. Aloysio Gonzaga refert Pater Hieronymus Platus ejus Confessarius in vita, quam de eo scripsit, illum de nocte surgere ad orandum consuevisse, cum sola linea veste; &, cum frigore totus tremeret, & eo Orationem intertuebari vidisset, *rem* (inquit) *illum aggressus est, quam etiam Dei gratia consecutus fuit, quasi enim turpe reputaret corpori & carni ulla in re cedere, instituit prius attentioni spiritus augendæ. Itaque, gelante jam corpusculo, ac præsertim pedibus, ipse tamen in Oratione sine ullo algoris sensu perdurabat, idque singulis noctibus facere perrexit*. De lacrymis tum in Oratione vocali, tum in mentali habenda est ratio. In vitis Patrum collectis a Rosweydo *lib.* 10. *cap.* 41. *pag.* 867. in vita Abbatis Pauli Nazarbensis sic legitur: *Neminem vero memini me umquam vidisse tanta consolationis, ac lacrymarum gratia ornatum. Stillabant enim ex oculis ejus jugiter lacrymæ*. Et in vita Abbatis Thallelæi Cilicis *cap.* 59. *pag.* 872. narratur, eum sexaginta annos transegisse in vita monastica numquam flere desistentem, cum jugiter diceret: *Tempus hoc nobis ad pænitentiam indultum est, & valde requiretur a nobis, si illud neglexerimus*. In vita S. Laurentii Justiniani scripta a Bernardo Justiniano *cap.* 7. *in principio operum ejusdem Sancti*, sic habetur de dono lacrymarum: *Donum enim habuit lacrymarum, ut nemo fere alius, cum post prandium aliquando sederet, & de Divinis (ut solebat) sermonem haberet familiarem, conversus ad eos qui aderant, ferventiori quodam mentis affectu, Quid (inquit) agam, Fratres, quid agam, cum ad Judicem deducar? Quid egi miser, in quo sperare possim? Nihil habeo, nisi quod ad illius sanctissimi Ligni radicem provolvar, & plangam. Hæc cum dixisset, totus solutus in lacrymas est, quas cum profusius emisisset, & orectus vidisset, nos, qui aderamus, compungi, & illas lacrymas admirari, veritus, ne quidex his laudis humanæ surriperet, Videtisne (inquit) has lacrymas? Affectus cujusdam sensualitatis fuerunt, non veræ devotionis, a qua absum longissime*. In vita S. Thomæ Aquinatis apud Bollandianos *tom.* 1. *Martii cap.* 6. *pag.* 669. *num.* 30. sic legitur: *Visus fuit etiam frequenter, cum cantaretur ille versus in Completorio Quadragesimale tempore*, Ne projicias nos in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, *quasi raptus, & in Oratione absorptus multis perfundi lacrymis quas de oculis videbatur educere pia mentis*: & paulo post *num.* 31. *Nam, quoties studere voluit, disputare, legere, scribere, vel dictare, prius ad Orationis secretum accedens profusis orabat lacrymis, pro Divinis inveniendis in veritate secretis, cujus Orationis merito, sicut de quæsitis ante Orationem accedebat dubius, sic postmodum redibat edoctus*. De Sancto Puppone Abbate sic legitur apud Bollandum (*tom.* 2. *ad diem* 25. *Januarii cap.* 14. *num.* 58. *pag.* 650.): *Desiderii* (sermo est de desiderio lacrymarum) *sui compos non post modicum effectus, tantam compunctionis a Deo gratiam est adeptus, ut eo, quo sæpe genu centies flexo die & nocte Orationi incumbebat, omne lacrymis inundare pavimentum dederit. In celebratione proinde Missarum Casubulam, qua induebatur, lacrymis humectabat, interque prandendum magis lectione, quam comestione pasci amabat, & vere pro lacrymis, quas inde fundere solebat, cum Psalmista dicere habebat: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. De S. Francisco narrat S. Bonaventura in ejus vita, eum, orando, ita lacrymatum fuisse, ut oculi jam caligarent non senectute, sed lacrymis: *Vir autem Dei* (uti refert idem S. Bonaventura *cap.* 10. *pag.* 312. *oper. tom.* 7.) *solitarius remanens & pacatus nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, & , quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo*. Antiqui item & novi Testamenti suppetunt exempla. In novo adest exemplum Magdalenæ, de qua *Lucæ* 7. In veteri David *Psalm.* 6. *v.* 7. lacrymans orabat: *Lacrymis meis stratum meum rigabo*; & Psalm. 55. v. 9. *Posuisti lacrymas meas in conspectu suo*. Judith (*cap.* 8. *v.* 17.) ad orandum cum lacrymis hortata est populum in obsidione Bethuliæ: *Dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam*. Ezechias in magna illa obsidione Jerusalem cilicio indutus cum lacrymis orans exauditus est. Denique de lacrymis S. Petri sic fatur S. Maximus Taurinensis *hom.* 3. (*Bibl. PP. tom.* 6. *pag.* 23.): *Petrus prorupit ad lacrymas nihil voce precatus. Invenio enim quod fleverit; non invenio, quid dixerit &c. Recte plane, Petrus flevit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari, & quod defendi non potest .... Lacrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces sunt, veniam non postulant, & merentur, causam non dicunt, & misericordiam consequuntur*.

11. Agunt Ascetici de dono lacrymarum, & docent, momentum non in ipsis lacrymis, sed in earum fine esse constituendum; & cavenda esse duo extrema, alterum complacentiæ & arrogantiæ, ne lacrymans in lacrymis sibi nimis complaceat, alterum pusillanimitatis & diffidentiæ, ne forte putet, actum esse de salute & prælectione sua, si illæ desint. Legatur Cardinalis Bona in egregio tractatu *de discretione spirituum cap.* 7. *in fine*. Abbas Blosius *in speculo Monachorum pag.* 663. *divisione* 5. *numer.* 5. ait, modum esse in lacrymis adhibendum, ne spiritus obruatur, sed aliquos esse, qui, adjuvante Spiritu Sancto, jugiter lacrymari possunt: *Bonus & dulcis est panis lacrymarum: aliqui tamen eo pane mentem nonnunquam obruunt magis, quam reficiunt. Fletibus enim tamdiu, & in tanta constrictione atque agitatione insistunt, donec & spiritu & corpore sub exercitio nimis extenso, aut intenso succumbant. Non tamen negamus, aliquos esse, qui per discretionem & Spiritus Sancti adjutorium diu utiliterque lacrymari possint*. Stephanus Tornacensis *epist.* 176. *pag.* 39. *Bibliotb. Patrum tom.* 25. recte ait: *In Oratione lacrymæ spontaneæ ne rejiciantur spontanee, ne cogantur invitæ*. Item jubet, ne sint spectaculo hominum: *Si fuerint orantis lacrymæ spectacula hominum, erunt offendicula, vel ridicula Angelorum*. Plura prosequitur Joannes Climacus *in scala paradisi gradu septimo*, & multa quoque de lacrymis collecta legi possunt apud Theophilum Raynaudum *in Heracliticis spiritualibus tom.* 15. *pag.* 151. & ex supra deductis, & aliis, quæ apud citatos Auctores cumulata sunt, unusquisque facile percipere poterit, non procuratum, nec affectatum lacrymarum profluvium, Orationis sive vocalis, sive mentalis, non qualiscunque, sed excellentis, externum esse signum & argumen-

mentum. Quapropter S. Laurentius Justinianus *de casto connubio Verbi, & animæ cap. 18. pag.* 280. ita scribit: *Hæc, & his similia ingeminans* (sermo est de anima arcte Deo conjuncta) *charitatis lacrymas ubertim emittit, quia non valet esse, ubi, quem diligit, esse novit. Præmittit ad illum gemitus ac suspiria amoris testes &c. Hæc nempe sunt spiritualia Sponsæ exercitia, cum dilectionis Verbi erga se memoria tangitur.* Videatur Ven. Dei Servus Ludovicus a Ponte Societatis Jesu, cujus Beatificationis causa jam est introducta, in opere, cui titulus *Guida spirituale*, ex Hispano in Italicum idioma translato, & variis sacræ Scripturæ locis locupletato a pio quondam Præsule Alexandro Sperello *tract.* 1. *de lacrymis cap.* 17.

12. Aliquando demum Deus ipse, qui mirabilis est in Sanctis suis, nonnullis supernaturalibus signis, quam sit sibi suorum Servorum grata & accepta Oratio, manifestare dignatus est, splendore ex. gr. vultus, & aliis consimilibus signis, de quibus, utpote ad miracula pertinentibus, suo loco tractabitur. De S. Philippo Nerio legitur: *Sacrum vero faciens, mira undique luce fulgere visus est.* De S. Martino Episcopo: *Dum Sacramentum offerret, globus igneus in capite ejus visus est.* De Beato Ambrosio Sansedonio: *Missæ sacrificium tanto animi sensu, eamque vehementi spiritus agitatione celebrabat, ut omnibus artubus concuteretur.* In processu causæ S. Rosæ Limanæ testes referunt, se non semel vidisse *vultum ejus exardescentem, & veluti flammas ejaculantem, taliter quod Sacerdoti Hostiam sacram prælibanti, & Ministro lavatorium de more offerenti necessarium fuerit manum retrahere præ insolito ardore ex ejus facie prouicante.* Duo autem supernaturalia signa nunc referre opportunum est. Alterum desumptum ex Actis Canonizationis S. Teresiæ *art.* 21. secundæ Relationis Rotalis de ejus virtutibus §. 3. *Hoc idem elicitur ex alio effectu mirabili istius Orationis, nempe, quod facies Beatæ Teresiæ, dum Orationi vacaret, ex colloquio Dei (ut de Moyse legitur) sæpius resplenduit, ut de visu deponunt in prima parte Toleti tertius testis super* 10. *& secundus super* 47. *dicit, quadam die se vidisse Beatam prædictam emittere splendorem quemdam ex facie sua ad instar Solis, & in secunda parte primus testis, & in tertia quartus testis super* 14. *& in quarta parte Salmantini octuagesimus secundus, & nonagesimus secundus testis, & in prima parte Toleti vigesimus tertius testis; omnes isti tres super art.* 37. *fueruntque Confessarii istius Beatæ, qui ministrantes illi sanctum sacramentum Eucharistiæ illius faciem resplendentem viderunt; & in tertia parte Toleti septimus testis super* 93. *& in quarta parte septimus super* 54. *dicens, se quadam nocte vidisse, quod habebat vultum luce clara prouicantem, & ex illo exibant splendores, ut radii deaurati, & hoc duravit illi per tempus unius horæ, & quod, quando cessavit prædictus splendor, videbatur existere in tenebris. Sunt & alii testes de visu affirmantes, quod, quando Beata Teresia scribebat libros, facies ejus resplendebat (ut supra art.* 2. *de sanctitate in genere diximus), & in Compulsoriali Abulensi quintus testis super* 9. *affirmat, se vidisse, splendorem vultus B. Teresiæ illustrare totum Capitulum, dum in eo exhortationem spiritualem ad Moniales faceret.* Alterum ex Actis causæ memorati Sancti Philippi Nerii, ex opere videlicet Angeli Victorii typis Romanis edito anno 1613. in quo celebris ille Medicus affectiones mox referendas supra naturam fuisse ostendit. Verba autem ejus sunt hæc: *Beatus Philippus Nerius Florentinus, Congregationis Oratorii Romani Fundator, ab ineunte ætate boni habitus & salubris, in senectute gracilis, non morbosus, in omni ætate circa victus rationem valde moderatus, vultu hilaris, sermone jucundus, ac sacræ doctrinæ studiis valde assiduus, cum annum ageret suæ ætatis trigesimum, & Christianæ perfectionis desiderio vehementer ageretur, suppliciter ac frequenter Spiritum Sanctum invocabat, ut ipsius animum suis donis cumulare dignaretur. Eo igitur tempore, cum in Oratione persisteret, atque ejus preces a Deo, ut exciperentur, exoraret, tam valido fuit atque exuberante Divino amore succensus, ut id perpeti ac sustinere cum minime se posse animadverteret, statim, veluti aliquam ardori nimio quæritaret refrigerationis medelam, humi prosterni, nudato pectore, coactus fuerit; deinde illico sublevatus exultans, & exuberans quid in pectore circa sinistrum latus ad ovi gallinacei magnitudinem absque aliquo sensu doloris persensit, oculis omnium intuentium ab eo tempore perspicuum, non casu, non percussione, non externa violentia factum. Hinc frequenter, si memoria, si verbum, si contemplatio Divinarum rerum occurrebat, fervere cor, exultare, atque palpitare nunc intensius, nunc remissius, animadversum est, atque pectus interdum, totumque corpus concuti, & incalescere. Vehementiam autem fervoris, & palpitationis compescebat, mentem voluntarie distrahendo, & animum ad terrena revocando; calorem vero, frigidiorem aerem interdum admittens, quandoque parum aquæ frigidæ assumens leniebat; eaque ratione, eoque modo usque ad annum sui obitus octuagesimum perseveravit. Hæc singula, dum Beati Senis affectionis causas ipse frequenter percunctarer, prout opportuna, seu necessaria sese offerebat occasio, ab ipsomet Sene verecunde referente, dum aliquo morbo corripiebatur, sæpius audivi; quæ eadem Federico Borromæo Cardinali exquirenti Beatus Pater narravit, ut testatur Gallonius in illius vita, & ego ab eodem Cardinali audivi. Postquam vero placide Vir ille Beatus nulla fere vexatus molestia animam Deo reddidit octavo calendas Junii die festo sanctissimi Corporis Christi intra horam sextam noctis, in sequenti nocte, dum corpus inspiciendi, ac prædictarum affectionum indagandarum causa, multis viris optimis præsentibus, sectum fuit, ab iis hæc nobiscum fuerunt observata. Primum in parte anteriore thoracis, in qua illa extuberatio erat omnibus conspicua, inspiciebantur duæ costæ ex mendosis superiores, quartæ scilicet, & quinta, omnino fractæ, ac ita divisæ, ut pars a parte distaret, &, quod mirum dictu est, nondum ex tanto temporis intervallo, ut fieri solet, aliquo modo unitæ, sed adeo distantes & elevatæ, ut extrinsecus dictam extuberationem constituerent, intrinsecus autem sinum majorem efficerent. Summo deinde affecti desiderio altius introspiciendi, nam ex jam manifestis obscura videre, & considerare licebat, venimus percupide ad cor ipsum, tamquam ex illa insuetæ fractura signatum. Quod majus solito invenimus, ejusque substantiam densitate, atque constrictione solito duriorem & solidiorem. Pericardium, seu capsulam cordis sine aqua; solet enim ibi naturaliter reperiri. Venam arterialem duplo majorem, & duriorem. Pulmones a naturali statu parum dissimiles. Hepar nihil erat immutatum. Reliqua inferius posita tum propter tanti Viri honestatem consulto omisimus, cum etiam nullum umquam affectionis cujuspiam signum in ipsis fuit, sicuti neque etiam in capite, quod ob eamdem causam integrum est relictum. Hæc est historia fideliter a me conscripta, atque hæc sunt ea, quæ fuerunt a nobis diligentissime observata, dum sectum fuit corpus hora noctis tertia in ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella septimo calendas Junias* 1595.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

De Sacramentorum frequentia, Pœnitentiæ videlicet, & Eucharistiæ, in Servis Dei beatificandis, & canonizandis requisita.

1. RATIONI cohæret Sacramentorum frequentia, & signanter Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: horum enim Sacramentorum usus, est nota delectationis atque suavitatis internæ, & ex eo consequenter usu consurgit virtus religionis in gradu heroico. Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 5. c. 3. plura colligit; primum videlicet, maximum esse sanctitatis argumentum, quod desumitur a frequenti usu sacramenti Pœnitentiæ, dummodo usus non procedat ex cæremonia, aut ex quadam consuetudine, quamvis Servi Dei peccata venialia tantum commiserint: secundum, frequentem sacræ Eucharistiæ sumptionem in Canonizando, & non modo frequentem, sed fere quotidianam in Dei Servo Sacerdote, vel Episcopo Missæ celebrationem non commendandam solum, sed in Canonizandis esse requirendam. Etenim *pag.* 328. scribit: *Quemadmodum enim Fideles, corpori in singulos dies alimenta subministrare, necessarium putant, ita etiam quotidie hoc Sacramento alendæ & nutriendæ animæ cura Dei Servis, ac Famulabus non abjicienda, sed diligentissime procuranda, & avide hoc Sacramentum*

sumendum erit sive per frequentem illius sumptionem, si de aliquo Dei Servo laico agatur; sive per frequentem & quotidianam ad altare Sacrificii oblationem, si de Sacerdotibus ageretur: nam sive sit Episcopus, sive simplex Sacerdos is, cujus Acta examinantur, quotidiani Sacrificii oblatio in quocumque illorum commendanda erit, nec solum commendanda, sed quasi necessario exquirenda in his Dei Servis, de quorum cultu in ordine ad Canonizationem, sive Beatificationem agetur, Denique addit Scacchus, hanc sanctitatis notam ex frequenti sumptione Eucharistiæ, & ex quotidiana Missæ celebratione desumptam sibi locum vindicare debere, si conjuncta fuerit cum debitis circumstantiis, devotionis videlicet, & præparationis ad sumendam Eucharistiam, & ad Sacrum faciendum.

2. Confirmantur, quæ a Scaccho dicta sunt, bullis Canonizationum. In bulla enim Bonifacii IX. edita pro canonizatione S. Birgittæ *pag.* 155. *cod. Canoniz.* hæc habentur de frequenti usu sacramenti Pœnitentiæ: *Et, superstite marito, cum singulis sextis feriis confessa fuisset, post ejus transitum veram Confessionem semel saltem in die cum magna Contritione studuit iterare, tam amore levia, sicuti alii gravissima, deplorans, & nihil de suis verbis, moribus, cogitationibus, & actibus præteriens indiscussum*. In bulla Joannis XXII. lata pro Canonizatione S. Ludovici Episcopi Tolosani, de eo, antequam assumptus fuisset ad Episcopatum, sic dicitur (*pag.* 123. *cod. Canoniz.*): *In tempore namque ipso, sacramentali Confessione præmissa, Missas audiebat devote*. Frequentis quoque sumptionis sacræ Eucharistiæ mentio fit in citata bulla Canonizationis S. Birgittæ *pag.* 155. *Singulis quoque diebus Dominicis, & solemnibus cum devotione & lacrymis sumpsit venerabile Christi Corporis sacramentum*, De S. Catharina Senensi Pius II. in bulla Canonizationis *pag.* 185. *cod. Canoniz.* ait: *Ad Communionem altaris, quæ illi fere quotidiana fuit, quasi ad cælestes nuptias invitata esset, summa cum alacritate proficiscebatur*, De S. Felice a Cantalicio Laico Capuccino ita legitur in bulla Canonizationis ipsius (*pag.* 566. *cod. Canoniz.*): *Conscientiæ Viri Dei Moderatores, Dominici Corporis sumptionem ter illi singulis hebdomadis peragere solito per totos quindecim ante dormitionem annos, ob ejus ardentissimum Charitatis fervorem, quotidianam Divinæ mensæ perceptionem concedere, sanctum existimarunt, ad quam sine uberrimo lacrymarum imbre numquam accessit*. Quibus addi possunt Acta Canonizationis S. Teresiæ. In secunda enim relatione Rotæ Auditorum *de ejus virtutibus art.* 14. *de religionis virtute* hæc enarrantur: *Sexto ad idem firmandum nos induxere mira incrementa in anima istius B. Virginis ex augumento cultus Christi causata per quotidianam Communionem viginti trium circiter annorum ex doctissimorum virorum consilio, & suorum Confessariorum licentia, ut deponunt in Remissoriali Abulensi quadragesimus secundus testis fol.* 240. *& quadragesimus sextus testis fol.* 296. *& testis quadragesimus septimus, & quadragesimus octavus, & quadragesimus nonus, & quinquagesimus primus, omnes super art.* 73. *Quo Divino pastu mirifice roborata, in cultu & Fide Jesu Christi in Sacramento existentis maximos fecit progressus, ita ut per plures annos per Fidem vivam non secus ad sumendam Eucharistiam accederet, quam si Christum ipsum corporeis oculis cerneret, ut deponunt in secunda parte Toletani primus testis super 4. fol.* 673. *& historiæ supra citatæ istius Beatæ, & particulariter Pater Ribera lib.* 4. *cap.* 12. *Quam vero fuerit gratus Christo Beatæ Teresiæ hic cultus clare apparet ex eo, quod frequenter post Communionem cum fulgore vultus ecstasim patiebatur, & propter interna Dei solatia corporis etiam dolores ei fuerunt remissi, &, ex quo Communionem frequentare cœpit, cessavit in illa quidam vomitus, quem quotidie mane passa fuerat, & illam quotidianam Eucharistiæ sumptionem impediebat, ut deponunt in Remissoriali Abulensi testis quadragesimus secundus, & quadragesimus octavus, & in Remissoriali Toletano vigesimus primus testis Episcopus Tirasonensis, & testis vigesimus tertius illius Confessarius, & in Remissoriali Abulensi testis quadragesimus nonus, & testis sexagesimus, omnes super art.* 73. *Et, cum quadam Dominica Palmarum post Communionem, antequam Eucharistiam deglutiret, in ecstasim rapta fuisset, paulo post in se reversa, visum fuit sibi os pretioso Sanguine Christi plenum, totumque corpus eodem Sanguine tinctum habere, ubi intima cum suavitate hæc verba a Jesu Christo audivit: Filia, volo, ut meus Sanguis tibi prosit; nec timeas, meam tibi aliquando misericordiam defuturam: ego illum multis cum doloribus effudi, & tu ipso (ut vides) magna cum voluptate perfrueris. Quod ipsa refert in libro vitæ suæ fol.* 359. *& deponunt in Remissoriali Abulensi testis quadragesimus septimus fol.* 296. *& testis quadragesimus octavus fol.* 835. *super art.* 73.

3. Ex iisdem quoque Canonizationum bullis, & Actis suppetunt exempla tum simplicium Sacerdotum, tum Episcoporum fere quotidie Missam celebrantium. In bulla quippe Canonizationis S. Thomæ Aquinatis *pag.* 136. *cod. Canoniz.* sic Pontifex loquitur: *Præmittebat Divina, ut roboraretur in schola; cum singulis diebus, antequam lecturus ascenderet cathedram, vel distraheretur ad alia, Missam unam celebraret, aliam audiret*. In bulla Canonizationis S. Ludovici Bertrandi *pag.* 433. *Sacrum Missæ sacrificium celebraturus, Angelicæ puritatis candorem æmulari cupiens, quantavis carnis mortificatione, & mentis in Deum elevatione esset ornatus, sibi nihilominus numquam satis paratus videbatur esse. A sacrificando impeditus, sacra Eucharistia reficiebatur, ut jugiter Christum in se manentem haberet, & in eo ipse quoque assidue maneret*. In bulla Canonizationis S. Raymundi de Pennafort *pag.* 268. *Sacrosanctum Missæ sacrificium fere quotidie celebrabat*. In bulla Canonizationis S. Philippi Nerii *pag.* 319. *Perpetuo atque ardenti studio venerandum Eucharistiæ colebat sacramentum, vel enim laicus, vel sacerdos celebrans, vel ægrotans in lectulo, illius quotidiana susceptione reficiebatur*. In relatione causæ S. Andreæ Avellini *tit. de religione* §. *Quo vero*; Et in relatione causæ S. Ignatii *tit. de justitia* §. *Sacrificium Missæ* consimilia habentur. In bulla Canonizationis S. Ludovici Episcopi Tolosani *pag.* 124. *Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia Servus hic Christi fidelis & prudens, Missas dicendo assidue, devotissime Ordines celebrando*. In bulla Canonizationis S. Caroli Borromæi *pag.* 295. *Quotidie Sacrificium Deo offerebat*: & fusius in relatione causæ ipsius 2. *part. art.* 15. ubi: *Carolum quotidie Missam celebrare solitum affirmant plures testes &c. postquam singulis diebus confessus fuerat suos minimos defectus*. Quibus addi possunt bina alia exempla. Sanctus quippe Vincentius a Paulo (ut habetur in processibus causæ) singulis diebus sacrificium Missæ offerebat, &, si infirmitas non sineret ab ipso sacrificium offerri, ei intererat, & sacra Communione animam reficiebat; Missam autem celebrans tali animi devotione afficiebatur, ut qui præsentes fuerant, ab ecclesia revertentes post eam absolutam dicerent, se Missam Sancti audivisse. Item in processibus causæ B. Alexandri Saulii Aleriensis primum, deinde Papiensis Episcopi, testes retulerunt, ab eo quotidie Missam fuisse celebratam, prævia pia dispositione, & sacramentali Confessione. Denique externa quædam Divina signa devotæ celebrationis Missarum referuntur in iisdem bullis. In bulla scilicet Canonizationis S. Thomæ Episcopi Herfordiensis *pag.* 132. *Orationi vero insistebat assidue, ac sui fervorem spiritus demonstrabant in orationibus, & celebratione Missæ abundanter ex oculis lacrymæ defluentes*. In bulla Canonizationis S. Petri de Alcantara, *pag.* 383. *Sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effusus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus viderentur fons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*. In bulla Canonizationis S. Cajetani *pag.* 449. *Divinam rem facturus totus in lacrymas effundebatur, seque eo ministerio indignum reputans, magnæ Matris, cujus erat obsequentissimus, opem implorabat, ut vivificum Agnum ea, qua decebat, devotione susciperet, concipiens dulcissimo quodam mentis obtutu, adesse, sibi Deiparam, quæ electissimum Filium prona ac munifica manu porrigeret*. In bulla Canonizationis S. Francisci Xaverii *pag.* 344. *Cum vero sacrosanctum Missæ celebraret sacrificium, sæpenumero a sensibus usque adeo abalienabatur, ut nec Ministri vestem succutientes, nisi post diuturnam moram, excitare possent, quin etiam aliquoties altius cubito a terra elatus ab universa astantium multitudine miraculi magnitudinem obstupescente, ac Servi Dei sanctitatem suspiciente conspectus fuerit*.

4. Quod si Theologica jam dictorum ratio quæratur, ea profecto non deest. Licet enim peccata venialia non sint, uti Scholæ loquuntur, materia necessaria, sed sufficiens sacramenti Pœnitentiæ, eorum tamen confessio utilis est & pia, juxta *cap.* 5. Concilii Tridentini *sess.* 14. *de Pœnitentia cap.* 5. *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*. Confessionis venialium sæculo VIII. extat exemplum in Actis S. Segoleoæ Abbatissæ apud Mabillonium *in sæculo* III. *Benedictino*, & *in primo præfat. ad illud*. Narratur enim, Sanctam prædictam cu-

dam

dam Monacho, qui Sacerdos erat, omnia parva minimaque peccata, sine quibus esse non possumus, cum gravia deessent, lacrymando confessam fuisse. Quapropter, etiamsi referendi in album Beatorum, aut Sanctorum sola patraverint peccata venialia, nemo est qui non videat, sinceram eorum confessionem debitis circumstantiis non destitutam, sanctitatis notam constituere, & eo magis, si frequentius expleatur: unde S. Bonaventura *in 4. sent. dist. 17. part. 3. art. 2. quæst. 1.* ait de peccatis venialibus: *Quamvis autem de ratione sui generis non sit ea confiteri necessarium, tamen ea confiteri congruum est maxime viris perfectis, quia utile est multum, & pœna illis debita minuitur ex vi Clavium.*

5. Frequenti Confessioni succedit frequens Eucharistiæ communio, quæ apud antiquos Fideles absque dubio fuit in usu, cum in Actis Apostolorum *cap. 2. v. 42.* legatur de Christianis prioris sæculi: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Sæculo Ecclesiæ quarto mos quotidie communicandi Romæ observabatur, teste S. Hieronymo (*epist. 50. ad Pammachium n. 15. col. 225. oper. tom. 1.*) *Scio, Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles semper Christi Corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo.* Huic mori, saltem pro Ecclesia Occidentali, suffragatur æqualis Hieronymo S. Ambrosius *de Sacramentis lib. 5. cap. 4. num. 25. col. 378. oper. tom. 2.* si tamen libri *de Sacramentis* sunt ejusdem: *Si quotidianus est Panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere:* si mores videlicet non mutet. Sacrum quoque Concilium Tridentinum frequentis Communionis desiderium exprimit *sess. 13. cap. 8. Paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur &c. hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis ejus, ea Fidei constantia & firmitate, ea animi devotione, ea pietate & cultu credant & venerentur, ut Panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.* Et *sess. 22. cap. 6. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Materiam frequentis Communionis optime de more explicat D. Thomas *3. par. quæst. 80. art. 3.* docens, duo circa Eucharistiæ usum posse considerari: unum ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, ita ut utile sit sæpius, immo quotidie ipsum sumere; aliud ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione ad illud accedat, ita ut, si aliquis se quotidie inveniat paratum, laudabile sit ut quotidie sumat. En verba S. Doctoris: *Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari: unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, & ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat &c. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat; & ideo, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat &c. Sed, quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ; non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum.* Concordat S. Bonaventura *in 4. sent. dist. 12. part. 2. quæst. 1.* & consentaneum est huic doctrinæ decretum editum ab Innocentio XI. *de quotidiana & frequenti Communione die 12. Februarii 1679.* ubi Pastorum diligentiæ remittit propter multiplices conscientiarum recessus, ut frequentem, aut quotidianam Communionem nonnullis suadeant. Ex quibus proinde nemo est qui non videat, bene desumi, frequentem & quotidianam Eucharistiæ sumptionem in Dei Servis, de quorum Beatificatione aut Canonizatione tractatur, & de quorum virtutibus jam aliunde constat, ex aliis videlicet probationibus, quæ ostendunt, eos in actibus heroicarum virtutum frequenter se exercuisse, & a peccatis abstinuisse, notam esse & argumentum sanctitatis, & præcipue, si frequens ista & quotidiana sumptio Confessarii seu Directoris spiritalis consilio facta sit. Quæ tamen ita dicta censeri volumus, ut, si forte accidat, aliquem Dei Servum a quotidiana aliquando, & frequentissima sumptione Eucharistiæ reverentiæ & timoris gratia abstinuisse, nullum indicium adversus ejus sanctitatem, & ejus in suscipienda Eucharistia fervorem valeat rationabiliter desumi. Celebris est epistola 54. S. Augustini (*col. 125. oper. tom. 2.*) in qua exemplo Zachæi, & Centurionis tum accedentem, tum recedentem ex causa modo recensita commendat *n. 4. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit,* Non sum dignus, ut intres sub tectum meum. *Ambo Salvatorem honorificantes diverso, & quasi contrario modo. Ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.* Sequitur D. Thomas *loc. cit. ad tertium*, ubi sic loquitur: *Ad tertium dicendum, quod reverentia hujus Sacramenti habet timorem amori conjunctum: unde timor reverentiæ ad Deum dicitur timor filialis, ut in secunda parte dictum est. Ex amore enim provocatur desiderium sumendi; ex timore autem consurgit humilitas reverendi: & ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, & quod quotidie sumatur, & quod aliquando abstineatur.* Subscribit Claudius Espencæus *lib. 1. de adoratione Eucharistiæ cap. 7.* Joannes Major *in 4. sent. dist. 9. quæst. 1.* quotidianam commendat Communionem, si ex ejus sumptione augeatur devotio: *Si dicas; quotidie communicantem nec laudat, nec vituperat Augustinus, prout recitatur in cap. Quotidie, de consecratione dist. 2. ex hoc nihil sequitur, cum multo laudabilius sit quotidie communicare, si quis in se devotionem reperiat erga Eucharistiam:* & Joannes Raulinus Cluniacensis Monachus *ser. 8. de sacramento Eucharistiæ* sapienter monet, fieri posse, ut quis, vacando a receptione Sacramenti, illud deinde reverentius sumat, sed cavendum esse, ne per hanc viam subtrahatur habituatio ad bonum, ut ipse loquitur: *Sed, si quis dixerit, ideo vacationem a celebratione, aut receptione Sacramenti bonam esse, ut ipsa postmodum reverentius & devotius, quanto rarius, impleatur, dicemus ad hoc, quod hoc est possibile; sed potest contingere ex adverso, ut plurimum contigit, ut talis subtractio removeat habituationem ad bonum, cujus effectus est secundum Philosophum operari delectabiliter.* Item, melius & fructuosius esse impellente erga Deum Charitate, Missam frequentius celebrare, quam eam præ timore & reverentia omittere, docet Roderic. *in exercitio perfectionis, & virtutum religiosarum par. 3. tract. 8. cap. 6.* cum quo concordat D. Thomas *loco supra cit. ad tertium*, ubi, post verba jam relata, quibus docuit, pertinere ad reverentiam Sacramenti, & quod quotidie sumatur, & quod aliquando ob reverentiam abstineatur ab ejus sumptione, subjicit: *Amor tamen, & spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferantur timori; unde & cum Petrus dixisset, Exi a me, Domine, quia homo peccator sum; respondit Jesus, Noli timere.* At hæc, licet vera sint, nihil tamen obesse possunt iis, quæ in superioribus dicta sunt, cum ibi sermo haberetur, non de longa abstinentia a sumenda Eucharistia, sed de certa quadam intermissione quotidianæ Communionis, gratia timoris & reverentiæ erga augustissimum Sacramentum.

6. Quæ modo statuta sunt de frequenti & quotidiana Communione, procedunt quoque in frequenti & quotidiana Missæ celebratione quoad Sacerdotes, & Episcopos, uti etiam ex modo dictis colligi potest: & revera, si tempore Apostolorum Fideles quotidie Corpus Christi sumebant, cur asserere non debemus, Sacerdotes, & Episcopos quotidie Missam celebrasse? S. Irenæus vir Apostolicus, & Apostolorum sæculo proximus *l. 4. adv. hær. c. 18. n. 6. pag. 251.* hujus rei perhibet testimonium: *Ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione.* S. Andreas Apostolus, uti legitur apud Surium, *ad diem 30. Novembris tom. 6.* Proconsuli ipsum ad idololatriam adigenti his verbis restitit: *Omnipotenti Deo, qui unus & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum quotidie in altari Crucis sacrifico, cujus carnes posteaquam omnis populus Credentium manducaverit... Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.* Acta, ex quibus hæc desumuntur, genuina putant Baronius, & Natalis Alexander. De eorum autem sinceritate dubitat Tillemontius *in vita S. Andreæ*, & præcipue *nota secunda ad eamdem tom. 1.* ex quo potissimum nulla eorum mentio ante sæculum VIII. occurrit: sed quæ in eis, uti dicta a S. Andrea, referuntur, autumat ab ejus sensu aliena non fuisse. S. Cyprianus *epist. 77. col. 329.* sic consolatur Martyres, qui in metallorum fodinas damnati dolebant, se offerre non posse incruentum & sanctum altaris Sacrificium: *Sed*

nec in illo, Fratres dilectissimi, aliqua potest aut religionis, aut Fidei jactura sentiri, quod illic nunc Sacerdotibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi Sacrificia Divina. Celebratis immo, atque offertis sacrificium Deo & pretiosum pariter, & gloriosum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cælestium profuturum, cum Scriptura Divina loquatur, & dicat: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit. *Hoc vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostiæ facti Deo, & vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibentes*: quasi dicere voluisset: Si, uti faciebatis, nunc quotidie Missam non celebratis, quotidie tamen, uti potestis, Deo offertis sacrificium spiritus contribulati. Ferunt, Cardinalem Cajetanum docuisse *in comment. ad D. Thomam*, Sacerdotem numquam celebrantem non esse damnandum uti reum lethalis flagitii, sed ad summum venialis; at jussu S. Pii V. sententiam Cajetani fuisse expunctam ex operibus D. Thomæ Romæ editis. Innocentius certe Papa III. *in cap. Dolentes, de celebr. Missar.* Presbyteros, & Prælatos gravibus verbis increpat, qui Missarum solemnia vix quater in anno celebrant. Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 23. de reformat. cap. 14.* loquens de simplicibus Presbyteris hæc habet: *Curet Episcopus, ut ii, saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem Curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* S. Thomas 3. *part, qu.* 82. *art.* 10. quærit, *Utrum liceat Sacerdoti omnino a consecratione Eucharistiæ abstinere*; & refert, nonnullos dixisse, Sacerdotem posse omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex Cura sibi commissa celebrare, & Sacramenta populo præbere; sed hanc opinionem improbat sequentibus verbis: *Hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2. ad Corinth. 6. v. 1.* Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Opportunitas autem Sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad Fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur. Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat Curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus Fideles communicare consueverunt.* Ideoque, si aliquibus diebus Sacerdotes, & Episcopi celebrare tenentur, Dei Servus simplex Sacerdos, vel Episcopus qualibet fere die citra obligationem Missam celebrans, si id faciat cum debita devotione, uti fecisse absque dubio credendus est (nec enim Beatificationis & Canonizationis causa fuisset introducta, si aliqua irreverentiæ in sacrificando legitima adfuisset suspicio; aut ulteriorem progressum causa habere posset, si virtutum deessent probationes) ex ea quotidiana, aut fere quotidiana Sacrificii celebratione indicium & nota sanctitatis hauriri poterit.

7. In vita S. Ignatii scripta a Patre Maffejo *lib. 2. cap. 7.* narratur, cum Romam venisse una cum ceteris Patribus Societatis anno 1538. & pueros & plebem Christiana catechesi vicatim erudire instituisse, & frequentem usum sacræ Confessionis, & Eucharistiæ restituisse Romæ primum, deinde in ceteris orbis Catholici partibus: *Alia multa propediem assecuti sunt, tum vero præcipue, ut sacræ Confessionis, & Eucharistiæ frequens usus, quo nihil est humano generi salutarius, Diaboli fraude jampridem extinctus, magno utique Christianæ reipublicæ commodo, in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia revivisceret: ex quo deinde paulatim effectum est, iisdem scilicet adjutoribus, non solum ut in Italia, Gallia, Hispania, ceterisque Catholicis Europæ regionibus, verum etiam ut in ipsa India, atque adeo in ultimis terris, ubi paulo ante ferales Dæmonum dapes, & nefaria Sacra viguerant, jam nunc, ingenti bonorum gaudio, per Pœnitentiæ sacramentum frequenter elutis animi sordibus, Divina passim convivia celebrentur.* Contendit Launojus *in opere de frequentis Confessionis, & Eucharisticæ Communionis usu, atque utilitate, pag. 142. oper. tom. 1. par. 1.* Sanctum Ignatium in civitate Parisiensi non revocasse frequentem usum Confessionis, & Eucharistiæ, dum ad eam urbem studiorum causa advenit, cum frequens ille usus jam increbuisset, sed, instituta ibi Societate, revocatum ab aliis fovisse & auxisse. Verum, utcumque sit de hoc, cum Ecclesia in lectionibus Officii, quod in die ejus festo celebratur, hæc habeat, *Sed in primis inter Catholicos instaurare pietatem curæ fuit: templorum nitor, Catechismi traditio, concionum ac Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepere:* Ignatio utique, & Societati ab eo institutæ universa debet Ecclesia propagationem usus frequentis Confessionis, & Communionis. Sanctus quoque Cajetanus, qui ante institutionem suæ Religionis se Oratorio Vicentino adscripsit, Sodales ad frequentiam Sacramentorum induxit, uti legitur in relatione Rotæ Auditorum *tit. de Charitate in Proximum*, ubi hæc habentur: *Sodalibus quater in anno sacra Communione refici solitis Eucharistiæ sacramentum in singulos menses ipse administravit; idque vehementer adeo hortabatur, ut quamplurimi non solum qualibet hebdomada, sed etiam quibuscumque festivis diebus, & feria sexta ad illud accederent.* Quod ipsum resumitur in bulla Canonizationis *Const. 94. pag. 448. Præ ceteris id assecutus est, ut Sacramentorum frequentem usum in Sodales primum, dehinc in alios ferventioris spiritus introduceret, magno cum eorum compendio, qui, elutis animæ sordibus, ad cæleste epulum accedebant; quod propriis ipse manibus sæpe illis ministrans, identidem ad ejusdem amorem ac sitim igniitis plane eloquiis, lacrymarum vi, ac suspiriis incrudebat.* Multa alia de quotidiana Missæ celebratione a Nobis collecta sunt in alio nostro Opere post editionem præsentis Operis *de Canonizatione* typis impresso *de sacrificio Missæ par. 4. sect. 2. num. 12.*

8. De antiquis Monachis, Anachoretis, Eremitis Solitariis quæri potest, an, & quomodo sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ susceperint, &, quatenus non susceperint, aut raro susceperint, quomodo nonnulli inter Sanctos adscripti sint. Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 6. cap. 5. pag. 458.* propositam quæstionem sequentibus verbis resolvit: *Veteres enim Orientales Eremicolas secessisse in solitudinem omnino ab hominum consortio separatos, ibique perdurasse per annos viginti, triginta, & plures hominibus omnino ignotos, constat ex veterum Patrum historiis. Nullo sacramento Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ usos, nec curam aliquam Sacri audiendi eos habuisse, legimus: ut de S. Paulo primo Eremita, & de S. Antonio, quos plures annos hac ratione vixisse, legimus; de S. Maria Ægyptiaca, de S. Macario Romano, necnon etiam de Macario Ægyptio, & aliis pluribus, quorum acta passim in vitis Patrum conscribuntur. Quæ quidem fieri, & probari tunc forsasse poterant, quando nec Christianorum loca frequentiora habebantur, nec Sacerdotum copia.* Verum, ut distincte procedatur, difficultas proposita nullum sibi potest locum vindicare quoad Monachos, qui in monasteriis & cœnobiis sub Abbatis cura degebant, nec quoad Lauritas, eos videlicet, qui a cœnobiis pergebant ad habitandum in lauris, hoc est in cellis separatis & extra cœnobium sub unius Præsidis cura, nec quoad Inclusos, nec quoad Solitarios sive Eremitas, qui habitabant non longe a monasteriis, aut vicis, vel oppidis, sed tantum quoad Anachoretas eremi cultores, & Solitarios seorsum viventes, in speluncis & antris habitantes, & longe a cœtu aliorum hominum, & ab urbibus & oppidis.

9. Diximus, Difficultatem nullum sibi vindicare locum quoad Monachos: licet enim Monachi juxta veterem disciplinam ut plurimum laici essent, & præ humilitate ad sacros Ordines ascendere recusarent, in ecclesiam tamen conveniebant, & statis temporibus Sacerdotem advocabant, qui ipsis Sacramenta ministraret. Palladius *in historia Lausiaca c.46. pag. 72.* apud Laurentium de la Barre *in vita S. Joannis Eremitæ* hæc habet: *Licebat autem cernere multitudinem eorum, qui cum ipso erant, Monachorum in ecclesia veluti quosdam Justorum choros lucidis vestibus indutos, & hymnis assiduis Deum glorificantes.* Et apud Rosweydum *in vita S. Pachomii cap. 24. pag. 122.* subjicitur: *Proinde, cum solemnitas ex more deposceret, ut mysteriorum cælestium participes fierent, ex proximis viculis Presbyteros convocabant, qui eis festivitatem lætitia spiritalis implerent. Non enim patiebatur idem Senex* (sermo est de Pachomio) *inter eos esse quempiam, qui Clericatus officio fungeretur. Dicebat enim, multo melius esse atque commodius Monachis, non solum nullius prorsus honoris quærere primatus & gloriæ, verum etiam occasiones hujuscemodi de cœnobiis amputare; quoniam frequenter hinc inter Fratres contentiones & æmulationes inutiles nascerentur.*

10. Additur, non perpetuam, nec universalem fuisse memoratam disciplinam Monachos arcendi a sacris Ordinibus, & a Sacerdotio. Cum enim ex consuetudine Presbyteros vocandi, qui Monachis Sacramenta ministrarent, quidam etiam non vocati impudenter accederent; & nonnulli scelerum admissorum pœnitentiam agere recusantes, & sic a Monasteriis expulsi, & ad Urbem reversi, Sacerdotio fraudulenter obtento, ad Monasterium, unde fuerant ejecti, redirent, ibique de extorta dignitate

super-

superbientes Missam celebrarent, Monachique id ægre ferrent, & delictorum ab eis patratorum conscii Sacris assistere recusarent, juxta ea, quæ habentur apud S. Cyrillum *in epist. ad Episc. Libyæ, & Pentapol. pag. 211. tom. 5. part. 2.* hinc postmodum factum est, ut aliquis ex ipsis Monachis ad Sacerdotium assumi cœperit, qui ceteris Sacramenta ministraret. Id colligitur ex vita S. Apollinis, seu Apollonii: *Cum quadraginta annos Sanctus Eremita solis herbis vitam sustentans in eremo consumpsisset, Deum ei præcepisse, ut antrum pro habitaculo eligeret, ibique omnes exciperet, qui ei in monasticis virtutibus se instruendos traderent. Cum vero jam aliquot discipulos haberet, die Paschatis in antro Sacrificium Deo obtulisse, & synaxim cum suis celebrasse.* Cohærenter ad hæc testatur Gennadius *de Script. Eccles. cap.* 8. Theodorum successorem S. Pachomii in regimen monasterii fuisse Sacerdotali charactere insignitum: *Theodorus Presbyter successor gratiæ, & præpositura supradicti Abbatis Pachomii.* Et apud Rosweydum *in lib. 3. de vitis Patrum pag.* 499. litteris mandata sunt, quæ sequuntur: *Monachi habitantes in eremo Scythia & consenserunt, ut Pater Isaac Presbyter eis ordinaretur in ecclesia, quæ in ipsa eremo sita est, ubi convenit die & hora statuta multitudo Monachorum, qui in illa eremo conversantur.*

11. Ita ut de commoditate, usu, & frequentia Sacramentorum quoad Monachos, qui in monasteriis & cœnobiis sub Abbatis, vel Præsidis cura degebant, non obscura nobis argumenta supersint; & eo magis, cum *in libro de vitis Patrum* habeamus, Monachos Sabbati die, & Dominico consuevisse ad Ecclesiam accedere; & apud Rufinum Aquilejensem S. Pastor Monachus asserat, altaris Sacrificium fontem esse aquæ vivæ, ad quem Monachi, veluti sitientes cervi, die Sabbati, & Dominico accedebant, ut in eo refrigerium animis, & medicinam contra serpentis, hoc est concupiscentiæ venenum invenirent. Item, quamvis Arcani disciplina multa nobis documenta celaverit sacramentalis Confessionis, in eo tamen, quod attinet ad Monachos, præsto est illustre testimonium S. Basilii, qui *in regulis brevioribus* proponit quæstionem, quæ est 287. *pag. 516. tom. 2. oper. Qui confiteri vult peccata sua, debet ne confiteri omnibus, & quibuslibet, aut quibus?* Cui quæstioni sic respondet: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est:* quod rursus confirmat *in respons. ad quæst.* 229. *pag.* 492. ubi hæc habentur: *Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quæ in detegendis corporis morbis adhibetur. Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, neque quibusvis, sed iis, qui horum curandorum periti sunt: ita fieri quoque debet peccatorum confessio coram iis, qui curare hæc possint.*

12. Porro nemo est qui non videat, S. Basilium verbis citatis loqui de sacramentali Confessione, utpote non unicuique, sed soli Sacerdoti aperienda. Pariter ex ceteris, quæ superius adducta sunt, unusquisque facili negotio colligere poterit, Monachos in cœnobiis & monasteriis sub Abbatis vel Præsidis cura degentes sacramentorum Pœnitentiæ, & Communionis percipiendorum commoditate non caruisse: quod ipsum dicendum est quoad Lauritas, & quoad Inclusos.

13. Teste S. Cyrillo *in vita S. Sabbæ apud Surium die 5. Decembris tom. 6. pag. 159. num. 9.* lauræ differebant a cœnobiis, quod in cœnobiis illi viverent, qui vitam exercebant communem, in lauris vero, qui a congressione separatam & quietam, unusquisque in cella distincta. De Gerasimo Abbate refert Surius *ad diem 20. Januarii in vita S. Euthymii num. 57. pag. 329. tom.* 1. eum monasterio præfuisse, cui conjuncta erat laura sexaginta cellarum: & quamvis non semper lauræ monasterio essent vicinæ, inconcussa tamen regula erat, ut nemo ad cellulas, seu lauras transiret, nisi rudimenta virtutum in monasterio posuisset, & longo usu confirmasset, quemadmodum recte animadvertit Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 1. lib. 3. cap. 23. num. 6.* Quod ipsum desumitur ex citato S. Cyrillo *in Euthymio apud Bolland. tom. 2. ad diem 20. Januarii pag.* 316. *num.* 88. *&* 89. qui cum ibidem narret, vivendi formam in lauris hanc fuisse, ut quinque diebus hebdomadæ unusquisque in cella manens sileret, nihil gustans, nisi panem & aquam & dactylos; & Sabbato, & Dominica in ecclesiam veniret, perceptaque Eucharistia, cocto uteretur in cœnobio, & sumeret parum vini (quod etiam confirmatur ex eadem vita S. Euthymii Abbatis *loc. cit.*) hinc satis demonstratur, degentes in lauris recipiendorum Sacramentorum commoditatem habuisse. Quod argumentum late prosequitur Giballinus *in disquisit. Canon. de clausura Regulari tit. de Ascetis inclusis disquisit. 3. c. 3. §. 1. num. 6. & seqq. & §.* 2. ubi etiam probat, eos vixisse sub cura Præpositi sive Abbatis, eosdemque (uti dictum est) Sabbato, & Dominica convenisse in ecclesiam ad synaxim, & collectam, nec ullum evocatum fuisse e vicinis oppidis Sacerdotem, qui Sacra ministraret, sed vel Abbatem, vel Monachum Sacerdotio initiatum supradicta peregisse.

14. Ut a ceteris abstineamus exemplis, extat hodie in Monte Luco apud civitatem Spoletinam harum laurarum exemplum. *In lib. 3. dialog.* S. Gregorii *cap. 14. col. 301. tom. 2. oper.* mentio fit S. Isaac Abbatis, ejusque memoria recolitur in Martyrologio Romano *ad diem* 11. *Aprilis*. Sub ejus Regula nonnulli degunt Eremitæ in supradicto Monte habitantes, sed in cellis separatis. *In comment.* Pii Papæ II. *lib. 2. pag.* 41. prædictus locus sic describitur: *E regione* (loquitur de civitate Spoletina) *Mons est præruptus atque sublimis, in quo velut in eremo Religione dicata, Anachoritæ famulantur Deo. Infune & Monachorum nonnulla cœnobia, in quibus viri sanctimonia celebres degunt.* Spoletini illi Eremitæ subsunt Episcopo, sed habent Præpositum cui obediunt. Cella uniuscujusque ab alia cella non modice dissita est. Aliqui ex ipsis sunt Sacerdotio initiati, alii non, & frequentior est numerus Laicorum; Ecclesiam habent communem, refectam & exædificatam nostris temporibus a bon. men. Cardinali Cybo pietate & doctrina celeberrimo; in quam omnes conveniunt, orant, & Sacramenta recipiunt: & si qua est inter eos, & antiquus Lauritas differentia, ea esse videtur, quod Eremitæ Spoletini non prius degunt in monasteriis Monachorum, vel certe ad id præstandum non sunt adstricti, quam in eremum secedant, ut antiqui Lauritæ facere tenebantur: quod etiam desumitur ex vita S. Euthymii Abbatis *cap.* 55. apud Bollandum *ad diem 20. Januarii n. 89. pag. 316. tom. 2.*

15. Jam vero ad Inclusos oratio descendat, eos videlicet, qui vel in monasteriis, vel extra monasteria, sed non longe ab his, sibi locum eligebant ad habitandum, in quo clausi per totam vitam permanerent. Tres itaque erant horum ordines; primus Monachorum, qui se de licentia Abbatis in cella monasterii includebant; alter Monachorum ejusdem cœnobii, qui ex Abbatis pariter licentia ab eo recedebant, & ad locum, in quo se clauderent, euntes, orationi & contemplationi vacabant; tertius eorum, qui ad servandam vitæ innocentiam, vel ad pœnitentiam suorum peccatorum agendam, Divino impulsu non longe a monasteriis & cœnobiis se includebant, sub regimine alicujus Patris spiritalis. Horum Inclusorum exempla collecta legi possunt *in decis. de sacram. Eucharist. Theologico-legal.* Joannis Clericati *decis.* 62. *num.* 25. *&* 26. Horum vita describitur a Palladio Galata *cap. 69. pag. 758. apud Rosweydum* his verbis: *Degunt in multa quiete unusquisque per se inclusus ... absque eo quod se videant invicem, præterquam in synaxi.* De iisdem plura habentur apud Giballinum *loc. cit. cap. 4. §. 6. num.* 32. ubi probat, eos aliquando e suis carceribus egredi solitos, ut cum aliis in ecclesiam convenirent, & signanter diebus solemnioribus, aliquando etiam consuevisse admittere ad collocutionem viros dignitate, aut sanctitate illustres. Denique, omnes Inclusos commode recipere potuisse, & recepisse Sacramenta tum in vita, tum in obitu, late ostendit Clericatus *loc. cit. num. 33. & duobus seqq.*

16. Succedunt Solitarii, sive Eremitæ habitantes non longe a monasteriis, vel vicis, aut pagis; & de eorum quidem frequenti accessu ad ecclesiam vicinam monasterii, in qua Sacramenta recipiebant, documenta non deficiunt. *In collationibus* etenim *apophthegmat. Patrum* apud Cotelerium *monum. Eccl. Græcæ tom. 1. pag.* 491. de Abbate Isaaco refertur, Abbatem Isaacum unum ex solitariis Fratribus, qui non erat e numero Cœnobitarum, & qui parvam gestabat cucullam, ab ecclesia rejecisse, quod putaret, eum esse sæcularem; & sub obtentu, quod locus ille esset locus Monachorum. *In prato spirituali*, apud Auctorem *historiæ Monaster. Orient. pag.* 779. apud Cassianum *in collat. 18. cap. 15. & collat. 23. cap.* 21. documenta prostant accessus horum Solitariorum ad vicinam ecclesiam diebus festis, ut de Sacramentis participarent. Morinus *de sacram. Pœnit. lib. 2. cap. 57. num.* 12. superius dictis subscribit: *Ipsique Monachi omnes, si in urbibus, aut non longe ab iis ipsos versari oportebat, ad ecclesiam cum cetera plebe, loco tamen primo, ut nobilior gregis Dominici portio, sessuri conveniebant.* Itaque concludendum omnino videtur, dici non posse, antiquos Monachos, Anachoretas, Lauritas, Inclusos, habentes copiam Sacerdotis, non frequenter sumpsisse Sacramenta; quemadmodum congestis exemplis

plis illustrat Theophilus Raynaudus *oper. tom. 16. num. 10. pag. 47. De permultis denique antiquis Monachis & Anachoretis copiam Sacerdotis habentibus falso asseritur, quod essent infrequentes in sumptione Eucharistiæ.*

17. Redactaque propterea difficultate ad eos solitarios Eremitas sive Anachoretas, qui vastissimas solitudines intrantes, & ignota nemora ac secretas silvas adeuntes, ibi toto spatio vitæ suæ herbis & aqua victitantes, longissime ab urbibus, oppidis, & Monasteriis incogniti omnino vivebant, de quibus S. Hieronymus, Theodoretus, & alii Scriptores antiqui loquuntur, eorum vita fuse describitur a Petro Sutore *de vita Carthusiana lib. 1. cap. 15. Jam vero quartum genus Anachoretarum subjungamus, eorum videlicet, qui solitudinem extremam coluerunt. Non enim vel comitem juxta se habere, vel cum aliis etiam Anachoretis se continere, sed solitarie penitus agere, certum illis erat. Ut enim parius ac perfectius contemplationi, vitæque sublimitati incumberent, soliusque amori Conditoris, quem sitiebant, jugiter inhærerent, nec haberent quidquam, quod eos a tam sancto commercio disseparare posset, mortalium omnium aspectus consortiaque prorsus devitabant. Et horum quidam ita latuerunt, ut penitus ab hominibus ignorarentur. Alii vero fama quidem noti, sed vultibus incogniti, in abditis eremi latebris sese occuluerunt. Denique hanc extremam vitam nonnulli perseveranter perpetuoque tenuerunt. Alii vero, postquam assiduo longoque tempore coluissent, eam tandem destituerunt.*

18. Hos itaque Solitarios probari non potest ad ecclesias, utpote ab eorum habitatione per longum itineris spatium segregatas, statis temporibus accessisse, vel Presbyteris ad eos aditum patuisse; & ex hoc difficultas oritur, quomodo conscientiam sacramento Pœnitentiæ expiarent, & sacram reciperent Eucharistiam. Eorum mores describuntur a S. Augustino *lib. 1. de moribus Ecclesiæ (c. 31. n. 66. col. 710. t. 1. oper.) Nihil de iis dicam, quos paulo ante commemoravi, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & ejus pulcritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plus, quam oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare, longum & supervacaneum, puto; nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest?*

19. Si ergo, teste S. Augustino, adeo excelsa erat primorum Anachoretarum vita, salutari Pœnitentiæ sacramento ad salutem illi utique non indigebant, etiamsi in aliqua levia peccata incidissent; cum juxta nostrorum Theologorum sententiam peccata venialia non sint materia necessaria, sed sufficiens prædicti Sacramenti; & omnia, quæ de utilitate Confessionis, signanter in articulo mortis, dici possunt, hypothesim respiciant præsentiæ Sacerdotis, cui peccata venialia possint in Confessione aperiri; uti ipse, dum Promotoris officio fungebar, latissime prosecutus sum in causa Servi Dei Anachoretæ Gregorii Lopez, quæ adhuc pendet in sacrorum rituum Congregatione. Ad hæc, si præ infortunio, & humanæ naturæ imbecillitate aliquis eorum in grave peccatum lapsus esset, ecquis est, qui certo dicere possit, peccatorem a spelunca vel antro non discessisse, ut suam conscientiam sacra Exomologesi expiaret, licet id aut litteris mandatum non sit, aut saltem ignoretur, an litteris mandatum sit, cum non omnia a vitarum Scriptoribus, quæ a Dei Servis facta sunt, fuerint litteris consignata; ut in re, de qua nunc agitur, sapienter animadvertit Episcopus Sarnellus *in epist. ad Hieronymum a Basilicapetri post cit. decis. 62.* Clericati? Quod autem attinet ad sacram Communionem scribit Sozomenus *lib. 1. cap. 12. apud Valesium* hujus solitariæ vitæ initia esse referenda ad tempora persecutionum, quas ut effugerent, & ne pretiosum Fidei depositum, & Deum æternamque beatitudinem perderent, nonnulli ex Christianis urbes deserere adacti in antra & speluncas se receperunt; quod vitæ genus, sublatis Divino Judicio Christianorum Persecutoribus, alii postmodum amplexi sunt, ut Deo liberius inservirent segregati ab omnibus sæcularibus curis, & hominum commercio: testatur autem S. Basilius *in epist. ad Cæsariam, 93. col. 186. tom. 3. oper.* tempore persecutionum Christianos recedentes ab urbibus secum detulisse Panem consecratum, ut eo vesci possent: *Quod autem persecutionum temporibus cogitur quis absente Sacerdote aut Diacono Communionem sua ipsius manu accipere, id grave non esse supervacuum est ostendere.* Idem S. Basilius dicit, hunc fuisse morem etiam Anachoretarum: *Omnes enim in solitudinibus Monachi, ubi non est Sacerdos, Communionem domi servantes, suis ipsorum manibus sumunt.* Disciplinam hanc Ecclesiasticam exornant duo amplissimi Cardinales Baronius *in not. ad Martyr. Rom. ad diem 15. Augusti*, & Bona *rer. liturg. lib. 2. c. 17. n. 4.* Rursus, cum ad absentes etiam per Laicos in more esset ut sacra Eucharistia mitteretur (Dionysius enim Alexandrinus apud Eusebium *lib. 6. cap. 44. edit. Valesian.* narrat, a Presbytero missam fuisse Serapioni partem Eucharistiæ per puerum laicum, qui eam aqua intinctam in os Senis infudit, paulo antequam animam exhalaret; & apud Palladium *in hist. Lausiaca cap. 9. & 52. loc. cit.* refertur olim Monachos in solitudine habitantes non antea sumpsisse cibum, quam spirituale alimentum animæ accepissent, sanctam nimirum Communionem in cellis servatam, quam Sacerdotes vel illis in ecclesia dabant, si erant, videlicet ex cœtu eorum qui ad ecclesiam convenirent, vel domos mittebant, si ex aliorum cœtu erant qui omnino solitarii degebant) en duo modi, quibus Anachoretæ in solitudinibus viventes, & ab aliis omnino segregati sacram Communionem recipere poterant, & frequenter recipiebant. Multa exempla ex probatis historiis collecta habentur apud Clericatum *in allat. decis. 39. & seqq.* quibus ostenditur, aut pios & religiosos homines, Spiritu Sancto movente & dirigente, ad Solitarios accessisse, ut eis Sacramenta ministrarent; aut Angelos ipsos eis sacram ministrasse Eucharistiam. Demum, juxta doctrinam Theologorum, duce D. Thoma *3. part. quæst. 80. art. 11. in corpore*, sacra Communio necessaria est necessitate medii vel in re, vel in voto: *Duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis, & sacramentalis. Manifestum est autem, quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum; & ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset.* Itaque de nostris Anachoretis ait, multis collectis, Theophilus Raynaudus *in oper. cit. n. 10. pag. 46. Alios in eremi latebris longissime ab omnium convictu sepositos, Divino Spiritu ad hoc genus vitæ illos agente, a frequentia communicandi excusabat defectus Sacerdotis, qui Sacramenta porrigeret; quæ tamen, cum se dabat occasio, sumebant avidissime.* Et, ut demonstretur, etiam Sanctos, de quibus loquimur, a receptione Sacramentorum non fuisse undequaque segregatos, documentum extat *in hist. Lausiaca cap. 33.* apud Palladium *loc. cit.* ibi enim refertur, Ptolemæum in eremum secessisse, ubi perstitit annis quindecim, & *abalienatus a doctrina & congressione virorum sanctorum & utilitate, continua Sacramentorum communione, a recta via usque adeo recessit, ut quod nonnulli dicunt impii, casu omnia fieri, is quoque infelix id fateretur,*

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

De Carnis, & Corporis mortificatione.

1. DUM in superioribus agebamus de virtute temperantiæ, nonnulla dicta sunt de jejuniis & austeritatibus, quibus Sancti sua corpora afflixerunt. Sed, cum de carnis & corporis mortificatione particularis fieri debeat & sedula animadversio in causis Servorum Dei, de quorum agitur Beatificatione & Canonizatione, teste Scaccho in verbis mox referendis, nonnulla alia idcirco tum in præsenti capite, tum in sequenti erunt adnectenda ad hanc ipsam materiam pertinentia. En verba Scacchi *de not. & sign. sanct. sect. 5. c. 2. Gesta & Acta Servorum Dei non Martyrum, quæ per ordinem ad Canonizationem investigantur, posthabenda quidem erunt, in quibus nullum studium circa carnis corporisque mortificationem appareret. Quamobrem nec sanctitatis de his suspicionem habere con-*

re con-

re convenit, nec de cultu, aut veneratione eorum in Ecclesia Dei, ut puto, agere licebit: Sanctitatem enim illorum tantum probat ac veneratur Ecclesia in non Martyribus, quos in carnis castigatione & sensuum mortificatione studuisse compeeis. Quapropter nullas legimus in Ecclesia Sanctorum historias, aut bullas summorum Pontificum latas pro Sanctorum Confessorum, aut Virginum Canonizatione, in quibus carnis & sensuum macerandi studium in eisdem plurimum, ut par est, non commendetur.

2. De jejunio habetur *Tob.* 12. 8. *Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna.* Jejunio usi sunt Ninivitæ, prædicante Jona, ut habetur *Jon. cap.* 3. *v.* 7. Factum enim fuit hoc præceptum a Rege: *Homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant.* Notat Tirinus *cap. cit.* Regem illum fuisse Sardanapalum, & subjicit: *Qui etsi perditissimus esset moribus, totusque luxu diffflueret, auditis tamen Jonæ Prophetæ minis... compunctus & conversus est, egitque pœnitentiam cum omnibus suis Ninivitis, ac proinde parcitum illis a Deo.*

3. Prima mentio cilicii habetur *Genes.* 37. *v.* 34. ubi narratur, Patriarcham Jacob cilicio se induisse, cum filium suum Joseph, quem fratres Ismaelitis vendiderant, credidit a feris devoratum: *Scissisque vestibus, indutus est cilicio lugens filium suum multo tempore.* Frequens fuit usus cilicii Regi David. Quippe *Psalm.* 34. *v.* 13. legitur: *cum mihi molesti essent, induebar cilicio;* & *Ps.* 68. *v.* 12. *Et posui vestimentum meum cilicium;* & cum grassaretur pestis in populum 1. *Paral. c.* 21. *v.* 16. *Ceciderunt tam ipse* (videlicet David) *quam majores natu vestiti ciliciis proni in terram.* Cum Rex Joram audivit, urgente fame, matrem comedisse filium, *scidit vestimenta sua & transibat per murum, viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus,* ut habetur 4. *Regum cap.* 6. *v.* 30. Judith vitam pœnitentem in viduitate agens cum puellis suis clausa morabatur *cap.* enim 8. *v.* 6. *& habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbata.* Item, Holoferne obsidente Bethuliam, *induerunt se Sacerdotes ciliciis,* juxta ea, quæ leguntur *Judith cap.* 4. *vers.* 9. Quoties Sacerdotes, & Prophetæ prædicabant pœnitentiam, populum hortabantur, ut cilicium assumeret. Ita Jeremias *cap.* 4. *v.* 8. *Accingite vos ciliciis, plangite, & ululate.* Machabæi, ut habetur *lib.* 2. *Machab. cap.* 10. *vers.* 25. in angustiis bellorum constituti deprecabantur Dominum *caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti.* S. Joannes quoque Baptista Christi Præcursor, dum prædicaret pœnitentiam, habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, ut habetur *Matthæi* 3. Sciendum est quippe, duplicem esse formam ciliciorum; unam videlicet esse quoddam indumentum asperum e pilis caprarum, seu camelorum, aut aliorum animalium contextum, quod sancti homines & Pœnitentes super nudam carnem ferebant, ad humeros & latera constrictum: alteram esse catellam, duobus circiter abhinc sæculis inventam, instar cinctorii ex filo ferreo, vel aurichalco, vel argento compactam, qua lumbi hominum Deo servientium & Pœnitentium præcinguntur: & de primo quidem ciliciorum genere loquitur Joannes de Janua apud Du Cange *in verb. Cilicium,* ubi hæc habet: *Cilicium velamentum factum de pilis caprarum, vel taxorum, unde tentoria fiunt, & mortui operiuntur.*

4. His generaliter præmissis quoad jejunia & cilicium, ut ad institutum nostrum redeamus, & rectus ordo servetur, primo inquirendum est, quid sit carnis & corporis mortificatio; secundo, in quibus consistat; tertio, an sit necessaria; quarto, quomodo nonnulli Sancti in ea se exercuerint; ultimo, an, & quomodo ea adeo in Canonizandis requiratur, ut sine ipsa ad ulteriora in eorum causis procedi non possit.

5. Initio itaque ducto ab examine primi puncti, facilis & obvia est responsio: nemo quippe non agnoscit, carnis & corporis mortificationem nihil aliud esse, quam curam & studium, adhibitis opportunis cautionibus, ne concupiscentia spiritui obsistat, & ei dominetur. Sanctus enim Petrus ait, carnalia desideria militare adversus animam: S. Paulus, legem membrorum legi mentis repugnare, prudentiam carnis inimicam esse Deo, carnem concupiscere adversus spiritum, & spiritum adversus carnem. Hoc intestinum bellum in nobis est. Concupiscentia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, & in renatis ex fonte Baptismatis relicta est ad agonem, ut ait Concilium Tridentinum *in decreto de peccato originali.* De hac pugna hæc habentur apud S. Prosperum, seu Pomerium *lib.* 3. *de vita contemplativa cap.* 2. *Piis conatibus nostris resistit ipsa concupiscentia vitiosa, non naturalis, sed naturæ nostræ indita pœnaliter & inserta, quæ peccato facta est, & peccatum, si viceris, facit.* De ejus autem victoria subjicit Joannes Cassianus *in l.* 5. *de spiritu gastrimargiæ cap.* 21. *pag.* 115. *Intestinum in nobis quotidie geritur bellum. Devicto eo, omnia, quæ forinsecus sunt, reddentur infirma, ac militi Christi universa pacata erunt & subdita. Non habebimus adversarium nobis extrinsecus metuendum, si ea, quæ intra nos sunt, spiritui devicta subdantur.*

6. Hinc transeuntes ad examen secundæ quæstionis, qua in re consistat carnis & corporis mortificatio, respondemus, consistere in abstinentia, jejunio, cilicio, vigilia, chameuniis, spontaneis verberationibus, quæ *disciplinæ* dicuntur, & similibus rebus, quibus caro affligitur. Paulus Apostolus *in epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 9. *v.* 27. ait: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar;* & *in* 2. *epist. ad Corinth. c.* 6. *v.* 5. modum significans, quo corpus castigabat, ait: *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis.* Ideoque S. Hieronymus *in commen. ad cit.* 1. *epist. ad Corinth.* sic loquitur *col.* 926. *oper. tom.* 11. *Castigo corpus meum, & servituti subjicio per abstinentiam, & afflictionem, atque labores, sicut alibi ait, in jejuniis multis, in fame, & siti, in frigore, & nuditate, in laboribus, & carceribus.* Concordat Auctor commentarii in epistolas S. Pauli S. Ambrosio adscripti (*in* 1. *ad Corinth. c.* 9. *v.* 26. *col.* 143. *append. tom.* 2. *oper.*): *Castigare corpus, est jejuniis illud angere, & illa ei dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum.* Demum S. Augustinus *in tract. de cantico novo c.* 3. *col.* 592. *tom.* 6. *oper.* ait: *Vide illum gubernatorem, eumdemque viatorem Apostolum Paulum: vide illum jumentum suum domantem. In fame (inquit) & siti, in jejuniis sæpius castigo corpus meum, & in servitutem redigo. Ita ergo & tu, qui ambulare desideras, doma carnem tuam, & ambula: ambulas enim, si amas, non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus.*

7. Nulla apud citatos Patres mentio fit spontaneæ verberationis, nec ullum ejus in antiquioribus Ecclesiæ monumentis infra referendis superest vestigium. Quapropter dubitatio oritur, an ea inter ceteros modos ab Ecclesia approbatos carnem & corpus mortificandi sit adscribenda. Morinus *in tract. de sacram. Pœnit. lib.* 7. *cap.* 14. *n.* 1. usum flagrorum admittit aliena manu, non propria corpori admotum. Jacobus Boyleau historiam edidit Flagellantium, sive *de recto, & perverso flagrorum usu apud Christianos,* & in ea totus est, ut ostendat, Beatos Dominicum Loricatum, & Petrum Damianum auctores fuisse *disciplinarum* sponte, seu propria manu inflictarum; & ante eos flagra quidem in usu fuisse, sed ita, ut quis ab alio vapularet, non autem, ut se propriis manibus verberaret; atque ita quodammodo innuere velle videtur, nostrarum *disciplinarum* consuetudinem non esse omnino approbandam; præcipue cum flagellorum ictus dorso incussi oculis officiant, methodusque flagellandi lumbos femorales ad venerem incitet, ut ipse prosequitur *in cit. histor. cap.* 10. quod ipsum argumentum late comprobare nituntur Joannes Henricus Meibomius pater, & Henricus ejus filius, & Thomas Bartholinus *in tract. de usu flagrorum in re medica, & venerea, & lumborum & renum officio.* Cardinalis Baronius *in annal. ad an.* 1056. *n.* 7. Petrum Damianum non institutorem, sed spontaneæ verberationis propagatorem asserit: *Eodem quoque tempore, etsi non eodem auctore Petro, tamen certo propagatore, atque adversus impugnantes propugnatore, introductus est in Ecclesiam ille laudabilis usus, ut pœnitentiæ causa Fideles verberibus se ipsos afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis, exemplo Beati Dominici Loricati sibi subditi sanctissimi Eremitæ.* Cumque Petrus Cerebrosus Monachus ejusdem Beati Petri Damiani quoque discipulus, ac nonnulli Monachi Florentini, & alii Cassinenses, impulsore potissimum Stephano ex Monacho Cassinensi S. R. E. Cardinali, se aversos huic usui flagrorum ostendissent, idem Damianus in suis libris eorum rationes strenue confutavit. Animadverti præterea potest, spontaneas istas verberationes, quas *disciplinas* vocant, fuisse adhibitas a Guidone Pomposejano Abbate, & a S. Poppone pariter Abbate: quod utique satis est, ne Dominicus, & Petrus pro auctoribus haberi possint; uti bene adnotavit Mabillonius *in præfat.* 1. *in sæc. VI. Ord. S. Benedicti n.* 39. ubi scribit: *Neuter vero* (loquitur de Guidone, & Poppone) *id addiscere potuerat ab exemplo Dominici Loricati utroque junioris, multo minus Petri Damiani, qui necdum ea de re scripserat.* Mabillonio autem adhæret Graveson *in historia Ecclesiastica tom.* 4. *par.* 1. *decimi, & undecimi sæculi colloq.* 6. *pag.* 121. *& seq.*

8. At, quidquid de primo institutore dicendum sit, certe au-

te antiquiores Regulæ monasticæ pro satisfactione peccatorum Monachum, qui peccavit, verberibus & flagris percutiendum statuerunt; &, juxta libros Pœnitentiales, Pœnitentes se aliquando prosternebant ad pedes Confessarii, ut ab ipso virgis cæderentur; unde in vita S. Ludovici Regis Franciæ auctore Gaufrido *cap. 3. apud Bolland. ad diem 25. Augusti tom. 5.* legitur *pag. 547. Nam post Confessionem a Confessore suo disciplinam semper recipiebat*, & infra: *Hanc autem disciplinam existimo apud quemdam habuit Confessorem, qui erat solitus sibi dare disciplinas nimis immoderatas & duras: super quo caro ejus tenera non modicum gravabatur. Quod gravamen nunquam illi Confessori, quamdiu viveret, voluit revelare: sed post mortem dicti Confessoris quasi jocando, & subridendo hoc alteri Confessori suo humiliter recognovit.* Quibus positis, nemo est qui non videat, pium, laudabile, & sanctum esse, spontaneis verberibus suum corpus affligere; uti bene prosequitur Mabillonius *loc. cit. num. 41. In summa omnia satisfactionum & expiationum genera, quæ Pœnitentibus a Sacerdotibus imponi possunt, & a Canonibus sunt præscripta, ea sponte sibi imponere & infligere licere, non dubito.*

9. Rursus, si Petrus Damiani, Rodolphus Episcopus Eugubinus, Dominicus Loricatus, Gualbertus Abbas Pontissariensis sanctimoniæ fama illustres, spontaneis corpus suum verberationibus afflixerunt, ut ipse Boyleau *in hist. Flagellantium* admittit, si nonnulli inter Sanctos relati hoc ipsum præstiterunt (ut infra videbitur) ecquis erit, qui spontaneo flagrorum usui, ejusque laudabili consuetudini obloqui ulterius eudeat? *Hos duces* (verba sunt Mabillonii *loc. cit.*) *sequi non inverecundum, aut suspectum, immo perquam honorificum, & tutum esse, nemo jure negaverit.* Addi posset veterum Avellinatarum, & Eremitarum Camaldulensium consuetudines fuisse omnino concordes in voluntariis verberationibus tum publice in Capitulo excipiendis, tum privatim in cellula sibimet inferendis, juxta ea quæ referuntur apud Abbatem Guidonem Grandum *in dissert. Camaldulens. dissert. 4. cap. 4. n. 7.* item, labente sæculo XIII. pium quemdam Eremitam Perusinum, nomine Rainerium, Spiritu Divino instinctum, nomine Dei Perusinos monuisse, nisi pœnitentiam agerent, fore ut universi misera & fœda morte conciderent: eosque hoc sermone permotos se, sumptis ad id loris, cædere per urbem instructo agmine incedentes cœpisse; tum urbe egressos, & ad vicina loca pergentes ex Thuscia in Marchiem devenisse; hunc porro religiosum modum pœnitentiæ ex urbe in urbem traductum, ab Imolensibus exceptum, & quasi per manus Bononiensibus traditum universam civitatem inflammasse, Sodalitate inchoata, quæ a recenti piorum simul coeuntium studio *Societas* appellata, post ab ipsa erga pauperes hospitalitate *Hospitalis S. Mariæ vitæ* nomen accepit, pio Eremita Rainerio Perusino supra memorato, qui Bononiam venerat, magna ad rem illam adjumenta subministrante, teste Sigonio *de Episcop. Bononiens. lib. 3.* Spernendæ autem sunt oppositiones petitæ a detrimento oculorum, & incitamento ad libidinem. Utcunque enim sit de probationibus, & exemplis relatis *in historia Flagellantium*, & apud Thomam Bartholinum, aliosque allegatos, hoc certum est, ex centum hominibus, qui se flagellant, vix unum inveniri, si modo invenitur, qui ex flagello incitetur ad venerem: cumque reliqui nonaginta novem rebelles carnis motus flagellando cohibeant, nemo est qui non videat, pium hunc usum licite ex prædicta ratione improbari non posse; & multo magis, cum ille, qui carnis rebellionem in ipsa verberatione experitur, non solum possit, sed etiam debeat ab ea se abstinere; quod ipsum fieri debet etiam ab illo, qui ex flagellis adhibitis visus detrimentum capit; nisi forte uterque, verberationis locum mutando, se ab utroque periculo liberare possit.

10. Nec urget, quod a Clemente VI. edita est Constitutio adversus Flagellantes, in qua vetitum est, ne de cetero Christifideles verberationibus utantur. Constitutio enim edita est adversus eos, qui ex Hungaria ortum ducentes viri & mulieres, per totam Germaniam superiorem & inferiorem, Poloniem, Galliam, Angliam, & Belgium bis palam de die, sed fere scurriliter, aculeatis funiculis ad sanguinem usque sese flagellabant; uti fuse refertur apud Spondanum *in continuat. annal. Card. Baronii ad an. 1349. num. 2.* & ex eo apud Josephum Binghamum *tom. 3. de antiquit. Ecclesiast. lib. 7. cap. 3. §. 12.* ubi etiam ille narrat depravatos eorum mores, & impia & hæretica dogmata, quæ profitebantur. In quo rerum themate unusquisque facili negotio cognoscere poterit, nullum hinc deduci posse argumentum adversus piam Sanctorum consuetudinem se flagris & loris percutiendi, ne caro adversus spiritum concupiscat: Quocirca ad rem subjicit Jacobus Gretserus *de spontanea disciplina* (*lib. 2. cap. 4. pag. 44. tom. 4. oper.*) *Non enim apta, aut valida est* (inquit) *hæc consecutio: Heretici hoc, vel illud fecere; ergo illicitum est: Alioqui texam & ego has, similesve consequentias: Heretici olim, præsertim Montanistæ, Quadragesimam exacte observabant, & extra hanc quoque Jejuniis impense vacabant; ergo illicitum est Quadragesimam, aut alia stata jejunia observare: Heretici Deum unum trinumque colunt; male igitur faciunt Orthodoxi, qui unitatem in Trinitate adorant. Uno verbo, quid non ex hoc principio, si semel recipiatur & approbetur, concludemus, etiam adversus istos, qui nobis cantilenam de Flagellantibus occinunt; qui non damnati fuere propter flagella (neque enim ignorarunt illius temporis Orthodoxi Sanctorum consuetudinem, qui flagellis sæpius in se animadvertunt) sed propter modum flagellationis, & circumstantias, crassosque errores, quibus incondita illa multitudo infecta erat... (nam, quadraginta quatuor articulos contra Ecclesiam Romanam ab illis traditos, defensosque fuisse, testatur etiam hæreticus Munsterus) rejecti, damnatique fuerunt flagellantes?* Et paulo post: *Itaque admodum inopes sunt, qui Catholicos hoc Flagellantium exemplo urgent. Quid enim tam sanctum, laudeque dignum, quod in abusum ab improbis verti nequeat? Ne ipsa quidem sacrosancta Sacramenta ab exilio, relegatione tuta erunt, si ita quis insanire velit. Si beneficia naturæ utentium pravitate perpendimus* (inquit Seneca *in fin. l. 5. quæst. nat.*) *nihil non nostro malo accepimus. Cui videre expedit? Cui loqui? Cui non vita tormentum est? Nihil invenies tam manifestæ utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa. Sic ventos quoque natura bonos futuros invenerat: ipsi illos contrarios fecimus: omnes in aliquod nos malum ducunt.* Et infra: *Non est autem silentio prætereundum mendacium Hospiniani Calvinistæ, qui in libro festorum Gentilium, ubi de flagellatione Spartanorum agit, scribere audet, Clementem V. Pontificem Romanum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Flagellantibus, & omnibus Christianis prohibuisse, ne de cetero publicis flagellationibus uterentur, sed Pœnitens clam, si vellet, se flagellaret: nihilominus tamen per Italiam, Hispaniamque in primis ejusmodi flagellationes retentas esse. Mentitur Calvinista: non enim prohibuit Clemens quascumque publicas flagellationes, sed illas Flagellantium, qui varias per urbes divagabantur, magnamque manum post se trahebant non sine periculo seditionis, inconsultis, quin & invitis ac reclamantibus Ecclesiæ Præsulibus, contemptoque Clero, & despectis omnium Religiosorum Ordinum familiis. Qui profecto flagellationis modus ob has & multas alias peristases non potuit esse tolerabilis, præsertim, cum Flagellantes illi potissima ex parte constarent ex rudi, agresti, indocta, & incondita multitudine, sicut jam Anabaptistarum secta & factio. Et hunc solum flagellationis modum prohibuit Clemens V. vel, ut Nauclerus ait, Clemens VI. Neque hunc retinuerunt Itali, aut Hispani, ut iste fabulatur: neque turmatim varias regiones, flagellando, peragrant, ut faciebant Flagellantes, multoque minus perversis illis de flagellatione persuasionibus imbuti sunt, quibus illi imbuti erant; sed intra eamdem civitatem in Processionibus publicis, cum varia templa religionis gratia adeuntes, disciplinas faciunt, præcipue diebus Quadragesimæ, illisque, quibus annua memoria Christi pro nobis passi & crucifixi recolitur. Hanc flagellationem nullus umquam Pontifex prohibuit; &, quoties hoc disciplinarum obtrectatores asserunt, toties a veritate avii deflectunt.*

11. Hactenus Gretserus, qui Joannem Gersonem accuset, ex quo sui ipsius verberationem rejecit tanquam inhumanam & truculentam. Sed Theophilus Raynaudus *oper. tom. 8. in mantissa ad indiculum Sanctorum Lugdunensium pag. 99.* refert, Gersonem timuisse, ne sub umbra Pœnitentium, qui se cædentes S. Vincentium Ferrerium sequebantur, hæresis Flagellantium reviviscerent, aut latius diffunderetur; & præterea non omnia approbasse, quæ fiebant a turbis dictum Sanctum comitentibus; at ab eo nunquam fuisse improbatum laudabilem usum verberationum: *Itaque pro more sanctorum Patrum, qui ad alicujus erroris extirpationem securiorem videntur inclinare in partem oppositam, visus est Gerso minus æquus in usum flagellationis. Et erant etiam adjuncta quadam in usu, cui Gerso adversabatur, vel periculosa, vel improbanda. Nam passim fiebat tunc flagellatio publice, unde poterant vanitas & ostentatio obrepere. Turba item sequebantur Sanctum Vincentium per varia loca, quæ discursationes non vacabant incommodis reprehensioni*

paten-

patentibus. Absolute autem ac simpliciter loquendo, flagellationes, etiam a se ipso, & usque ad moderatum sanguinis effluxium, nec a Gersone sugillatæ sunt, nec potuerunt sugillari. Demum de laudabili spontaneæ verberationis usu hæc habentur in relatione Rotæ Auditorum in causa S. Ludovici Bertrandi (*tit. de temperantia*): *Non immemor præcepti Davidici Psalm.* 2. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa; *Beatus Ludovicus adeo flagellis cædebat corpus suum, ut non solum ejus disciplina, sed etiam parietes conspersi sanguine viderentur. Et hæc multa solet commoda parere; nam, teste Sancto Cypriano in libro de disciplina, est custos Spei, retinaculum Fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere, semper ac jugiter Deo vivere, & ad promissa cælestia & Divina præmia pervenire. Quod non incongrue potest intelligi de hac corporis flagellatione, sicut & supra dictus Prophetæ locus, ita ut nos hortetur, ut sensus coerceamus, ne extra recti metas evagentur; ut corpus, ne lasciviat, comprimamus, &, effrenatis ejus motionibus domitis, castigemus: quod bene præstat ille, qui se cædit flagellorum aculeis; & aliqui Religiosi ante corporis flagellationem præmittere solent dictum versiculum*, Apprehendite disciplinam.

12. Examini primi, & secundi puncti succedit examen tertii, an videlicet carnis & corporis mortificatio necessaria sit. Respondetur, præter jejunia, & cetera ab Ecclesia præcepta, eam non esse necessariam, ut homo salutem æternam consequatur; *Non enim necesse omnibus est* (verba sunt Cardinalis Bellarmini *de septem verbis Domini lib. 2. cap. 10.*) *humi cubare, flagellis ad sanguinem usque corpus proprium cædere, jejunare quotidie in pane & aqua, cilicium asperum, vel ferream catenam ad nudam carnem quotidie gerere, & alia id genus ad carnem edomandam, & cum vitiis & concupiscentiis crucifigendam facere.* Est tamen modo infra explicando necessaria, ut quis ad apicem Christianæ perfectionis deveniat. Apostolus (uti supra vidimus) corpus extraordinariis afflictionibus in servitutem redigebat; ne forte, postquam aliis prædicasset, reprobus efficeretur, hoc est abjiceretur tanquam salute indignus, ex quo secundum carnem vixisset, contra quam aliis prædicaverat. Itaque, si hæc de se scripsit Apostolus, postquam ad tertium cælum ascenderat, & in paradisum ductus arcana verba audiverat, quæ homini loqui non licebat; unusquisque ab hoc exemplo inferre poterit, non modo utilem, sed & necessariam pro Christiana perfectione esse eximiam corporis mortificationem, quemadmodum argumentatur fundatissimus Doctor Estius *ad cap. 9. cit. epist. ad Corinth. v. 27.* Desumitur hoc ipsum ex doctrina S. Prosperi *lib. de vocatione Gentium cap.* 28. ubi docet, excepto Christo, in ceteris hominibus, donec caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, immutabilem animi fortitudinem non posse reperiri; quod probat evidenti argumento ex oratione Dominica, qua non solum ab incipientibus, verum etiam a provectissimis Sanctis, inter quos Petrum nominat, uniformiter Domino supplicatur, & dicitur: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Alia Patrum testimonia collecta legi possunt *in Ethica sacra* Hieronymi Dandini Societatis Jesu Presbyteri *lib. 11. cap. 2. & 3.* & Bernardinus Rosignolius ejusdem Societatis Theologus *in tract. de disciplina Christianæ perfectionis lib. 2. cap. 12.* consentanee ad supradicta scribit: *Debet proficiens animo maxime affectus esse erga genus vitæ severioris, suoque corpori ac sensu, hoc est veteri homini eam vexationem & mortificationem optare, quam vix, ac ne vix quidem possit efficere.* Et paulo post: *Et sane, hanc eamdem fuisse vitam, hoc est vivendi rationem Jesu, intelligit, qui legit Evangelium, in qua, quam famem & sitim, quam inediam Dominus toleravit, quas vigilias susceperit, quanto, ut ita dicam, odio carnem suam innocentissimam sanctissimam habuerit propter salutem & institutionem nostram, quam semper animo paratissimus fuerit ad gravissima quæque mala nostri causa expectanda & sustinenda, luce clarius intuemur.*

13. Simile illud est, quod a Philosophis, & Theologis dicitur de virtute temperantiæ. Quamvis enim non oporteat, ut quis virtute temperantiæ Christianæ præditus dici possit, ut in totum abstineat ab omnibus illis voluptatibus, quæ licitæ sunt, licet non necessariæ pro vita conservanda; necessarium tamen est, ut ab illis etiam abstineat, qui ad apicem Christianæ temperantiæ contendit; uti bene ratiocinatur Cardinalis de Aguirre *in disqui. Ethic. disput. 6. de temperantia quæst. 2. sect. 3. num. 26. pag. 299. Non enim Christiana temperantia, aut frugalitas aversatur voluptates illas, quæ licite necessariæ sunt vel vitæ simpliciter tuendæ, vel in hoc, aut illo officio & conditione, aut uniuscujusque instituto conservandæ, quin potius inclinat ad eas moderate, seu mediocriter accipiendas &c. Viri enim mediocriter temperati illas admittunt, quoties nec honestati, nec decori, nec debitum officio, aut rectæ rationi contradicunt, quamvis necessariæ non sint nec ad vitam simpliciter tuendam, nec ad bonam habitudinem retinendam, comparandamve. Viri autem temperati in excellenti, aut eximio gradu ab iis omnibus, aut fere omnibus voluptatibus concessis, & non necessario abstinent, ut perfectiori vitæ, & abstractiori studeant.*

14. Sequitur ut videamus, quomodo nonnulli Sancti in sui corporis afflictione se exercuerint. Theodoretus Episcopus Cyri in Concilio Chalcedonensi, & quinta Synodo Generali causa trium Capitulorum celeberrimus *historiam* scripsit *religiosam*, in qua refert vitas triginta Solitariorum Orientalium. Ex eo autem intelligimus *oper. tom. 3. part. 2.* S. Jacobum Nisibenum sibi ipsi toto vitæ tempore interdixisse usum ignis, prostratum humi discubuisse, nec vestibus ex lana confectis, sed caprinis pellibus usum fuisse; S. Julianum panem ex furfure miliario confectum comedisse, & fere ab omni specie potus abstinuisse; S. Marcianum, qui famis ac sitis morsus continuo sustinebat, semel tantum, ac leviter qualibet die comedisse; S. Eusebium injectam renibus catenam ferream gessisse, & annis quadraginta duobus sine potu vixisse; S Publium seniorem, & Simeonem se herbis tantum & fructibus aluisse: S. Theodosium Episcopum, præter renes, cilicio & catena ferrea collum, & manus onerasse; S. Macedonium hordeo solo annis quadraginta vitam sustentasse; Abraham Episcopum integro sui Episcopatus tempore nec panem, nec legumina gustasse, nec aquam bibisse; & adeo attenuatum continuis jejuniis Sanctum Eusebium evasisse, ut, emaciatis lumbis, zona ad pedes identidem diflueret. Sanctus Hieronymus Pauli primi Eremitæ abstinentiam admirans, quod palma nimirum victum, & vestitum Dei Famulo præstaret, ut dictis fidem faciat, statim addit (*num. 6. col. 5. tom. 2. oper.*): *Quod ne cui impossibile videatur, Jesum testor & Sanctos Angelos ejus, in ea eremi parte, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, & vidisse me Monachos & videre, e quibus unus per triginta annos clausus hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit. Alter in cisterna veteri (quam gentili Sermone Syri Gubbam vocant) quinque carycis per singulos dies sustentabatur.* In vita S. Hilarionis idem S. Hieronymus ait (*num. 5. col. 55. eod. tom.*): *Herbarum ergo succo & paucis caryicis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat*; postquam retulit, eum a Satana fuisse pertentatum libidinum incendiis: *Titillabat itaque sensus ejus, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tirunculus Christi cogitare quod nesciebat, & ejus rei animo pompam volvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans (quasi cogitationes cæde manus posset excludere): Ego (inquit) aselle, faciam, ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam ac siti, gravi onerabo pondere; per æstus indagabo & frigora, ut cibum potius, quam lasciviam cogites.* De S. Antonio orbis miraculo scribit S. Athanasius in ejus vita (*apud Bolland. ad diem 17. Januarii tom. 2. cap. 2. pag. 123.*) *Inediæ autem & vigiliarum in tantum patiens erat, ut incredulitatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione sæpissime, edebat semel in die post solis occasum; nonnumquam biduo triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat vero panem, & sal, potumque aquæ perparvum*: & infra: *Quieti autem membra concedens junco contexto atque cilicio utebatur, nonnumquam etiam super nudam humum jacebat.* Ad quæ si aliquis alia ab Ecclesiasticis historiis exempla desumpta præ oculis habere vellet, ea collecta legere posset apud Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 2. disp. 32. art. 16. num. 550. & seqq.*

15. Concordant Bullæ Canonizationum. Affert Scacchus *loc. cit.* eas Sanctorum Bernardi, Edmundi Episcopi Cantuariensis, Thomæ Episcopi Herfordiensis, & SS. Claræ, & Catharinæ Senensis. Addi posset Bulla Canonizationis S. Francisci Assisiensis (*pag. 61. cod. Canoniz.*): *Carnem suam, quasi filiam unigenitam, quæ ipsum interdum deceperat, cum Jephthe Domino in holocaustum obtulit, igne supposito Charitatis, illam fame, siti, frigore, ac nuditate, vigiliis multis, & jejuniis macerando; qua cum vitiis & concupiscentiis crucifixa, dicere poterat cum*

Apostolo: Vivo ego, jam non ego; vivit autem in me Christus. Itemque bulla S. Petri de Alcantara (*pag.* 382. *ibid.*): *Per quadraginta annorum decursum sesquihoram tantum somno concessit. Jejunium amavit adeo, ut ad triduum ordinarie, & ad octo aliquando dies inediam protraxerit. Asperrime praeterea cilicio armatus, beactea ferrea per viginti annos, praefixis aculeis corpus dilanians, bis in die flagellis in se crudelissime animadvertens, itinera, quamvis longissima atque asperrima, capite semper detecto undisque pedibus per aestus & frigora suscipiens, ita ut, cum nudum caput imbribus & nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, & aestate praefervida exurentibus Solis radiis capite vehementissime cruciaretur: respondere solitus interrogantibus, cur detecto capite semper incederet, nefas esse, coram Deo tecto capite ambulare. Cum vetustum ac vilem saccum abluebat, madidum corpori aptabat; quin etiam in gelidam aquam, rigente hieme, sese plerumque injiciebat. Praeter haec familiare illi erat, hieme summa, urgente nivis frigore, deposito pallio, fenestram & januam cellae reserare, ut, frigidissimo excepto aere & gelu, acrius torqueretur caro, mox eximenda diris cruciatibus, cum fenestram clausisset & januam. Eo devenit hac saeva maceratione membrorum, ut ex narratione Sanctae Teresiae arido & exangui corpore radicum arboris speciem exhibuerit; oculis autem in cavum recedentibus, & sulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirabile Poenitentiae simulacrum videretur &c.* Magna quoque sunt, quae de carnis maceratione leguntur in Bulla Canonizationis S. Rosae Limanae *pag.* 407. *cod. Canon.* & quae praeterea referuntur a Cardinali de Lauraea, qui uti sacrae Congregationis Consultor in ejus causa suffragium tulit, Narratio, quae sequitur, desumpta est ex 3. *lib. sent. tom.* 2. *disput.* 32. *art.* 16. *num.* 569. *Haec prae ceteris cellulam quinque palmorum altitudinis, trium vero latitudinis frequenter inhabitabat. Cilicio totam carnem vestiebat. In lecto extra cellulam ex lignis, saxis, ac testulis constructo, & cervicali ex lignorum quisquiliis referto cubabat. Funiculo ex clavo pendente capillos de nocte ligabat; ut, si quando gravatum prae somno caput deorsum declinaret, prae dolore excitaretur. Catenis ferreis carnem ad vivum penetrantibus succingebatur. Manus, quia albae & decorae apparebant, calce viva ulcerabat. Corona aciculis perforantibus, & saepe sanguinem elicientibus caput redimibat. Disciplinis ad sanguinem ita dire se excarnificabat, ut dorsum laceratum semper & plagatum gestaret. Oculos mordacibus liquoribus cruciabat. Fere perpetuo vigilabat. Pane vilissimo & modico reficiebatur; neque semper, sed interdum ingratis malorum medicorum seminibus in cibo utebatur. Palatum amaris nasturtii foliis, & granadiliae, ut dicunt, & fellis potu amaricabat, & vice quadam saniei vas ebibit. Ingentibus iliorum, stomachi, & calculorum doloribus afflictabatur. At ita corpus rationi subegerat, ut nedum imperturbata, sed laeta ac gestiens Deum oraret, ut dolores angeret.*

16. Si omnia, quae leguntur in relationibus Rotae Auditorum, quae ad praesens caput spectant, essent in hoc caput inserenda, caput profecto cresceret in immensum. Nonnulla tantum afferre animus est, ut dignoscatur, Sanctos, qui Canonizationis honores consecuti sunt, sive Pontifices, sive Confessores, sive Virgines, carnis & corporis macerationi, voluntariis adhibitis afflictionibus, maximopere studuisse. In relatione causae S. Pii V. formis impressa in tomo posthumo annalium Abrahami Bzovii *tit. de temperantia*, narratur, eum, licet senem, jejunium servasse sacro Quadragesimae & Adventus tempore, & ceteris statutis ab Ecclesia diebus; ingruentibus Ecclesiae necessitatibus, saepe sibi voluntarium jejunium indixisse; tribus tantum hebdomadae diebus carnes comedisse, & carnem sibi a Ministris oblatam, instante mortis tempore, sed die quo a carne sibi temperare consueverat, licet contritis cum amygdalis confusam, ne gustu perciperet, agnovisse, & rejecisse, & astantibus dixisse, se per unum aut alterum vitae diem nolle custoditam per sexaginta annos vivendi legem revocare. In relatione causae S. Caroli Borromaei 2. *part. argument.* 18. Rotae Auditores haec ex processibus hauserunt, illum coepisse primum semel in hebdomada jejunare; deinde fecisse jejunium quotidianum; postea cibum serotinum omisisse; tum paulatim abstinuisse a vino, carnibus, ovis, & piscibus; & sibi ter vel quater in hebdomada jejunium praescripsisse ex pane & aqua; eodemque modo totam Quadragesimam peregisse, exceptis Dominicis diebus; praeterea macerationi macerationem addendo, tempore Quadragesimae etiam panem omisisse, & solas ficus aridas, & in hebdomada majori solos lupinos in aqua madefactos comedisse; quam vivendi rationem usque ad obitum protraxit. Addunt, eum aliquando a cibo & potu abstinuisse spatio horarum quadraginta, quo tempore jejunus in oratione perseveravit, & singulis horis praedicavit; insuper cilicium gessisse, usum esse *disciplina*, & ultimis annis vitae dormiisse super paleis, & aliquando super nudis tabulis.

17. In causa S. Francisci Salesii non fuit a Rotae Auditoribus exarata relatio, cum ex alibi dictis tunc mos praedictarum relationum cessasset; sed de ejus abstinentia & afflictionibus corporis illustre testimonium perhibetur a Carolo Augusto Salesio ejus nepote in illius vita saepe citata *lib.* 5. *pag.* 239. *Sed nec ob eminentem Episcopalem dignitatem indulgebat sibi, ut plerique solent: quinimmo jejunium observabat rigidissime, scuticaque carnem macerabat suam usque ad sanguinem; sanguinolentam enim scuticam suam saepius Confessario suo viro integerrimo reficiendam dedit.* At, ad relationes ut redeamus, in relatione causae S. Francisci Xaverii *tit. de studio mortificationis, & operibus poenitentiae*, desumptis ex processu probationibus, narratur, vinum & carnem in quotidiano victu eum non adhibuisse; panis triticei usum ab se abdicavisse in privata vita, & quoties apud alios non vesceretur: itinera, pedibus nudis inter vepres & sentes ambulando, & stipem colligendo, confecisse; corpus suum flagellis aeneo filo contextis usque ad magnam sanguinis copiam percussisse; ad quatuor horarum spatium somnum contraxisse, & reliquum noctis tempus orando, & contemplando, aut aegros visitando consumpsisse. In relatione S. Ludovici Bertrandi *tit. de temperantia*, refertur, partem obsonii in mensa eum comedisse, quae vix ad hominis sustentationem sufficiebat, quem morem servavit etiam, dum munere praedicationis fungeretur; jejunium ita frequentasse, ut, contracta stomachi debilitate, aliquando in morbum inciderit; sal in cibis non adhibuisse, sed fere semper immiscuisse aliquem fruticem amarissimum; ante ingressum in Religionem vel sedendo dormiisse, vel in parva arca cubavisse, & Religionem ingressum super scamno dormiisse, & loco pulvinaris duobus libris usum esse, praeter spontaneas verberationes, & *disciplinas*, de quibus in eadem relatione, uti supra visum est. In relatione demum S. Mariae Magdalenae de Pazzis *tit. pariter de temperantia*, exponitur, eam per quinquennium solo pane & aqua vixisse, exceptis tantum diebus Dominicis, quibus comedit cibos Quadragesimales; aliis duobus sequentibus annis non dissimili modo se gessisse, adhibito vini potu duobus tantum diebus hebdomadae; in prima aetate sacco usam fuisse pro culcitra; per tres annos nudis pedibus incessisse; nulla habita cujuscumque frigoris ratione; integras noctes orando transegisse, ferreoque cingulo & cilicio carnes contrivisse. Atque haec, & multa similia passim habentur in relationibus, quas Rotae Auditores exararunt in causis SS. Cajetani, Francisci Xaverii, Joannis de Deo, Jacobi de Marchia, Francisci Borgiae, Paschalis de Baylon, Andreae Avellini, Felicis de Cantalicio, Aloysii Gonzagae, Franciscae Romanae, & Catharinae de Ricciis.

18. Superest, ut videamus, an & quomodo in Canonizando necessaria sit carnis & corporis mortificatio, ita ut, ea deficiente, ad ulteriora in causa procedendum non sit. Porro, si quaestio sit de his, qui adeo a carnis & corporis afflictione abstinuerunt, ut illud nimis dilexerint, & cibo potuque, & aliis sensibilibus delectationibus ultra necessitatem aluerint; nemo est qui non videat, ex his insuperabile derivari impedimentum, ne ad ulteriora in eorum causa procedi possit, licet ea aliis operibus meritoriis & eximiis esset plenissime instructa. *Sufficit enim corpori* (verba sunt S. Gregorii Nazianzeni *orat.* 44. *oper. tom.* 1. *pag.* 705.) *malitia sua. Quid flammae ampliore materia opus est, aut belluae copiosiori alimento, ut effrenatior reddatur?* Optime S. Basilius *oper. tom.* 2. *pag.* 181. *Nec corporis habenda est major cura, quam quantum animae prosit &c. Nam omne studium huc conferre, ut corpus quam optime se habeat, non hominis est sese cognoscentis &c. Quid autem quis dixerit de non perquirendis tactus gustusque voluptatibus, nisi quod cogant eos, qui his captandis vacant, ad ventrem, & ad ea quae sub ventre sunt, pecorum more pronos ac propensos vivere? Uno verbo, totum corpus contemnendum est ei, qui in ipsius voluptatibus quasi in coeno nolit volutari: aut tantum ei indulgendum est, in quantum, inquit Plato, philosophiae inservit: non longe aliter locutus, atque Paulus, qui monet, nullam corporis habendam curam ad cupiditatum materiam &c. Quapropter ratione plane contraria corpus castigandum est & cohibendum, haud secus ac impetus cujusdam belluae; atque ii tumultus, qui ab ipso in anima excitantur, ratione, veluti flagro, compescendi sunt, non autem, habenis voluptati omnino laxatis, negli-*

genda

genda meus est, adeo ut quasi auriga, qui ab equis effrenis violenterque agitatis abreptus sit, ducatur. Idem quoque judicium crederem esse ferendum de iis Dei Servis, qui, licet similia non præstiterint, & a nimio corporis amore abstinuerint, corporis & carnis nihilominus macerationi, dum viverent, nullatenus vacarunt. Licet enim ex supra dictis mortificatio per longa & non præcepta jejunia, per extraordinarias vigilias, per chameunias, & verberationes sponte susceptas, absolute & simpliciter non requiratur, ut quis salvam facere possit animam suam; cum tamen requiratur, ut quis ad apicem Christianæ perfectionis perveniat, & in Ecclesia militante non omnes, qui pie in Domino moriuntur, sed illi soli, quos claris probationibus ostenditur ad apicem Christianæ perfectionis pervenisse, in album Sanctorum referantur, dubitari non poterit de veritate afferti a Scaccho, qui *loc. supra cit.* docuit, causæ Servi Dei Confessoris silentium esse imponendum, si in ea desint probationes adhibitæ, dum viveret, debitæ & congruæ corporis mortificationis.

19. In superioribus visum est, quantum sanctitati prosit oratio, quantum contemplatio. Porro si desit carnis & corporis mortificatio, difficile admodum est, ut contemplationi via aperiatur, teste Gersonio (*oper. tom.* 2. *in tract. de non esu carnium apud Carthusienses col.* 726.): *Tribulationes itaque corporis dilatant animam ad superiora, & ad inferiora ne dilabatur, stringunt. Sic non inveniens anima, ubi suæ affectionis pes dilatetur aut quiescat, quoniam inundaverunt aquæ tribulationis super terram sensualitatis, regredi compellitur cum columba ad interioris arcam quietis. Qui vero jejunii talis, atque tribulationum ceterarum asperitatem a se jugiter repulerit, mirabor, si non expers erit elevatæ contemplationis, & si non assidue per ima serpet ejus animus, contentus communi modo cognitionis aliorum, sicut a communi ritu vivendi, vel ad tempus, non semel abducis. Videtis ergo quantum fervit contemplationis virtuti, in qua felicitatem Philosophi posuerunt, ipsa victus asperitas. Porro quid aget fortitudinis virtus, quid zelus animarum, quid Spes, quid Fides, & Charitas, vel ut ipsa in hominibus generentur, vel genitæ conserventur, augeantur, roborentur? Æstimo non magni pendent corporis jacturam, dummodo per eam finis suus habeatur. Ceterum attende tibi quid debeas animæ sanitati, & curationi a vitiis, quando,*

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignem,

inquit Naso *de remed. amor. v.* 229.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

De modo adhibendo in carnis & corporis mortificatione.

1. JUXTA illa quæ supra dicta sunt de carnis & corporis mortificatione, ea pertinet ad virtutem temperantiæ. Mediocritas autem temperantiæ, sicut & aliarum quarumlibet virtutum, inventu difficilis est, cum uno duntaxat modo attingatur, & fere innumeris ab ea recedi possit; unde in proverbium abiit illud Poetæ: *Medium tenuere beati*. Ut autem modus mortificationis carnis & corporis adhibendæ in re, de qua nunc agitur, explicetur, prænoscere opus est, corporis afflictiones non esse virtutes, sed instrumenta virtutum, ideoque esse debita cum moderatione exercendas; non oportere, omnes in omnibus esse æquales; locum nonnullis ex eis omnino non esse, cum ex usu proprii ministerii aliarum virtutum impedimentum derivari potest, aut singularitatis vitium ex aliquarum afflictionum exercitio oriri; laudandas demum eas esse, quæ prudenti Magistri spiritalis consilio adhibentur.

2. Dictum est autem, corporis afflictiones & mortificationes non esse virtutes, sed instrumenta virtutum; & sic esse debita cum moderatione exercendas. Postquam Apostolus ad Romanos *cap.* 12. *v.* 1. dixerat, *Obsecro itaque vos ... ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, subjecit: *rationabile obsequium vestrum*. Ad quem locum Glossa interlinearis habet: *Cum discretione, ne quid nimis*. Concordant Lyranus, & Theodoretus. Lyranus enim *rationabile* explicat ita ut sic maceretur corpus, ut servetur, & vitia excludantur; quia non debet corpus reddi ineptum ad debita opera & officia exequenda. Theodoretus autem: *Adhortatur, ut* (nostra corpora) *fiant hostia, & appellat hostiam viventem; non enim jubet, ut mactentur corpora, sed ut sint peccato mortua*. Communis quoque hæc est Asceticorum sententia. Rosignolius *de disciplina Christianæ perfectionis lib.* 2. *cap.* 12. ita scribit. *Jejunia, vigiliæ, & aliæ hujusmodi corporis afflictiones non tam perfectio sunt, quam instrumenta perfectionis, ut docet Cassianus, & confirmat Sanctus Thomas: non enim corpus deprimimus, quia ejus demolitionem ac interitum appetamus, sed ut ejus dejectione ac mortificatione nobis gradum ad virtutem perfectionemque faciamus. Eatenus igitur corpus affligendum, quatenus id ad perfectionem consequendam confert*. Adhæret Ludovicus Blosius Abbas Lethiensis *in institutione spirituali cap.* 2. §. 2. *pag.* 301. *Corpus ergo suum Asceta nimia abstinentia, nimiisve vigiliis, atque asperitatibus ex propria voluntate susceptis non opprimat, neque rursum illud nimis blande curet, sed sanctæ discretionis moderamen in omnibus servet, & aliorum sanis consiliis acquiescat*. Sequitur Dandinus in *Ethica sacra lib.* 12. *cap.* 5. *Quoniam carnem suam nemo odio habet, sed nutrit & fovet eam, ultro concedam, eam moderate castigandam esse, non occidendam ac perdendam, sed prudenter ac discrete subjugandam*. Quibus consentit doctrina D. Thomæ infra memoranda. Nec omitti potest doctrina S. Catharinæ Senensis *epist.* 360. *tom.* 3. *pag.* 737. *num.* 4. *Alcuna volta sono molti che ricevono inganno nella penitenza. Questo è quando la creatura si pone per principale affetto la penitenza, ed attende più ad uccidere il corpo, che la propria volontà, colà dove ella debba uccidere la volontà, e mortificare il corpo, e tanto amore vi pone, che non li pare potere avere Dio senza questa penitenza. Questo fondamento non è sufficiente da ponervi su grandi edifizii, anco è molto pericoloso e nocivo all' anima, e però non si debba ponere per fondamento ec. La penitenza si debba pigliare per strumento, & usare per augumentare la virtù, e non per mortificare il corpo, ma non per principale affetto. Chi fa altrimenti, inganna molto se medesimo*. Et in *dialog. cap.* 104. *tom.* 4. *pag.* 165. *E però non debbono esser ignoranti, ma debbono vedere, che la perfezione non sta solamente in macerare, nè in uccidere il corpo, ma in uccidere la propria e perversa volontà*.

3. Dictum est, non oportere, ut omnes in omnibus Dei Servis sint æquales. Ecquis enim est qui asserere audeat, non esse Canonizationis honore decorandos Dei Servos, qui sine cibo & potu jejunium ad quadraginta dies non protraxerint, qui a Domino, dimidium panis pro victu quotidiano cælitus mittendum non exspectarint, qui solo pabulo sanctissimæ Eucharistiæ non vixerint, qui toto vitæ tempore pedibus innixi in columna non permanserint; quia videlicet Moyses, Elias, & Christus Dominus sine cibo & potu jejunium ad quadraginta dies protraxerunt; quia, teste S. Hieronymo, S. Paulus primus Eremita dimidium panem a Deo quotidie miraculo recepit, ut viveret: quia nonnulli non alium panem pro victu sumpserunt, quam Eucharisticum; quia aliqui in columnis pedibus innixi per multos annos permanserunt, aut habitarunt in sepulcris, in carceribus, in ergastulis? Fuerunt hæc quidem a nonnullis Sanctis feliciter patrata, verum a speciali Divino instinctu ea certe manarunt: scriptis quoque mandata sunt, non ut imitationi exponerentur, sed ut in iis prædicaremus infinitam Dei potestatem & sapientiam, qui in Sanctis suis mirabilis est, & qui aliquando nonnulla præcipit, quæ fieri quidem vult ab aliquibus, sed, quo consilio ea fieri velit, homines interim vult latere, donec intremus in sanctuarium ejus, & intelligamus in novissimis illius, quemadmodum bene advertit Rosignolius *cit. cap.* 12. §. *Tertium caput*. Nonnulli item Sancti a vino bibendo prorsus toto vitæ tempore, vel plurium annorum spatio abstinuerunt: ecquis autem erit, qui iccirco a Dei Servo, qui debilitate stomachi, aut mala corporis totius, vel aliquorum membrorum affectione laboret, tamquam necessariam pro ejus Canonizatione omnino exigat a vino abstinentiam? Apostolus in *epist.* 1. *ad Timotheum c.* 5. *v.* 23. ait: *Te ipsum castum custodi, noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Quæ Apostoli verba sic explicat Estius: *Timotheus, ut castum semetipsum servaret, carnis lasciviam aquæ potu reprimebat, & ita quidem, ut a vino prorsus abstineret non sine dispendio sanitatis sui corporis. Dicit ergo ei Apostolus: Quamvis castitatis te admoneam, nolo tamen, ut in alteram partem pecces, & aquæ potu valetudinem lædas*. Nonnulli San-

Qi ab esu carnium toto vitæ tempore abstinuerunt: ecquis autem erit, qui Dei Servum carnes moderate comedentem reprehendere possit? De Sancto quippe Antonino Archiepiscopo Florentino habetur apud Bollandianos *tom. 1. ad diem 2. Maji pag. 328.* carnibus usum fuisse ob languores stomachi, perdices autem sibi appositas non agnovisse. Monachi Carthusiani a carnibus abstinent, sed ova comedunt. Religiosi Ordinis Minimorum nec carnes, nec ova comedunt, cibisque tantum Quadragesimalibus utuntur: ecquis autem erit, qui Dei Servum non Carthusianum, nec Minimum arguere rationabiliter possit, si aliquando pro victu carnibus & ovis usus sit? Denique multi Sancti (uti vidimus) corpus continuis & magnis verberationibus afflixerunt: ecquis autem rationabiliter hujusmodi verberationum usum exposceret in causa Servi Dei, qui similis esset S. Gregorio de se ita scribenti ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum (*epist. 35. lib. 10. col. 1064. tom. 2. oper.*): *Ecce enim jam biennium pene expletur, quod lectulo teneor.* Et in epistola ad Marinianum (*32. lib. 11. col. 1115. loc. cit.*): *Multum enim jam tempus est, quod surgere de lectulo non valeo; nam modo podagræ dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit, & fit plerumque, ut uno in me tempore ardor cum dolore confligat, & corpus in me animusque deficiat.* Quis requireret in Dei Servo jam fene omnium corporalium afflictionum usum, quem in juvenili, aut virili ætate adhibuit? S. Hieronymus in epistola 52. ad Nepotianum *num. 3. col. 254. oper. tom. 1.* hæc scribit: *Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, &, crescente sola sapientia, decrescunt cetera, jejunia, vigiliæ & eleemosynæ, chamæuniæ,* (id est super pavimentum dormitiones) *huc illucque discursus, peregrinorum susceptio, defensio pauperum, instantia orationum perseverantia, visitatio languentium, labor manuum, unde præbeantur eleemosynæ. Et, ne sermonem longius traham, cuncta, quæ per corpus exercentur, fracto corpore, minora fiunt.*

4. Dictum est, locum esse non posse illis abstinentiis, jejuniis, verberationibus, & ceteris corporis afflictionibus, ex quarum usu proprii ministerii, aut aliarum virtutum impedimentum derivari potest. Sententia est S. Basilii *cap. 4. Constit. monast. pag. 544. tom. 2. oper.* ita amplectendam nobis esse continentiam, ut eam cum viribus corporis commetiamur. Sententiam hanc pluribus illustrat Rosignolius *cit. cap. 12.* ubi post plura concludit: *Est igitur sententia sancti Patris hæc, sustentandum esse corpus, ut par sit oneribus Christianæ vocationis, quæcumque ea sit, ferendis; eaque in voluntariis jejuniis, vigiliis, & aliis corporis vexationibus regula servanda, quæ nihil impediat munera recta, & ex Deo institutæ cujusque vitæ.* Concordant ceteri Ecclesiæ Patres; S. Hieronymus videlicet *epist. 125. ad Rusticum n. 7. col. 970. loc. cit.* ubi ait: Jejunia *moderata sint, ne nimis debilitent stomachum, & majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Modicus ac temperatus cibus & carni & animæ utilis est;* S. Gregorius M. (*lib. 30. moral. cap. 18. num. 63. col. 984. tom. 1. oper.*) *Sic enim necesse est, ut arcem quisque continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat; nam plerumque, dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque, vel prædicationem non sufficiat, dum incentivo vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adjutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem, quem exterius gestamus, & ipsi insunt motus lasciviæ, ipsi affectus suppetunt operationis bonæ. Sæpe vero, dum in illo hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus;* & optime demum S. Thomas Theologorum princeps rem acutissime de more explicat: cum enim *Quodlibet. 5. art. 18.* quæstionem instituat, *utrum homo possit peccare nimis jejunando, vel vigilando*, ait: *Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in 1. Politic. aliter est judicandum de fine, aliter de his, quæ sunt ad finem. Illud enim, quod quæritur tamquam finis, absque mensura quærendum est; in his autem, quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem: sicut Medicus sanitatem, quæ est finis ejus, facit, quantumcumque potest majorem; sed adhibet medicinam, secundum quod convenit ad sanitatem faciendam. Est ergo considerandum, quod in spirituali vita dilectio Dei est sicut finis; jejunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia non quæruntur tamquam finis, quia, sicut dicitur ad Romanos 14.* Non est regnum Dei esca & potus; *sed adhibentur tamquam necessaria ad finem, idest ad domandas concupiscentias carnis, secundum illud Apostoli 1. ad Cor. 9.* Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. *Et ideo hujusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia devitetur, & natura non extinguatur, secundum illud ad Romanos 12.* Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem; *& postea subdit:* rationabile obsequium vestrum. *Si vero aliquis in tantum virtutem naturæ debilitet per jejunia, & vigilias, & alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, puta, Prædicator prædicare, Doctor docere, Cantor cantare, & sic de aliis, absque dubio peccat: sicut etiam peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum. Unde Hieronymus dicit: De rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel somni penuria immoderate corpus affligit &c.* Et S. Bernardus (ut est ibidem in argumento *Sed contra*) confitebatur, *se peccasse de hoc, quod nimis corpus suum jejunando & vigilando debilitavit.* Similia tradit S. Doctor 2. 2. *in quæst. 88. ar. 2. ad tertium: Maceratio proprii corporis, puta, per vigilias & jejunia, non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis; quod quidem est, in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, & natura non nimis gravetur:* itemque *in quæst. 146. ar. 1. corp.* ubi docens, abstinentiam non esse actum virtutis, nisi ratione regatur, asserit, id voluisse significare Divum Petrum illis verbis *2. epist. cap. 1. v. 6. In scientia autem abstinentiam* ministrate; Ut scilicet (ita interpretatur S. Thomas) *homo a cibis abstineat, prout oportet pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate;* prætetea *in quæst. 147. ar. 1. ad secundum, & quæst. 184. ar. 3. in corpore,* & alibi sæpius. Præclare demum *Guigo* Abbas *in tract. de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei edito inter opera* Sancti Bernardi *cap. 11. col. 219. n. 32. oper. tom. 2.* scribit: *Sunt & alia corporis exercitia, in quibus necesse est corpus laborare, sicut sunt vigiliæ, jejunia, & alia hujusmodi, quæ spiritualia non impediunt, sed adjuvant, si cum ratione & discretione fiant &c. Affligendum aliquando corpus est, sed non conterendum; nam etiam corporalis exercitatio ad modicum quidem valet, sed tamen utilis est.* Nec aliter S. Franciscus Salesius *in introduct. ad vitam devotam part. 3. cap. 23.* scribit: *Il difetto di questa moderazione ne' digiuni, discipline, cilicii, ed asprezze rende inutili al servizio della Carità i migliori anni di più persone, come fece all' istesso S. Bernardo, che si doleva d' aver usata troppa austerità:* Et infra: *Se la fatica che voi fate, vi è necessaria, o molto utile alla gloria di Dio, io amo meglio, che sopportiate la pena della fatica, che quella del digiuno. Questo è il sentimento della Chiesa, la quale per le fatiche utili al servizio di Dio, e del Prossimo, disobbliga quelli, che lo fanno, dal digiuno eziandio comandato.*

5. Quid autem dicendum erit de iis, qui carnem & corpus ita torquent extraordinariis afflictionibus, ut ab exercitio operum bonorum, quæ ex instituto facere tenentur, non impediantur quidem, sed tamen mortem sibi accelerent, & vitæ tempus brevius efficiant? De quodam Abbate Myrogene *in prato spirituali* Sophronii *cap. 8. pag. 858. apud Rosweydum* hæc leguntur: *Senex quidam erat in eodem monasterio Turrium Myrogenes nomine, qui ob nimiam austeritatem vitæ hydropicus effectus fuerat. Dicebat autem jugiter his senibus, qui ad eum conveniebant visitandi gratia: Orate pro me, Patres, ne interior homo hydropicus fiat. Ego enim, ut in hac infirmitate diutius durem, Deum oro.* Auctor vitæ S. Bernardi *lib. 1. cap. 8. n. 41. col. 1094. oper. vol. 2.* narrat, eum se excusasse, quod immodicis jejuniis & macerationibus adeo corpus afflixisset, ut sibi mortem acceleraverit: *Etsi nimietate forsitan excessit; piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit. Quid autem eum nitimur excusare, in quo ipse, qui veretur omnia opera sua, non confunditur usque hodie se accusare, sacrilegii arguens semetipsum, quod servitio Dei & Fratrum abstulerit semetipsum, dum indiscreto fervore imbecille illud reddiderit, ac pene inutile?* Cardinalis Cajetanus *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 147. art. 1.* rem theologice perpendit, & docet, eum peccare, qui ex proposito abstinet, ut moriatur, vel infirmetur; eum quoque peccare, sed leviter, qui advertit, se excedere, sed putat bene facere; eum denique non peccare, qui non advertit, se excedere. At, utcunque sit de hac Cajetani doctrina, varii sunt termini nostræ vitæ: alii videlicet supernaturales, qui nobis a summo Deo providentia admirabili sua constituti sunt, quique nullo consilio & nulla arte produci possunt, juxta illud Job

cap.

cap. 14. *v.* 5. *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*. Alii sunt naturales, qui naturæ beneficio pro cujusque vario temperamento, corporis structura, & vitæ firmis infirmisve principiis, unicuique attribuci sunt. Non enim omnibus idem vitæ finis est, sed aliis alius pro temperamenti bonitate, victus ratione, salubritate cæli, & loci: & hi naturales termini arte produci possunt ad quemdam temporis articulum. Denique alii sunt termini, qui ob inopinatos casus nullis certis temporum spatiis inclusi, evenire in singula momenta homini possunt per eas, quæ inopinato eventu accedunt, causas vitam præripientes, vulnera puta lethalia, lapsus, incendia, venena; qui termini ab Avicenna *abbreviati* vocantur, quique interitum subito afferentes, ut nullum habent certum tempus, quo eveniant, sic nullis præfinitis produci possunt; quemadmodum docet Baptista Codronchius *de Christiana & tuta medendi ratione lib.* 2. *cap.* 1.

6. His præmissis, tria pro clara quæstionis resolutione perpendenda esse videntur. Primum, an quis licite immodicas abstinentias, jejunia, vigilias, labores, verberationes, atque similia exercere possit, ut moriatur, vel ut terminos vitæ naturales breviores sibi constituat: & quoad hoc communis est sententia Theologorum, quos infra memorabimus Cajetano assentientes, id illicitum esse, & fieri non posse sine gravi peccato. Secundum est, an ex superadictis jejuniis, vigiliis, non modicis verberationibus mors sequatur, aut abbreviatio terminorum naturalium nostræ vitæ; & quoad hoc responderi posse videtur, id esse probabile, sed non certum, vel quia juxta Hippocratem, *quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora fiant, assuetis minus molesta esse solent*, quod longa exemplorum serie confirmat Gaspar a Rejes *in suis quæstionibus q.* 93. vel quia novum non est, speciali Dei providentia contingere, ut rigidissimi Pœnitentes vitam ultra consuetos ceterorum hominum terminos produxerint, quemadmodum patet exemplo SS. Pauli primi Eremitæ, Antonii, Arsenii, Euthymii, Theodosii, Joannis taciturni, Quiriaci, Zosimi, & aliorum, qui vitæ maximis incommodis attriti eam ultra centum annos produxerunt; uti ad rem argumentatur Auctor Theologiæ Claustralis *formis Romanis impressæ anno* 1731. *tom.* 2. *cap.* 22. *quæsit.* 6. *pag.* 335. Tertium est, an, seclusa intentione sibi mortem inferendi, aut vitam abbreviandi, possit quis licite asperum vitæ genus amplecti ob finem supernaturalem, ut Deo videlicet inserviat, ut concupiscentiam frenet, etsi prævideat, illud sibi esse mortem acceleraturum: & in hoc vera est Theologorum sententia, ea licite & cum merito fieri posse. Ita Azorius *instit. moral. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 3. *quæ.* 13. Cardinalis de Lugo *de justit. & jur. tom.* 1. *disp.* 10. *sect.* 1. *num.* 32. *& seqq.* Filliuc. *oper. moral. tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 4. *num.* 78. *quæst.* 8. Theophil. Raynaud. *oper. tom.* 14. *pag.* 275. *num.* 13. *& seqq.* & Auctor Theologiæ Claustralis *loc. cit.* ubi exempla profert Sanctorum, & cœtuum Regularium a Sede Apostolica approbatorum; quibus addi possunt, quæ habentur apud Surium *ad diem* 6. *Maji* de S. Hilario Episcopo Arelatensi *num.* 11. *pag.* 82. *Abstinendo victu, operi insistendo, itinera pedibus conficiendo ita se extenuavit, fatigavit, exhausit, ut vix quadragesimi octavi anni curriculum adimpleret.*

7. Dictum denique est, singularitatis vitium in corporis afflictionibus & mortificationibus esse evitandum; quod potissimum sibi vindicat locum in his, quæ palam fiunt, & quoad eos Dei Servos, qui vitam suam in aliqua Religiosa familia ducunt. S. Bernardus *serm.* 1. *Dominicæ sextæ post Pentecosten num.* 3. *col.* 945. *oper. vol.* 1. sic suos Monachos alloquitur: *Fugite obstinationem, & nequissimum vitium singularitatis*. Idem *in tract. de gradibus humilitatis cap.* 14. *num.* 42. describens Monachum singularitatis vitio infectum subjicit *col.* 582. *vol. cit. Turpe est ei, qui se supra ceteros jactat, si non plus ceteris aliquid agat, per quod ultra ceteros appareat. Proinde non sufficit ei, quod communis monasterii Regula, vel Majorum cohortantur exempla. Nec tamen melior esse studet, sed videri: non melius vivere, sed videri vivere, gestit; quatenus dicere possit*, non sum, sicut ceteri hominum. *Plus sibi blanditur de uno jejunio, quod, ceteris prandentibus facit, quam si cum ceteris septem dies jejunaverit*. De S. Joanne Climaco scripsit Daniel Monachus in vita ejusdem, (quæ est *in Bibliot. veter. Patr. tom.* 10. *pag.* 386.): *In mensa nihil rejiciebat, quod a vitæ Religiosæ instituto, legibusque non abhorrebat, sed cibum ita modice sobrieque sumpsit, uti gustare potius, quam edere videretur. Atque ita, existimo, fracto cornu superbiæ per sobrietatem quidem, sed brevitate prandii & cœnæ, dominam voluptatem multis exitiosam elisit*. S. Basilius in *Reg. brev. cap.* 138. *pag.* 461. *oper. tom.* 2. interrogationi, an in familia Fratrum permitti alicui debeat ut plus, quam ceteri, jejunet vigiletque ex propria voluntatis arbitrio, respondet: *Cum Dominus dixerit*, Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris; *quidquid quis fecerit ex propria voluntate, id, cum facientis sit proprium, alienum est a pietate*: Et sequitur Cassianus *lib.* 5. *c.* 23. *Quidquid autem extra consuetudinem præsumitur, usumque communem, ut vanitatis, & gloriæ, atque ostentationis morbo pollutum antiquissima Patrum traditio notavit*. Quocirca in abstinentiis & jejuniis quasdam Religiosas personas, quæ in album Sanctorum relatæ sunt, legimus ita se gessisse, ut ab omni singularitate abstinuerint, ne forte ostentationis vitio inquinarentur. De S. Thoma Aquinate in bulla Canonizationis *pag.* 136. *cod. Canoniz.* legitur: *Præterea vir Dei cibis Religiosorum, vestimentisque communibus contentus, conversatione mitis &c.* & in processibus causæ ipsius apud Bollandianos *tom.* 1. *ad diem* 7. *Martii c.* 5. *num.* 42. *pag.* 699. testis sic asserit: *Et erat magnæ honestatis, & pudicitiæ, & magnæ sobrietatis, numquam petens speciales cibos, sed tantum contentus erat his, quæ apponebantur sibi, & illis temperate & sobrie utebatur*: & alius testis *num.* 47. *In cibo & potu fuit tantæ sobrietatis, quod singularitates ciborum non petebat, nec etiam curabat de cultu vestimentorum*. Maffejus in vita S. Ignatii Loyolæ *lib.* 3. *cap.* 12. hæc scribit: *Nullum edulii, vel condimenti genus cuiquam indixit: nihil umquam inter edendum est questus, licet per adjutorum inscitiam incuriamve cibaria male cocta conditaque, vinum etiam fugiens, aut acidum præberetur: nihil denique sibi proprie apponi voluit umquam, & graviter administrum aliquando punivit, quod uvæ racemum uni sibi præter ceteros attulisset: quæ sane peritus rerum æstimator haud in levia duxerit, si hominis vel ætatem ipsam, cui multa dantur, vel infirmitatem valetudinis plura imperantem, vel denique summam inter suos potestatem, & libertatem, ut ita dicam, sui arbitratu vivendi consideret*. De S. Thoma a Villanova hæc habentur apud Michaelem Salonem in ejus vita *lib.* 2. *cap.* 2. *Non excessit in cibo id, quod Religiosus comedere solebat juxta usum suæ provinciæ, lautieremque mensam parari jubebat, dum cum aliis simul comederet*. In vita S. Philippi Nerii *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 6. hæc habentur: *Diceva, che a tavola, dove si convive, si deve mangiare d'ogni cosa*. Et ejusdem libri *cap.* 17. *num.* 26. *E però esortava, che si fuggisse ogni singolarità, origine per lo più e fomento di superbia, massimamente spirituale*. Demum S. Thomas loquens de vita Christi, & S. Joannis Baptistæ dicit 3. *par. quæst.* 40. *art.* 2. *ad primum*: *Utraque autem vita est licita & laudabilis, ut scilicet aliquis a consortio hominum segregatus abstinentiam servet, & ut in societate aliorum positus communi vita utatur; & ideo Dominus voluit utriusque vitæ exemplum dare hominibus*.

8. Itaque concludendum est, in Canonizandis docendum esse de corporis afflictione; exceptis iis, qui alicui cœnobitico Instituto nomen dederunt, quos probandum est, eas non omisisse asperitates, quæ in Regula præscriptæ sunt: quoad alios Dei Servos non unum afflictionis, sed varium esse modum, ut variæ corporum humanorum constitutiones, varia valetudinis ratio, varia item ingenia, non eædem omnibus ad virtutes occasiones & incitamenta, cum plura aliquibus impedimenta opponantur, aliis pauciora. Qui cupit non errare, non arbitratu suo, sed aliorum consilio in assumendis afflictionibus uti debet, quemadmodum ait S. Basilius his verbis *loc. cit. Quod si quispiam existimat opus sibi esse asperitate majore, sive in jejuniis, sive in vigiliis, sive in quacumque alia re, patefaciat rei communi præfectis hanc ipsam rationem, ob quam asperitate majori indigere se arbitratur: quod autem ipsis probatum fuerit, observet. Sæpe enim alio potius modo necessitati ipsius consulere oportebit*. Cohærenter ad hæc Ascetici his in rebus consilium Magistri spiritalis exposcunt. *Illa* (loquitur Cardinalis Bellarminus *loc. cit.* hoc est *capite antecedenti n.* 12.) *enim laudabilia & utilia sunt, cum fiunt ab iis, qui possunt, & non sine consilio Magistri spiritualis*. Prudenter porro in Constitutionibus Societatis Jesu *part.* 3. *cap.* 2. *pag.* 131. ita sancitur: *Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta in vigiliis & abstinentiis, & aliis pœnitentiis externis ac laboribus, quæ & nocumentum afferre, & majora bona impedire solent. Ideo Confessario detegi ab unoquoque convenit, quidquid in hac parte faciat*: quod ipsum antea præscriptum

ptum fuerat *in cap. 49. Regulæ* S. Benedicti, ubi, postquam Fratres suos hortatus est, ut tempore Quadragesimali aliquid austeritatis adjiciant, *Et unusquisque super mensuram sibi indictam, aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo, id est subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate*, subjicit: *Hoc ipsum tamen, quod unusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate; quia, quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi*: & id ipsum fuit etiam scite adnotatum a Tillemont. *tom. 7. in vita S. Antonii art. 4.* Sancta Teresia *cap. 39. tractatus*, cui est titulus *Cammino di perfezione*, sermonem faciens de immoderatis corporis castigationibus, eas reprobat, quæ Magistro spiritali non aperiuntur, aut quæ ad ejus imperium non omittuntur: *L' istesso avviene nelle penitenze indiscrete o sconcertate, per darci ad intendere, che siamo più penitenti, che le altre, e che facciamo qualche cosa. Se v' andate nascondendo dal Confessore, o dalla Superiora, o se, dicendovi, che la lasciate, non lo fate, è chiaramente tentazione.* Modo frenum, modo calcaria necesse est ut prudens Magister spiritalis adhibeat. Adeo fervens fuit S. Aloysii Gonzagæ spiritus, ut in ultimo vitæ termino constitutus, & vehementi morbo attritus facultatem postulaverit se flagellandi, vel saltem ut alius ipsum flagellis percuteret: quod prudenter denegatum est, uti habetur in relatione Rotali (*tit. de felici ejus obitu*): *Tota die orationi & contemplationi vacavit. Tandem, cum litanias Beatissimæ Virginis cum Patre Joanne Baptista Lambertino sub vesperam recitasset, a Patre Rectore petiit, ut sibi Viaticum daret. Interim dum hæc agerentur, cum Pater Joannes Baptista Carminata Provincialis Aloysium inviseret, rogavit illum præclarus Adolescens, ut floreas supra lectum positas amoveri juberet, veniamque sibi daret, ut posset se verberibus afficere, aut saltem ut aliquis se a vertice ad pedes flagellis cæderet, permitteretque, se humi suo spiritum reddere Creatori. Quæ omnia blando sermone Provincialis denegavit.* Ad officium quoque prudentis Confessarii animadvertere pertinet, an re vera impedimenta subsistant, ne quis hoc, vel alio asperitatis & pœnitentiæ modo uti possit, *ut ne necessitatis corporeæ obtentu inserviamus voluptatibus*, uti loquitur S. Basilius *cap. 4. Constit. monast. num. 4. pag. 546. tom. 2. oper.* In vita S. Simeonis junioris Stylitæ *cap. 2. num. 17. apud Bollandianos ad diem* 24. *Maji tom. 5. pag.* 113. Joannes Monachus mortificationes corporis voluntarias, quæ ab illo assumebantur, perspiciens sic eum allocutus est: *Sufficiat tibi, Fili, quod ab ipsis incunabulis te Christo crucifixeris. Quid tibi cum hisce pœnitentiæ exercitiis humanas vires excedentibus? Oportet & corporis curam gerere, eique mediocrem somnum, alimentumque indulgere, ut sufficere laboribus asceticæ vitæ possit: neque enim cibus, & potus coinquinant hominem.* Respondit autem Simeon: *Tametsi illa non coinquinant hominem, nihilominus coinquinantes cogitationes excitant &c. Mihi ipse leges has fero, non aliis: mihi enim necessitas incumbit ob juvenilem ætatem tam aspere corpus meum tractandi.* Sedulo itaque hæc omnia perpendenda sunt ab iis, qui Congregationi sacrorum rituum sunt adscripti, ut, cum de carnis & corporis mortificatione Dei Servorum tractatur, prudens suffragium ferre possint; nec obliviscantur eorum, quæ in superioribus dicta sunt, non esse videlicet in causis Servorum Dei Confessorum ad ulteriora progrediendum, nisi constet de studio mortificationis carnis & corporis. De viris sanctis, qui corpus & carnem macerationibus affixerunt, hæc habentur apud S. Laurentium Justinianum (*de discipl. monast. conversat. cap. 2. pag. 183.*): *Ipsi certe, tamquam milites strenui, & zelatores Dei, jejuniis corpora macerabant, & carnem prolixa inedia subjugabant, ita ut quasi vita deficerent præ lassitudine; leguminibus namque, oleribus, pane, & aqua parce utebantur, & iis contenti, quibus natura sustentabatur, spiritualibus potius, quam corporalibus nutriebantur alimoniis. Sed (heu!) temporibus nostris refrigescente, Charitate, & deficiente calore spiritus, non est, qui saltem delectabilibus privari velit.* Voluntarias quoque hasce mortificationes late commendat S. Joannes Chrysostomus *homil. 11. in epistolam ad Hebræos num. 3. pag. 115. oper. tom. 12.* ubi sic loquitur: *Sunt autem aliæ quoque hostiæ vere holocausta, nempe sanctorum Martyrum corpora: illic sancta, & anima, & corpus. Illa magnum habent odorem suaveolentiæ. Potes tu quoque si velis, tale offerre sacrificium. Quid enim si igne corpus non combusseris? Sed potes alio igne; ut puta igne paupertatis voluntariæ, igne afflictionis: licere enim delicate, lauteque, & splendide vitam agere: laboriosam autem & acerbam vitam eligere, & corpus morte afficere, annon est oblatio holocausti? Corpus tuum morte affice, & crucifige, & ipse quoque accipies coronam hujus martyrii. Nam quod illic operatur ensis, hoc hic faciat prompta animi alacritas.*

9. Iidemque sacrorum rituum Congregationi adscripti, cum agitur de carnis & corporis mortificatione Servorum Dei, regulis utique inhæreant supra indicatis, sed non ita faciles sint vel ad judicium ferendum de excessu & nimietate; vel quatenus aliquis excessus, aut aliqua nimietas ipsis appareat, non ita faciles sint, ut putent, virtutum fulgorem ab eo excessu penitus offuscari. S. Hieronymus *in epitaphio Paulæ oper. tom. 1.* postquam cruciatus & afflictiones ab ea susceptas narravit, dixitque, mensuram propemodum excessisse, subjicit *n. 20. col. 708. Hæc refero, non quod inconsideranter & ultra vires sumta onera probem &c. sed quod mentis ejus ardorem & desiderium fidelis animæ ex hac quoque probare velim perseverantia, decantantis* Sitivit anima mea in te quam multipliciter tibi caro mea. *Difficile est modum tenere in omnibus.* Augustinus Valerius, dictus Cardinalis Veronæ, in vita S. Caroli Borromæi, cum quo longam habuerat consuetudinem, hæc habet de ejus macerationibus ad pœnitentiam susceptis: *Corpus castigabat, verba illa Sancti Pauli Apostoli ponderans*, Ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. *Quamvis, si quis recte consideret, multis rationibus, probabilibus illis quidem, adduci potuisset, ut quem socium multorum laborum, & præclarissimarum rerum, quas gerebat, nobilissima ejus anima habuerat, & nunquam, aut perraro rebellem expertus fuerat, minus dure tractaret Medicorum etiam monita audiens, & valetudini consulens. Sancta Dei Ecclesia mira varietate virtutum ornata, hoc indulgentissimo sæculo, tali sobrietatis, & castigationis corporis exemplo fortasse indigebat, hujusmodi stimulo plerique nostrum, ut tantæ mollitiei, tantarum deliciarum, quibus diffluimus, & inertes ad res celestes contemplandas efficimur, indigebamus.* Et Jacobus Alvarez de Paz *de perfecta contemplatione tom. 3. fol. 1247. in fin. cap. 11.* hæc habet: *Aliquos etiam inveniet ad extraordinarium vitæ modum, & ad magnas corporis afflictationes vocatos, qui per gratiam multum supra naturam, & supra communes homines possunt, quos oportet suspicere, & regulis communibus non alligare; sed potius, ut Deum vocantem sequantur, illis habenas laxare, & in sua vocatione relinquere.*

10. Anno 1243. ex hac vita non sine magna sanctitatis fama decessit quidam Dei Servus nomine Laurentius, Conversus & Eremita, cujus mentio habetur apud Gabrielem Bucelinum in Menologio Benedictino *ad diem 18. Decembris*. Jussu summi Pontificis Innocentii IV. extructus fuit auctoritate Apostolica processus super ejus vita & miraculis. Insignes corporis afflictiones una cum multis aliis ad rem facientibus in processu continentur. Delituit usque adhuc in archivo Castri Sancti Angeli autographum, ex quo exemplar duci curavimus, in appendices inferendum. Et quamvis multa in eo sint quæ miracula respiciunt, de quibus hic non agimus, optimum tamen existimavimus totum processum lectori exhibere, ut dignoscatur, desumpto a miraculi argumento, quam fuerint Deo acceptæ pœnitentiæ ab ejus Servo, dum viveret, peractæ, & ut integrum ejus meritum appareat, cujus nomen hodie fere ab omnibus ignoratur.

CAPUT TRIGESIMUM.

De inquisitione super ærumnis & tribulationibus Servorum Dei, quorum de Beatificatione, & Canonizatione tractatur.

1. CUM in superioribus ageretur de virtute fortitudinis, aliqua dicta sunt de tolerantia & patientia Servorum Dei in ærumnis ferendis. Alibi quoque a Nobis fuit adnotatum, *lib. videlicet* 2. *cap.* 41. & 42. quærendum esse in Beatificando, an, dum viveret, persecutiones passus sit, & quomodo eas toleraverit, & hoc argumentum fuit nonnullis exemplis illustratum. Alia nunc addenda sunt: &, ut eo quo decet ordine id absolvatur, primo inquirendum erit, quid sint ærumnæ & tribulationes, de quibus hic agitur; secundo, an Sancti, dum viverent, fuerint eis affecti; tertio, quomodo eas toleraverint; & ultimo, quid in his animadvertendum sit, quando Acta Servorum Dei pro Beatificatione & Canonizatione examinantur.

2. Ærumnæ porro & tribulationes, de quibus in præsenti, nonnullæ ad partem sentientem, nonnullæ ad partem rationalem spectant. Ad partem sentientem pertinent morbi corporis, jactura Bonorum, famæ, amicorum, cognatorum, tentationes carnis, Dæmonum vexationes, persecutiones hominum malorum, & aliquando etiam bonorum, ut infra explicabitur; ad partem rationalem spectant privatio illuminationum, & Divinarum inspirationum, & consuetæ devotionis, tentationes contra Fidem, tentationes reprobationis & desperationis, timor Divinæ derelictionis, animæ ariditas, & ingens scrupulorum multitudo; quemadmodum docet Cardinalis Bona *in tract. de discretione spirituum cap.* 13. *n.* 7. ubi hæc habet: *Perficitur hæc purgatio miris & acerbissimis modis. Nam in parte inferiore privatur homo omni sensibili dulcedine, lacrymæ devotionis arescunt, fontes gratiarum exsiccantur, vertitur æstas in hiemem, & qui potabatur fonte voluptatis, repletur in amaritudine dicens cum Tobia*: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? *Et cum Isaia*: Aruit herba, defecit germen, vigor omnis interiit. *Quandoque etiam terrenis facultatibus spoliatur, deseritur ab amicis, traducitur per ora omnium tamquam illusus, despicitur tamquam insanus, vita moresque ejus ubique infamantur, gravibus morbis corripitur, a Dæmonibus vexatur, &, quocumque se vertit, nihil ei occurrit, nisi afflictiones, irrisiones, persecutiones, & plurima mortis imago. In parte vero superiori densissima caligine mens obscuratur, languet voluntas nusquam inveniens consolationem, nec in Deo, nec in creaturis, omnis æstus amoris refrigescit; & quod gravissimum est, tot tentationibus premitur, ut sibi sæpius videatur diffidentiæ, blasphemiis, ac desperationi consensum præbuisse*.

3. Ad hæc capita fere reduci possunt ærumnæ omnes, & tribulationes Justorum: cumque juxta expositum ordinem nunc videndum sit, an Sancti, dum viverent, fuerint illis affecti, paucis exponenda est historia patientissimi Job desumpta ex sacra Scriptura. Cum ille ab omni non modo operum, sed etiam mentis nequitia longe abesset, convenerat enim cum oculis suis, ne vel Virginem intuerentur; constituto Satana inter filios Dei, seu Angelos coram Domino, eodemque Satana interrogato, an Jobi virtutes animadvertisset, ipsoque respondente, Jobum ita idcirco se gerere, quia Dominus in eum maxima Bona contulerat, sed a justitia recessurum, si quid calamitatis passus esset, permissum Satanæ fuit a Deo, ut de optimo viro experimentum sumeret, dummodo tamen ejus incolumitati non officeret. Post hæc Sabæi agros Jobi ingressi, agricolis cæsis, boves diripuere; ignis e nubibus demissus est, qui oves consumpsit; tres Chaldæorum turmæ camelos asportarunt; & ejus filios & filias primogeniti fratris convivio accumbentes domus vento concussa oppressit. Cumque Job se nudum ab utero matris egressum, nudum illuc reversurum ingemuisset, & Deo benedixisset, qui omnia sibi tradiderat, & omnia etiam abstulerat; constituto iterum Satana coram Domino, & interrogato, an Jobi patientiam tot tantisque calamitatibus confecti admiratus esset, ipsoque respondente, hominem omnia ultro dimittere, modo valetudinem servet, indicando, si Job ea destitueretur, a Domino esse defecturum, Deus indulsit, ut eum hoc quoque modo affligeret, dummodo vitæ parceret. Post hæc itaque ulceribus affectus est, & tali morbo laboravit, ut eum Pineda ex duobus vel tribus supra triginta morbis coaluisse dixerit, & Bartholinus *de morbis Biblicis* duodecim morborum species enumeraverit. Additæ fuerunt uxoris increpationes, amicorum admonitiones, qui eum nequitiæ insimulabant, suadebantque, ut pœnitentia ad Deum reversus Divinam justitiam humilis agnosceret. Post quæ tandem cohibito Dæmone, ne ei amplius officeret, ingeminatis facultatibus, & plurima prole adauctum, & felicissimo obitu e vivis demigrantem Deus excepit. Ita, quidquid Judæi, & Sectarii impie asserere ausi sint autumantes, narrationem gestorum Beati Job parabolicam esse atque confictam; inconcussa nihilominus ejus veritas satis ostenditur ex verbis Ezechielis, & epistola S. Jacobi; uti invicte demonstrat D. Thomas *in prolog. comment. super lib. Job* (*tom.* 13. *oper.*): *Videtur prædicta opinio auctoritati sacræ Scripturæ obviare. Dicitur enim Ezechiel,* 14. *ex persona Domini*: Si fuerint tres viri in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas. *Manifestum est autem, Noe, & Daniel homines in rerum natura fuisse; unde nec de tertio ejus connumerato, scilicet de Job, in dubium debet venire. Dicitur etiam Jacob* 5. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job &c.* Quo argumento pariter utitur Titelman. (*in solut. dub. ante elucidation. paraphrastic. in lib. Job pag.* 3. *in principio*): *Apud Ezechielem quoque Dominus ait*: Si fuerint in medio ejus tres viri, Noe, Daniel, & Job, ipsi liberabunt animas suas. *Manifestum est, Job connumerari ipsis Noe, atque Daniel: de quibus cum nullum sit dubium, quin in rerum natura fuerint, & quæ de eis narrantur, vere gesta fuerint, neque de Job dubitari merito potest. Quæ enim esset illa non entis cum entibus connumeratio? Beatus insuper Jacobus Apostolus ipsum Job tamquam reale exemplum proponit dicens: Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors est Dominus & miserator.* Pariter Estius *in comment. in cap.* 5. *epist. B. Jacobi vers.* 11. ex eadem sacræ Scripturæ auctoritate contra eosdem Sectarios insurgit his verbis: *Hinc duo discimus adversus Sectarios quosdam notanda. Primum, ea, quæ de Sancto Job scribuntur, historiam esse rei gestæ, non argumentum confictum exhortationis, aut doctrinæ causa, veluti fit in comœdiis ac tragœdiis, ut Anabaptistæ volunt, & veteres quidam Hebræi. Nam ficta exempla serio non moneat, nec si ficta narratio esset, conjungeret hunc virum Dominus Ezechiel.* 14. *cum aliis duobus, quorum justitiam sibi vehementer acceptam fuisse declarat his verbis: Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Idemque argumentum inter cetera adducta pro confirmanda veritate historiæ tanquam potissimum considerat Gravina *de Catholic. præscript. lib.* 4. *controv.* 3. *de verb. Dei script. ar.* 5. ubi latissime assumptum comprobat, prout etiam pluribus aliis rationibus adductis facit Titelman. *loc. cit.* & quamplurimis relatis Jodoc. Cocc. *in thesaur. Catholic. lib.* 6. *de sacr. Script. Ecclesiast. art.* 6. Inter quos contrarium sentientes mirifice confutat Olympiodor. *ad cap.* 1. *Job*, ubi: *Valeant igitur, qui Scripturam hanc tamquam confictam, atque ab humana cogitatione profectam, nec inspiratam divinitus, criminantur.*

4. Historiæ Jobi ex veteri Testamento desumptæ succedit historia Lazari ex novo Testamento desumpta. Ulceribus plenus, quæ canes lingebant, ad januam Divitis jacebat: ejus autem anima post obitum ab Angelis delata est in sinum Abrahæ, & Dives in Inferno sepultus, cum flammis cruciaretur, oculos elevans vidit longe Abraham, & Lazarum in sinu ejus, rogavitque, ut sui misereretur, & Lazarum mitteret, qui intingeret extremum digiti in aquam, ut linguam suam refrigeraret. Scimus interpretes in varias sententias ire; cum nonnulli existiment, eam narrationem esse parabolam, alii autem velint esse historiam; quæ sententia probabilior esse videtur, tum quia in parabolis personarum nomina exprimi non solent, & Lazarus proprio nomine designatur; tum quia Christus nullam sumpsit parabolam ex rebus, quæ in altera vita fiunt, sed ex rebus,

quæ

quæ seosibus sunt obviæ; tandem quia in honorem hujus Lazari, quasi Sancti, & leprosorum patroni, plura variis in locis vetusta extant templa: absque eo quod validum adversus hæc desumi possit argumentum ex eo, quod Christus nomen Divitis non expressit; cum id Divino consilio fecerit, ne illi videlicet infamiam, & sibi invidiam conflaret. Tum Jobi, tum Lazari ærumnas & tribulationes perpendit S. Joannes Chrysostomus: *Homilia* quippe 1. *in* 2. *ad Corinth. num.* 5. (*t.* 10. *oper. pag.* 424.) Job comparat Martyribus, scribens: *Ecquem igitur Martyrem hic non æquet? immo vero sexcentos? Nam per omnia rerum genera tum luctabatur, tum palmam obtinebat, nimirum per opes, per liberos, per corpus, per uxorem, per amicos, per hostes, per servos; nam hi quoque in os ejus inspuebant, per famem, per somnia, per dolores, per fœtorem; ob eamque causam dixi, eum non uni, aut duobus, aut tribus, sed sexcentis Martyribus æquandum esse.* Homilia autem 1. *de Lazaro* (*tom.* 1. *oper. pag.* 770.) attroces ejus cruciatus & afflictiones enumerans, primam ait fuisse extremam ejus paupertatem, ut ne micas quidem Divitis obtinere posset; secundam, quod esset totus ulcerosus & tabidus; tertiam, quod ab omnibus esset desertus; quartam quod jaceret ante fores Divitis quotidie splendide epulantis; quintam, quod Dives abundans rerum copia eum nec aspectu, nec colloquio dignaretur; sextam, quod nullum haberet ærumnæ socium; septimam, quod illo ævo obscura esset fides, & spes resurrectionis, quæ jam post Christum clara mire Fideles in doloribus sustentat & roborat; octavam, quod hæc non semel, nec uno die, sed per plures dies eosque continuos passus sit; nonam, quod jacturam famæ tolerarit, cum multi censerent, illum tanta pati ob ingentia scelera sua: quæ omnia, velut alter Job, forti & invicto animo quasi adamas sustinebat.

5. Tum Jobi, tum Lazari sacra historia satis esse posset, ut tribulationum & ærumnarum, quibus aliquando Justi affliguntur, & patientiæ ac tolerantiæ in eis perferendis cognitio haberi possit. Addi etiam posset, Abrahamo Dei amico his ereptam fuisse uxorem, a Pharaone videlicet, & Abimelech; Isaac Deo carum cæcitate percussum per multos annos sic vixisse, & sic interiisse; Jacob orbatum filio Joseph per viginti tres annos eum flevisse. At, ut nonnulla etiam ex Actis Sanctorum habeantur exempla, ad alia transitum faciemus, servata methodo in superioribus exposita.

6. Morbi corporis aliquando ex naturalibus causis proveniunt; aliquando Deus eos immittit, ut homo mutet mores, & peccatum deserat, & ad suum Creatorem convertatur, juxta illud *Psalmi* 15. *vers.* 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*; & aliud *Psalmi* 77. *vers.* 34. *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est*; vel ut Justi in eis perferendis mereantur. *Quinque enim modis* (inquit Sanct. Augustinus apud Magistrum sententiarum *lib.* 4. *distinct.* 15. *ar.* 1.) *flagella contingunt, vel ut Justis per patientiam merita augeantur, ut Job; vel ad custodiam virtutum, ne superbia tententur, ut Paulo; vel ad corrigenda peccata, ut Mariæ lepra; vel ad gloriam Dei, ut de Cæco nato; vel ad judicium pœnæ, ut Herodi.* Aliquando etiam ipsi Justi supplices Deo preces exhibent, ut morbis corporis vexentur, & aliquando etiam Deus permittit, ut a Dæmone inferantur. Nec enim Dæmon detrimentum aliquod nostris corporibus afferre potest, nisi Deo permittente. Quocirca S. Joannes Chrysostomus *homil.* 28. *al.* 29. *in Matthæum num.* 3. *oper. pag.* 337. animadvertens id quod legitur in Evangelio Matthæi *c.* 8. *v.* 30. *&c.* Dæmones videlicet fuisse a Christo immissos in porcos (*Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum: & ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis*) hæc habet: *Si quis vero dixerit: Cur id quod petebant Dæmones Christus fecit, cum in porcorum gregem ipsos intrare permisit? Responderim ego, ipsum non id fecisse in gratiam illorum, sed ut multa sic dispensaret: primo ut doceret eos, qui a malignis hujusmodi tyrannis liberati essent, quantam perniciem afferrent insidiatores hujusmodi; secundo ut discerent omnes, dæmonas ne quidem porcos invadere posse, nisi ipse permiserit; tertio, ipsos graviora in homines quam in porcos perpetraturos fuisse, nisi in calamitate per magnam illam Dei providentiam servati fuissent.* Quam ad rem prosequitur S. Petrus Chrysologus *serm.* 17. *Quid possunt præsumere Dæmones, qui ne porcos quidem contingere prævalent, nisi eis potestas Divina permiserit?* Cumque obvia sint eorum exempla, qui, contracto ex naturalibus causis morbo, a peccato resipuerunt, & ad Deum conversi sunt: *Plerumque enim* (ait Gregorius Magnus) *part.* 3. *Regul. Pastoral. cap.* 12. *tom.* 2. *oper. col.* 50. *accepta salus carnis, per vitia expenditur; sed, cum repente subtrahitur, cum molestiis caro atteritur, cum jam egredi anima urgetur, diu male habita quasi ad bene vivendum salus amissa requiritur:* aliorum exempla afferemus, quos Deus morbis afflixit, ut patienter ferendo non exiguam meriti messem colligerent; tum illorum, qui Deo preces exhibuerunt, ut morbis affligerentur; deinde reliquorum, quos Deus permisit, ut a Dæmone morbis cruciarentur.

7. Henricus Suso Ordinis Prædicatorum, qui mortuus est an. 1365. quem Surius *in epistola dedicatoria ejus operum ad Blosium* virum sanctissimum, & plane Apostolicum, & Molanus *in addit. ad Usuardum ad d.* 25. *Jan. eximiæ sanctitatis*, & Bzovius *in annalibus Ecclesiasticis ad an.* 1365. *n.* 14. Beatum appellat, & cujus vitam, etiamsi re vera Beatificationis honorem a Sede Apostolica adhuc consecutus non sit, a Laurentio Surio post ejusdem opera editam, Bollandus retulit *in Actis Sanctorum tom.* 2. *Januarii ad diem* 25. *cap.* 37. narrat, se ad Deum preces fudisse, ut Elisabeth Staglin Religiosa Ordinis Sancti Dominici, quam tanquam filiam spiritalem colebat, morbo, quo opprimebatur, levaretur; sibique fuisse a Deo per Angelum responsum, se illi morbum immisisse pro summa ejus utilitate, ut videlicet in præsenti vita maximam gratiam, & in futura multiplex præmium sibi compararet. Beatam Justinam phthisi per annos triginta eadem ex causa vexatam narrat Theophilus Raynaudus *in tract. de Martyrio per pestem part.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. *in fine*; cæterisque prætermissis, in bulla Canonizationis S. Ludovici Bertrandi narratur, eum horribili ulcere in crure per multos annos, & vertigine capitis, & viscerum pravis affectionibus, & aliis occultis infirmitatibus, maxime per biennium ante obitum, velut aurum in fornace, a Domino probatum; & ut in bulla Canonizationis S. Rosæ Limanæ refertur, eam sæpe acutissima angina, asthma, permolesta ischias, pleuritis, stomachi, pericardii, intestinorum dolores, innumeræ convulsiones, & chiragræ, podagræ, & arthritidis morbi frequenter occuparunt. Succedunt morbi, quibus Dei Servi ut afficerentur, Deum exorarunt. Liduviges, sive Liduina, quam nonnulli Beatam appellant, Virgo Schidami in Hollandia mortua est anno 1433. Duodennis a plerisque ad nuptias expetita, sed servandæ virginitatis cupida Deum ardenter exoravit, ut, si alia via avertendi conjugii non suppeteret, totum suum corpus morbis afficeretur. Magnus autem morborum exercitus corpus ejus invasit, & eo vexata fuit spatio triginta & octo annorum. Apud Surium, & Bollandianos *tom.* 2. *Aprilis* cuncta exacte describuntur, ita ut admiratione re vera dignum sit, quomodo, cum omnia ejus membra inauditis doloribus essent obnoxia, invictæ patientiæ signa prætulerit. Hujus inclitæ Virginis meminerunt etiam Theophilus Raynaudus *loco citato num.* 6. & Cornelius a Lapide *in cap.* 16. *vers.* 21. *in Lucam*, ubi hæc habet: *Lazaro similis in doloribus & ulceribus æque, ac in patientia fuit Sancta Lyduvina Scheidamensis in Hollandia, quæ anno ætatis decimo quarto in glaciem lapsa costam fregit, indeque ægra triginta & amplius annos decubuit, variis & continuis doloribus a Deo immissis afflicta usque ad mortem, ut ei integram patientiæ coronam perteceret. Lege vitam ejus apud Surium. Nimirum voluit Deus Lazarum, Job, Tobiam, Lyduvinam omnibus sæculis statuere ægrotis & afflictis in speculum & exemplar patientiæ.* Apud eosdem Bollandianos *tom.* 4. *Maji ad d.* 19. prostat vita Beatæ Humilianæ de Cerchiis, & in ejus *cap.* 5. legitur, ipsam a Deo impetrasse, ut morbus, quo juvenis impatiens opprimebatur, in suum corpus transferretur. In bulla Canonizationis S. Rosæ Limanæ *cod. Canoniz. pag.* 414. hæc leguntur: *Eodem zelo precibus transtulit in se Confessarii sui febrim, ut Concionatoris officio in percelebri solemnitate fungeretur; quo convalescente, torquebat Rosam, febris non sua.* Item in relatione causæ S. Catharinæ de Ricciis *tit. de fortitudine*, hæc habentur: *Hanc ostendit Catharina in admirabili quadam patientia, quæ maxima est fortitudinis laus, cum per eam præstantior quis evadat, quam expugnator urbium, ut habetur in Proverbiis cap.* 16. *&c.*

16. *& ait Divus Gregorius homil. 35. & qua acutissimos morbos, & ignotam etiam ipsis Medicis eorum vim, ac dolorum acrimoniam adeo toleravit, ut ne quidem conquesta umquam fuerit, sed læta fronte suscipiens gratias potius Deo redderet, quasi ea ipsa pro donis ac beneficiis impetrasset inter angustias & pressuras suas, benedictionem Dei victrice patientia prædicando, ad instar sanctissimi Job fortissimi Athletæ, ut per Divum Cyprianum de patientia serm. 3. Divum Augustinum de tempore serm. 222. Et de hac patientia deponunt testes remissoriales decimus, undecimus, decimus tertius super 20. & trigesimus super 15. Ferebatur enim, quamdam præcipue crurum incensionem cum vesicis non fuisse naturalem, sed voluntariam, & a Deo concessam pro sublevatione pœnarum, quas in Purgatorio aliquæ animæ patiebantur, donec lustrarentur; ideoque Medici professi sunt, ultra naturæ potestatem videri sibi, & prædictæ contestes Moniales affirmant, persensisse se flammas, atque ardorem quemdam prope ipsam, & in ejus cubiculo æstuantem. Nempe Deus aurum patientiæ in Catharina igne probare & examinare voluit, ut scriptum est in Ecclesiast. cap. 2. & per eam omnes alias virtutes custodire, & signare opera bona, prout hoc signaculo patientiæ vitæ suæ actiones omnes munivit Christus, ut luculenter docet Divus Cyprianus in serm. 3. de bona patientia. Nec novum est, aut inauditum, pro alieni criminis expiatione subire quempiam adhuc viventem infernarum supplicia pœnarum; tum eadem passum sexaginta horarum spatio Beatum Petrum Petronum Senensem Carthusiani Ordinis referant pii atque fideles testes Beatus Joannes Columbinus Jesuatorum Institutor, & Beatus Nicolaus Albergatus Bononiensis Carthusianus, & postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & major Pœnitentiarius, quod habemus in vita Beati Petri prædicti auctore Bartholomæo Senensi Carthusiæ Florentinæ Monacho, typis edita anno 1619. Nec absimile votum fortasse, atque studium erat Divi Pauli, quando cupiebat, anathema esse pro fratribus suis; & imitatus charitatem Christi primus post Christum impiorum causa, etiam tamquam impius, aliquid perpeti optabat, dummodo ipsi salutem consequerentur, ut inquit Divus Gregorius Nazianzenus in apologetico orat. 1. & facit etiam dictum illud Moysis, cum Deo proponeres: Aut dele me de libro vitæ, aut parce populo huic.*

8. De corporis denique cruciatibus a Dæmone, Deo permittente, immissis celebre extat testimonium *in vita B. Angelæ de Fulginia cap.* 19. ubi eos sic ipsa describit: *Corporis sunt tormenta innumera a multis Dæmonibus multipliciter excitata. Vix enim credo quod scribi possent infirmitates & passiones mei corporis; nam non remanet in me aliquod membrum, quod non horribiliter patiatur. Numquam enim sum sine dolore, sine languore continuo, sum debilis & fragilis, plena dolore, ita quod oporteat me continuo jacere. Non est in me membrum, quod non sit percussum, tortum, & pœnatum a Dæmonibus, & semper sum infirma, & semper tumefacta, & plena doloribus in omnibus membris meis, ita quod cum magna pœna possum me movere, & sum fatigata jacere, nec etiam ad sufficientiam possum comedere.* De consimili morbo, Deo permittente, a Dæmone immisso mentio habetur apud Joannem Tanner *in vindiciis Patris Ludovici a Ponte*, qui examinavit & approbavit revelationes Ven. Virginis Marinæ de Escobar: *tract.* enim 3. *part. de vita & sanctitate prædictæ Virginis num.* 9. *& seqq.* omnia fuse exponuntur: & Franciscus Valesius *de sacra Philosophia cap.* 28. & Martinus del Rio *disquis. magic. lib.* 3. *part.* 1. *quæst.* 4. *sect.* 5. fuse explicant, quomodo Dæmon, Deo permittente, fit causa externa morborum.

9. Si jacturæ Bonorum, famæ, amicorum, & cognatorum, nec non ludibriorum mentio habenda esset, huic capiti finis vix imponi posset: satis ergo erit hic retulisse, quod in secunda relatione Rotæ Auditorum de virtutibus S. Teresiæ *cap.* 58. legitur, eam aliquando ita ab omnibus derelictam fuisse, ut nemo ejus Confessiones audire vellet; in relatione causæ S. Joannis de Deo *tit. de quatuor virtutibus Cardinalibus*, eum initio suæ conversionis, cum se mortificationis gratia in cœno volutasset, apud plerosque dementem habitum, pueris præsertim luto, saxis, ac omni injuriarum genere insectantibus, summas passum fuisse angustias; in relatione causæ Beati Hieronymi Æmiliani *tit. de fortitudine*, eum, licet nobili genere natus esset, & pro patria pugnans sibi gloriam comparasset, cum ad meliorem frugem conversus ad colligendam stipem pro orphanis crassa tunica tectus prodiret squalore & macie deformis, ludibriis, probris, sibilis, & conviciis exceptum fuisse, insequente a tergo velut amentem lasciviente puerorum turba; denique in vita S. Ludovici Francorum Regis apud Surium *ad diem* 25. *Aug. num.* 20. Nuntium Comitis Gheltriæ ad Ludovicum pro negotio expediendo missum, cum reversus esset, & interrogatus, an Regem vidisset, subsannando respondisse: *Vidi illum miserum Papihardum Regem grisea veste indutum ad scapulas capucium gestantem.* Sed jam ad carnis tentationes, & Dæmonum persecutiones sermone converso, & deinde ad persecutiones hominum malorum, & aliquando etiam bonorum, *cap.* 14. *prati spiritualis* refertur, quemdam Monachum a spiritu fornicationis tentatum e Monasterio egressum, ut suæ libidini satisfaceret, meretricis cellam ingressum leprosum factum esse, qui videns lepram, continuo ad monasterium rediit, Deo gratias referens, & dicens: *Idcirco Deus hac me castigatione percussit, ut anima mea salva sit.* Item *cap.* 19. *ejusdem prati spiritualis* Abbas Elias testatur, se Diaboli tentatione superatum e suo, in quo habitabat, loco discessisse, ut turpem concupiscentiam cum femina, quæ ab ipso aquam petierat, expleret; sed, urente graviter æstu libidinis, ecstaticum factum terram vidisse apertam, & se hiatu terræ absorptum conspexisse cadavera putrida jacentia & resoluta, adeoque fœtida, ut præ nimio fœtore in terram corruens, & gratias Deo agens ad locum suum redierit. Sanctus quoque Gregorius M. in vita S. Benedicti *cap.* 1. *num.* 2. *apud Bollandianos tom.* 3. *Martii pag.* 278. testatur, eum graviter fuisse tentatum carnis stimulo: cum enim feminam aliquando vidisset, & malignus spiritus eam ante ipsius oculos reduxisset, tam urenti libidinis igne accensus est, ut voluptate victus fere deliberarit eremum deserere; at superna Gratia adjutum, indumento repente abjecto, nudum se inter aculeos spinarum & urticarum injecisse, ibique tamdiu volutatum, donec per cutis vulnera vulnus mentis sanaret, voluptatemque traheret in dolorem. De eadem femina S. Vincentius Ferrerius *in sermone de S. Benedicto* ait, fuisse gibbosam: *Cœpit cogitare de quadam muliere gibbosa, quam viderat in civitate; & tantum tentatio augmentabatur, quod volebat dimittere eremum, & redire ad mundum ad inquirendam dictam gibbosam. Quid fecisset, si fuisset pulcra?* Unde autem Ferrerius id hauserit, incompertum est: quare plerique accipiunt narrationem tanquam lepide a sancto viro excogitatam.

10. Tentationibus itaque carnis Dei Servi urgentur, & quidem sive sint incipientes, sive proficientes, sive perfecti, veluti late ostendunt Cardinalis de Lauræa *de oratione opusc.* 6. *cap.* 8. & Rosignolius *in tract. de disciplina Christianæ perfectionis lib.* 5. *cap.* 27. De hac eadem re tractatum est etiam in capite *de carnis & corporis mortificatione.* Interea autem adnotare fas sit, S. Paulum Apostolum non modo 1. *ad Corinth. cap.* 9. *v.* 27. dixisse, *Castiga corpus meum, & in servitutem redigo*; sed & *ad Roman. cap.* 6. *v.* 23. subjecisse: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & in 2. ad Corinth. cap.* 12. *v.* 7. *Et, ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* De hoc Angelo Satanæ quæstio est inter Interpretes, quis fuerit. Nonnulli putarunt, D. Paulum voluisse indicare gravem capitis dolorem, quo torquebatur: sed hæc opinio communiter rejicitur. Nonnulli id explicarunt de Adversariis Apostoli a Satana concitatis, ut ejus prædicationi, & piis conatibus obsisterent: at hæc opinio uti minus probabilis habetur. Quocirca verior est sententia, quæ id refert ad veneris incitamenta, quibus urgebatur. Ita docuerunt Theophylactus, D. Thomas, Lyranus: &, quamvis eam rejiciant Faber, & Erasmus tanquam indignam Paulo jam sene, fundatissimus nihilominus Doctor Estius *in comment. ad cap.* 12. *epist.* 2. *v.* 7. *ad Corinth.* ita eosdem redarguit: *Rejiciunt quidem longissime memoratam expositionem stimuli carnis Faber, & Erasmus, tanquam indigna sit Paulo tali viro, eoque jam sene: sed qui miratur in Paulo senе carnis incentivum, miratur & in Gregorio Nazianzeno, qui jam senex de eo carnis suæ malo sæpe graviterque in scriptis suis conqueritur. Loca sunt in carmine adversus carnem, & altero de calamitate naturæ suæ, & tertio de rebus suis, & in epist.* 96. *Vide & Beatum August. ser.* 43. *de verbis Domini c.* 9. *Quamquam Paulus, quando hanc epistolam scripsit, annos habebat duntaxat quinquaginta septem, ut Baronius declarat t.* 1. *docens eum interfectum, cum annos haberet sexaginta octo, epistolam autem hanc scriptam undecim annos antea.* S. Au-

gustinus *lib. 6. contra Julianum cap. 23. n. 70.* (*tom. 10. oper. col.* 702.) narrat olim se arbitratum fuisse, summæ dementiæ esse, credere Apostolum stimulis carnis, & pravis concupiscentiæ motibus fuisse obnoxium, sed postea veritati se cessisse.

11. S. Joannes Chrysostomus *homil.* 3. in illud *Vidi Dominum, tom. 6. oper. pag.* 114. egregie explicat, cur Dæmon suis tentationibus vehementius angat viros perfectos: *Quemadmodum* (inquit) *piratæ, qui mare navigiis infestant, non tunc, ubi conspexerint navem de portu exeuntem, invadunt, (quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent?) sed ubi redierit onusta, plenaque sarcinis, tunc denum omnes experiuntur artes; ita sceleratus ille Dæmon, simul atque videt, aliquos multa collegisse, videlicet jejunia, preces, eleemosynam, castitatem, reliquasque virtutes omnes, ubi videt navigium nostrum plenum pretiosis pietatis lapidibus, tunc irrumpit, undique thesaurum perfodiens, ut in ipsis portus ostiis scapham demergat, jamque nudos nos ad enm portum ejiciat.* Et S. Gregorius *moral.* 19. *cap.* 6. (*tom.* 1. *oper. col.* 609.) super verbis Job, *Aquas appendit mensura*, ponderans exemplum S. Pauli egregie docet, cur Deus tentationibus carnis permittat aliquandn agitari viros sanctitate conspicuos: *Hinc est enim, quod ad consolationem nostram idem Prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur dicens*, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. *Ad ima quippe pertrahit caro, ne extollat spiritus; & ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus levat, ne jaceamus in infimis; caro aggravat, ne extollamur ex summis. Si, non sublevante spiritu, nos caro tentaret, perfectione procul dubio tentationis suæ in ima dejiceret. Rursum vero, si non tentante carne, ad summa nos spiritus sublevaret, in superbia casu ipsa nos pejus sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine, ut, dum unusquisque Sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat, quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit, nec rursum intentio interior in superbiam elevat, quia tentatio exterior humiliat, dum gravat. Sicque magno ordine cognoscimus in inveriori profectu, quid accipimus, in exteriori defectu, quid sumus: & miro modo agitur, ut nec virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperare; quia, dum spiritus trahit, & caro retrahit, subtilissimo judicii interni moderamine infra summa, & supra infima in quodam medio anima libratur. Bene ergo dicitur. Et aquas appendit mensura.* Memoratu dignum est colloquium habitum inter Palladium, & Abbatem Pachonem, cujus vitam prædictus Palladius scripsit *in historia Lausiaca*, quam ex Græco in Latinum sermonem convertit Gentianus Hervetus Aurelius, ediditque Parisiis anno 1555. & habetur in vitis PP. ex recensione Rosweydi *lib.* 8. Palladius ergo dicit, se fuisse vexatum ab affectione cupiditatis erga fœminas, & cogitationibus, & visis nocturnis; parumque abfuisse, quin propter tentationem e solitudine demigraret: sed tandem latenter venisse in solitudinem, & in ea quindecim diebus versatum fuisse cum Patribus, & inter eos incidisse in sanctum Virum Pachonem, cui statum suum aperuit. En verba interrogationis, en verba responsionis *cap.* 29. *Cum ergo invenissem eum sinceriorem, & magis versatum in exercitatione, ausus sum ei meum animum aperire. Dixit autem mihi ille Sanctus: Ne tibi videatur res aliena. Hoc enim non tibi accidit ob delicias, otiumque, & negligentiam. Nam & mores tibi ferunt testimonium, & penuria eorum quæ sunt necessaria, & quod nulla sit hic tibi consuetudo cum feminis. Sed potius hoc tibi accidit ab Adversario ob studium virtutis. Est enim triplex hostis qui impellit ad fornicationem. Aliquando enim nos caro invadit luxurians, & quæ nimis laute & delicate est curata. Aliquando autem in nos insurgunt motus animi propter cogitationes. Aliquando autem ipse quoque Dæmon in nos exercet tyrannidem propter invidiam. Nam ego quoque multa observans, hoc inveni. Ecce me, ut vides hominem senem. Cum jam quadragesimum annum degam in hac cella, curam gerens meæ salutis, & ad hanc ætatem pervenerim, tentor usque in hodiernum diem. Et juravit dicens: Jam duodecim annis postquam transegi annum quinquagesimum, nullam diem, nec noctem intermisit, qua me non invaserit. Cum itaque suspicatus essem, Deum a me recessisse, quandoquidem tanta in me Dæmon uteretur potestate, potius delegi mori absque ratione, quam vitio affectioneque corporis me turpiter gerere. Egressusque a cella mea, & obiens solitudinem, inveni speluncam leænæ. In quam speluncam me nudum immisi toto die, ut feræ egressæ me devorarent. Postquam autem fuit vespera, prout scriptum est*, Sol cognovit occasum suum; posuisti tenebras, & facta est nox; in ipsa transibunt omnes bestiæ silvæ: catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi: *egressæ ergo feræ in illa hora, & masculus & femina a pedibus ad caput usque odorata sunt circumlingentes. Cumque expectarem fore ut devorarer, a me recesserunt. Cum ergo illic tota nocte jacuissem, non fui devoratus. Existimans ergo Deum omnino mihi pepercisse, surrexi. Rursus vero in cellam redii. Cum autem se paucis diebus continuisset Dæmon, me est adortus vehementius, quam antea, ut parum abfuerit, quin blasphemarem. Transformatus enim cum esset in puellam Æthiopissam, quam in mea juventute videram æstate spicas legentem, ea mihi visa est meis insidere genibus: meque usque adeo commovit, ut putarem me cum ea coivisse. Furore ergo percitus, impegi ei colaphum: eaque sic evanuit. Hoc autem mihi crede dicenti. Biennio non poteram ferre manus meæ fœtorem. Cum ergo hac de causa pusilli & abjecti animi evasissem, & de me omnem spem abjecissem, egressus sum pererrans vastam solitudinem, & inveni parvam aspidem. Quam cum accepissem, eam admoveo meis genitalibus, ut vel sic morsus morerer. Et cum ejus caput virilibus applicassem, ut quæ mihi fuissent causa tentationis, ne sic quidem morsus sum Gratiæ providentia. Post hæc autem audivi vocem dicentem mihi in mea cogitatione: Abi, Pachon, decerta. Ideo enim permisi in te tantam exerceri potestatem, ne tibi esset elatior & arrogantior spiritus, perinde ac ipse posses hanc superare affectionem; sed tuam agnosceres imbecillitatem, & in tuæ vitæ instituto numquam haberes fiduciam, sed recurreres ad Dei auxilium. Sic autem admonitus & confirmatus, ad cellam sum reversus; & deinceps sedens cum fiducia, & nullam belli curam gerens, reliquos dies egi in pace. Dæmon autem cum cognovisset meam ejus despicientiam, pudore deinceps affectus, ad me non accessit amplius. His verbis cum ad luctam adversus Satanam me confirmasset, & ad bellum instruxisset, & adversus dæmonem fornicationis me parasset, ac docuisset, dimisit, jubens, ut forti animo me gererem in omnibus.*

12. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, & agebatur de virtutibus nonnullorum Dei Servorum, dixi, inverisimilia & hyperbolica esse nonnullorum testium dicta, qui asseverabant, hunc, illumve Servum Dei nullis carnis illecebris fuisse tentatum, & ad eum castitatis apicem pervenisse, ut nec mentis, nec corporis rebellionem unquam passus esset. At hæc benigne explicari possunt, videlicet intelligendo, non ita ut excludatur a corporis membris lex repugnans legi mentis, sed ut excludatur delectatio & assensus, uti docet S. Augustinus *lib.* 1. *retractat. cap.* 19. *num.* 1. (*tom.* 1. *oper. col.* 29.): *Per idem tempus de sermone Domini in monte secundum Matthæum duo volumina scripsi. In quorum primo propter id, quod scriptum est*, Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur, *Sapientia (inquam) congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo. Quod merito movet, quomodo dixerim. Non enim cuiquam provenire in hac vita potest, ut lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris: quandoquidem, etiamsi ei sic resisteret spiritus hominis, ut in nullum ejus laberetur assensum, non ideo tamen illa non repugnaret. Hoc ergo, quod dictum est nullum esse motum adversus rationem rebellem, recte accipi potest, id nunc agentibus pacificis, domando concupiscentias carnis, ut ad istam pacem plenissimam quandoque veniatur. Proinde, quod alio loco, cum eamdem sententiam Evangelicam repetens dixissem*, Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur, *adjunxi dicens: Et ista quidem in hac vita compleri possunt, sicut, completa esse in Apostolis, credimus, sic accipiendum est, non ut in Apostolis hic viventibus nullum carnis motum arbitremur spiritui repugnasse, sed hactenus hic ista posse compleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa, ea mensura scilicet perfectionis humanæ, quanta in hac vita potest esse perfectio. Non enim dictum est, Ista in hac vita compleri possunt, nam, completa esse in Apostolis, credimus; sed dictum est, Sicut completa esse in Apostolis, credimus: ut ita compleantur, sicut in illis completa sunt; id est quadam perfectione, cujus capax est ista vita, non sicut complenda sunt in illa, quam speramus, pace plenissima, quando dicetur: Ubi est mors contentio tua?* Qund si forte huic explicationi verba testium adversentur, eorum vero præsertim, qui

sint

sint omni exceptione majores, puta, Sacerdotes Confessarii, sciendum est, nonnullos Dei Servos ex speciali gratia ad hoc castitatis fastigium etiam in hac vita devenisse, ut motibus carnis, & tentationibus non fuerint ad aliquod tempus, val etiam toto vitæ suæ tempore obnoxii: ideoque Estius post verba supra relata subjicit: *Neque sane putandum est hujusmodi sanctos viros a motibus carnis prorsus liberos esse, licet id forte paucis quibusdam singulari privilegio fuerit a Deo concessum*. Cassianus *collat. 7. cap.* 1 testatur, hoc cælesti privilegio fuisse insignitum Abbatem Serenum: *Cui* (inquit) *supra omnes virtutes, quæ non solum in ejus actu vel moribus, sed etiam in ipso vultu apparebant, per Dei gratiam ita est peculiari beneficio donum castitatis infusum, ut etiam se, ne ipsis quidem naturalibus incentivis inquietari vel in sopore sentiret*: & *cap.* 2. *Cum vidisset orationum suarum obtinuisse se vota, cunctosque æstus in corde suo concupiscentiæ carnalis extinctos*. Et apud Palladium in *Lausiaca historia lib. 8. vit. PP. cap.* 35. exponitur, quomodo Abbas Elias fuerit divinitus eo privilegio donatus; itemque apud S. Gregorium *in dialog. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 1275. narratur, quomodo S. Equitius multorum monasteriorum Pater per orationis studium a Domino impetraverit, ut a stimulis carnis liberaretur; & quomodo subinde, sicuti viris antea præerat, ita cœperit postmodum feminis præesse. In secunda relatione S. Teresiæ super virtutibus *art.* 12. *de purissima virginitate & castitate* hæc habentur: *Numquam Beata Teresia tentationes carnis experta fuit, illasque omnino ignoravit, particulari gratia & privilegio Dei, ut idem Reverendiss. Tirasonensis ipsius Confessarius testatur. Ex quo non semel evenit, quod, cum aliquæ Moniales carnis stimulis vexatæ illam pro remedio consequendo consulerent, illis respondere soleret, aliam personam consulerent, se enim in hac materia consilium dare non posse, cum hujusmodi motus Dei misericordia numquam passa fuisset, ac proinde, cujusmodi esset, ignoraret*. Item Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus de S. Aloysio Gonzaga in processu Romano anni 1608. *fol.* 76. hæc narrat: *Tota vita sua nullum umquam non modo in corpore sensum, sed ne in animo quidem suggestionem, aut repræsentationem ab hac virtute* (scilicet castitate) *alienam sensit; quod plane apparet omnem humanam facultatem excedere*: & paulo post: *Nam & corpus ipsum omnis penitus motus expers fuit, & anima ita pura, ut ne ullam quidem vel primam impressionem, aut imaginis alicujus indecentioris tenue objectum pateretur &c. Siquidem penitus ignoravit, quid essent, & cujusmodi essent omnes ejus generis tentationes*. Hoc perpenso testimonio, prosequuntur Rotæ Auditores in relatione causæ dicti Sancti: *Et hoc confirmat Reverendus Pater Mutius Vitellescus, dum inquit, quod ita nuncupata vota virginitatis servavit, ut toto tempore vita sua numquam carnis stimulum, aut pravam mentis cogitationem passus fuerit; idemque comprobatur ex his, quæ scripta reliquit Pater Hieronymus Platus, ut referunt Pater Tamburellus, & Pater Alperius, videlicet, quod numquam carnis stimulos, aut impudicas cogitationes expertus fuerit*. Excellentissima ergo & insignissima hæc prærogativa nonnullis Sanctis, dum viverent, indulta est; sed in examine causarum Canonizationis, cum de ea agitur, magna cum cautela procedendum est, ut videlicet non ita facile admittatur, nec ita absolute rejiciatur; præcipue si aliarum virtutum in gradu heroico probationes non desint, & magnum illud privilegium juratis Confessariorum assertionibus confirmetur: licet enim rem ab ipsis Dei Servis ut plurimum audiverint, piaculi tamen genus esset, juxta alibi dicta, aut referentibus, aut asserentibus fidem non præstare; idque eo magis, cum etiam exclusa carnis tentatione, potuerunt illi Dei Servi aliis tentationibus, dum viverent, tentari, ut in simili bene advertit D. Thomas 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 3. *ad secundum*, ubi hæc habet: *Talis corruptio fomitis non impedit, quin homo rationali voluntate possit reprimere singulos motus inordinatos sensualitatis, si præsentiat, puta divertendo cogitationem ad alia. Sed, dum homo cogitationem ad alia divertit, potest etiam circa illud aliquis inordinatus motus insurgere; sicut, cum aliquis transfert cogitationem suam a delectationibus carnis, volens concupiscentiæ motus vitare, ad speculationem scientiæ, insurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ impræmeditatus*.

13. At, ad institutum ut redeamus, non solum Dei Servi, dum viverent, ut plurimum senserunt in membris suis legem repugnantem menti, sed, Deo permittente, multas a Dæmone passi sunt vexationes. In vita Sancti Hilarionis scripta a Sancto Hieronymo (*tom. 2. oper. col. 16. n.* 8.) post relatas tentationes, quibus Dæmon eum vexavit, dum puer esset, subjicitur: *Quadam nocte infantum cœpit audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi muliercularum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, ut ante sonitu, quam aspectu territus cederet. Intellexit Dæmonum ludibria, & provolutus genibus Christi Crucem signavit in fronte; talique armatus casside, & lorica Fidei circumdatus, jacens fortius præliabatur, quodammodo videre desiderans, quos horrebat audire, & sollicitis oculis huc illucque circumspiciens: cum interim ex improviso, splendente luna, cernit rhedam ferventibus equis super se irruere: cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait*: Equum, & ascensorem projecit in mare; &, Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur. *Multæ sunt tentationes ejus, & die, noctuque variæ Dæmonum insidiæ: quas si omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Quoties illi nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largissimæ apparuere dapes? Interdum orantem lupus ululans, & vulpecula ganniens transilivit, psallentique gladiatorum pugna spectaculum præbuit, & unus quasi interfectus, & ante pedes ejus corruens sepulturam rogavit*. In vita S. Antonii M. scripta a S. Athanasio apud Bollandum *ad diem 17. Januarii cap. 9. num.* 53. *tom. 2. pag.* 129. hæc leguntur ab eodem S. Antonio relata: *Vidi aliquando Diabolum excelsum corpore, qui se Dei virtutem & providentiam ausus est dicere, & ait ad me: Quid vis, ut a me tibi donetur, Antoni? At ego sputaculum maximum in os ejus ingeminans, totum me in eum Christi nomine armatus ingessi, & statim ille procerus aspectu inter medias manus evanuit &c. Sæpe quoque me a Dæmonibus non denego verberatum. Canebam autem sic*: Nullus me separabit a charitate Christi. *Ad cujus vocis auditum in se invicem desævientes, non meo, sed Domini fugabantur imperio, qui ait: Vidi Satanam quasi fulgur cadentem de cœlo*. Plura alia *eodem capite, & cap.* 12. legi possunt: quatenus autem ad Acta Canonizationum manus admovenda sit, in bulla Canonizationis S. Catharinæ Senensis dicitur: *Luctabatur frequentissime cum Dæmonibus, multisque illorum molestiis vexabatur*, In bulla Canonizationis Sancti Philippi Nerii: *Et, licet sæpissime antiquus nostri generis hostis horribili se forma videndum offerens deterrere ipsum conaretur, semper tam fortis & invictus de eodem gloriose triumphans, pacem veramque tranquillitatem, qua fruebatur interius, retinuit*. Alia consimilia passim habentur in relationibus Rotæ Auditorum in causis S. Francisci Xaverii *tit. de fortitudine*, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Sanctæ Franciscæ Romanæ *part. 2. ar. 6. & 7.* Quod si a Spiritu Sancto ductus est Christus in desertum, si voluntarie se subdidit tentationi, non ad consensum, sed ad luctam & victoriam, si passus est, ut a Diabolo assumeretur vel super pinnaculum Templi, vel in montem excelsum, uti legitur *Matthæi cap.* 4. si hæc ab eo gesta sunt, tum ut nullus, quantumcumque sanctus, se putet immunem & securum a tentationibus, tum ut nos instruat, quomodo Diaboli tentationes vincamus, uti post Sanctos Hilarium, & Augustinum docet Divus Thomas *part. 3. quæst. 41. art.* 1. nemo profecto mirari debebit, quod sæpe in sacris historiis, & Actis Sanctorum ipsos legamus a Dæmone variis formis & apparitionibus fuisse tentatos.

14. Scriptum est *Luc. cap.* 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; & de patientia S. Cyprianus *in lib. de bono patientiæ col.* 499. ait: *Patientia est, quæ nos Deo & commendat & servat &c. Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites*. Patientiæ autem & mansuetudinis exempla passim in Actis Sanctorum leguntur, sive quando Gentiles, aut Hæretici, sive quando improbi Catholici, & quando etiam viri probi bonique Catholici, sed decepti, eos persecutionibus affecerunt. Ad primam persecutionis classem referri debent, quæ S. Franciscus Xaverius passus est, cum Indis Evangelium prædicaret, de quibus in relatione causæ *tit. de insigni fortitudine*; quæ S. Jacobus de Marchia deputatus a Nicolao V. Inquisitor adversus hæreticos Fraticellos ab eis passus est, cum falsa eorum dogmata Catholicæ veritatis gladio confoderet, de quibus *in compendio vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon Actorum in causa Canonizationis ipsius*; quæ S. Paschalis Baylon passus est, tunc, cum Britanniam venit, & hominum impie de Fide sentientium retudit audaciam, de quibus in relatione causæ ipsius *tit. de Fide*; quæ denique S. Didacus a Canariensibus passus est tunc, cum eos

mortiferis superstitionibus implicatos ad veram pietatis lucem traduxit, de quibus in ejus vita a Penia composita *lib.* 1. *cap.* 12. & in bulla Canonizationis ipsius.

13. Ad secundam persecutionum classem spectant ea, quæ habentur in vita S. Benedicti scripta a S. Gregorio Magno, cum una vice Florentius Presbyter, & alia vice nonnulli Monachi venenum ei propinare tentarunt, de quibus *cap.* 3. *& cap.* 8. *prædictæ vitæ*. Ad hanc secundam classem pertinent jurgia Fratris Eliæ Vicarii Generalis Ordinis Franciscani adversus S. Franciscum Ordinis auctorem adhuc viventem, quem coram multis Fratribus ausus est traducere tanquam Ordinis excidium, & adversus S. Antonium Patavinum, quem carceribus mancipari jussit, a quibus cum aufugisset, & ad Sedis Apostolicæ judicium confugisset, judicio instructo coram summo Pontifice, res tandem definita est, remoto Fratre Elia a Magisterio Ordinis, quod ei post obitum S. Francisci collatum fuerat, factaque novi Successoris electione coram eodem summo Pontifice; uti late habetur apud Wadingum *in annalib. Minor. ad an.* 1230. Sub eadem quoque classe comprehenduntur calumniæ & obtrectationes adversus S. Vincentium Ferrerium, de quibus apud Bollandianos in ejus vita *tom.* 1. *Aprilis*. Item ea, de quibus in secunda relatione causæ Sanctæ Teresiæ super virtutibus *art.* 18. *Multa in civitate Abulæ, & in ipso monasterio, in quo tunc morabatur, de illa maledice & ignominiose sparsa sunt, quin etiam coram suo Provinciali in judicium fuit vocata, ubi plura ei objecta fuerunt; &, quod gravius est, in concionibus Prædicatores aliqui in eam invehebantur adeo aperte, ut tantum ex nomine Teresiam non appellarent. Quod fuit continuatum in prædicta novæ Reformationis institutione, quam dum inchoare tentaret, graves, & indignati testes adversus illam insurrexerunt, qui multa falsa crimina contra eam sparserunt, & contumeliosa verba jactarunt, & multæ & graves contumeliæ de illa scriptæ fuerunt, quæ in multorum etiam gravissimorum manus devenerunt*. Item, quæ gesta sunt adversus S. Joannem de Cruce, in cujus vita edita Brixiæ anno 1638. & in chronicis Ordinis *tom.* 1. & *tom.* 2. refertur, fuisse carceribus clausum in civitate Toleti anno 1576. jussu Fratris Hieronymi Tostati Commissarii electi a Generali Ordinis Carmelitani. Cum enim hæc innotuissent sacrorum rituum Congregationi, & opposita fuissent a Petro Francisco de Rubeis tunc Fidei Promotore, dum de ejus virtutibus ageretur, opus fuit temporarium causæ silentium imponere, donec poneretur in aperto, qua ex causa in carcerem conjectus fuisset, & an vera essent cetera, quæ nonnulli testes de moribus S. Joannis retulerant: nec resumi causa potuit, nisi postquam ex authenticis documentis a Nuntio Apostolico Hispaniæ ad sacram Congregationem missis constitit, illum carceribus fuisse inclusum eorum opera, qui Ordinis Reformationi adversabantur; nec ullum, nisi ab inimicis & falsis testibus, ceterarum oppositionum extare momentum, ut in suo suffragio summo Pontifici Alexandro VII. exhibito, re mature discussa, & visis videndis, retulerunt Cardinales Brancatius, Franciottus, & Azzolinus; post quæ summus ille Pontifex censuit, ad ulteriora in causa esse procedendum. Denique sub eadem secunda classe cetera comprehenduntur, quæ adversus S. Carolum Borromæum tum Romæ, tum Mediolani, tum in Hispaniis opposita sunt, de quibus in relatione causæ *part.* 2. *argum.* 20. & in relatione causæ S. Ignatii *tit. de fortitudine*.

16. Ad tertiam spectant classem non tantum nonnulla, quæ in *lib.* 2. *cap.* 41. *&* 42. relata sunt, sed etiam ea, quæ ex recentioribus Actis Canonizationum modo dantur. In relatione causæ S. Philippi Nerii *tit. de patientia & mansuetudine*, plura narrantur, quæ passus est a nonnullis Urbis primariis viris tempore summi Pontificis Pauli IV. & tempore summi Pontificis Pii V. cum aliqui eam accusarent, quod gloriam vanam affectaret; quia tempore Bacchanalium septem Urbis ecclesias invisebat populi frequentia comitatus; alii quod inepte loqueretur, cum in ecclesia sermones habebat. In relatione causæ S. Cajetani *tit. de fortitudine*, indicantur obstacula ei opposita tum a summo Pontifice Clemente VII. tum a Cardinalibus, cum sui Ordinis fundamenta jaceret. De nonnullis Sanctis legimus, fuisse eos tamquam de Fide suspectos in tribunali sanctissimæ Inquisitionis accusatos, & etiam ejus carceribus addictos. De S. Teresia in secunda relatione causæ *ar.* 28. hæc habentur: *Cum Hispali moraretur, ipsa, & ejus sociæ, sanctæ inquisitionis officio, multa eis imponendo falsa, denunciata sunt*. Alibi narrabitur, quid S. Bernardino Senensi contigerit, qui a summo Pontifice Martino V. uti reus superstitionis ad Urbem vocatus est. Historici Societatis Jesu plene testantur, S. Ignatium bis in Hispania carceribus sanctissimæ Inquisitionis fuisse inclusum, præcipue sub obtentu, quod ignarus Theologiæ recte non explicaret mysteria Theologica, & potissimum differentiam inter peccata mortalia, & venialia: Orlandin. *in histor. Societ. Jesu lib.* 1. *n.* 8. Ribadeneira etiam *in vita Sanct. Ignatii cap.* 14. *&* 15. Bartolus *in eadem vita lib.* 1. *a pag.* 119. *usque ad* 131. *primæ edit.* 1650. Nonnullorum Dei Servorum, quos Deus permisit a Superioribus Ecclesiasticis deceptis injuste aliquando puniri, meminit claræ memoriæ Cardinalis de Lauræa *opusc.* 6. *de oratione cap.* 5. *Aliqui Justi a Superioribus etiam Ecclesiasticis & supremis male informatis (Deo permittente) purgantur & mortificantur, de quibus maxime inter Regulares longam possem texere historiam*. Idem advertit Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 17. *pag.* 619. ubi quærit, an perfectio cœnobitica sit omnium dirissima. Legi potest vita Vener. Abbatis Barrerii *in sanctuario sacri Ordinis Cisterciensis p.* 607. *Taurini edito anno* 1708. ex qua colligitur, quomodo odio nonnullorum suorum Monachorum a quodam Apostolico Delegato per sententiam fuerit condemnatus, & dignitate privatus; quomodo hæc patientissime septem annorum spatio tulerit, & demum, commisso negotio Ven. Dei Servo Cardinali Bellarmino, cognita testium fraude, annuente summo Pontifice, innocens declaratus ad honores & dignitates sit restitutus.

17. Verum profecto majora sunt, quæ habentur in Actis causæ Ven. Dei Servi Patris Joseph a Matre Dei Fundatoris Religionis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, in qua causa ipse Advocati Consistorialis munere fungens, pro ejus innocentia & sanctitate multa scribendo deduxi; nonnulla adversus ejus virtutes opposui, ad munus Promotoris postmodum evectus; & pro iisdem virtutibus deinde suffragium tuli in generali sacrorum rituum Congregatione coram Benedicto XIII. cui uti Cardinalis interfui, & in qua ejus heroicæ virtutes approbatæ fuerunt, responso edito, quod idem summus Pontifex subinde approbavit. Venerabilis ille Dei Servus traductus fuit ad tribunal sanctissimæ Inquisitionis una cum Patribus Assistentibus, Procuratore Generali, & Secretario Religionis; deinde inhibitum illi Præsidis Generalis officium, & ex aliena Religione Visitatores dati. Religio ab eo rite fundata fuerat cum emissione trium votorum solemnium tempore Gregorii XV. Sed, hoc minime obstante, concessum fuit omnibus, qui in eadem degebant, ut ad aliam Religionem, etiam laxiorem, transire possent; Religio autem Scholarum Piarum redacta fuit ad instar Congregationis Oratorii institutæ a S. Philippo Nerio absque ulla votorum emissione, eamque professis facultas concessa est assumendi habitum Presbyteri Sæcularis, dummodo id fieret intra spatium quatuor mensium; uti colligitur *ex Constit.* 17. *& ex Constit.* 20. Innocentii X. *Bullar. tom.* 5. & solum post obitum Dei Servi Alexander Papa VII. decrevit, ut Patres Congregationis Scholarum Piarum tria vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ emitterent una cum juramento in eadem Congregatione perpetuo manendi, & anno tandem 1669. summus Pontifex Clemens Papa IX. restituit prædictam Congregationem ad statum Regularem & titulum Religionis, cum emissione trium votorum solemnium, uti habetur *Constit.* 2. ejusdem Pontificis *in append. Bullar. tom.* 6.

18. Nemo est, qui facile sibi suadere non possit, quam multiplices & graves fuerint animadversiones, quas ex gestis adeo solemnibus media in Urbe, & intercedente summorum Pontificum auctoritate quodammodo approbatis, adversus innocentiam Dei Servi tum Fidei Promotor, tum Consultores sacræ Congregationis proposuerunt. Postulatores sæpe cogitarunt de causa deferenda: sed cum non sine speciali Divino præsidio, multorum annorum spatio pervolutis archivis, perspicue cognitum fuerit, non alia ex causa fuisse Dei Servum solemniter traductum ad aulam sancti Officii, a qua statim dimissus est, quam quia falso, sed verisimili, nonnullorum ex sua Religione testimonio fuerat accusatus, quod scripturas quasdam ad tribunal spectantes subduxisset; & cetera supra narrata contigisse, non ex ejus culpa, sed ex falsis, licet probabilibus, similium testium accusationibus; quibus tandem bene examinatis, decretum est, Dei Servum ad munus Præsidis Generalis Religionis suæ esset iterum assumendum; quæ in dedecus fuerant relata, in veram tandem laudem conversa sunt, nec tamen ullum ex his injustitiæ crimen iis, qui decreta fecerunt, rationabiliter

opponi

opponi potest. Romanæ urbis tribunalia, summorum Pontificum Consiliarii, ipsi summi Pontifices magnam utique adhibent diligentiam, ut ex veritate & justitia procedant: resque ut plurimum, Deo dante, ex voto recte cedit; sed, Deo ipso permittente, contingere potest (& sane aliquando contingit) ut prævalente hominum malitia, justitia coram ipsis obruatur. Card. Baronius *ad an.* 1049. *num.* 12. narrare instituens, quomodo S. Leo IX. summus Pontifex opera calumniatorum infensus factus sit B. Petro Damiani, exclamat: *sed o instabilis interdum etiam in Ecclesiæ Antistitibus iisdem sanctissimis stabilitas mentis, dum, contrariis ventis impellentibus, animum erga viros virtute præditos bene propensum, in partem distorquent adversam, ut, quem antea plurimi faciebant, jam contemnant, & fastidio respuant, quem colebant! Ecce enim Petrus ille, hujus temporis magnum sidus Ecclesiæ, Leoni Pontifici adeo carus, meritoque dilectus ac cultus, quorumdam calumniis apud ipsum exagitatus cœpit ab æstimatione parta cadere atque vilescere &c.* Ac prolata apologetica epistola ejusdem Petri, subdit: *Sint ista ad consolationem (quod sæpe contingere solet) talia patientium, ad cautelam vero ejusmodi perpetrantium, ne faciles calumniantibus aures adhibeant, adversus eos præsertim, quos longior vita ante bene acta commendat.* Item S. Gregorius *lib.* 1. *dialog. cap.* 4. *tom.* 2. *oper. col.* 168. loquens de excelsis operibus S. Equitii, narrat, eum fuisse apud Sedem Apostolicam accusatum, quod sine sufficienti doctrina & legitima auctoritate munus Apostolicæ prædicationis suscepisset, & delatori calumnioso Pontificem fidem habuisse; tum miranti de hac re Petro sic inquit *col.* 172. *Quid miraris, Petre? Quia fallimur quia homines sumus? An mente excidit, quod David, qui prophetiæ spiritum habere consueverat, contra innocentem Jonathæ filium sententiam dedit, cum verba pueri mentientis audivit? . . . Quid ergo mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non sumus? Multum vero est, quod uniuscujusque Prælatis mentem curarum densitas devastat; cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula, tantoque ei in unaqualibet re subripitur, quanto latius in multis occupatur.* Hæc ea non sunt, in quibus summorum Pontificum judicium Divino privilegio fultum falli nequit. Sunt minoris ordinis, & in quibus impossibile non est, ut aliquando putantes se juste procedere, proindeque sine culpa, injuste nihilominus procedant. Præterquamquod, quemadmodum, positis circumstantiis, hæc duo inter se cohærere possunt, ut aliquis sine sua culpa reprehendatur, & alius juste reprehendat; ita etiam, positis circumstantiis, hæc alia duo poterunt cohærere, ut includatur quis sine sua culpa carceribus, & condemnetur, & hoc Judex sine injustitia decernat. Comprobatur hoc ex *epist. ad Galatas cap.* 2. ubi Paulus testatur, se in faciem Petro restitisse, quia reprehensione dignus erat, quod videlicet timens eos, qui ex circumcisione erant, Legalia observaret. Notissimæ sunt quæstiones super hoc facto excitatæ, sed nonnulli sic rem componunt, ut doceant, S. Petrum ab omni culpa fuisse immunem, eo quod Apostoli juxta loci & temporis circumstantias potuerint omni jure Legalibus uti; Apostolum vero Paulum, his minime refragantibus, eum potuisse reprehendere, quandoquidem, cum præter S. Petri mentem, supremi Pastoris exemplo, Judæi, & Gentiles, & etiam Barnabas eorum Institutor, judaizarent, nulla alia ratione Apostolus Paulus gliscentem errorem se posse cohibere existimavit, quam Petro, cujus exemplum ceteri secuti erant, resistendo, & eum, quo ceteri cohiberentur, coram omnibus acriter redarguendo. Legi potest Cardinalis Baronius *in annal. ad an.* 51. *n.* 33. *&c.*

19. Ærumnis & tribulationibus ad sensum spectantibus succedunt ærumnæ, afflictiones, & purgationes, quæ partem rationalem afficiunt, privatio videlicet illuminationum, Divinarum inspirationum, consuetæ devotionis, tentationes contra Fidem, tentationes reprobationis & desperationis, timor Divinæ derelictionis, animæ ariditas, & ingens scrupulorum multitudo, de quibus egregie Rosignolius *de discipl. Christian. perfect. lib.* 2. *cap.* 21. *Alii etiam sunt superioribus similes affectionis hujus, hoc est, pusillanimitatis effectus, & præsertim varia scrupulorum genera, quæ sane longum esset numerare, nec necesse est. Attingamus tamen pauca; hinc enim magna ex parte ortum habent tentationes contra Fidem, quæ aliquando molestissimæ sunt, curiositates, & dubitationes de prædestinatione propria, de Divina præscientia, diffidentia & metus salutis consequendæ, vel ob occulta peccata, vel ob magnas difficultates, quibus obstructa cernitur via, impotentia passionum animi & carnis, ob quas etiam Apostolus infelicem se nominat, turba & importunitas pravarum cogitationum, motionum animi affectionumve, quibus sæpenumero an voluntate consentiamus, graviter ambigimus, vanæ gloriæ stimuli, suspiciones, odia, temeraria judicia, formido dati scandali aut verbo aut facto, famæ ablatæ, & aliorum similium.* De ceteris supra memoratis ærumnis & purgationibus plura habentur apud Mysticos, qui gravissimorum Patrum sententia docent, Deum incipientibus & imperfectis aliquando supernaturalia dona & suavitates liberaliter communicare, & deinde spiritualem cognitionem, & sensibilem amorem, & devotionem subtrahere; ita ut homo perinde se pauperem inveniat & tepidum, derelictum a Deo desolatumque, ac si nullam unquam notitiam ejus habuisset, licet paulo ante dives & opulentus esset, multaque per omnes animæ facultates suavitate fruens; iis permissis, quas paulo ante commemoravimus, tentationibus. Res hæc mirifice explicatur a Patre Thoma a Jesu Carmelita Discalceato *oper. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12. *& seqq.* S. Bonaventura *de profectu Religios. lib.* 2. *cap.* 2. (*tom.* 7. *oper. pag.* 614.) hasce species tentationum enumerat; primam videlicet, subtractionem & inopiam devotionis; secundam, difficultatem ad bene operandum; tertiam, fastidium, quod quis experitur in omni bono exercitio; quartam, tentationem impatientiæ contra Deum; quintam, quam dicit magis periculosam, quando subtracta ex longo tempore Gratia, inter anxia desideria ejus recuperandæ, homo quasi lassus remittit animum ab intentione quærendi, & obtentu patientiæ desinit ulterius quærere auxilia, cum indignante quadam humilitate cogitans, se fore indignum tali Gratia, quod Deus illum ordinaverit ad alia opera exteriora, quo fit ut desistat ab interioribus; sextam denique, quæ plures includit, & est hæsitatio in Fide Catholica, vel desperatio de Dei misericordia, spiritus blasphemiæ in Deum & Sanctos, injiciendi sibi manus, seque perimendi, & dubitatio querulæ conscientiæ, medicinale consilium contra hæc mala non admittentis. *Capite* autem 76. *pag.* 650. animæ explicat ariditatem per hæc verba: *Contingit etiam plerumque studiosis devotionis, ut, dum magis conantur habere devotionis gratiam, minus habeant, &, cum vehementius instant, aridiores, & duriores corde fiant.* De causis, propter quas animæ Justorum ærumnis & afflictionibus ad partem rationalem pertinentibus adeo misere affliguntur, tractat supra memoratus Pater Thomas a Jesu *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 12. *in fine.* Sanctus autem Bernardus *serm.* 54. *in Cantica num.* 8. *volum.* 1. *col.* 1457. præcipuam subtractionis dulcedinis Gratiæ causam rejicit in superbiam: *Non sine causa sane ab heri & nudiustertius invasit me languor iste animi, & mentis hebetudo, insolita quædam inertia spiritus. Currebam bene: sed ecce lapis offensionis in via; impegi, & corrui: superbia inventa est in me, & Dominus declinavit in ira a servo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, & devotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? Nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiritus? Ubi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, segnior obtusiorque ad prædicationem. Heu! Omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat.* Et post pauca, licet alias causas non excludat, potissimam tamen causam esse superbiam, sic concludit *num.* 10. *Nec dubites, in causa esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis: quod enim tu nescis, scit Deus, &, qui te judicat, ipse est . . . . Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum superbiæ privatio est gratiæ. Quamquam tamen interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur, non pro superbia, quæ jam est, sed quæ futura est, nisi subtrahatur.* S. Bonaventura loco supra citato, postquam plura retulit de fructu harum afflictionum, sic tandem rem absolvit: *Purgat Deus aliquando corda devotorum per subtractionem illius consolationis, cujus carentia maxima est eis afflictio; ut sic purgati aptiores fiant abundantiori gratiæ percipiendæ in præsenti & gloriæ in futuro, etiamsi hanc afflictionem specialis culpæ merito non contraxerint.* Cardinalis autem de Lauræa *opusc.* 6. *de oratione cap.* 8. ait, fructum passivæ purgationis Justorum esse gratiæ argumentum, fortitudinem ad patiendum, unionem cum Deo, & æternæ gloriæ consecutionem; deinde, postquam probavit, non solum incipientes, sed etiam proficientes, & perfectos

hisce

hisce tribulationibus obnoxios esse, spiritales & contemplativos sic consolatur: *Non ergo spirituales, & contemplativi horreant ejusmodi passivas purgationes, ac tentationes extrinsecas, Deo volente, aut permittente, sive in corpore, sive in anima immissas, neque ex hoc putent, se a Deo derelictos, aut minime amari, vel odio haberi; sed cogitent, Sanctos omnes veteris & novi Testamenti fuisse a Deo purgatos ad gratiæ & gloriæ ipsorum augmentum.* In vita B. Coletæ apud Bollandianos *ad diem 6. Martii cap. 15. num.* 137. mentio fit spiritualis desolationis cujusdam Religiosæ, quam Beata suavibus verbis allocuta induxit ad fortitudinem & constantiam adversus tentationem. B. Angela de Fulginio, uti legitur in ejus vita, tormentum, quod ex his tentationibus tulit, adeo extollit, ut dixerit, se maluisse omne genus martyrii subire, quam talem pati desolationem. Quid obtigerit S. Teresiæ, legitur in relatione secunda causæ ipsius *art.* 21. *Per orationem assecuta fuit perseverantiam & continuationem in illa, ita ut per quinquaginta annos, ut diximus, ab illa non destiterit; nec ariditates & desolationes animæ, quas per primos viginti annos circiter, Deo sic disponente ad ipsius probationem, passa fuit, ab oratione illam removere valuerunt.* Vincentius Puccinus Confessarius S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ejus vitam conscripsit ex Italico in Latinum sermonem a Bollandianis conversam *ad diem* 25. *Maji*, in cujus potissimum *cap.* 6. multa ad rem, de qua nunc agitur, referuntur, & signanter, quod per ariditatem spiritus fieret, ut ei tædio essent omnia Religionis exercitia; quod Dæmon ei conaretur persuadere, nullum esse Deum, nec sacram Eucharistiam adorandam; quod accedens ad communicandum videretur sibi videre Dæmonem quasi ipsam interfecturum; quod eam denique Dæmon sæpe impelleret, ut Deum blasphemaret & Sanctos. Tentationibus denium, de quibus agimus, duobus annis B. Franciscum, decem Henricum Susonem, & septemdecim B. Mariam Ægyptiacam fuisse vexatos, ex S. Joanne de Cruce refert Thomas a Jesu *loc. cit.* 14. *in fine*. Cardinalis Federicus Borromæus *in oper. de vera & occulta sanctitate lib. 3. cap. 3. 4. &* 5. multa habet de causis ariditatis, de perfectissimo ariditatis genere, & de remediis.

20. Porro, ut aliquid de scrupulis dicamus, nemo est qui ignoret, conscientiæ divisionem ex parte objecti duplicem esse, bonam videlicet, aut malam, seu, quod idem est, veram, aut falsam, rectam, aut erroneam; sed ex parte operantis communiter dividi in rectam, erroneam, dubiam, probabilem, & scrupulosam: dubiam porro, ad quam reducitur scrupulosa, eam esse, cum quis anceps & suspensus, neutri contradictionis parti adhærens, judicium retinet; ita tamen, ut, si ex levibus & frivolis rationibus judicium retineatur, non proprie dubia, sed scrupulosa conscientia dicenda sit. Scrupulositas, ut eam vocant, quandoque oritur a corporis habitudine ad timorem prona, uti est humorum temperatio frigida, quandoque ab ægritudine melancholica, quandoque a tentatione Diabolica, quandoque a negligentia corporalis regiminis, puta a nimia abstinentia, jejuniis, & vigiliis, & aliquando ex societate aliorum scrupulis laborantium, uti late docet & acutissime explicat S. Antoninus *in Summa Theologiæ tit. 3. cap.* 10. *de conscientia* §. 9. Sed, ne conscientia, ut dicitur, vere timorata, de qua in *Proverb.* 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, confundatur cum conscientia inaniter scrupulosa: qui habent conscientiam vere timoratam, aliquando culpas agnoscunt, ubi culpa non est, inquit S. Gregorius *lib.* 11. *epist.* 64. (*tom.* 2. *col.* 1159.) se perpetuo accusant. *Humilitatis enim filia est sui ipsius perpetua accusatio &c.* inquit S. Dorotheus *doctr.* 1. (*tom.* 5. *Bibl. PP. pag.* 905.) parva licet, errata lacrymis abluunt: *Sic anima, si ardorem ex cupiditate mundi collectum studiose restrinxeris, etiam valde parva errata pro gravissimis ducens, lacrymas multas continenter Deo offert*, ait S. Diadochus *cap.* 27. (*lib.* 1. *tom.* 5. *Bibl. PP. pag.* 887.) Et de B. Maria Ognacensi scribit Cardinalis de Vitriaco in ejus vita *lib.* 1. *cap.* 6. apud Surium ad diem 25. Junii: *Tanta cum verecundia & rubore, cum tanta contritione se ostendebat Sacerdoti, ut plerumque nimio cordis angore instar parturientis clamare cogeretur, tametsi etiam ab exiguis & venialibus culpis &c. sibi causaret &c. Sacerdotum pedibus advoluta sese accusans, quædam hujusmodi etiam cum lacrymis confitebatur, ad quæ nos vix potuimus a risu abstinere, puta quædam verba puerilia, quæ in pueritia se dixisse recolens dolebat.* Sed firmitatem cordis, vigilantiam, & solicitudinem habent sine anxietate, & imperturbati, stabiles, & constantes incedunt per viam mandatorum Dei. Inaniter autem scrupolosi timent, comitem habent mentis inconstantiam, pusillanimitatem, tepiditatem, & omnis boni tædium, uti bene explicat Marcant. *de trib. t.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 2. unde Joannes Trithemius *lib.* 1. *ad Monachos hom.* 24. ait: *Periculosa est scrupulositas, quæ conscientiam in errorem præcipitat*: & Joannes Gersonius *lib.* 4. *de consol. Theolog. prop.* 2. *in fine par.* 3. (*tom.* 1. *oper. col.* 173.) describens scrupulos hujus generis, ait, *quod inquietudinem mentis causant, eamque fluctuare faciunt, a qua, sicut muscæ morientes, perdunt suavitatem odoris, id est devotionis & amoris sentimentum*. Optime Frassen *in Philosophia Academica t.* 4. *disp.* 3. *concl.* 5. ubi, postquam dixit, scrupulosam conscientiam dividi in rectam, & perversam, & rectam ex timore Dei provenire, perversam autem ex uno ex capitibus supra recensitis, ait, conscientiæ rectæ & timoratæ effectus esse puritatem & firmitatem cordis, vigilantiam & solicitudinem sine anxietate; at contra conscientiæ scrupulosæ & perversæ effectus esse mali apprehensionem cum perturbatione, inconstantiam cogitationis, instabilitatem operationis, & diffidentiam de Dei bonitate. Permittit autem Deus aliquando hasce tentationes scrupulorum, ut occupemur in exercitatione virtutum humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, charitatis; uti censuit S. Teresia *in epist.* 31. *ad suum Fratrem Laurentium de Cespede*; & sequuntur Alvarez de Paz *de victoria tentationum par.* 3. *c.* 12. Gilottus in libro, cui titulus *De directione conscientiæ scrupulosæ c.* 7. & 8. Rosign. *cit. cap.* 21. §. *Causæ efficientes*. Legimus autem, nonnullos Sanctos scrupulorum tentatione fuisse, dum viverent, vexatos; inter quos præcipue recensentur SS. Dominicus, Bonaventura, & Ignatius, Maria Magdalena de Pazzis, & Catharina Januensis, de quibus Joannes Pontas *in dictionar. casuum conscientiæ in verb. Scrupulus, cas.* 1. *vers. Secunda causa*. Quocirca Cardinalis Federicus Borromæus *de vera & occulta sanctitate lib.* 3. *c.* 6. hæc de scrupulis habet: *Et quamvis hic animi habitus non sit usquequaque perfectorum proprius, sed maxime incipientium; fieri tamen potest, ita permittente Deo, ut ipsi etiam perfectissimi ita affecti reperiantur. Quamobrem non semper vere dicitur, timores insolitos, & anxietates illas scrupulosorum, communi verbo sic notatas, ingruere in eos, qui sint adhuc incipientes, & minus perfecti, etiamsi plerumque tamen ita sese res habeat.*

21. Post hæc superest, ut videamus, quomodo supra recensitas omnes ærumnas & tribulationes Sancti toleraverint; & quid quoad eas animadvertendum sit, quando Acta Servorum Dei pro Beatificatione aut Canonizatione examinantur. Porro de Sanctis omnibus prædicari potest illud Salomonis *Sap.* 3. *v.* 5. 6. 7. 8. *In paucis vexati, in multis bene disponentur; quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus eorum. Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent; judicabunt nationes, & dominabuntur populis* .... Fides eos docuit, Deum Servos suos tentare, juxta illud *Gen.* 22. *v.* 1. *Tentavit Deus Abraham*; & juxta illud *Psalmi* 25. *v.* 2. *Proba me, Domine, & tenta me*; necnon justum aliquando a peccatore mortificari, juxta illud *Psalmi* 36. *Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum*; & justos demum afflictionibus probari, sicut aurum in fornace, sed Deum esse cum illis, juxta illud *Psalmi* 90. *v.* 15. 16. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum* ... *& ostendam illi salutare meum*. Durum quidem aliquando eis visum est, quod boni eos persequerentur, juxta illud *Psalmi* 54. *v.* 13. *& seq. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos &c.* Sed & hæc, & cetera omnia patientissime tulerunt, quod tribulatio patientiam perficit, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit, ut ex Actis eorum Sanctorum, quorum in superioribus mentio habita est, plene desumitur; cum quibus concordant Acta ceterorum, qui in Catalogum Sanctorum adscripti sunt: interea silentio prætereamus exempla Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, de quibus egregie Sanctus Hilarius Pictavorum Episcopus *in Psalm.* 138. *pag.* 506. *Domine, probasti me, & cognovisti me. Apostolus, cum nos patientia, & spei doctrina erudiret, ait:* Tribulatio patientiam perficit, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes vero non confundit. *Et hæc quidem in Sanctorum quorumque vita, atque operibus fuisse cognoscimus, ut multis passionibus, tribulationibusque*

ja-

jactati, probabiles Deo facti sint. Si quis enim, osculem Abraham, & in metu parricidii, & cœlibatus, & in ceterarum passionum injuriis mansisse fidelem semper, meminerit; si quis fugam Jacob, & præter æstivorum dierum laborem hibernarum noctium vigilias in custodiis ovium recordetur; si quis Moysis quadraginta annorum servitutem, & in eo acerba plebis opprobria, & Magorum adversus eum æmulas potestates recenseat; intelliget, eos patientia, & constantia spei probatos non immerito id esse præmii consecutos, ut in Abrahæ semine gentes benedicerentur, ex Jacob Israel esset, Moyses Pharaoni in Deum fieret. Longum est passiones ceterorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & beata, atque invicta illa Pauli in mari, in fluminibus, in terra, in solitudinibus, in urbibus, in propriis, in exteris, in plagis, in vinculis, in carceribus, in theatris Fidei documenta memorare. Certe hos omnes patientia probabiles reddidit, per quam non erubescendæ spei suæ fiduciam probaverunt.

22. Ex Actis pariter Sanctorum plene desumitur, non solum eos adversa sibi ab hominibus illata fortiter, & æquanimiter tulisse, sed ipsa quoque Domini flagella patienter tolerasse, cum eis præsentiæ suæ consolationem subtraxit, & adeo recessit, ut si inter ipsum, & eos murus latissimus esset interpositus. Tunc fassi sunt, se graviora commeritos esse, se in Deo abdiderunt, in ipsa desolatione immoti perstiterunt, in nulla mortali creatura, vel negotio solatium perperam quæsiverunt, sed in eo duntaxat verbo se consolati sunt, quod ipse Christus dicebat: *Fiat voluntas tua*. Divinæ Gratiæ auxilio tentationibus Dæmonis obstiterunt; suorum Magistrorum spiritualium consilio causas desolationis investigarunt; si ex culpa & negligentia processerant, eas per pœnitentiam deleri & emendari curarunt; si ex Dæmonis oppugnatione, fortiter obstiterunt; si ex Divina dispositione, patienter exspectarunt, & non deseruerunt, nec minuerunt studium orationis, sed auxerunt, exemplo Christi, qui factus in agonia prolixius orabat. Petierunt a Deo, ut fieret voluntas ejus, & cogitarunt, ab eo immitti desolationes ad mentis illustrationem, ad ampliorem rerum Divinarum cognitionem, ad humilitatem, ad fortitudinem, & ardentissimam charitatem consequendam. Apte Cardinalis Federicus Borromæus *lib. 3. de Christianæ mentis jucunditate cap. 3.* scribit: *Mœrores etiam, atque sollicitudines ipsæ, in quibus versantur, propriam quamdam jucunditatem habent; manifesto scilicet, & certissimo semper utilitatis fructu, quem tentamenta illa secum ferunt: atque de eo fructu Divinum testimonium extat inter monumenta rerum Beatæ Gertrudis: namque Dominus aliquando sic eam affatus fuerat: Vide, filia, permitti errores, & angustias, ut ferant humilitatis emolumenta secum. Habet insuper ea disciplina emolumentum hoc, ut, dum fortuito aliqua culpa emendatur, pleræque aliæ tollantur simul: ad eum plane motum, quo mortales plerique moventur ad eam manifestam labem tollendam, quæ manus inquinasset. Lavant eas totas, amoventque perfecte ab iis sordes omnes, quæ alioqui passim mansissent, nisi præcipua illa macula fœdasset manum.* Cumque tantummodo supersit, ut aliqua indicentur de animadvertendis in examine causarum Beatificationis & Canonizationis relata ad ærumnas & tribulationes, nonnulla idcirco damus, ut finem capiti imponamus.

23. Tum alibi, tum in hujus capitis principio adnotavimus, eos, qui scribunt de Canonizatione, asserere, examinandum esse in causis Canonizationis, an Canonizandus, dum viveret, persecutiones passus sit, & an eas patienter toleraverit. Nonnulli assertionem hanc perpendentes ita explicarunt, ut sibi locum vindicet, si qualitas personarum, temporis, loci, & modi vivendi potuerit esse persecutionibus obnoxia. Ita Pavinus in relatione Canonizationis S. Bonaventuræ *par. 1. art. 1. De Eremitis, qui nullam molestiam malorum hominum passi sunt, & sic probari non possunt in persecutionibus patientiam propter Deum habuisse, sicque in actibus patientiæ probati non fuerunt, nec in actibus justitiæ, cum nec materiam ad hoc suppositam habuerunt, & tamen Sancti dicuntur.* Quod latius explicarunt Rotæ Auditores in relatione causæ S. Franciscæ Romanæ *par. 2. art. 6. Et licet ex processibus non appareat, quod hæc Beata mulier persecutiones passa fuerit, prout necessarium videtur in Sancto canonizando, quodque eas humiliter & cum charitate pertulerit, juxta notata in cap. 1. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, Jacob. Castel. de Canonizatione Sanctorum quæst. 5. principali vers. Quarto necessarium; tamen in hoc consideranda est qualitas personarum, temporis, loci, & modi vivendi: nam in Eremitis, & quibusdam, qui ab hominum commerciis remoti vivunt, minores contingunt persecutiones, quam in aliis. Unde, cum Beata mulier non fuerit in statu patiendi persecutiones, potest sine tali requisito canonizari.* Explicatio hæc rationi innixa esse videtur, dummodo tamen coerceatur ad persecutiones, quæ ab hominibus infliguntur; quæ quidem sub appellatione ærumnarum & tribulationum (uti diximus) comprehenduntur: sed, cum aliæ ærumnarum & tribulationum species inveniantur, quarum nonnullæ sensum, nonnullæ rationem respiciunt (ut in superioribus dictum est) nulla fortasse fuit, vel esse poterit Canonizationis causa, in qua de aliqua ex ærumnis & tribulationibus supra expositis sermo haberi non debeat. *Qui vult venire post me* (inquit Salvator) *abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*; & alibi legitur: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. Quocirca S. Bernardus *serm. 16. in Psalm. Qui habitat* super illud *Cum ipso sum in tribulatione* (*num. 3. vol. 1. col.* 880.) ait: *Omne gaudium existimemus, cum in tentationes varias inciderimus, Fratres mei, non modo, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, sed quoniam juxta est Dominus his, qui tribulati sunt corde.* Itaque in citata causa S. Franciscæ Romanæ si defuerunt hominum persecutiones, non defuerunt maximæ tribulationes, quas invicta tulit patientia. Maritus ejus in exilium pulsus est, & multa temporalia Bona tunc fuerunt amissa; cum interim inclita matrona patientia invicta diceret: *Dominus providebit: Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* Nec dissimili modo se gessit in perferendis tormentis & infestationibus sibi a Dæmone illatis, quas iidem Rotæ Auditores *art. 7. partis secundæ suæ relationis* fuse retulerunt; quæque latius descriptæ fuerunt a Joanne Matthiotto ejus Confessario in ejus vita *lib. 3.* apud Bollandianos *tom. 2. Martii*. In celebri opere *de imitatione Christi*, sive illud sit Joannis Gersonii Cancellarii Parisiensis, sive Thomæ a Kempis, sive Joannis Gersenii Abbatis Ordinis S. Benedicti, uti erudite ostendit Pater Virginius Valsechius Monachus Cassinensis *in dissertat. Florentiæ impressa anno* 1724. hæc habentur *lib. 2. cap. 12. Jesus habet nunc multos amatores gloriæ cælestis, sed paucos bajulatores Crucis; habet multos desideratores consolationis, sed paucos tribulationis; plures invenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ; omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt cum eo, aut pro eo aliquid sustinere: multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis, pauci usque ad bibendum calicem passionis.* Inter paucos Beatificandi, & Canonizandi debent numerari: quocirca in eorum causis sedulo investigandum erit, an, & quas ærumnas, dum viverent, passi sint; qua patientia, qua charitate pertulerint probatione desumpta ex testibus, qui ærumnas & tribulationes perspectas habuerint, & invictam eorum patientiam bene noverint. Quod si res sit de tribulationibus partem rationalem respicientibus, earum profecto tolerantia, & de eis victoria Confessariorum & Magistrorum spiritualium testimonio probanda est, aut ipsorum Dei Servorum scriptis, si suorum Superiorum jussu vitam suam internam descripserint: ceteræ autem probationes per testes externos, ex quibus virtutum in gradu heroico argumentum deducitur, Confessariorum dictis, & ceteris, quæ Dei Servi de se scripserunt, validiorem conciliabunt auctoritatem. Quod ipsum dicendum erit, si pariter ex testibus demonstrabitur, Dei Servos feliciter superasse tentationes eas sensus, quæ testibus comprobari possunt: quippe magis est verisimile, eum ærumnas & tribulationes ad rationem spectantes strenue superasse, qui probatur superasse tentationes sensum respicientes, quam illum, quem non constat, sensus ærumnas recte tolerasse, quæ testibus oculatis probari possunt: nisi forte dicere velimus, inverisimile esse, eum internas superasse, qui in externis tribulationibus succubuerit.

24. Finis huic capiti imponitur aureis verbis Cardinalis Bonæ *de principiis vitæ Christianæ cap. 21. par. 2.* ubi ita scriptum reliquit: *Insidiæ, calumniæ, persecutiones, & alia mala hujus vitæ maximum bonum sunt, & maxime diligendum; quia in illis nihil est boni, nihil amabile præter Divinum beneplacitum, ad quod, tamquam ad primum principium, cuncta revocari debent, quæ carni & sanguini molesta sunt.* Et paulo ante: *Nos gaudere oportet, quod variis tribulationibus, quasi quodam scalpello, nos Deus expolire dignetur, ut sublimiori loco in domo ejus collocemur. Castigat ille, quos amat, ne mundi prosperitate corrupti, a via salutis aberrent. Ideo mali homines bonis sunt necessarii, ut per illos, tamquam Dei ministros, exerceantur, & ad virtutem assiduis afflictioni-*

ctionibus obdurentur. Legi potest Silvius *tom.* 2. *pag.* 367. ubi late ostendit, causam proximam tribulationum, quæ justis eveniunt, non esse constituendam in ipsorum peccatis, sed in gloriæ Divinæ manifestatione. Opera omnia Venerabilis Servi Dei Bartholomæi de Martyribus Archiepiscopi Bracharensis Romæ edita sunt anno 1734. & *in eorum tom.* 1. *part.* 2. *de moribus Prælatorum pag.* 308. multa ex sanctis Patribus collecta sunt ad ostendendam utilitatem tribulationum in hac vita.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

De nonnullis particulariter advertendis quoad dignitatum Ecclesiasticarum adeptionem in causis Servorum Dei, qui eas dum viverent, obtinuerunt.

1. ETSI jam actum est de virtutibus Theologalibus & Cardinalibus, quas diximus requiri debere in gradu heroico, cum de earum approbatione quæstio instituitur in sacrorum rituum Congregatione pro adscribendis Dei Servis in album Beatorum atque Sanctorum; & quamquam multa præterea superaddita sunt, quorum in prædictis causis ratio habenda est, necessarium nihilominus videtur de aliis quoque habere sermonem, quæ in causis Beatificationis & Canonizationis præteriri non possunt, atque adeo sedulo ponderari debent, pro statu, in quo Dei Servi, dum viverent, fuerunt constituti.

2. Initioque ducto ab Ecclesiasticis dignitatibus, & signanter ab earum adeptione, hæc habentur apud Scacchum *de not. & sign. Sanctit. sect.* 6. *cap.* 1. *Quoties igitur Acta Episcoporum, aut similium Servorum Dei consideranda erunt per respectum ad Beatificationem vel Canonizationem, attendendum primo occurret, an appetentia Præsulatus captus is, de quo agitur, ne dicam negotiatione, quæ omnino illicita est. Præsulatum autem, vel dignitatem non appetivisse, colligitur ex eo, quod invitus, nolens, aut ad eam minime adspirans, munus reluctando susceperit fidelis Dei famulus. Et qui hac ratione ad Episcopatum aut similem dignitatem Ecclesiasticam promovetur, vocatur a Deo tamquam Aaron, atque speciali auxilio a Deo dona certo certius consequetur, quibus illam dignitatem recte administret, utpote qui in ea administranda non quæsivit, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; quia, non ut sibi consuleret, sed ut Deo inserviret, dignitates acceptavit.*

3. Juxta ergo Scacchi sententiam in Dei Servo, de cujus virtutibus agitur, non perfunctorie, sed exacte inquiri debet, num optaverit, num curaverit, num libens & volens se in Ecclesiasticam dignitatem ingesserit, an inscius, nihilque cogitans ad eam vocatus sit, & invitus acceptaverit. De S. Cornelio Papa & Martyre ita scribit S. Cyprianus *epist.* 52. *ad Antonianum col.* 150. *Non, ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet.* Joannes Diaconus in vita S. Gregorii *num.* 44. (*tom.* 4. *oper. S. Gregor. col.* 38.) refert, eum fugam arripuisse, ne summus Pontifex fieret: *Quia palam egredi portas civitatis non poterat, a negotiatoribus exponendum se, dissimulato, ut fertur, habitu, callidus impetravit, silvarum saltus expetiit, cavernarum latibula requisivit, in quibus, dum ab omnibus summa sollicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ super se jugiter e cælo dependentis agnoscitur, capitur, traditur, & apud Beati Petri Apostolorum Principis templum summus Pontifex consecratur.* S. Gregorius VII. *in epist.* 3. *lib.* 1. *ad Guibertum Archiepiscopum Ravennatem* (*tom.* 6. *collect. Hard. part.* 1. *col.* 1197.) hæc narrat de sua ad Pontificatum electione: *Cum prædictus Dominus noster Papa in ecclesia Salvatoris sepulturæ traderetur, ortus est magnus tumultus populi & fremitus, & in me quasi vesani insurrexerunt, nil dicendi, nil consulendi facultatis aut spatii relinquentes, violentis manibus me in locum Apostolici regiminis, cui longe impar sum, rapuerunt.* Nonnulla alibi dicta sunt de sanctitate Victoris III. Gelasii II. & Gregorii X. *lib.* videlicet 1. *cap.* 41. *num.* 24. & *n.* 30. & *lib.* 2. *cap.* 24. §. 36. Porro testis oculatus Leo Ostiensis *lib.* 3. *cap.* 65. testatur, Victorem invitum electum fuisse summum Pontificem anno millesimo octogesimo sexto, sed non consecratum ante millesimum octogesimum septimum, cum post quatuor dies ab electione Roma egressus insignia Pontificatus Tarracinæ dimisisset, & Casinum se recepisset; nec nisi coacto apud Capuam Concilio Episcoporum, victus tandem precibus & rationibus Præsulum & Principum, qui adfuerant, præteritam electionem, Crucis & Purpuræ resumptione, firmaverit. Pandulphus quoque Pisanus familiaris Gelasii II. summi Pontificis in historia vitæ ipsius *ex recens. Constantini Cajetani pag.* 4. hæc fatur de ejus assumptione ad Pontificatum: *Sicque invitus ac renitens Domnus Joannes Cajetanus in Papam Gelasium, Spiritus Sancti gratia mediante, hodie est & electus & ab omnibus in summa Sede locatus, cunctis Dei magnalia collaudantibus.* Notissimus est electionis modus, qui contigit in assumptione B. Gregorii Papæ X. ad summum Pontificatum. Erat enim extra Cardinalium Collegium, aberat a loco electionis, erat Archidiaconus Leodiensis, &, cum Pontifex electus est, erat in obsequio Christi trans mare in Syria apud Ptolemaidem cum Eduardo primogenito Regis Anglorum, tempus opportunum exspectans, ut Hierosolymam cum ceteris peregrinis proficisceretur. Alia plura consimilia facile cumulari possent: sed silentio præteriri non possunt alia duo exempla, Sanctorum videlicet Cælestini V. & Pii V. Archiepiscopus Lugdunensis, Episcopi duo, & duo Sedis Apostolicæ Notarii Petrum de Morono, qui Cælestini V. deinde nomen assumpsit, in eremo degentem Oratores adiere, expositaque adventus causa, & Cardinalium suffragiis, qui eum in summum Pontificem elegerant, & scripto prolatis, ejus constantiam in respuenda summa dignitate infringere non potuerunt. Franciscus Petrarca *lib.* 2. *de vita solitaria sect.* 3. *cap.* 18. scribit, illum fuga se subducere meditatum, sed accurrentium populorum pietate ex ea retractum esse; nec vero assensum unquam præstiturum fuisse, nisi accessissent preces Caroli Siciliæ Regis, & Caroli Martelli ejus filii pariter Hungariæ Regis, qui eo accurrerant, & Cardinalis Latini, aliorumque, qui hoc unico remedio testabantur subveniri posse diuturnis & maximis Christiani orbis incommodis, quorum rationem ajebant ipsum esse Deo redditurum, nisi a Deo decretum & missum Pontificatum acceptaret. De Sancto demum Pio V. tum *in compendio virtutum* exhibito occasione Canonizationis ipsius, in Appendicibus iterum imprimendo, tum in bulla Canonizationis fuse narratur, nunquam ab eo quæsitum fuisse, nec optatum supremæ dignitatis fastigium, sed Pontificali oneri mira sibi sacri Collegii consensione delato non nisi post fusas Deo serventissimas preces humillime collum submisisse: quod factum una cum omnibus suis circumstantiis legi potest in historia ejus vitæ composita a Paulo Alexandro Maffejo *lib.* 1. *cap.* 12. Item ad hanc classem spectare videtur factum S. Philippi Benitii: cum etenim, mortuo Clemente IV. summo Pontifice, Cardinales inter se dissiderent de summo Pontifice eligendo, a quibusdam pro Pontifice propositus fuit Philippus tunc Præses Generalis Ordinis Servorum B. Mariæ, ob insigneio miraculorum famam; sed ipse, re cognita, discessit, & apud Montem Tuniatum delituit, donec alius electus esset, Beatus videlicet Gregorius X. uti referunt Archangelus Gianius, qui ea excerpsit *ex historia S. Philippi*, Ferrarius *in catalogo Sanctorum Italiæ, ad diem* 23. *Augusti*, Spondanus *ad ann.* 1272. *n.* 5. Bzovius *ad* 1285. *num.* 18. Raynaldus *ad eumd. ann. num.* 82. Pagi *in breviar. Rom. Pontif. tom.* 3. *in vita Gregorii X. num.* 5. Baillet *in vita S. Philippi Benitii ad diem* 23. *Augusti*. Concordant lectiones propriæ, quæ in Ecclesia universali, die ejus festo in ipsius honorem recitantur. In bulla autem Canonizationis *cod. Canoniz. num.* 103. *pag.* 543. hæc habentur: *Philippus veterum Anachoretarum mores æmulari studens, in cryptam Montis Scuarii Deo liberius vacaturus quadriennium secessit. Ceteris ejus virtutibus par fuit cordis humilitas, qua Patriæ Ecclesiæ Episcopatum respuit. Viterbium inde properans post piam dormitionem decessoris nostri Clementis Papæ IV. ubi per Ottobonum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconum Cardinalem Sancti Hadriani, suique Ordinis Patronum sibi oblata Pontificia dignitate palam se indignum professus, in solitudinem reversus, ipsum Ottobonum ad tantum fastigium aliquando evehendum, sed brevi ea potiturum, vaticinatus.* Archiepiscopus Ancyranus *in notis ad hanc bullam Canonizationis pag.* 547.

hæc

hæc habet: *Modus, quo vir Dei sermonem de Pontificatu ineundo sibi factum ab Ottobono Cardinali de Flisco modestissime declinavit, in Constitutione explicatur ex veteribus commentariis, sive processibus fide integra de Philippi sanctitate congestis, ac Roma in examen adductis, quos nondum typis vulgatos nos ipsi versavimus*: & Rotæ Auditores in relatione causæ S. Philippi *tit. de profundissima humilitate* ita scripserunt: *Sed hujus Beati viri animi firmitas magis eluxit, cum vacaret Sedes Episcopi Florentini, & populus Philippum postulavit Episcopum; ipse autem illico ab urbe recessit: & Viterbii, prima Sede vacante per obitum Clementis IV. cum Cardinales de Successore eligendo non concordarent, de Philippo tractarunt, & id præcipue postularunt Cardinalis Ubaldinus, & alter Cardinalis Fliscus Ordinis Protector; sed clam aufugiens in vastam altissimi montis solitudinem sese abdidit, ibique una cum socio diu delituit. Quæ omnia deponunt testes, & probant vitæ manuscriptæ.*

4. Quæ contigerunt in electione ad summum Pontificatum, contigerunt etiam in electione ad dignitatem Cardinalatus, & ad Episcopatum. De S. Francisco Borgia ita legitur in bulla Canonizationis *cit. cod. pag. 537. Sed Julius Pontifex, & Carolus V. tantam virtutem in Cantabris delitescere indignum rati, consilium de illo inter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cooptando certatim, incassum tamen, quod postea sæpenumero quoque factum, inierunt. Ignatius, qui Sociis aditum ad honores legibus latis obstruxerat, Julii pedibus obvolutus, ne invito atque inscio honorem deferat, neve oblatum capere cogat, nascenti Sodalitati hoc saltem benignus tribuat, libello, supplico, & lacrymis coram exorat; & permagna Francisci lætitia impetrat, qui & grati animi testes litteras ad Pontificem dedit*: & in vita Cardinalis Joannis Poggii mei concivis *in continuatione ad librum* Onuphrii Panvinii *de summis Pontificibus, & S. R. E. Cardinalibus*, exarata a Joanne Antonio Petramellario meo pariter concive fuse exponitur, quomodo Apostolici Nuntii munere fungens apud Carolum V. Imperatorem, mandante summo Pontifice Paulo III. Franciscum Borgiam Gandiensium Ducem, postea Societatis Jesu Præpositum, hortatus sit, ut Cardinalitiam dignitatem, quam ei tum ob singulares animi dotes ac merita, tum quia Pontifex ab Alexandro VI. illius gentili in Senatum adscitus fuerat, tum etiam ob Imperatoris preces offerebat, acceptaret: at Franciscus respondit, se immortales summo Pontifici & Imperatori gratias agere & habere, semperque apud Deum tanti beneficii oblati memorem fore; sed se jampridem sæculo renuntiasse, & agnoscere suos humeros impares esse tanto oneri ferendo. De S. Philippo Nerio ita legitur in relatione Rotæ Auditorum exarata in ejus causa (*tit. de mundi contemptu*): *Beatus Philippus dignitatem Cardinalatus a fel. record. Clemente VIII. sibi delatam recusavit, ut plene deponunt testes, & patet ex rescripto manu ejusdem Clementis scripto in memoriali quodam Beati Philippi per ipsum testem ad eumdem Clementem allato &c. Recusavit etiam eamdem Cardinalatus dignitatem prius sibi sponte oblatam a Gregorio XIV. ut plane deponunt testes.* Item obvia sunt exempla Sanctorum, qui non ita facile induci potuerunt, ut Episcopatum, licet non appetitum, multoque minus petitum, sed sponte oblatum acceptarent. Apud Socratem Ammonius Monachus dexteram sibi auriculam præcidit sperans, se ea *irregularitate* eos deterriturum, qui ipsum ad Episcopatum rapere meditabantur. Et apud Palladium *in historia Lausiaca in vita ejusdem Ammonii* adjicitur, quod, delata notitia auris amputatæ ad Timotheum Episcopum, qui precibus plebis impulsus eum Episcopum ordinare volebat, cum a proposito non desisteret, aliosque idcirco ad Ammonium misisset, qui eum per vim ad se adducerent ordinandum, licet aure carentem; hi re infecta recesserunt, audito juramento per eum emisso de lingua sibi excidenda, si cogere vellent. Rursus apud citatum Socratem Nilamnon, habita notitia adventus Theophili Episcopi Alexandrini, qui venerat, ut ipsum Episcopalibus insignibus exornaret, in preces effusus efflavit animam, enixius fugiens Episcopatum, quam mortem. Synesius, ut ex ejus epistola desumitur, ne Episcopus fieret, se continentiæ, & Fidei inimicum simulavit; raro quidem exemplo propter circumstantias, de quibus modo agendum non est, excusando, quodque idcirco, uti periculis obnoxium, non est ad imitationem proponendum. S. Paulinus Nolanus *epist. 2. num. 2. pag. 8.* loquens de sui electione ad Episcopatum dicit, se ad Sedem Episcopalem fuisse multitudine strangulante compulsum. Sanctus Malachias, cum pari violentia Primatum Hiberniæ suscipere cogeretur, ut est in ejus vita apud Surium: *Ad mortem* (inquit) *me ducitis, sed obedio spe Martyrii.* Paulinus *in vita S. Ambrosii* narrat, eum tentasse sibi aliquam incontinentiæ speciem opponere; sed, cognita pia fraude, vicisse priorem castitatis incorruptam famam, & Episcopum, licet invitum, electum esse. S. Possidius *in vita S. Augustini cap. 8.* hæc habet de ejus assumptione ad Episcopatum: *Compulsus utque coactus succubuit, & Episcopatus curam, & majoris loci Ordinationem suscepit.* De S. Fulgentio sic loquitur Auctor vitæ ejus: *Tunc Beatus Fulgentius eligentium vota velociori præveniens fuga latebris incertis absconditur, nec quæsitus ullatenus invenitur*: & infra: *Tunc aggregata violentæ multitudinis manu repente Beatus Fulgentius in propria cellula repertus invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex esse, non rogatur, sed cogitur.* De S. Anselmo sic scribit Edinerus in ejus vita *lib. 2.* (*post opera S. Anselmi pag. 13.*): *Audit hæc ille* (Anselmus videlicet electionem suam) *& fere usque ad exanimationem sui contradicit, reluctatur, & obsistit. Prævalet tamen Ecclesiæ Dei conventus. Rapitur ergo, & violenter in vicinam ecclesiam cum hymnis & laudibus portatur magis, quam ducitur.* Faciunt quoque exempla eorum, qui oblatos Episcopatus nunquam acceptare voluerunt, vel qui non acceptarunt, nisi serio accedente Superiorum præcepto. Sancti Bernardus, Thomas de Aquino, Bernardinus Senensis, Vincentius Ferrerius oblatos sibi Episcopatus recusarunt, nec unquam acceptare voluerunt, uti congestis monumentis ostendit Platus *de bono statu Religiosorum lib. 1. cap. 38.* Bernardinus Justinianus *in vita S. Laurentii Justiniani cap. 4.* testatur, ter ei a summo Pontifice imperatum, ut suæ ad Patriarchatum electioni assensum præberet: *Non parere igitur non potuit Pontifici ter jubenti.* Jacobus Zenus Episcopus Feltrensis *in vita B. Nicolai Albergati cap. 3.* scribit, eum non statim morem gessisse voluntati Cleri Bononiensis, qui ipsum in Episcopum elegerat; sed quanto ille ardentius insistebat, tanto ipsum constantius recusasse: *Per hunc modum cum integrum semestre Bononiensis Ecclesia Pastore desolata jaceret, illis neminem, nisi Nicolaum, volentibus, eo autem constantissime detrectante, novas tandem artes cives excogitarunt, ut desiderio potirentur: operam enim adhibuerunt, ut qui in ea Religione maxima auctoritate præstabant, quibus imperandi potestas erat, illi ex auctoritate præcipientes, Nicolaum obedire, compellerent; quibus cum non parere non posset, curam Bononiensis plebis assumere, & Episcopus esse coactus est.* De S. Andrea Corsino communi Cleri & populi suffragio in Episcopum Fesulanum electo habetur in bulla Canonizationis *cod. Canoniz. pag. 528.* cum, nuntio electionis audito, clam in Carthusiæ Florentinæ secessum aufugisse, Dei Matre exorata, ut se ab ea dignitate liberaret: *Illo diu quæsito, nec reperto, de Præsulis electione mutanda Clerus & populus Fesulanus consilium ineunt. Sed puer trimus cœtum electorum ingressus, Andream Episcopum probe renunciatum nequaquam mutandum, exclamat, inter Carthusianos orantem delitescere; unde ad Fesulanam Ecclesiam de honore Pontificali subeundo ipse quoque visu monitus perducitur. A beatæ memoriæ Urbano Papa V. decessore nostro in Pastorali munere confirmatus, oves suas omni pietatis officio pascere satagit.* S. Petrus Damiani *in epist. ad Nicolaum II. quæ extat in principio opusculi 19. tom. 3. oper.* ait, se a Stephano Pontifice vim passum, ut Episcopus fieret: *Post sanctæ memoriæ Domini Stephani vestri quidem decessoris, mei autem Persecutoris obitum ego a me protinus Episcopatum non canonice traditum, sed violenter injectum funditus abscidissem.*

5. De Pontificiæ dignitatis & potestatis excellentia disserit S. Bernardus *de consider. lib. 2. c. 8. col. 428. oper. vol. 1. Quis es?* (alloquitur Papam Eugenium) *Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui Claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cæli Janitores, & gregum Pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor.* De S. R. E. Cardinalium dignitate plura habentur *in Constit. 19.* Eugenii IV. *Bullarii Romani tom. 3. par. 3.* ubi post plura legitur §. *6. p. 22. Ipsos præterea Cardinales pro honoris ac dignitatis eminentia partem sui corporis,* sum-

summi Pontifices appellant. Ex quo sine ulla dubitatione ostenditur, post caput Ecclesiæ, quod est Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt Fratres ejus Cardinales, præ ceteris Ecclesiæ membris, ac partibus honorari debere: & in concione Pii II. *in comment.* a Joanne Gobellino compositis relata *lib. 4. pag. 99.* qua novos se creatos Cardinales allocutus est: *Maxima, Filii, & excellentissima dignitate donati estis: ad Collegium Apostolicum vocati, Consiliarii nostri, & Conjudices orbis terrarum eritis: inter causam & causam, inter sanguinem & sanguinem, inter lepram & lepram discernere vos oportebit: Successores Apostolorum circa thronum nostrum sedebitis; vos Senatores Urbis, & Regum similes eritis, veri mundi cardines, super quibus militantis ostium Ecclesiæ volvendum ac regendum est.* Demum ceteris prætermissis, hæc de Episcopis habentur in sacrosancto Concilio Tridentino (*Sess. 23. cap. 4. de sacramento Ordinis*): *Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.* De se, aliisque Apostolis loquens inquit D. Paulus 2. *ad Corinth. 5. v. 20. Pro Christo ergo legatione fungimur*; & S. Leo *serm. 3. de anniversf. Assumpt.* Episcopos *Ecclesiæ principes* nuncupat *& Apostolorum successores, ac potestatis illorum participes*; & præclare Auctor libri *de dignitate Sacerdotali cap. 2.* (*in append. ad oper. S. Ambrosii col. 359.*) subjicit: *Honor igitur, Fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longe erit inferius, tamquam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cum videas, Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculata eorum dextra, orationibus eorum credant se communiri.*

6. Atque ex his infertur, non modo illicitum esse, quod absit, malis artibus prædictas adipisci dignitates, sed etiam earum simplex desiderium culpa non vacare, juxta illud Sancti Augustini *lib. 19. cap. 19. de civit. Dei* relatum *in can. Qui Episcopatum 8. quæst. 1. Locus vero superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atque administretur, ut decet, tamen non decenter appetitur.* Huc facit illud Apostoli ad Hebræos 5. *vers. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Theologice res examinatur a Divo Thoma 2. 2. *quæst. 185. art. 1.* ubi ait, tria posse considerari in Episcopatu, & sic in ceteris supra recensitis dignitatibus, operationem videlicet, per quam providetur utilitati Proximorum, gradus altitudinem, & honorem, qui gradus altitudinem comitatur; subjicitque, *præsumptuosum* esse appetere gradus celsitudinem; &, quamvis secundum se laudabile sit appetere Proximis prodesse, hoc ipsum tamen etiam esse *præsumptuosum*, cum annexam habeat gradus celsitudinem. Traditur hoc ipsum ab eodem S. Doctore *quodlibet. 2. quæst. 6. art. 1.* & licet citatis locis doceat, hæc non habere locum, si urgeat necessitas, addit nihilominus Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus *in admonit. ad Episcopum Theanensem nepotem suum* hæc, quæ sequuntur: *At Sanctus Thomas in loco supra notato scribit, imminente manifesta necessitate, posse Episcopatum appeti. Respondeo, admonendos esse ambitiosos, ut manifestam illam necessitatem exspectent; quæ si tempore suo non advenerit, ut temporibus nostris, & temporibus Patrum nostrorum non advenit, quiescant, nec solum petere non audeant, sed nec ullo modo appetere.* Celebris est homilia tertia S. Joannis Chrysostomi in Acta Apostolorum, ubi ad rem ait (*n. 4. pag. 28. tom. 9. oper.*): *Si scires enim Episcopum omnium esse, omnium onera ferre oportere; quod aliis irascentibus venia detur, illi vero minime; quod aliis peccantibus excusatio multa, ipsi vero nulla sit; ad hanc dignitatem non accurrisses*: & in *libro 3. de Sacerdotio*, postquam consideravit, Apostolum Paulum *in prima epistola ad Corinthios*, inter quos per diuturnum tempus Apostolatus sui munere functus fuerat, dixisse, in timore & tremore multo fuisse apud illos, subjicit *num. 7.* (*pag. 385. tom. 1. oper.*): *Si igitur ille, qui majora, quam præcepta Dei ferrent, præstaret, & nusquam quæ sua erant quæreret, sed quæ subditorum, ita formidolosus erat, cum ad principatus magnitudinem respiceret, quid faciemus nos, qui sæpe nostra quærimus, qui Christi mandata non solum non superamus, sed majori ex parte transgredimur?* Quocirca, ratione periculi, etiam a ceteris præscindendo, nemo est qui non videat, prædictas Ecclesiasticas dignitates tuta conscientia desiderari non posse, quemadmodum prosequitur Cardinalis Pallavicinus *in vindicationibus Societatis Jesu cap. 41. Ideo hæc munera aversari laudabile est, non tamquam mala, sed tamquam suscipientibus periculosa. Ita generatim opes, dominatio, claritas nominis suopte ingenio quidem bona sunt, alioqui Deum non haberent auctorem, nec inter Dei beneficia numerarentur; sed bona sunt perquam lubrica, pedibusque non præcautis lapsum parantia. Idcirco tutius, adeoque laudabilius repudiantur, uti Lex Christiana nos docet, & nonnulli etiam ex Ethnicis cognoverunt.*

7. Apostolus Paulus *in epist. 1. ad Timotheum cap. 3.* qualitates exprimit, quæ in Episcopo necessariæ sunt, quæque multo magis necessariæ esse videntur in Romano Pontifice, qui est Episcopus Episcoporum, & ex eadem ratione extendendæ etiam videntur ad Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ, juxta Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. & sess. 25. cap. 1. de reformat.* ubi statuitur, ea omnia & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, & doctrina, & ceteris qualitatibus constituta sunt, exigi etiam debere in creatione Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quamvis Diaconi sint. Ex qualitatibus ab Apostolo indicatis aliquæ sunt negativæ, aliæ positivæ, ut *loc. cit. v. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domus suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli. Oportet autem, illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli.* Repetit hæc eadem Apostolus *in epist. ad Titum cap. 1.* cumque vix contingat, aliquem dictis qualitatibus omnibus esse præditum, vel saltem reputare posse, se præditum esse, hinc fit, ut a nemine sine culpa memoratæ modo dignitates appeti possint, juxta illud Isidori Pelusiotæ *lib. 1. epist. 4. Non est quorumlibet, vir præclare, Episcopatum appetere, verum eorum, quorum vita ex Pauli legibus dirigitur.* Apostolus ante verba supra recensita dixerat: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* In Episcopato quippe cum procuratio contineatur Proximorum salutis, Episcopatus desiderium spiritalem hominum profectum respiciens, laudabile utique est & meritorium; ut superius ex D. Thoma dictum est, & confirmat S. Joannes Chrysostomus *in epist. 1. ad Timoth. homil. 10.* (*pag. 598. oper. tom. 11.*): *Si quis Episcopatum desiderat. Non improbo illum, inquit: opus quippe regiminis est. Si quis hoc desiderio tenetur, ita ut non imperium, & auctoritatem cupiat tantum, sed Præpositi officium, non improbo. Bonum enim opus desiderat . . . . . Si quis ita desiderat, utique desideret.* Sed, ne ex prædictis verbis occasio & ansa arriperetur Episcopatum desiderandi, Apostolus statim subjecit, oportere, Episcopum esse irreprehensibilem, uti observat S. Gregorius Magnus *in Pastorali libro part. 1. cap. 8. Laudans desiderium, in pavorem protinus vertit, quod laudavit, cum repente subjungit: Oportet autem, Episcopum irreprehensibilem esse.* Idemque S. Gregorius scite animadvertit, in hisce desideriis periculum esse, ne labor & opus, quod desiderans animo versat, ludibrium sit, quo se animus in summo sui cortice pascat, & furtiva honorum libido in animi penetralibus regnet: *Sed plerumque hi, qui subire magisterium Pastorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt; &c., quamvis hoc intentione elationis appetunt, operaturos tamen se magna pertractant, fitque, ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.* Quod etiam consonat doctrinæ D. Thomæ supra memoratæ, qui docuit, *præsumptuosum* esse Episcopatum appetere propter gradus celsitudinem, quæ in Episcopatus desiderio comes est spiritalis utilitatis Proximorum, cui desiderans se inhærere profitetur. Aurea sunt verba Cardinalis Bonæ *in principiis vitæ Christianæ par. 1. cap. 43. Magna temeritas Ecclesiasticorum est, qui, cum viribus careant ad onus Pastorale ferendum, illud tamen anxie quærunt, & se illi sponte subjiciunt, non vocati a Deo, sed spiritu elationis impulsi, non ut gregem pascant, sed ut ipsi pascantur, non ut regant, sed ut dominentur &c. Ut autem suæ superbiæ velamen obtendant, libenter arripiunt, quod ait Apostolus,* Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; *nec tamen advertunt, quod laudato desiderio, id quod laudaverat, in terrorem protinus vertit subdens:*

Opor-

Oportet autem, Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, modestum. *Et quis est tanta præditus sanctitate, ut possit se in omnibus irreprehensibilem exhibere? &c. Ac proinde animarum cura sine manifesta Dei vocatione acceptanda non est, tum diu considerandum, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Non debet præesse, qui non potest prodesse.* Celebre est opus Ven. Dei Servi Bartholomæi a Martyribus Archiepiscopi Bracarensis, cui titulus est, *Stimulus Pastorum*. Illud meritis laudibus prosequuntur Antonius Possevinus e Societate Jesu, Ambrosius Altamura Ordinis Prædicatorum, & ex eodem Ordine Dominicus Gravina, Fernandez, Plodius, Fontana, Marchesius, Echard. Bartholomæus autem in eo opere ita scribit; *Nemo certe se imaginibus cogitationum magna facturum proponentibus illudere debet, sed ex anteacta vita judicare, quid in Episcopatu acturus sit. Quomodo enim verbi gratia in culmine positus discere, immo docere poteris humilitatem, qui in imis non desinis superbire? Quomodo se pro animarum sibi creditarum salute procuranda impendere ac superimpendere volet, qui animæ propriæ curam vix ullam habuit, totumque se terrenis cogitationibus & desideriis immersit? Qua ratione onus illud Angelicis humeris formidandum sustinere poterit, qui se ipsum in via virtutis crebro titubantem vix sustentare valuit? O stultum, qui, tum ad casum urgeatur ex oneribus propriis, humeros inconsiderate submittit opprimendus alienis!* Legi potest vita prædicti Servi Dei Bartholomæi a Martyribus scripta a Malachia de Inguimbert Episcopo Carpentoractensi, ubi *par.* 1. *cap.* 4. late exponit, quomodo Ludovicus Granatensis, vir magni nominis, & tunc Præses provinciæ Lusitanæ Fratrum Prædicatorum, se subtraxerit oneri Archiepiscopatus Bracarensis, quem Regina Catharina Lusitaniæ ei obtulerat, & quanta animi demissione, quanta humilitate, quanta hæsitatione Bartholomæus eum acceptaverit, inductus nedum precibus & suasionibus, sed etiam præcepto obedientiæ sub pœna excommunicationis, nisi acceptaret, denunciatæ ab eodem Patre Ludovico de Granata, qui dono discretionis spirituum erat illustratus, & Bartholomæi sanctitatem bene noverat.

8. Hucusque adducta suadent, nec supremam Sedem, nec dignitatem Cardinalatus, nec Episcopale fastigium ultro esse appetenda, nec omnino acceptanda animo libenti, sed debitis tantum intercedentibus circumstantiis; de quibus idcirco quæstio erit instituenda, cum de Servorum Dei, qui eas obtinuerunt, Beatificatione & Canonizatione pertractabitur. Notum est omnibus, qua animi constantia Clemens Papa XI. oblatum concordi Cardinalium suffragio Pontificatum per tres dies a se rejecerit, de quo etiam infra. Ita res ab ipso narratur *tom.* 1. *suarum epistolarum & Brevium*, quæ a Nobis hoc in loco referuntur, cum inde aliquid hauriri possit, quod conferat ad rem, de qua nunc agitur, ad debitas videlicet circumstantias, quarum ope summus Pontificatus absque labe, & omnino licite, dummodo sponte oblatus sit, acceptari potest. *In epistola* ergo *ad Josephum tunc Hungariæ Regem, & in Romanorum Regem electum* ita scribit: *Ha voluto Dio Signor nostro promoverci all' alto grado di suo Vicario in terra, e l' ha voluto in guisa, che per quanto i sacri Elettori conoscessero molto prima la nostra insufficienza, e Noi medesimi l' abbiamo in quel punto protestata con vive lagrime poste fuori dal più profondo dell' animo, per difenderci dalle violenze di tutto il sacro Collegio, ciò non è bastato per sottrarci da un peso, che sempre più ci riesce formidabile.* Et *in epistola ad Ludovicum XIV. Francorum Regem Christianissimum: Quindi, conoscendo Noi le proprie gravissime imperfezioni, ed incerti ancora della volontà Divina, abbiamo con forza di copiose lagrime palesata lungamente la nostra ripugnanza, ritardando il consenso fino a quel punto, che contrastato dalla costanza degli Elettori cominciava a passare per colpa d' ostinazione nel resistere allo Spirito Santo: ed allora fu, che convinti, voler Dio medesimo nelle grandi opere non solo essere, ma comparire ancora l' autore, ci lasciammo condurre al Soglio Pontificio.* Porro hæc ostendunt, in summi Pontificatus acceptatione debitas non deficere circumstantias, si quis eum non appetiverit, si oblatum recusaverit, si suas imperfectiones Electoribus patefecerit, si, eis minime obstantibus, a suo proposito Electores non recesserint: post hæc quippe, si recusans in suo sensu persisteret, obstinationis notæ esset obnoxius, & voluntati Divinæ congruis signis sibi manifestatæ obsistere velle videretur.

9. Quoad cæteras vero dignitates, Cardinalatus videlicet, & Episcopatus, summi Pontificis præceptum sufficere debere videtur, ut eædem nullatenus concupitæ, aut quæsitæ acceptentur; & præcipue, si quæ acceptationi obsistere posse existimabantur, fuerint ipsi patefacta. Beatus Albertus cognomento Magnus ad Insulas Tarvisinas electus est, cui Humbertus Ordinis Prædicatorum Magister, vir sane gravissimus, epistolam scripsit relatam apud Theophilum Raynaudum *oper. tom.* 15. *pag.* 121. in qua consilia & preces secernit a præceptis; ac de præcepto loquens moram etiam post illud admittit, sed ad tempus, indicans, si serium sit & perseverans, ei præstandam esse obedientiam. *Non moveant vos, obsecro, consilia & preces Dominorum vestrorum de Curia quidem emanantia, in qua cito & facile in sibilum atque derisum talia verti solent. Non flectant vos præcepta Papalia, quæ neminem efficacius resistere volentem cogere consueverunt; nec sancta hujusmodi ad tempus inobedientia hominis famam lædere, sed potius augere solet.* Quam ad rem ea quoque faciunt, quæ supra dicta sunt de electione Sancti Laurentii Justiniani ad Venetum Patriarchatum, & Beati Nicolai Albergati ad regimen Bononiensis Ecclesiæ.

10. Apud Sanctum Bernardum *lib.* 4. *de considerat. cap.* 4. *num.* 12. *col.* 446. *loc. cit.* Eugenius Pontifex admonetur, ut invitos & reluctantes assumat ad Cardinalatus dignitatem, ambientes autem rejiciat; tum longo sermone prosequitur idem S. Bernardus dotes, quibus Cardinales fulgere debent, de quibus aliqua indicabuntur in capite sequenti: *Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos & compelle intrare: in talibus, ut opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati, qui præter Deum tantum timeant nihil, nihil sperent, nisi a Deo.* Summus Pontifex Pius II. *lib.* 4. *commentar. pag.* 98. acriter conquestus est, de insolenti sui temporis plurimorum ambitione, qui pro obtinenda Cardinalatus dignitate impudenter instabant: *Nam quis est Clericali charactere insignitus, qui non se dignum Cardinalatus honore dijudicet? qui non petat? qui non instet? & inter Candidatos, ut ita dicamus, videri, & esse velit? Nimium viluit hæc dignitas, quando vel pueri, eam sibi deberi, existimant. Sed incidimus in mores istos: non possumus prohibere petentes, non admittere facile possumus.* Perpensis supra recitatis verbis, totoque tenore sententiæ S. Bernardi, Ven. Cæsar Cardinalis Baronius de Cardinalatus desiderio egregie locutus est *in epistola nuncupatoria tomi* 7. *suorum annalium ad summum Pontificem Clementem VIII. edit. Romanæ an.* 1596. Quandoquidem autem sermo incidit de Cardinali Baronio, scire opus est, eum fuisse virum sanctis moribus præditum, quique ante Cardinalatum, & in Cardinalatu pro Dei Ecclesia in concinnandis annalibus immensos propemodum exantlavit labores, teste Montacutio homine ab Ecclesia Catholica seposito, qui *in apparatu ad origines Ecclesiasticas* licet in Baronium scribere ausus sit, sed infelici prorsus conatu, quemadmodum pluribus demonstravit Henricus Cardinalis Norisius *in cenotaphiis Pisanis*, hoc tamen de moribus & laboribus ejus ingenuum & illustre edidit testimonium *in præfatione num.* 62. *Nec ulla ætas* (talem virum) *tris emissura, sive molem & magnitudinem operis spectemus, seu rerum narratarum varietatem, sive methodum, & dispositionem facilem &c. Quod si qui deinceps ad parem laudem aspirent, in secundis omnino, tertiisque considebunt, eo quod vestigia illius consectentur, qui temporis prærogativa prior exemplo illis prævuit consecuturis.* Et post plura *n.* 75. *Dissentire mihi necesse est sæpius a Baronio: & quidni liceat dissentire? Castrio, Torniello de la Puente, aliis licuit, & novissime, ac in primis doctissimo Petavio. Non tamen ita dissentiendum duxi, ut contumeliis incesserem & opprobriis, quod nostri vellent, & non factum accusant zelatores. Virum enim optime de Ecclesiastica antiquitate meritum, quod negari nec potest, nec debet, illustri adeo nominis celebritate, eminentissima dignitate constitutum, honestum, probum præterea, quod commemorant & fatentur etiam ipsi ejus Adversarii, in privata vita, ac rigide severum, ac tantum non asceticum, nusquam nisi honorifice compellavi.*

11. Verba vero Cardinalis Baronii in modo memorata epistola nuncupatoria sunt hæc: *Ea quidem tam multa, dum quis prudenter perlegit* (loquitur de supra citato textu, & aliis qui in eodem libro S. Bernardi continentur) *atque adeo magna, miraque, & difficilia, arduaque considerat, eademque plurima numero, & diversa recenset, ac mente scrutatur eminentem, sublimemque, omnibus absolutam numeris sanctitudinem vitæ quam exigit ductus exactor ab eo, qui eligendus est Cardinalis, necesse est,*

us timore perterritus, propriæ conscius imbecillitatis, despondens animum (quod non nisi cum summo salutis æternæ discrimine adeo celsa petantur) omnino resiliat, penitusque refugiat, atque etiam precibus periculum redimat, illaque Lot verba proferat: Non possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, & moriar. Est civitas hæc juxta, ad quam possum confugere, parva, & salvabor in ea: *quam jure dixerim privatæ vitæ confugium.* In eadem quoque epistola idem Cardinalis suam repugnantiam excusat, impositumque sibi a summo Pontifice præceptum de acceptanda oblata dignitate his verbis exponit: *Non est, quod queri possis, Pater Sanctissime, quod Sanctitati tuæ ipse adeo videar reluctatus; sed, si liceret, esset mihi jure expostulandum, quod, cum a Prædecessoribus tuis, qui me a privata vita partes abstrahere non semel voluerunt, tamen, quam deprecatus essem, obtinuerim honorum immunitatem, a te vero, a quo magis amari scirem, nequaquam potuerim impetrare, sed quo mei amantiorem (venia petita, dixerim) eo violentiorem expertus sim, cum per tuos sursum abreptus, cubiculo clausus, vixque tandem, ut audirer, multum rogans, admissus ante conspectum tuum Angelis reverendum, post meam defensionem, abs te responsum illud unum tantum acceperim, quo robusta voce diram anathematis protulisti sententiam, si amplius resisterem, & nisi penitus acquiescerem. Quem non terruisset, ac non penitus dejecisset, atque prostrasset talis erumpens e cælo repente tanto fragore tonitru fulmen æternæ damnationis explodens?*

12. Similia contigerunt ante aliquot annos, cum Clemens Papa XI. Cardinalium numero adscripsit Venerabilem virum Joseph Thomasium Clericum Regularem, natalibus, virtutibus, & doctrina undequaque illustrem. Repetere oportet quæ in electione ipsius Clementis Papæ XI. ad summum Pontificatum contigerunt. Nuntio siquidem delato, alto dolore pressus, quem molesta febris secuta est, nil intentatum reliquit, ut Eligentium voluntati resisteret; nec cessit, nisi postquam quatuor insignes Theologi, inter quos memoratus Thomasius, concordi judicio validissimis ex causis judicarunt, non sine gravissimi criminis labe oblatum ipsi summum Catholicæ Ecclesiæ Pontificatum posse dimitti; quemadmodum late refertur in ejus vita *lib. 1. pag.* 47. Ex quo proinde factum est, ut, recusante postea Thomasio delatam Cardinalatus dignitatem, fuerit ei ab eodem Pontifice præceptum, ne recusaret; cum eædem prorsus rationes, quas in suo suffragio exposuerat, suadentes, ut ipse votis Eligentium assensum præberet, & sic Pontifex fieret, æque adversus illum militarent, ne a Cardinalatu resiliret; uti fuse refertur in vita memorati Cardinalis Thomasii fideliter conscripta a Dominico Bernino *cap.* 27. Quapropter, sicuti Ecclesiasticæ dignitates appeti non possunt nec debent, & qui appeteret, a peccato immunis non esset; ita ne ille quidem a peccato immunis esset, qui a summo Pontifice jussus eas acceptare, recusaret; nisi forte certo sciret sese indignum, & minus habilem, tunc enim nullius imperio cedere deberet, nec tuta conscientia suæ electioni assensum præstare deberet, quemadmodum, congesta undique eruditione, prosequitur Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 2. lib. 2. cap. 66.* ubi duo hæc statuit: *Primo, qui infucata modestia & humilitate imbuti sunt, eos, abjecta tandem pugnacitate, obedientiæ & charitatis jugo, Ordinumque sarcinæ cervices inflectere debere. Secundo, nulli cedendum esse vi & imperio, si quis sibi notoriæ conscius sit indignitatis, & habilitatis prorsus nullius ad tantum onus gestandum. Septum tamen & munitum quemque esse debere adversus scrupulosæ conscientiæ ludibria & monstitates.* At, his prætermissis, licet omnino invitis, & in sua recusatione persistentibus dignitates Ecclesiasticæ conferendæ non sint (quemadmodum scite animadvertit sæpe memoratus Clemens XI. in sua Consistoriali oratione, quam habuit die 7. Junii 1706. cum admisit Cardinalatus recusationem factam ab insigni Præsule Gabriele Philippuccio: *His omnibus attentis, Beati Gregorii prædecessoris nostri exemplum sequentes: qui invitum neminem Episcopale onus subire Apostolica jussione coegisse unquam reperitur*) præceptum tamen de nolentibus efficere debet volentes, uti legitur *in can. Consuluit, dist.* 74. *Quapropter, quia invitos fieri Ecclesiastica moderatio gravitasque non patitur, ut ex nolentibus fiant volentes, ordinatio illa potest perficere:* & multo magis, cum non nisi urgentibus rationabilibus & gravibus causis, ad præcepta deveniatur. Quocirca, electo memorato pio & docto Præsule Philippuccio ad Cardinalitiam dignitatem in Consistorio habito die 17. Maji 1706. ipsoque constanter repugnante, ita ut omnia irrito conatu cesserint, quæ jussu Clementis XI. adhibita opera præstantium virorum, ut acceptaret, præstita sunt; re subinde discussa in Congregatione nonnullorum S. R. E. Cardinalium, decretum est, eum non esse cogendum: cum nulla coactionis causa inveniretur, sicuti fuse legitur in ejus vita scripta a Joanne Mario Crescimbeni, & Romæ edita anno 1724. Uno verbo, non nisi Deo vocante, ad Ecclesiasticas dignitates accedendum est. Qua autem ratione vox illa & vocatio Divina dignosci possit, hoc opus, hic labor est. Felices profecto fuerunt Præsules illi Ravennates, qui ad ejus Ecclesiæ regimen ab Aderito ad Severum indicio columbæ electi sunt, de cujus historiæ veritate omnia congesta legi possunt apud Fabrum *de Ravennatis Ecclesiæ monumentis pag.* 346. a quo nullatenus esse recedendum, recte monet vir sane eruditus Benedictus Bacchinius Abbas Ordinis Congregationis Cassinensis *in observat. ad libr. Pontifical.* Agnelli *erutum ex bibliotheca Estensi pag.* 175. & 176. Felix Ravenna, quæ Archiepiscopos habere meruit visibili cælestique vocatione electos; unde jamdudum vulgatum est proverbium per universum orbem: *Beata civitas illa, ubi in electione Pontificis Spiritus Sanctus descendit in columbæ similitudinem, & ordinatur ille, super cujus caput resedit;* uti legitur in vita S. Severi conscripta a Monacho circa Beati Petri Damiani ætatem, & edita in *append. cit. lib. Pontifical. pag.* 14. At, si consimilia desint Divinæ voluntatis indicia, succedunt Apostoli verba *epist. ad Rom. cap. 11. v. 34. Quis enim* (inquit) *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Quare non minus pie, quam sapienter, S. Bernardus super hac re a Brunone Archiepiscopo Coloniensi designato consultus respondit (*epist. 8. col. 26. oper. vol. 1.*): *Quæris a me consilium, vir illustris Bruno, an volentibus te promovere ad Episcopatum acquiescere debeas? Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat: quis audeat dissuadere? Forte non vocat: quis appropinquare consulat? Utrum vero vocatio Dei sit, an non sit, quis scire possit, excepto Spiritu, qui scrutatur etiam alta Dei, vel si cui forte revelaverit ipse?* Quod si ex Sanctis illis, quos ad eas dignitates divinitus vocatos fuisse, eventus ipse comprobavit, vix ullus reperietur, qui oneri humeros subjicere non valde formidaverit, quique, quantum potuit, non restiterit, omnemque industriam & conatum, ut declinaret, non adhibuerit; hoc Divinæ vocationis, quantum conjicere fas est, indicium esse poterit. Quare S. Carolus *lib. 1. epist.* 25. ad Episcopum Mantuanum scripsit: *In hac tua ad Ecclesiam Mantuanam promotione eo major mihi spes est, operam tuam quam fructuosissimam, maximeque salutarem fore, quo res tota simplicius, sinceriusque transacta est sine ullo studio &c. Te porro hoc tantum munus, atque honorem, quem non tibi assumpsisti, sed Dei vocatu, atque invitatu obtinuisti, magno animo gesturum, & istam vineam sane magnam, atque insignem quam accuratissime culturum, atque ornaturum esse non dubito. Aderit laboranti Deus, & pulchre satis, atque irrigatis a te stirpibus incrementum dabit.* Quærit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 2. utrum liceat Episcopatum injunctum omnino recusare; & respondet, sicuti ad inordinationem voluntatis pertinet, ut aliquis sua sponte velit aliorum gubernationi præfici, ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinere, ut aliquis contra Superioris præceptum prædictum gubernationis officium omnino recuset: tum in responsione *ad secundum* docet, subditum non excusari, ne oblatum Episcopatum acceptet propter impedimentum, quod per ipsum potest, vel per Superiorem removeri; secus autem, si impedimentum nec ab ipso, nec a Superiore tolli possit. Item *quodlib.* 5. *ar.* 22. proposita quæstione, utrum melius faciat, qui consentit electioni canonicæ de se factæ, an qui repugnat; respondet, peccare illum, qui consentit electioni intendens animo aliquid temporale; posse recusando mereri, si ex humilitate proprios considerans defectus recuset; posse demum laudabiliter acceptare, si id faciat ex charitate fraterna, ut salutem proximorum procuret; sed quia difficile est, ut purgatum sa aliquis posse agnoscere, Prælationis officium tutius declinari, non tamen pertinaciter, cum aliquo modo superna voluntas agnoscitur.

13. Finis huic capiti imponitur, asserendo, prædictarum rerum examen in sacrorum rituum Congregatione numquam omissum fuisse, quoties actum est de virtutibus eorum Dei Servorum, qui Ecclesiasticas dignitates, dum viverent, obtinuerunt; & ita factum est in causis SS. Pii V. Francisci Salesii, Alfonsi Mogrobesii, quorum jam absolutæ sunt, necnon in aliis, quarum examen adhuc pendet,

der, Innocentii videlicet XI. Cardinalium Bellarmini, de Aretio, Thomasii, Gregorii Barbadici, necnon Juvenalis Ancinæ Episcopi. Dum ageretur de introducenda causa Ven. Dei Servi Innocentii Papæ XI. ipse tunc fungens munere Fidei Promotoris ea opposui, quæ leguntur *in dictionario historico, & critico* Petri Bayle *tom. 2. tertiæ editionis pag.* 1546. ux quibus desumitur, eum aulicis malisque artibus, oblatis videlicet collatisque personæ potenti muneribus, officium quoddam Prælatitium, per quod ad Cardinalitiam dignitatem facile perveniri poterat, obsinuisse. Causa autem Beatificationis, & Canonizationis ipsius numquam sane introducta fuisset, nisi providi Postulatores conjecturis, præsumptionibus, & validissimis argumentis oppositionis levitatem demonstrassent. Nemo est, qui ignoret, nonnulla interdum de aliquo dici, quæ per ora hominum volitant tamquam vera, & tamen falsa deprehenduntur, cum eorum examen instituitur: quo in numero reponenda est ea res, de qua nunc agitur. Extat in Bibliotheca Vallicellana Urbis vita Innocentii XI. accurate conscripta ductu & consilio viri sane gravis Patris Carafini, qui Instituto S. Philippi Nerii nomen dederat, & claræ semperque colendæ memoriæ Cardinalis Colloredi ex eodem Instituto, qui in Urbe degentes & ante ipsius Pontificatum, & tempore Pontificatus, & etiam longe post ejus mortem cuncta scire potuerunt, quæ ad ejus gesta pertinebant. Vita hæc conscripta fuit, antequam in mentem alicui venisset agere de ejus Beatificatione & Canonizatione; & *libro* quidem 1. *cap.* 2. agitur de supradicta fama, quod aulicis & malis artibus officium Prælatitium obtinuisset, tum subjiciuntur hæc verba: *Adesso però meglio informati c' induciamo a non tenerla in grado alcuno di probabilità, costandoci del vero per relazione ancora di quelli che l' hanno inteso dalla bocca del medesimo Odescalchi; il quale fatto Pontefice, negando una dignità Ecclesiastica a certa persona ambiziosa, fu arditamente interrogato da un Ambasciatore, che raccomandava il pretendente, se egli per l' addietro aveva mai procurato grado alcuno dalla S. Sede per li proprj avanzamenti. Ed il Papa, dopo essere stato alquanto ambiguo, se doveva a ciò rispondere, mansuetamente gli disse: Signor Ambasciatore, con tutta coscienza vi confessiamo di non aver in vita nostra desiderata mai dignità alcuna, eccettuato un Chericato di Camera, quale non ottenemmo in tempo d' Urbano VIII. nostro predecessore. Lo stesso confermò, essendo pur Pontefice, ad altri personaggi, forse per togliere il cattivo esempio della favola, soggiugnendo ancora specialmente, com' egli nè con regali, nè con industrie aveva procurato d' essere Cardinale, e che a....., non aveva mai fatto altro donativo, se non di due mule, quali gliele mandò dieci anni dopo aver' avuto il Cappello in occasione, che ritornò dal Vescovado di Novara.* Additur, Bayle heterodoxum Scriptorem narrationem prædictam desumpsisse ex libellis, qui a male feriatis non modo ore proferuntur, sed scriptis mandantur ab Urbe ad exteras nationes, quæque calumniis repletæ sunt adversus viros in Ecclesiastica dignitate constitutos; & idem Bayle alibi errat in vita prædicti summi Pontificis Innocentii XI. Refert enim eum militiæ sæculari nomen dedisse apud Polonos, vel apud Flandros, quæ absque dubio falsa sunt.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

De nonnullis in caussis Servorum Dei, qui summi Pontifices fuerunt, specialiter advertendis post adeptum summum Pontificatum, & regimen universalis Ecclesiæ assumptum.

1. POSTQUAM in capite antecedenti egimus de advertendis in ingressu ad Ecclesiasticas dignitates, in hoc & in sequentibus capitibus agendum erit de advertendis & considerandis, postquam Dei Servi dignitates adepti sunt: non quia ea, quæ in hoc & sequentibus capitibus dicenda sunt, si sola sint, sufficiant, ut tutum ferri valeat judicium de virtutibus prædictorum Dei Servorum, quod attinet ad Beatificationem & Canonizationem; sed ut, si in eis Dei Servus heroice se gesserit, & aliarum virtutum frequentes actus ediderit, juxta ea quæ alibi dicta sunt, tuto pede ad virtutum approbationem deveniatur; & e contrario earumdem approbatio non decernatur, si illa desint, vel etiamsi adsint, non tamen ad gradum heroicum pervenerint. Si enim, ut quis sit heros, ex alibi dictis præcipue necesse est, ut heroice se gesserit in earum virtutum exercitio, quarum exercendarum habuit occasionem; a fortiori idem dicendum erit de virtutibus, quas non modo ex oblata occasione, sed ex assumpto munere debuit exercere.

2. Initioque ducto a Dei Servo, qui dum viveret, summus Pontifex fuit, prænoscere opus est, summum Pontificem Pastorem esse & Moderatorem universæ Ecclesiæ, præterea esse Episcopum urbis Romæ, Metropolitanum provinciæ Romanæ, Primatem Italiæ, & Occidentis Patriarcham, quemadmodum copiose explicant Cardinalis Bellarminus *controv. tom.* 1. *tit. de Romano Pontifice lib.* 2. *cap.* 18. *circa medium*, Morinus *exercit. Eccles. lib.* 1. *exercit.* 6. *& exercit.* 13. Hallier *de sacris Ordinat. pag.* 723. *art.* 3. Sirmond. *de suburbicar. region. & Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 299. idem Sirmond. *in censura conjecturæ Anonymi de Eccles. suburbic. dissert.* 2. *cap.* 5. *pag.* 75. *& seqq.* & *cap.* 8. *pag.* 106. Marcus Antonius Cappellus *disput.* 2. *de success. Episcopi Romani in Pontificatum B. Petri cap.* 3. *pag.* 186. Hieronymus Aleander *de region. suburbic. dissert.* 2. *cap.* 4. *pag.* 142. Cardin. Perronius *in replicatione ad Regem Angliæ lib.* 1. *cap.* 30. *pag.* 174. *&* 176. Natal. Alexander *histor. Eccles. ad sæc.* XV. *part.* 2. *dissert.* 19. *conclus.* 2. Suarez *in defens. Fidei Catholicæ adversus Anglicanam sectam lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. *& cap.* 12. *num.* 9. Fagnan. *in cap. Licet* 20. *num.* 28. *de foro competenti*. Quo proinde posito, infertur, in causis Servorum Dei, qui dum viverent, summum Pontificatum adepti sunt, præter alia inquiri debere, an & quomodo prædicta munera impleverint, & quia summus Pontifex est etiam Princeps ditionis sæcularis, & in terris sibi pleno jure subjectis habet utrumque gladium, omitti certe non debebit inquisitio de iis, quæ ad dignitatem Principis sæcularis pertinent, & sine quibus recte Principatus sæcularis administrari non potest.

3. De pertinentibus ad Episcopi & Principis officium & dignitatem sermo in capitibus sequentibus instituetur; &, quæ ibi explicabuntur, summo quoque Pontifici applicabuntur uti Episcopo, & Principi ditionis sæcularis: quocirca, cum hic tantum animus sit ea referre, quæ ad summum Pontificem uti universalis Ecclesiæ Rectorem spectant, aurea sunt monita S. Bernardi ad summum Pontificem Eugenium in *libris de consideratione*, quos ei dicavit. Monet enim primo summum Pontificem, ne se totum det sæcularibus occupationibus, sed sciat, suum principale munus esse ædificare Ecclesiam, docere populos, & meditari in Lege Domini: ut *lib.* 1. *cap.* 4. *col.* 416. *vol.* 1. *oper. Quid servilius, indigniusque præsertim summo Pontifici, quam non dico omni die, sed pene omni hora insudare talibus rebus, & pro talibus? Denique quando oramus? quando docemus populos? quando ædificamus Ecclesiam? quando meditamur in lege? Et quidem quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Justiniani, non Domini. Juste ne etiam istud? Tu videris. Nam certe Lex Domini immaculata convertens animas. Hæ autem non tam leges, quam lites sunt, & cavillationes* .... Monet secundo, ut præ ceteris virtutibus studeat humilitati: *lib.* enim 2. *cap.* 6. *col.* 426. num. 13. *Si filius es Apostolorum & Prophetarum, & tu fac similiter .... Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium spirituale constructum ... Nulla splendidior gemma, in omni præcipue ornatu summi Pontificis. Quo enim celsior ceteris, eo humilitate apparet illustrior.* Monet tertio, ne zelus totus sit pro tuenda dignitate, & nihil, aut parum pro sanctitate *lib.* 4. *cap.* 2. *col.* 443. *Vides, omnem Ecclesiasticum zelum fervere sola pro dignitate tuenda: honori totum datur, sanctitati nihil aut parum. Si, causa requirente, paulo submissius agere, ac socialius te habere tentaveris; absit (inquiunt) non decet, tempori non congruit, majestati non convenit, quam geras personam attendito.* Et *col.* 442. *Fuerunt ante te, qui se totos ovibus pascendis exponerent, Pastoris opere & nomine gloriantes, nihil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ovium obviare putarent, non quærentes quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere & seipsos. Unde unus illorum: Et ego, ait, superimpendar pro animabus vestris.* Monet quarto, ut Familiares habeat, qui sint bonitate conspicui; sic *lib.* 4. *cap.* 4. *col.* 444. *Ne te dixeris bonum malis nuitentem; aut, si bonus sis, bonitas tui solius quem fructum afferre potest?*

Quin-

Quinto instituit, quomodo se gerere debeat circa distributionem dignitatum *loc. cit. num.* 55. *& seqq. Et ideo si fieri potest, eutos probatos oportere deligi, non probandos,.... Curia bonos facilius recipere, quam facere consuevit..... Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes: etiam coge illos & compelle intrare... qui praeter Deum tantum timeant nihil, nihil sperent, nisi a Deo.* Monet sexto, quomodo se gerere debeat cum Potentibus iniquis *col.* 450. *Ubi malitiae juncta potentia est, aliquid sibi supra hominem praesumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum irae tuae, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet.* Totum egregium opus Sancti Bernardi transcribendum esset, cum pulcherrimis scateat & sanctissimis considerationibus, quibus uti possunt tum Fidei Promotor in examine causarum, de quibus agitur, tum quoquot suffragium in eis praestare debent. Sacrum Tridentinum Concilium *sess.* 24. in *decreto reform. cap.* 1. sic reverenter summos Pontifices alloquitur: *Postremo eadem sancta Synodus tot gravissimis Ecclesiae incommodis commota non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam solicitudinem universae Ecclesiae ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat, & bonos maxime atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficiat; idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quae ex malo negligentium, & sui officii immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus.* Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus nonnulla exposuit summo Pontifici Clementi VIII. de officio primario summi Pontificis edita *post volumen suarum familiarium epistolarum*. Postquam autem retulit, inter omnia ejus officia solicitudinem omnium Ecclesiarum primum locum tenere debere, ait, eum curare debere, ut singulis Ecclesiis bonos Episcopos praeficiat, curetque, eos suo muneri satisfacere, &, si opus sit, cogat. Post haec monet, ne Ecclesiarum vacatio ad diuturnum tempus protrahatur; ne personae bona Ecclesia, sed Ecclesia bonae personae tradatur; ne sinatur, Pastores ab Ecclesiis abesse; ne polygamia spiritualis admittatur, hoc est plures Ecclesiae uni committantur; ne facile transferantur Episcopi de una ad aliam Ecclesiam; & ne Episcopatuum resignationes sine legitima causa admittantur. Extant responsiones Pontificis Clementis VIII. monitis Cardinalis Bellarmini, quibus ostendit, se omnem lapidem movisse, ut quae in monitis continebantur, sua non carerent executione. *In libro Diurno Romanorum Pontificum* ex recensione P. Garnier extat formula professionis Fidei, quae ab electo in summum Pontificem fiebat, in qua non modo Haeretici anathemate condemnabantur, sed electus pollicebatur, se toto mentis studio conservaturum esse, quae Apostolici Praedecessores per Synodos & Decreta statuerant, & se pro Fide Christi mori paratum *pag* 50. *Profitemur etiam, Nos secundum illa, quae a Praedecessoribus meis statuta sunt, numquam aliquid novi contra Catholicam atque Orthodoxam Fidem suscepturos; nec talia temerarie praesumentibus, si opportunum fuerit etiam mori, Dei gratia Nos corroborante, quoquo modo consensum praebituros.* Ex qua juramenti formula nemo est qui non videat, praecipuum indaginis momentum esse constituendum in zelo conservandae & dilatandae Fidei Catholicae, Ecclesiasticae disciplinae instituendae & instaurandae, & jurium Sedis Apostolicae vindicandorum.

4. Confirmari id posset exemplis Romanorum Pontificum inter Sanctos relatorum, qui cultum habent in Ecclesia universali: nemo enim ex illis est, qui zelo Catholicae Fidei, & Ecclesiasticae disciplinae non excelluerit. Sed, cum obvia ea sint, alia subjiciemus exempla eorum Romanorum Pontificum, quorum nomen est descriptum in Martyrologio Romano, quique ex alibi dicendis Officio Ecclesiastico coluntur in basilicis Urbis.

5. *Die* 28. *Januarii* colitur in Basilica S. Petri Urbis S. Dionysius Papa, & Confessor, qui Dionysii Alexandrini Episcopi apud se accusati, quod Filium Dei factum & non consubstantialem Patri diceret, causam in Romana Synodo discussit, & parochias Presbyteris in Urbe distribuit, atque divisit.

6. *Die* 29. *ejusdem mensis* colitur S. Zosimus Papa & Confessor, qui Africanorum Conciliorum decretis adversus Pelagianam haeresim sententiae suae robur adjecit, & ad impiorum excidium gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum, & alia edidit decreta pro servanda, sive restituenda aliquibus in locis Ecclesiastica disciplina.

7. *Die* 30. *ejusdem mensis* colitur S. Felix Pontifex IV. hujus nominis, qui Catholicam doctrinam in Galliis errore Semipelagianorum labefactam, petente Caesario Arelatensi Episcopo, sartam tectamque servavit, nefariamque damnavit licentiam eorum, qui, Sacerdotali Ordinatione suscepta, ad saecularis vitae mores demigrabant.

8. *Die* 10. *Februarii* celebratur festum S. Agathonis Papae & Confessoris, qui, provinciales Synodos in Occidente haberi curavit, in quibus Monothelitarum causa discussa est, & errores damnati; coactaque Synodo universali in civitate Constantinopolitana, eosdem Haereticos profligavit, & a Constantino Pogonato impetravit, ut Romana Ecclesia a pensione liberaretur, quam Gothorum Reges Ariani persolvendam Romanis Pontificibus indixerant, antequam ordinarentur.

9. *Die* 13. *ejusdem mensis Februarii* colitur S. Gregorius II. Papa & Confessor, qui S. Bonifacium ad praedicandum Evangelium in Germaniam misit, duasque dogmaticas epistolas pro sacrarum Imaginum cultu ad Leonem Isaurum scripsit, Synodumque Romae celebravit, in qua Iconoclastarum haeresim condemnavit, praetereaque anathemate perculit Anastasium Pseudopatriarcham Constantinopolitanum.

10. *Die* 14. *ejusdem mensis Februarii* celebratur festum S. Vitaliani Papae & Confessoris, qui nulli labori nullique pepercit industriae, ut Orientalem Ecclesiam a Romana separatam, & Constantem Imperatorem Monothelitarum fautorem, & impii auctorem Typi ad meliorem frugem reduceret, religionemque in Anglia collabentem restituit.

11. *Die* 25. *ejusdem mensis Februarii* celebratur festum S. Felicis III. qui Petrum Fullonem e Patriarchatu Antiocheno dejecit; Acacium Constantinopolitanum Episcopum Romam venire coegit, ut sibi objectis in Apostolicae Sedis judicio responderet; & henoticum, sive unitivum edictum ab Imperatore Zenone editum rejecit; uti late recenset Pagi junior in ejus vita.

12. *Die* 2. *Martii* colitur festum S. Simplicii Papae & Confessoris, qui Leoni Imperatori satagenti ut rata haberentur decreta Synodi Chalcedonensis, quae pertinebant ad privilegia Ecclesiae Constantinopolitanae, quod a praedecessoribus Pontificibus obtinere non potuerat, obstitit, misso ad eum Probo Episcopo Canusino Legato; Romae Synodum celebravit, in qua Timotheus Elurus, Petrus Fullo, Joannes Apamenus, Paulus Ephesiorum Episcopus damnati sunt; & Zenoni Hispalensi Episcopo vices suas in Hispaniarum Ecclesiis delegavit ad curandam Canonum executionem, & Ecclesiasticae disciplinae observantiam.

13. *Die* 16. *Martii* S. Zachariae Papae & Confessoris festum colitur, qui Romae Synodum celebravit pro reformanda Ecclesiastica disciplina; & secundam in eadem civitate Synodum coegit, in qua Albertus, & Clemens haeretici damnati sunt.

14. Xystus hujus nominis III. qui Papa & Confessor colitur *die* 28. *Martii*, dum adhuc Presbyter esset Pelagianis in populo frequentissimo anathema pronuntiavit, suisque scriptis adversus eorum errorem vehementer pugnavit; ad Pontificatum evectus Julianum Pelagianum, qui plures libros contra S. Augustinum scripserat, moliebaturque in Ecclesiae communionem irrepere, fortiter rejecit; nihilque praetermisit, ut Nestorium ad suae haereseos damnationem perduceret.

15. Caelestinus Papa & Confessor colitur *die* 7. *Aprilis*. Porro hic Caelestium primarium Pelagii discipulum totius Italiae finibus jussit extrudi; quosdam Divinae Gratiae inimicos, qui ad Britannicas oras secesserant, ab illo secreto exclusit oceani; & per suos Legatos Ephesinae Synodo praesedit, in qua Nestorius praedicans Christum ex Maria hominem tantum, non etiam Deum natum, eique Divinitatem collatam esse pro meritis, damnatus est.

16. Julius I. Papa & Confessor colitur *die* 12. *Aprilis*. Eo sedente, universus Oriens tumultuabatur ob haeresim Arianam, & Arianorum odium in S. Athanasium Episcopum Alexandrinum. Julius autem in Synodo Romana, causa ad examen vocata, eum innocentem pronuntiavit; & immunem quoque a crimine declaravit Marcellum Ancyranum Episcopum, qui in Antiocheno Concilio Episcopatu privatus haereseos fuerat condemnatus. In alia quoque Synodo Romana proscripsit haeresim Photini; & sub eo Pontifice in Sardicensi Concilio jus appellationum Episcopalium ad Romanam Sedem, quod est Pontificis primatus appendix, non institutum, ut nonnulli

ma-

male sentiunt; sed confirmatum, & solemniter sub eo Pontifice exrcutioni mandatum est; uti late videri potest apud Cardinalem Prrronium *in replic. ad respons. Magnæ Britanniæ Regis cap.* 3.

17. S. Leo IX. colitur *die* 19. *Aprilis*. Innumera porro ea sunt, quæ ab hoc S. Pontifice gesta fuerunt, in Synodo enim Romana Berengarium Hæresiarcham condemnavit, quod iterum præstitit in Synodo Vercellensi; in alia Synodo Romana Fermentaceorum Hæresim proscripsit; Germaniam, Italiam sæpius, Galliam semel visitavit & Christianorum mores, Conciliis habitis, instauravit.

18. S. Anastasius colitur *die* 27. *Aprilis*. Origenis erroribus Hæreseos notam inussit, & Periarchon libros latinitate donatos a Rufino Aquilejensi acerrimo Origenis defensore proscripsit. Joannem Hierosolymitanum Episcopum Rufini atque Origenis fautorem arguit, ut ex ejus epistola ad prædictum desumitur; & celebre est elogium, quo S. Hieronymus eum prosequitur *in epist.* 16. *ad Principiam Virginem*.

19. *Die* 7. *Maji* colitur festum S. Benedicti II. summi Pontificis & Confessoris. Ab Anastasio in libro sæpe memorato *de Romanis Pontificibus* laudatur tanquam paupertatis amator, humilis, mansuetus, patiens, atque largissimus. Ad Hispanos Episcopos scripsit pro receptione Actorum Synodi sextæ: cumque in apologia adversus Hæreticos a Juliano Toletano Episcopo composita nonnullos errores deprebendisset, eos strenue redarguere non omisit. Macarium Antiochenum Patriarcham auctoritate sextæ Synodi a Patriarchatu deturbatum ob hæresim, ab errore revocare tentavit; & a Constantino Imperatore obtinuit, ne abusiva potestate confirmandi electos Pontifices Romanos, quam ab Exarchis Ravennatibus abstulerat, & ad se retraxerat, uteretur.

20. S. Paschalis I. colitur *die* 14. *Maji*. Ad eum S. Theodorus Studita magnus Fidei Catholicæ defensor litteras scripsit, & per Dionysium discipulum misit non suo tantum nomine, sed & quinque aliorum Præsidum monasteriorum, qui ob sacrarum Imaginum cultum a Leone Armeno in exilium pulsi fuerant, quibus eum excitavit ad opem ferendam Fidei periclitanti; neque Pontifex destitit, quibus potuit studiis, eis opem ferre. Danorum quoque conversioni operam dedit, transmisso ad eos Ebone Remensi Archiepiscopo, ut eis Evangelium prædicaret.

21. *Die* 25. *Maji* colitur S. Papa & Confessor Bonifacius hujus nominis IV. qui non modo a Phoca Imperatore petiit, obtinuitque, sibi concedi Pantheon nobile Romæ delubrum Jovi Vindici a Marco Agrippa consecratum, ut illud expurgatum a sordibus antiquæ idololatriæ Beatissimæ Mariæ Virgini, & omnibus sanctis Martyribus dicaret, ut solemniter dicavit; sed etiam in Romana Synodo repressit eos, qui in Anglia Monachis adversabantur, confirmavitque fundationem celebris monasterii Cantuariensis.

22. *Die* 2. *Junii* colitur festum S. Eugenii I. summi Pontificis & Confessoris, qui Petrum Patriarcham Constantinopolitanum in communionem recipi volentem, & perplexas ejus litteras, quibus hæresim Monothelitarum involvere conabatur, strenue explosit; & Apocrisiarios, qui errori Petri consenserant, tanquam prævaricatores condemnavit.

23. *Die* 12. *Junii* colitur festum S. Leonis III. Romani adversus hunc sanctum Pontificem execrandum facinus commiserunt; ipsum siquidem solemni ritu litanias majores cum universo Clero & populo celebrentem multis plagis affixerunt, oculos ei eruerunt, linguam præciderunt, & in custodiam detruserunt: sed Divino miraculo per intercessionem SS. Apostolorum visum recepit, & ei lingue restituta est. In Synodo Romæ celebrata in basilica S. Petri libellum condemnavit Felicis Urgellitani Episcopi, quem Alcuino direxerat, & illi, nisi resipisceret, anathema dixit; item pro dogmate processionis Spiritus Sancti a Patre, & Filio plura peregit.

24. S. Paulus I. summus Pontifex atque Confessor colitur *die* 4. *Julii*. Æterna sunt digna memoria, quæ ab ipso præstita sunt ad vindicanda jura locorum, atque patrimoniorum ad Sedem Apostolicam pertinentium; nec ullo modo omitti debet, quantum laboraverit tum litteris scriptis, tum missis Legatis, ut Constantinum Copronymum Imperatorem a sua in sacras Imagines impietate revocaret.

25. *Die* 17. *Julii* colitur festum S. Leonis IV. summi Pontificis & Confessoris. Basilica Principis Apostolorum incursibus Saracenorum patebat. Novam ille construxit civitatem, quæ Leonina appellatur, ut basilicam mœnibus ambiret. Ostiam profectus est, ut pugnantibus adversus Saracenos animos adderet, navalique certamine inito, classis Saracenorum dispersa est. Synodum præterea Romæ celebravit, in qua canones quadraginta duos ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes promulgavit; &, ut jus appellationum ad sanctam Sedem intactum remaneret, confirmare noluit Concilium Suessionense.

26. *Die* 28. *Julii* colitur S. Innocentius I. summus Pontifex & Confessor. Superest adhuc *Decretalis* bujus *epistola ad Vitricium*, qua plura Ecclesiasticæ disciplinæ decreta firmantur. Aliæ supersunt ejusdem Pontificis *Decretales*, altera *ad Felicem Nucerianum Episcopum*, tertia *ad Episcopos Macedoniæ*, quibus addenda est quarta data *ad Synodum Toletanam*, ut collapsæ disciplinæ remedium præberetur. Rescissa ab ipso sunt, quæ fuerant intentata adversus Sanctum Joannem Chrysostomum; & respondens litteris Synodicis Conciliorum Carthaginiensis, & Milevitani, & epistolæ familiari quinque Episcoporum, Pelagii dogma condemnavit ut regulæ Fidei contrarium, & eum, atque Cælestium a communione separavit, donec resipiscerent.

27. *Die* 9. *Augusti* colitur S. Hormisda Papa & Confessor. Sub hoc Pontifice Synodus Thessalonicæ habita est, ut sacra Chalcedonensis Synodus confirmaretur. *Decretalem ad Episcopos Hispaniæ* scripsit, ut collapsam disciplinam restitueret; Legatos suos Constantinopolim misit, eisque indiculum rerum agendarum dedit, post quorum adventum Joannes Constantinopolitanus Episcopus Fidei libello sibi oblato subscripsit, & anathema dixit in Acacium, & ceteros Episcopos, qui in ejus communione perstiterant; & Fausti Regiensis libros omni prorsus exuit auctoritate; & postrema volumina S. Augustini legenda ingessit tanquam purissimos fontes, ex quibus doctrina Catholica de Gratia, & libero arbitrio hauriretur.

28. *Die* 10. *Septembris* colitur S. Hilarius Papa & Confessor. Fuerunt ab hoc Pontifice confirmatæ Synodi Generales, Nicæna, Ephesina, & Chalcedonensis; & Concilium Romæ celebratum est, in eoque actum de Ecclesiastica disciplina, & Hispaniarum Ecclesiis, præter alia multa quæ ob eamdem causam ab hoc sancto Pontifice facta sunt, & in Ecclesiasticis annalibus legi possunt.

29. *Die* 11. *Septembris* colitur S. Sergius I. Papa & Confessor. Invictus fuit hujus Pontificis animus, cum Justiniani Imperatoris precibus haudquaquam fractus canones rejecit Synodi quinisextæ: tali siquidem impetu Imperator pro confirmatione urgebat, ut Romam miserit Zachariam suum Protospatarium, qui Pontificem renuentem Constantinopolim deportaret; verum is timore perculsus (noluerunt enim milites nefanda jussa Principis exequi) ad pedes Pontificis provolutus veniam exoravit: & hoc ipso summo Pontifice Romæ sedente, finis impositus est schismati Ecclesiæ Aquilejensis de tribus capitulis.

30. *Die* 20. *Septembris* colitur S. Agapitus Papa & Confessor. Africani Patres litteras dederant ad Joannem II. summum Pontificem de Arianis ad Ecclesiam redeuntibus, utrum suis honoribus essent restituendi. Præmortuo Joanne, litteræ redditæ sunt Agapito, quibus respondit plura statuens de Ecclesiastica disciplina, cujus fuit observantissimus, sæpe laxamenta petentibus assensu negato. Barbarico imperio coactus Theodati Gothorum in Italia Regis legationem ad Imperatorem Justinianum suscepit. Constantinopoli idcirco degens, Anthimum Constantinopolitanum Episcopum Eutychianis addictum, frustra obnitente Imperatore, Christiana communione privavit, & Mennam Presbyterum in ejus locum constituit. In eadem urbe cum mortuus esset, Apostolici Legati, quos reliquerat, communicato cum Menna consilio, Concilium coegerunt, in quo constitutum est, ut quæ ab Agapito contra Anthimum, & hæreticos Acephalos decreta fuerant, sarta tecta permanerent.

31. *Die* 26. *Septembris* colitur S. Eusebius Papa & Confessor. Breve fuit tempus, quo S. Eusebius universalem Ecclesiam gubernavit: vixit enim in Pontificatu menses quatuor, & dies sexdecim. Utcunque sit de nonnullis ejus epistolis, quæ supposititiæ apud eruditos habentur, superest *ejus decretum* apud Ivonem Carnotensem *par.* 15. *Decreti cap.* 35. quo nonnulla astruuntur de extrema Unctione administranda.

32. *Die* 7. *Octobris* colitur S. Marcus Papa & Confessor. Vixit in Pontificatu menses octo, & sepultus est in cœmeterio Balbinæ. In libro *de vitis Romanorum Pontificum* ejus Pontificatus protrahitur ad annos duos, menses octo, & dies viginti. Cardinalis Baronius *ad an.* 336. autumat, eum in Pontificatu vixisse menses novem minus diebus novem. Pietas hujus Pontificis plene colligitur

tur ex munificentissimis donis ab eo in ecclesias collatis, & ex insigni epitaphio a Damaso Papa conscripto, ubi ejus virtutes indicantur: quod epitaphium relatum est apud citatum Cardinalem Baronium *ad eumd. annum numer. 65.*

33. *Die* 25. *Octobris* colitur S. Bonifacius I. Papa & Confessor. Ab Eulalio contra ipsum schisma excitatum est, quo extincto, Bonifacius in Sedem suam restitutus egit apud Imperatorem Honorium, ut in futurum Ecclesiæ paci prospiceret, ne schismate novo post suum obitum scinderetur. Pugnavit adversus hæresim Pelagianorum; & S. Augustinus libros contra duas epistolas Pelagianorum ad eum misit, ut ejus probarentur auctoritate. Alia plura, quæ pro Ecclesiastica tuenda disciplina ab eo facta sunt, collecta legi possunt *in lectionibus Breviarii*, quæ in Urbis basilicis recitantur.

34. *Die* 10. *Novembris* colitur festum S. Deusdedit Papæ & Confessoris. Cardinalis Baronius recte scribit, plane dolendum esse, tanti Pontificis facta Scriptorum inopia, aut certe temporis injuria, obscura mansisse; quæ quidem insignia fuisse oportet, cum eum antiquitus Ecclesia inter Sanctos receperit, & annua commemoratione ut Sanctum fuerit venerata. Singulare miraculum ejus intercessione a Deo patratum est, cum ægros invisens, unum ex eis benigne amplexus & osculatus a lepra mundavit. Cleri maximam curam gessit, quem, cum imminutam & valde distractum invenisset, plurimum auxit, in pristinas sedes restituit, & multis beneficiis cumulavit.

35. *Die* 13. *Novembris* colitur S. Nicolaus I. Papa & Confessor. Photius, ejecto S. Ignatio, Sedem Constantinopolitanam invaserat: cumque Nicolaus Legatos Constantinopolim misisset, qui minis concussi, & muneribus illecti, Ignatii depositioni subscripserunt, in ipsos Legatos tanquam prævaricationis reos severe animadvertit. Michaeli Imperatori, qui Photio patrocinabatur, fortiter obstitit, donec, Deo permittente, delato post Michaelis cædem Imperio ad Basilium, Photius e Sede ejectus est, & Sanctus Ignatius restitutus, ex sententia a Pontifice prolata, ut idem Sanctus Ignatius testatur in epistola ad ipsum: *Nam divinitus evectus Imperator noster* (inquit) *ut fidelissimus Filius vester, tuæ Sanctitatis sententiam, & decretum executus utrumque, me, inquam, & Photium, pro æquitate causæ tractavit.* Lotharium quoque Regem Lotharii quondam Imperatoris filium, Caroli Calvi nepotem, Lotharingiæ, adjunctarumque regionum Regem, qui rejecta legitima uxore Theutberga, Waldradam concubinam duxerat, intentato anathemate ad saniorem mentem reduxit. Celeberrima est causa Rotbaldi Suessionensis Episcopi cum Hincmaro Remensi Metropolita. Ventum est in Synodo Suessionensi ad depositionem Rotbaldi: cumque hæc in contemptum appellationis ab eo ad Sedem Apostolicam interpositæ facta fuisset, Nicolaus sententiam Synodi rescidit, & vindex jurium Romanæ Sedis in Romana Synodo decrevit, ut Rothaldus Episcopalibus vestimentis ornaretur, qui & pollicitus est, se ad respondendum suis accusatoribus præsto semper futurum.

36. *Die* 26. *Novembris* colitur S. Gelasius Papa & Confessor. Sanctus hic Pontifex Pelagianam hæresim in Dalmatia, & Piceno reviviscentem damnavit tribus conscriptis epistolis, quæ adhuc extant. Decretum pariter edidit contra Manichæos, sub specie vini non communicantes ea de causa, quod vinum esse dicerent fel Principis tenebrarum, & a Diabolo creatum. Ut collapsam disciplinam restauraret, *Decretalem epistolam scripsit ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos.* Ad communionem admittere recusavit Euphemium Constantinopolitanum Episcopum, quia e diptychis nomen Acacii prædecessoris non expunxerat: decretumque edidit sinceros libros a suppositititiis discernens, de quo sæpe in hoc Opere sermo habitus est.

37. *Die* 28. *Novembris* colitur S. Gregorius III. Papa & Confessor, qui Leonem Isaurum Imperatorem Iconoclastam ad saniorem mentem reducere conatus, cum nihil profecisset, convocato Romæ Concilio sacrarum Imaginum cultum Apostolico decreto firmavit, & anathemate ferit Iconomachos. S. Bonifacio Germanorum Apostolo de nonnullis quæstionibus interroganti responsionem misit novem capitibus constantem. Eum quoque, cum Romam venit, granter recepit; & redeuntem muneribus comitatus est, & epistolis datis ad Prælatos & Presbyteros omnium provinciarum, ad Optimates & populum Germaniæ, ad Episcopos in Alemannia & Bojaria constitutos, ut sanctis ejus laboribus, quam possent, opem ferrent. Utque Romam ab obsidione Luitprandi Longobardorum Regis liberaret, duplicem legationem ad Carolum Martellum misit, & duplicem ad eum scripsit epistolam.

38. Quinque sunt causæ Dei Servorum, qui summum Pontificatum obtinuerunt, quarum examen assumptum fuit servato recentiori juris ordine; prima videlicet S. Petri Cælestini, qui se a Pontificatu abdicavit, & in album Sanctorum relatus est; secunda, B. Gregorii X. in qua ex alibi dictis virtutes jam fuerunt approbatæ, & approbatus fuit cultus immemorabilis una cum concessione Officii & Missæ in quibusdam determinatis locis, pendetque judicium super miraculis; tertia, S. Pii Papæ V. quæ jam per solemnem Canonizationem completa est; quarta, Servi Dei Innocentii Papæ XI. in qua signata fuit commissio introductionis, & nonnulla alia peracta sunt, nec adhuc propositum est dubium super virtutibus; quinta denique, Benedicti XI. de cujus cultu immemorabili absolutum est judicium in sacrorum rituum Congregatione.

39. Edetur in Appendicibus relatio Rotæ Auditorum in causa B. Gregorii X. ex qua plene desumi potest ejus zelus pro Fide Catholica. Palæologum enim Græcum Imperatorem, ut Fidem Catholicam profiteretur, suis laboribus induxit. Hoc ipsum præstitit erga Abagham Tartarorum Regem. Nullum non movit lapidem, ut Terra sancta vindicaretur e manibus infidelium. In sacro generali Concilio Lugdunensi multa statuit, & opere complevit de morum reformatione, de cultu Divino augendo, de Græcorum reconciliatione, de Tartaris ad Fidem reducendis, de sacra expeditione obeunda pro vindicatione Terræ sanctæ, de Romano Imperio firmando. Solicitudo omnium Ecclesiarum in eo præcipue enituit, statuta concordia inter Archiepiscopum Toletanum, & Archiepiscopum & provinciam Narbonensem, Toletanum pariter, & Tarraconensem, Archiepiscopum Lugdunensem, & Capitulum, Metensem Episcopum, & Ducem Lotharingiæ, Eduardum, & Edmundum filios Henrici Regis Angliæ, Reges Bohemiæ, & Hungariæ, Venetos, Januenses, factiones Guelphorum, & Gbibellinorum, qui omnes inter se diffidebant. De ejus liberalitate erga pauperes in Urbe degentes, de ejus fortitudine, cum præcepit Jacobo Aragoniæ Regi, ut pellicem dimitteret, cum Alfonsum Lusitaniæ Regem, qui nonnullarum Ecclesiarum possessiones & reditus invaserat, severe increpavit, multa in eadem relatione legi possunt; quemadmodum & plura habentur de invicto ipsius robore in vindicandis juribus Ecclesiæ Romanæ, cum præter alia Carolum Siciliæ Regem ad debitum fidelitatis juramentum pro Regno Siciliæ adegerit.

40. Multa de zelo salutis animarum, Fideique Catholicæ, Ecclesiasticæ disciplinæ restaurandæ, & jurium Sedis Apostolicæ asserendorum monumenta a Postulatoribus inserta sunt in processus, qui extructi sunt, & instruuntur in causa Servi Dei Innocentii Papæ XI. a quorum narratione abstinemus, cum adhuc (uti diximus) de ejus virtutibus judicium prolatum non sit. De Sancto autem Pio V. in Actis Canonizationis comprobatum est, Italiam in veræ Fidei integritate ab ipso servatam, Galliam contra Hæreticorum conatus adjutam, Hispaniam opportunis sanctionibus in officio retentam, Pannoniam contra Turcarum irruptiones munitam, rem Catholicam in Germania, Belgio, Scotia, Anglia, ac Polonia plurimum restitutam, & in Indiis etiam propagatam; ita ut Clemens Papa XI. in decreto, quod die 4. Augusti 1710. pro ejus Canonizatione protulit, sic de ejus virtutibus & gestis locutus sit: *His porro impletis, Sanctitas sua &c. præsens Canonizationis ejusdem Beati Pii V. quandocumque faciendæ decretum expediri & publicari mandavit, non tam ad novum & præclarum decus præfati Ordinis Fratrum Prædicatorum de Catholica Ecclesia optime meriti, quam ad majorem ipsius Apostolicæ Sedis honorem & gloriam, ut ei his potissimum calamitosis temporibus prædicti B. Pii, in quo eluxit religionis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in exstirpandis erroribus assidua vigilantia, in dictæ demum Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robur invictum, speciale, & maxime opportunum & necessarium patrocinium accedat.*

41. Dabitur in Appendicibus *Compendium virtutum, & miraculorum* ipsius exhibitum, dum de ejus Canonizatione agebatur, in quo multa legi possunt, & multo plura habentur in relatione Rotæ Auditorum, in qua ne illa quidem omittuntur, quæ pertinent ad Principis sæcularis dignitatem. Ecclesiasticam enim ditionem ab exulibus & latronibus liberam servavit, in gravi annonæ caritate Urbi laboranti subsidium præstitit centum millium aureo-

aureorum, delato oportune tritico ex Sicilia & Gallia; populorum commodis sedulo prospexit, & eorum querimoniis benignam aurem præbuit; viros probitate & doctrina præstantes elegit, qui Judices essent, eosque officio spoliavit, qui muneri deerant: ut interea silentio prætereantur, quæ gessit ut Urbis Episcopus, cum Seminarium in Urbe instituerit, sacrarum ædium Visitatores elegerit, omnia ad censuram Concilii Tridentini revocaverit, impudentiæ meretricum, & Hebræorum frenum injecerit: quæ omnia una cum multis aliis legi possunt in citata relatione. Paulo II. ad sui nominis memoriam meditanti, quæ ad Imperatoriam potius majestatem, quam ad ministeriom Ecclesiasticum pertinere videbantur, Cardinalis Papiensis sæpe memoratus intrepide hæc scripsit: *epist.* 281. *Opera autem æternitatis in Pontifice sunt vitam immaculatam præstare, lapsam Ecclesiæ disciplinam erigere, restituendæ libertati Clericorum intendere, sic justitiæ cultorem esse, ut tamen misericordiæ sit recordatio, in bonis causis intrepidum se præstare, non vultus, nec minas Potentum timere, potiorem vitæ conscientiam ducere, in specula credita excubare, ad publicam gregis salutem oculos semper intendere, nihil suum credere, quod Christi non sit, meditari jugiter de miseris Christianis, qui proximi Infidelibus sunt, præsidia his mittere, incitare Principes ad capessenda pro Fide arma, ducatum, si opus sit, illis præstare, thesauros in piam hanc causam effundere, parcitate non impediri; missione Legatorum, profectione etiam propria, si expediat, pacare Regna, nullibi ob causam privatam dissensiones optare, conari, ut ministerium Sedis ubique sit salutare, domi quoque bene compositum esse, non iracundum, non impatientem, non male de Ministris, qui jam probati sunt, æstimare; partiri noctem & diem ad opus vicissim, & quietem &c. Si quando a curis vacet, lectionem sacram assumere, identidem scribere, colligere, quæ memoratu sunt digna, laborare ad præsentem pariter, & futuram utilitatem;*

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

De nonnullis in causis Servorum Dei, qui fuerunt Cardinales S. R. E. advertendis post adeptam Cardinalatus dignitatem.

1. NONNULLI ex S. R. E. Cardinalibus inter Sanctos relati sunt aut juxta antiquum Canonizationis ritum, aut juxta recentiorem, per Canonizationem videlicet formalem, aut æquipollentem, alii inter Beatos recensentur, alii demum cum fama sanctitatis obierunt. Causæ Beatificationis & Canonizationis aliquorum jam sunt introductæ, & hactenus non resolutæ. Editæ demum sunt vitæ aliorum, de quorum Beatificatione & Canonizatione cogitatum non est, nec cogitabitur: & licet ex eis Nos aliqua simus desumpturi egregia & plane heroica, id tamen eo animo a Nobis factum esse censeri debet, ut quæ a Nobis proponentur, exemplis firmentur, non autem ut citra Sedis Apostolicæ approbationem ullus cultus in eorum honorem inducatur. Nec enim novum esset, aliqua etiam heroica virtutum monumenta a gestis eorum desumi, qui pietate floruerunt, licet inter Beatos aut Sanctos adhuc relati non sint; cum, omissa etiam necessitate judicii sanctæ Sedis, pro sanctitate comprobanda in Ecclesia militante, non unus, aut alter, aut aliqua series actuum heroicorum sufficiat, sed ex alibi dictis constare necesse sit de heroicitate virtutum Theologalium, & de heroicitate aliarum virtutum, in quibus Servi Dei occasionem habuerunt se exercendi; nihilque deprehendi debeat, quod virtutum fulgorem minuat, aut deturpet.

2. Maximum quidem decus esset Cardinalium Collegii, si de Cardinalatu S. Hieronymi quæstio est resoluta. *In serm.* 24. S. Augustini *ad Fratres in eremo, rejecto in append. tom. 6. oper. col.* 238. leguntur hæc verba: *Legimus enim, Fratres carissimi, Sanctum Patrem Hieronymum Cardinalem fuisse in ecclesia Sancti Laurentii Martyris.* At, licet Joannes Marquez *in libro de origine Fratrum Eremitarum S. Augustini cap.* 8. §. 2. probare conetur, prædictos sermones esse S. Augustini, concors tamen est Eruditorum sententia, eos esse apocryphos, & S. Augustino falso adscriptos. Cardinalis Baronius *ad ann.* 382. *num.* 25. *&c.* eum excludit a Cardinalitia dignitate validis profecto argumentis. Concordat Cardinalis Bellarminus. Ciacconius opusculum edidit *de Cardinalatu S. Hieronymi*, in quo plura pro eo refert testimonia. Andreas Victorellus *in notis ad vitam S. Damasi relatam in tomo primo* Ciacconii, & Augustinus Oldoinus *eodem pariter loco* referunt, quæ hinc atque inde deducuntur; quare ad eos, lectores remittimus. Die 18. Martii in Martyrologio Romano mentio fit S. Anselmi his verbis: *Mantuæ, Sancti Anselmi Episcopi & Confessoris.* Lucensis populus eum enumerat inter sanctos suos Episcopos, quem a Schismaticis expulsum excepit, fovitque populus Mantuanus, & pie mortuum, Sanctisque adscriptum in urbis suæ Patronum elegit. Sacrum ejus corpus, quod in majori altari Cathedralis ecclesiæ summa cum veneratione integrum usque ad hunc diem servatur, publice ostenditur, & magna accurrentium religione colitur; quemadmodum testantur Bollandiani in ejus vita, *ad diem* 18. *Martii*. Fertur, jussu Cardinalis Herculis Gonzagæ die ejus festo sacrum corpus indui consuevisse purpura Cardinalitia. Donesmundus *in historia Mantuana lib.* 4. testatur, eum fuisse inter Cardinales cooptatum ab Alexandro Papa II. nec desunt alii hoc ipsum narrantes: sed, cum Historici non desint contemporales, qui ejus gesta, dignitates, & titulos, puta legationem Apostolicam per universam Langobardiam, & cetera eidem ab Alexandro collata describunt, nullo facto verbo Cardinalitiæ dignitatis, dubitatur a nonnullis, an vere dici possit, eum fuisse creatum Cardinalem ab Alexandro II. iidemque addunt, famam adepti Cardinalatus ex eo originem habuisse, quod in suis legationibus & itineribus comitem habuit Cardinalem, vel quia ipse, aut ejus saltem patruus Canonici fuerunt ecclesiæ Mediolanensis, qui Cardinalium titulo honestabantur, juxta ea quæ plene habentur apud Patrem Andream Rota Societatis Jesu *in notatis historicis hujus S. Anselmi cap.* 8. *Veronæ editis anno* 1733. Quod de Cardinalatu B. Andreæ de Comitibus Ordinis Minorum Sancti Francisci dicendum esset, quem nonnulli creatum Cardinalem ab Alexandro IV. alii a Bonifacio VIII. testantur, jam a Nobis dictum est *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 159. *& seqq.*

3. Sed, ut ab incertis ad certa transeamus, certum est, B. Petrum Damiani fuisse inter Cardinales adscriptum a Stephano IX. quemadmodum ex S. Joanne Laudensi, & Leone Ostiensi ostendit Pagi *in breviar. Romanor. Pontif. in vita Stephani IX. num.* 6. Hanc B. Petri Damiani electionem anno 1058. factam observavit Henschenius *ad diem* 23. *Februarii in commentario prævio ad ejus vitam num.* 24. De hac sui promotione loquitur idem S. Petrus *lib.* 2. *epist.* 1. quam scripsit venerabilibus in Christo sanctis Episcopis Lateranensis ecclesiæ Cardinalibus: tunc enim septem Cardinales Episcopi, Ostiensis videlicet, Portuensis, Sanctæ Rufinæ, sive Silvæ Candidæ, Albanensis, Sabinensis, Tusculanus, & Prænestinus Patriarchali ecclesiæ Lateranensi inserviebant, & singulis hebdomadibus per vices explebant munus Pontificis, & septem Episcopi Cardinales hoc ipsum præstabant in Patriarchali ecclesia S. Petri, & in Patriarchali ecclesia S. Mariæ Majoris; quemadmodum desumitur ex antiquo monumento apud Cardinalem Baronium *ad ann.* 1057. Beati Petri cognomento Ignei Ordinis Vallis umbrosæ mentio habetur *in catalogo generali Sanctorum, quorum nomina in Martyrologio Romano descripta non sunt*, collecto a Ferrario *ad diem* 8. *Januarii*, & *diem* 8. *Februarii*. Dubitabatur, an Petrus Pavesius Florentinus Episcopus Episcopatum per simoniam obtinuisset, & ad id dirimendum juxta morem tunc temporis receptum B. Petrus Monachus Vallis umbrosæ ignem ingressurus sic Deum precatus est, uti narrat Abbas Desiderius, qui ad summum Pontificatum evectus Victoris III. nomen assumpsit, 3. *lib. dialog. Oro, Deus omnipotens, si Petrus, qui Episcopus dicitur, simoniaca est peste fœdatus, ne Ecclesia tua amplius polluatur, judicio Sancti Spiritus ostende virtutem, & illæsum me per hunc ignem transire concede. Quod si nos fallacia pleni, causa invidiæ ducti hanc contra eum tulimus quæstionem, ardor istius ignis me tua gratia derelictum consumat.* Cumque Beatus hic Petrus per ignem illæsus omnino transisset, Alexander Papa II. Episcopum deposuit, juxta ea quæ plene referuntur apud Cardinalem Baronium *ad an.* 1063. Putat Cardinalis Baronius, B. Pe-

trum Igneum originem duxisse a gente Aldobrandina. At, eum fuisse deceptum ab juniore quodam Scriptore, qui ejus vitam edidit temporibus Clementis VIII. scribunt Ughellius *tom.* 1. *Italiæ sacræ*, ubi loquitur de Episcopis Albanensibus, & Pagi senior *ad an.* 1063. *num.* 1. quod ipsum late resumitur in responsione edita nomine Patris Vitalis Martii ad quæstiones Vallumbrosanas *cap.* 2. *pag.* 36. Utcunque tamen sit de hoc, certum est, B. Petrum Igneum, qui per ignem mirifice transierat, hortante Comite Bulgaro, a S. Joanne Gualberto, cujus erat discipulus, factum fuisse Abbatem, & subinde a S. Gregorio VII. creatum fuisse Cardinalem & Episcopum Albanensem, pluribusque legationibus functum pie in Domino mortuum fuisse, uti fuse habetur apud Cardinalem Baronium *loc. cit.*

4. In Martylogio Romano *ad diem* 4. *Decembris* fit commemoratio S. Bernardi Cardinalis & Episcopi Parmensis: *Parmæ Sancti Bernardi Cardinalis, & ejusdem civitatis Episcopi*. Ex Breviario Monachorum Vallis umbrosæ habetur, eum Florentia oriundum, alumnum monasterii S. Salvii Vallis umbrosæ, ab Urbano Papa II. factum Presbyterum Cardinalem Tituli S. Chrysogoni, postulatum subinde fuisse Ecclesiæ Parmensis Episcopum, dum fungens Apostolica legatione ad eam venerat civitatem, & mortuum fuisse anno 1133. quæ omnia ex prædicto Breviario desumpta referuntur a Cardinali Baronio *in notis ad Martyrologium Romanum, ad prædictam diem* 4. *Decembris*. Panvinius *de Romanis Pontificibus* in Urbano II. hæc habet de Bernardo: *Dominus Bernardus Hubertus Florentinus, Thuscus, Monachus, & Maximus Abbas Vallis umbrosæ diœcesis Florentinæ, Presbyter Cardinalis Tituli S. .... postea Episcopus Parmensis a Paschali II. Papa consecratus*. Ex quo nonnulli ansam dubitandi desumunt, an Titulum obtinuerit S. Chrysogoni, quemadmodum videri potest apud Ciacconium in ejus vita. De publico solemni cultu, qui erga hunc S. Bernardum exhibetur, & utrum idem dici possit relatus inter Sanctos, an vero tantum inter Beatos, licet Sanctus appelletur in Martyrologio Romano, alibi habebitur sermo.

5. In Martyrologio Benedictino ita legitur de B. Matthæo Cardinali: *Pisis depositio Beati Matthæi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Albanensis Episcopi, Ordinis Cluniacensis*. Andreas Saussajus *in Martyrologio Gallicano octavo calendas Januarii* sic de illo loquitur: *Obitus sanctæ memoriæ Matthæi, Albanensis Episcopi, Cardinalis & Legati, Apostolici plane viri, qui natione Gallus, patriæ Remensis, ex Clerico Laudunensi, subindeque Canonico Remorum Metropolis Monachus Cluniacensis, Sancti Petri Discipulus, a quo in ipso conversionis exordio Lutetiam Parisiorum missus in Sancti Martini campestris asceterio Religionis habitum suscepit &c. Afflictæ reipublicæ Christianæ enimiam præstitit operam &c. Postremo, Deo & Cælitibus impense carus, bonis operibus dives, miraculis illustris, feliciter apud Pisas in Domino obdormivit, Sanctorumque, quorum præconia, dum viveret in terris, meruerat, consortia post mortem in cælesti beatitudine adeptus est*. Matthæi vita scripta fuit a Petro Cluniacensi Abbate. Inter Cardinales fuit adscriptus ab Honorio Papa II. & ejus egregia gesta fuse referuntur a Cardinali Baronio *in annalibus tom.* 12.

6. In Martyrologio Romano *ad diem* 6. *Februarii* ita legitur: *Bononiæ Sancti Guarini Episcopi Cardinalis Prænestini vitæ sanctitate conspicui*. Vitam ejus scripsit Augustinus Ticinensis, quæ extat apud Surium *t.* 7. ubi legitur, eum creatum fuisse Episcopum Prænestinum a Lucio II. Romano Pontifice, necnon apud Bollandianos *ad diem* 6. *Februarii*. Virtutum ipsius & sanctitatis fuse meminerunt Ferrarius *in catalogo SS. Italiæ, ad diem* 6. *Februarii*, Molanus *in addit. ad Martyr. Usuardi*, Pennotus *in histor. tripartit. Canonicor. Regular.* Ciacconius, & Oldoinus, & ex Scriptoribus Bononiensibus Sigonius, Phaleonius, Bombacius, Aurelius de Anzis, Ghirardaccius, Leander Albertus, Masinius. Colitur Officio in familia Canonicorum Regularium Lateranensium, & in familia Canonicorum pariter Regularium S. Salvatoris. In eodem quoque Martyrologio Romano *ad diem* 18. *Aprilis* sic legitur: *Mediolani Sancti Galdini Episcopi, qui, concione adversus Hæreticos expleta, spiritum Deo reddidit*. Porro, hunc fuisse inter Presbyteros Cardinales ab Alexandro III. adscriptum, habetur apud Ferrarium *in catalogo SS. Italiæ ad prædict. diem* 18. *Aprilis*; eumque fuisse non modo S. R. E. Cardinalem, sed etiam Sedis Apostolicæ Legatum, testatur vita non multo post ejus obitum scripta, & a Bollandianis edita ad dictam diem. De S. Raymundo Nonnato inter Cardinales adscripto a Gregorio IX. egimus *libro* 1. *hujus Operis cap.* 41. §. 5.

7. Cardinalis Bellarminus *Cardinalium Sanctorum, vel Beatorum, aut saltem Venerabilium elenchum* sibi contexuerat, quorum virtutes imitari cupiebat, & inter eos recensetur Hannibaldus Hannibaldensis Ordinis Prædicatorum in Presbyterum Cardinalem basilicæ XII. Apostolorum ab Urbano IV. summo Pontifice assumptus anno Domini 1261. De eo hæc habentur apud Ptolemæum Lucensem *histor. Eccles. lib.* 22. *cap.* 23. (*tom.* 11. *Script. rer. Italic. Muratorii col.* 1153.) ubi de Urbano: *Hic fecit duas Ordinationes, in quibus fuerunt creati duo Cardinales, quorum unus fuit nepos suus vocatus D. Anicherius, alter fuit nepos D. Richardi de Hanibaldis, qui vocatus est Frater Honibaldus de Ordine Fratrum Prædicatorum, qui fuit Magister in Theologia, & fuit vir magnæ humilitatis & veritatis, & sanctus homo, quem Frater Thomas multum dilexit, fecitque scripta super sententias, quæ intitulantur Domino Hanibaldo, quæ nihil aliud sunt, quam abbreviatio dictorum Fratris Thomæ*. De eodem plura habentur apud Ciacconium, Fontanam *in theatro Dominicano part.* 1. *cap.* 2. *num.* 2. Echardum *tom.* 1. *Scriptor. Ord. Dominicani pag.* 261. Bremond. *in Bullar. ejusd. Ordinis tom.* 1. *pag.* 447. De S. Bonaventura Balneoregiensi Episcopo Cardinali Albanensi non est quod verba faciamus: Fuse de eo agunt Bollandiani *tom.* 3. *Julii pag.* 830. Ex hac vita decessit anno 1274. Cardinalis creatus est a B. Gregorio Papa X. & inter Sanctos solemni ritu relatus est a Sixto Papa IV. ut ex ejus Constitutione desumitur. Ad diem 2. Julii apud Ferrarium *in catalogo generali Sanctorum, quorum nomina non sunt descripta in Martyrologio Romano*, descriptum est nomen B. Petri Diaconi Cardinalis. Hic est ille Petrus, qui dicitur de Lucemburgo, qui a Clemente VII. Antipapa creatus est Cardinalis Diaconus Tituli Sancti Gregorii ad Velum aureum. Cultum habet in civitate Avenionensi, teste Molano *in Natali SS. Belgii, ad diem* 2. *Julii*, permittente auctoritate Sedis Apostolicæ, juxta ea quæ alibi dicentur. Item Beatus Nicolaus Albergatus ex Monacho Carthusiano Bononiæ Episcopus, & postea amplissimus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis a Nobis commemoratus est *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 16. *& seqq.*

8. In allegato catalogo sanctorum Cardinalium extructo a Cardinali Bellarmino descripta sunt nomina Cardinalium Fischerii Angli ex Episcopo Roffensi Cardinalis Presbyteri S. Vitalis a Paulo Papa III. creati anno 1535. & Roberti Politiani de Nobilibus, qui, cum esset annorum decem & trium, a Julio III. inter Cardinales Diaconos adscriptus est, uti pluribus exponitur *in histor. Societ. Jesu lib.* 3. *in principio*. De hoc infra loquemur. De illo vero jam omnibus notum est, editis libris Catholicæ Fidei pietatem illustrasse, pravas opiniones Hæreticorum, & maxime Martini Lutheri egregio volumine confutasse, carceribus tandem inclusum una cum Thoma Moro, jussu Henrici VIII. Angliæ Regis, ex præstanti viro & Rege in feram ac monstrum mutati, caput securi impavide obtulisse, abnuentem assentiri legi, qua Rex se dixit supremum Ecclesiæ caput appellandum esse & habendum. Summus Pontifex Paulus III. ut Regi verecundiam injiceret, & constantiam & virtutem Fischerii Episcopi Roffensis, carceribus detenti, imbecilla valetudine gravique ætate & vinculorum incommodis fessi remuneraretur, amplissimis ipsum laudibus cumulatum in Cardinalium Collegium cooptavit. At id, quod homines crediderant sedaturum aut remoraturum acerbitatem impetumque Regis, trucem & effrenatum animum irritavit. Se perstrictum quippe contumelia eo honore reputans, Cardinalem securi percuti jussit, qui coram hominibus ante suum obitum Deum precatus est, ut Regi cum prospero & secondo vitæ cursu sanam & bonam redderet mentem. Ejusque caput, cui tributa paulo ante purpurei Galeri ornamenta debebantur, quo majori ludibrio atrox spectaculum populo præberet, prælongæ hastæ infixum in eodem foro jussu Henrici ostentatum est, in quo truncum cadaver jacebat.

9. Superfluum est aliquid adnotare de S. Carolo Borromæo a Pio IV. summo Pontifice avunculo inter Cardinales cooptato, deinde Archiepiscopo Mediolanensi electo, præmissisque præmittendis, & prævio omnium rerum diligentissimo examine, solemni ritu inter Sanctos relato a summo Pontifice Paulo V. ut ex ejus Constitutione desumitur. Post hunc extructi fuerunt auctoritate ordinaria & Apostolica processus super Beatificatione & Canonizatione Ven. Servi Dei Francisci Cardinalis Ximenes, & Ven. Dei Servi Cardinalis Roberti Bellarmini,

ni, In quorum causis adhuc resolutum non est dubium de virtutibus. Signata quoque fuit commissio introductionis causarum Venerabilium Dei Servorum Cardinalium Gregorii Barbadici, & Josephi Mariæ Thomasii, dum munere fungebamur Fidei Promotoris; & typis editæ sunt vitæ nonnullorum aliorum S. R. E. Cardinalium pietate illustrium, Francisci videlicet Taurusii, Cæsaris Baronii, ceterisque prætermissis, Gabrielis Palæoti, & Marcelli de Aste, qui Nos præcesserunt in Episcopatu Anconitano, & Archiepiscopatu Bononiensi.

10. Jam supra aliquid dictum est de qualitatibus, quas S. Bernardus[a] requirit in Cardinalibus, quæ fusius legi possunt *in lib. 4. de considerat. cap. 4. col. 446. vol. 1. oper.* Dicit enim eligendos, *qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad Fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti &c. in convivia non effusi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, ubique & in omnibus circumspecti &c. qui Regibus Joannem exhibeant, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Eliam idololatris, Eliseum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum &c. Qui orandi studium gerant & usum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quam suæ industriæ vel labori.* Beatus quoque Petrus Damiani *lib. 2. epist. 1. ad Episcopos Lateranensis ecclesiæ Cardinales* post plura concludit: *Quia igitur, dilectissimi, non modo Sacerdotes, sed Sacerdotum vos decet esse Magistros, necesse est, ut vita vestra quædam sit linea, & velut adamantis signaculum, quod vivendi ceteris adhibeat formam. Adamantinum quippe sigillum suam ceteris imprimit, a nullis vero metallis imaginem sumit &c. Sic videlicet cum Petro claves Ecclesiæ merito facti participes obtinemus, dum nosmetipsos certam vivendi formam, atque signaculum ceteris Fidelibus exhibemus.* Summus Pontifex Pius II. in concione quam habuit ad novos Cardinales a se creatos, ut in ejus commentariis *pag. 99.* legitur, sic locutus est: *Sint libri sacri semper in manibus vestris: dies noctesque aut discite aliquid, aut alios docete; opera efficite per quæ lux vestra coram hominibus luceat; & denique tales estote, quales esse debere Cardinales dijudicastis, antequam ipsi hoc culmen ascenderetis.* Item Jacobus Piccolomineus, Papiensis appellatus, inter Cardinales ab eodem Pio II. cooptatus ad se ipsum de suo Cardinalatu *epist. 5.* locutus est: *Instituenda est vita severior, & vitæ adjungenda major religio. Quod in aliis est mediocre, id in te esse cumulatum oportet, continuum & constans. Opus bonum proprium tuæ professionis appareat ... Actiones tuæ dignum in domo Dei famulatum ostendant:* Et in *epist. 32.* ad Jacobum Volaterranum, qui erat ei a secretis: *Precorque toto desiderio, ut hæc tanta dignitas non sit mihi ad interitum animæ, non sit Ecclesiæ suæ ad damnum. Adjuva me ipsum ad virtutem, quantum se adjuvare humanitas potest, & animum firma ad diligendam Sedem Apostolicam, ad diligendam salutem gregis Dominici, ad tuendam, quantum per exilem hunc spiritum licet, Romani Pontificis majestatem &c. Tristante Ecclesia, tristor & ego. Eadem secundis suis lætante, lætor & ego. Nullus illi affectus est, quem ego statim non sentiam. Si inutilis minister sum, fidelis sum tamen. Si deest doctrina, non deest voluntas: si deest ingenium, desiderium præsto est omnibus locis.* Plura de vita a Cardinalibus instituenda, de modestia & frugalitate, de fastu ablegando, de cura suæ Ecclesiæ Titularis, de residentia in Romana Curia statuta sunt a Leone X. in Concilio Lateranensi, quæ legi possunt apud Raynaldum *in annal. ad ann. 1514. num. 22. & seqq.* Nonnulla ex his repetita fuerunt in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 1. de reform.* quibus perpensis, recte ait Cardinalis Gabriel Palæotus *de consultationibus sacri Consistorii in conclus. 1. membr. 4. Quonam modo, simplicitas, modestia, & frugalitas tantopere a Lateranensi & Tridentino Concilio in Ecclesiasticis Præsulibus commendata, ab eo poterit Consiliario persuaderi, cujus tunc ædes exquisito nimio splendore fulgerent, mensaque lauto quotidie apparatu redundaret?* Communior est scribentium opinio, ab Innocentio IV. indultum fuisse Cardinalibus usum galeri rubei. Legi possunt Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. par. 1. lib. 2. cap. 113. num. 7.* & Pagi junior *in vita Innocentii IV. num. 31.* Nicolaus de Curbio Auctor contemporalis Innocentio IV. cum ab ejus successore Alexandro IV. ad Assisiensem Episcopatum fuerit promotus anno 1258. hæc habet in vita prædicti Innocentii *cap. 21. Pontifex post Concilium anno secundo* (loquitur de Concilio Lugdunensi habito 1245.) *Cluniacum ivit cum Rege Franciæ, & ipsius fratribus locuturus, ubi Domini Cardinales primo capellos rubeos receperunt, sicut in ipso Concilio fuerat ordinatum.* Paulus II. eos donavit pileis rubeis, ut a ceteris Prælatis secerni possent in cæremoniis sacris, ubi non est usus galeri. Ita tradit Cardinalis Papiensis, qui particeps & ipse fuit hujus sacri ornamenti, *in commentar. lib. 2. pag. 370. Cardinalibus, qui sacris induti vestibus a Prælatis inferiorum ordinum, præterquam loco, non noscebantur, usum Mitræ sericæ Damasceni operis, rubraque capitia indulsit, quibus soli Antistites Romani antea utebantur.* Porro Gregorius XIV. anno 1591. rubro bireto decoravit Cardinales Ordinum monasticorum, qui usque ad id tempus usi fuerant biretis ejusdem coloris cum veste sua, ut habetur ex decreto Consistoriali edito post Constit. 8. memorati Gregorii XIV. *Bullar. Rom. tom. 2.* Auctor est Nangius, Innocentium IV. Cardinales purpureo galero donasse, ut indicaret, *in persecutione Fidei & justitiæ Romanam Ecclesiam, quæ caput est omnium Ecclesiarum, præ ceteris debere caput apponere, si necesse fuerit, cruentandum.* Subscribit Robertus Gagrinus *lib. 7. histor. Franc. pag. 109.* ubi loquens de Innocentio, ait: *Cardinalibus insigne dat, quod capite perpetuo deferant, hoc est, rubrum galerum; idque diligenter servatur. Quo Pontifex eos admonitos esse voluit paratos omni tempore esse debere sanguinem fundere pro Christiani populi libertate tuenda.* Concordat formula concessionis galeri, qua utitur Pontifex, & de qua *lib. 1. sacrar. cæremoniar. cap. 7. Ad laudem omnipotentis Dei, & sanctæ Sedis Apostolicæ ornamentum accipe galerum rubrum, insigne singulare dignitatis Cardinalatus, per quod designatur, quod usque ad mortem & sanguinis effusionem inclusive pro exaltatione sanctæ Fidei, pace & quiete populi Christiani, augmento & statu sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ te intrepidum exhibere debeas.* Giussanus autem *in commentar. de vita S. Caroli Borromæi* testatur, eum non alio animo purpuram suam spectasse, quam ut excitamentum quoddam ad martyrium. Quod ipsum præstitum fuisse a Cardinalibus Baronio, Bellarmino, Berullio, & aliis pluribus, testatur Thomassinus *loc. cit. num. 8.* Antonius Maria Gratianus in suo opere *de casibus virorum illustrium,* in vita Joannis Fischerii, quem in carcere detentum paulo ante obitum fuisse inter Cardinales cooptatum a Paulo III. supra retulimus, hæc habet: *Ferunt, non multos ante mortem dies perlatam ad eum Cardinalatus sui famam, acceptamque læto animo fuisse, dixisseque, id purpurei coloris insigne datum Cardinalibus esse, ut meminerint; vitam atque sanguinem pro fide erga Catholicam Ecclesiam non dubitanter profundere, idque unum se honoris ejus munus brevi impleturum.* Et Cardinalis Gabriel Palæotus *de sacris Consistorii consult. in conclus. membr. 3. pag. 344.* scribit: *Cardinalitius habitus sanguineum referens colorem, omniaque ejus insignia nil aliud, quam, veluti symbola quædam, debitam ab eo fidem, religionem, justitiam, publicæque rei zelum usque ad ipsam sanguinis effusionem commemorant.*

11. Ex his, quæ hucusque relata sunt, facile colligi poterit, quid præcipue sit advertendum in causis Servorum Dei, qui Cardinalatus dignitatem obtinuerunt, Sed, ut nonnulla practica adnotentur, noscere opus est, nonnullos ex Cardinalibus extra Urbem degere, & regimini Ecclesiarum sibi creditarum præfici; nonnullos, immo majorem Cardinalium partem Romæ residere, nisi forte ad tempus absint officio alicujus legationis fungentes. Cumque ea, quæ in sequenti capite de Episcopis dicentur, applicari possint & debeant etiam Cardinalibus, qui Episcopatus administrant, in hoc capite nonnulla indicabuntur, quæ spectant ad Cardinales in Urbe residentes, nec omittentur, quæ summi Pontificis electionem respiciunt, quæ Cardinalibus omnibus communis est. A tempore quippe Nicolai Papæ II. jus Romanum Pontificem eligendi delatum est ad Cardinales S. R. E. juxta constitutionem relatam *in can. In nomine Domini, dist. 23.* cum qua concordant aliæ canonicæ Constitutiones *in cap. Licet, de elect. in cap. Ubi majus periculum, eod. tit. in sexto,* & *in cap. Ne Romani, eod. tit. in Clementinis:* & utcumque sit, an valida futura esset electio in summum Pontificem ejus, qui Cardinalis non esset, qua in re affirmando respondent Cardinalis Turrecremata *in cit. can. In nomine Domini, num. 9. & seqq. dist. 23.* Silvester *in verb. Electio tertio, num. 3.* Summa Armilla *in verb. Electio, num. 38.* Formosin. *ad rubricam de electione quæst. 8. num. 13. & seqq.* Fagnan. *in cap. Licet, num. 14. & seqq.*

& seqq. de elect. Minnano *in basi Pontif. jurisdict. tract.* 2. *fundam.* 2. *quæst.* 8. §. 1. *sect.* 6. §. 2. Bonacina *in tract. de electione summi Pontificis pag.* 53. *num.* 19. cum tamen in cœtu S. R. E. Cardinalium non desint, qui summi Pontificatus dignitatem & officium recte administrare possint, congruum idcirco omnino est, ut ex eis summus Pontifex desumatur juxta citatum textum *in can. In nomine Domini*, ubi sic legitur: *Eligatur autem de ipsius Ecclesiæ*, (hoc est Romanæ) *gremio, si reperitur idoneus; vel, si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur*: pluribusque prosequitur S. Antoninus *in summa Theolog. part.* 3. *tit.* 21. *cap.* 2. §. 7. Et in Constit. 76. Sixti Papæ V. §. 2. *Bullar. nov. tom.* 4. *part.* 4. *pag.* 280. habetur: *Ex eorum corpore, numero, & Collegio ille ipse, qui cunctis Pastoribus est præficiendus, ac totius Dominici gregis curam habiturus, summus Pontifex deligatur.*

12. Æneas Silvius tunc Cardinalis, deinde ad summum Pontificatum evectus nomine Pii II. apologiam scripsit (quæ extat post commentaria Gobellini editionis Romanæ an. 1584.) ad Martinum Mayer, qui in nonnullis obtrectabat Curiæ Romanæ, & inter cetera in fastu Cardinalium. Verba Æneæ sunt hæc *pag.* 736. *Hos viros Apostolorum loca tenentes, & Senatorum Urbis vicem implentes, & qui causas majores audiunt, familia sequitur ex Episcopis, Abbatibus, & viris nobilibus, ac Doctoribus. Neque enim decet, eos, qui tanta dignitate præfulgent, veluti mendicos incedere: habent enim Auditores, Magistros aulæ, Magistros domus, Antecessores, quos vocant Scutiferos, Dispensatores, & qui minoribus officiis præsunt. Nec facile Cardinalis infra quadraginta famulos habere potest, & totidem ferme equos, qui cum reipublicæ serviant dies noctesque, non est alienum, si ex republica vivant. Videmus in civitate Lubicensi, qui Consulatum gerunt, omnes aureo splendore longum famulorum ordinem post se ducere. Idem factitant seliquarum urbium Consules, quamvis aurum non ferant. Apud Italiæ civitates quantus sit Magistratuum fastus, vix dici potest. Compasa igitur Cardinalatum, & Consulatum, & illos orbis, hos alicujus urbis vicem gerere scito, & tunc intelliges, an superbus sit Cardinalium status. Iniquus sis, si parvæ urbis Rectores superbe incedere velis, orbis vero Magistsatus humiliter: nisi illud usurpare velis, quia, quanto quis altius ascendit, tanto humilius se gerere debet: quod ad animam referendum est, non ad ornatum exteriorem, qui secundum dignitatem gestandus est.*

13. Cardinalis Papiensis *in epist.* 541. scripta paulo post obitum Cardinalis Theanensis ejus modestiam Sacerdotalem his verbis extollit: *Taceo vitam ejus privatam, modestiæ Saccsdotalis, ac continentiæ certissimum specimen. Non quæsierat sibi Sacerdotiorum acervos, quos in plerisque dolemus: non thesauros, qui nulli inventi sunt. Census erat sustinendæ dignitati vix suppetens. Malebat non abundare, quam administrationum multitudine animam deprimi. Habitavit modicis ædibus, ut scis, iisque conductitiis. Familia perseveravit, ut mediocri semper, ita & frugi, & diligentia sua bene instituta domus tota nil pretiosi unquam apparatus proposuit. Eam nos sæpe inspeximus. Aulæa cari peregrinique operis, abacique argentei in gradus extructi, castigata supellectili exulabant. Domini virtute, non externis artibus ædes honestabantur. Ipse vero cultusæ corporis sui, atque omnis lenocinii negligens, quam in aliis requirebat, de se primus vitæ severitatem præstabat. Mensa nihil exquisitum habuit unquam, aut nimium. Cubiculum quoque nil deliciosum ac molle. Vestis erat, quam videbamus quotidie, communis & modica. Denique disciplinaat omneot domus, & suam eo vis justus redegerat, ut satisfacere castio animis, non delectare ambitiosos oculos possit. Innumera sunt, quæ recensenda de suis meritis essent, tam quidem magna, quam multa. Sed consulto ea prætereo, quod magnitudine sua librum requirerent: & propositum mihi est epistolam scribere levatricem doloris, non vita anteactæ commentarium texere.* Idemque Cardinalis Papiensis *epist.* 548. scripta Cardinali Mantuano excessivum luxum cujusdam alius Cardinalis paulo ante defuncti late exponit & improbat, & post multa enarrata apud eum legenda, sic concludit: *Biennio toto hic tantus fortunæ successus fuit, tam ut appareat festinatus, quam brevi esset casurus. Quid ergo ex tanta gloria reliquum nunc, illo mortuo, inspicimus? Quid ex tanto rerum fastigio conspicuum extat?* Vidimus illum, *juxta verbum Scripturæ*, exaltatum supra cedros Libani: Transimus nunc, & ecce non est: Quærimus eum, & non invenitur locus ejus. *Desiit jam Cardinalatus tam properatus. Evanuere comitatus ingentes. Conviviorum gloria periit. Apparatuum divitiæ cessavere. Ludi in lacrymas versi sunt. Vestium nullus illi est usus. Legationis ampla strepitus non exauditus. Domus infinita pendent opera interrupta, minaque murorum ingentes, æquataque machina cælo. Quem capere paulo ante orbis totus non poterat, premit nunc breve sepulcrum; & cui de mensis cura erat tam solers, ex se escam vermibus præbet. Cui denique etiam ad luxum, vitaque delicias convestita domus erat argento, auro, & serico, hunc nunc vestiunt cæmenta & calx. Quis tanto exitu non admoneatur suæ infirmitatis? Quis tanto exemplo manendum non censeat in lege Sacerdotii? Nil nimis conandum, natura vim non afferendam. Mediocria semper quærenda: Percurramus brevi, quæ animos nostros in hac dignitate fatigant.* Et in alia antecedenti epistola, quæ est 192. cum inopino infortunio jacturam passus esset permagnæ partis suorum proventuum Ecclesiasticorum, ita scripsit Cardinali Bessarioni: *Sum quoque admonitus, dispensanda justiùs esse, quæ nobis proveniunt ex altari. Carni & sanguini non ita profuse indulgendum. In comitatu quoque alendo, comparandoque ornatu domestico tam multa non insumenda. Bona hæc nostra altaribus attributa, pretia peccatorum esse, quibus redimi animas dantium pia cura oporteat, & instaurari domum orationis, & egenos vagosque in domos nostros induci. Quæ cum non fiant, irasci graviter Deum, & sæpe hunc exitum negligentibus dare, quem in me ipso sum proxime expertus, ut videlicet administsata male etiam suo permissu dilabantur deterius.*

14. Sacris legibus supra indicatis plura statuta sunt quoad Cardinales. In Concilio quippe Lateranensi sub Leone X. *loc. supra cit.* primo decretum est, ut ipsi juxta doctrinam Apostoli sobrie, caste, & pie vivant, & non tantum a malo, sed etiam ab omni specie mali abstineant, ut coram hominibus luceant; secundo, ut eorum domus, familia, mensa, supellex modestiæ sit & frugalitàtis exemplum, contentique sint illis, quæ Sacerdotalem præseferant modestiam; tertio, ut, si præsentes in Curia fuerint, per se ipsi, si vero absentes, per Vicarium idoneum semel saltem in anno suorum Titulorum loca visitent; quarto, ut se ostendant domus & Familiæ suæ optimos Rectores non modo circa ea, quæ extrinseca omnibus apparent, sed etiam quoad alia, quæ intus latent abscondita; quinto, ut vigiles sint pro Fide, & pro Ecclesiastica disciplina; sexto, ut, si sint Legati de latere, Provincias, & legationes commissas omni vigilantia & cura per se ipsos, & non per Locumtenentes, aut Officiales administrent. Sub Julio Papa III. actum est de dirigenda in meliorem formam Ecclesiastica disciplina, & in Actis Consistorialibus hæc ad rem nostram scripta leguntur manu Marcelli II. tunc Cardinalis. *Cardinales assumpti cogitent ad qualem dignitatem & munus vocati sint, & quod tamquam lucernæ in Ecclesia omnibus bono exempla esse debent, hospitales, pauperum amatores, & defensores. Summo Pontifici sint subjecti. Ut libera consilia sine aliqua respectu dent. Titulos, & alias ecclesias sibi commissas frequenter visitent, &, si qua reparatione indigent, resarciant ac restaurent. Familiam modestam habere studeant domi. Beneficia benemeritis conferant, & præsertim Curata. Nec ob id, quod Cardinales sint, putent, eis magis transgredi leges licere.* Sic habetur *t.* 21. *par.* 2. *annal. Ecclesiast.* Raynaldi *ad an.* 1554. *num.* 23.

15. Ferdinandus Imperator arcanas litteras scripsit Pio IV. summo Pontifici de provehendo feliciori Tridentini Concilii progressu. Ex regestis Vaticanis eædem desumptæ, nunc sunt editæ *in cit. tomo* Raynaldi *ad an.* 1563. *num.* 37. En earum verba: *Deinde necessarium est, quod eligentes, id est, Reverendissimi Cardinales tales sint, ut velint ac possint eligere Pontificem, cui Ecclesia Christi recte tuto possit committi: nam (quod pace Sanctitatis vestræ, & Reverendiss. Cardinalium dictum sit) hoc tempore gravissimæ audiuntur querelæ, quod nonnumquam creantur partim per ætatem omni adhuc judicio destituti, partim vero illitterati & indocti, qui, ut nihil possunt in iis quæ ad regendam Ecclesiam spectant, consulere, sic in eligendo Pontifice perversas passiones sequuntur, ac bonorum & doctorum pia suffragia impediunt; unde postea necesse est, multa in Ecclesia sequi incommoda.* Summus Pontifex Pius IV. huic epistolæ hujusmodi responsum dedit editum apud eumdem Raynaldum *loc. cit. sub num.* 38. *Quod vero ad Cardinales attinet, Nos, si quos in eum Ordinem cooptaturi essemus, ejusmodi personas eligere studeremus, quales Majestas tua cuperet semper eligi, nempe quæ & vitæ, ac morum honestate commendarentur, & cum doctrina, tum usu rerum, atque prudentia ad participandas Sedis Apostolica en-*

cæ curas essent idoneæ: sed de creandis novis Cardinalibus nihil cogitamus. Assumptaque deinde provincia reformationis Cardinalium in sacro Tridentino Concilio juxta fuse relata *in histor. ejusd. Concilii* scripta a Cardinali Pallavicino, & præcipue *lib. 23. cap. 7.* Concilium *sess. 24. cap. 1. de reformatione* decrevit, ut ea omnia, & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & ceteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, eadem exigerentur in creatione Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, uti supra dictum est; &, postquam *sess. 25. cap. 1. de Reformat.* decrevit, ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti essent, quo factis & vitæ actionibus se muneri suo conformes ostenderent, modestiæ, continentiæ, & humilitatis exempla præberent, subjecit, hæc etiam pertinere debere ad S. R. E. Cardinales: *Quorum consilia apud sanctissimum Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ merito omnium in se oculos convertant*. Quam ad rem subjicit Cardinalis Palæotus *de sacr. Consistor. consultat. par. 4. quæst. 1. pag. 148. Nam, cum hi Christianæ reipublicæ cardines, & clarissima Ecclesiæ lumina sint habendi, oportuit, eos omnibus virtutum meritis ita fulgere, ut nihil prorsus ad cumulatam tantæ dignitatis perfectionem in iis possit desiderari: sicuti enim in gemma, quo pretiosior est, & elegantiore annulo inserta, eo diligentius minima quæque signa aut maculæ investigantur; sic Cardinales, quo excelsiore in gradu sunt positi, insignioreque tum munere, tum habitu ac titulo decorati, eo longius ab omnibus prorsus vitiorum decuit suspicionibus abesse, ita ut virtutum suarum splendore universorum in se oculos atque admirationem convertant*: & Sixtus Papa V. in memorata Constitutione 76. §. 1. ait: *Siquidem eorum vita ac mores ceteris exemplo esse debent, verba pro oraculis, monita ac præcepta ab universis Christianis regula & norma recte vivendi, recteque sentiendi existimantur, ab iis, quasi sapientissimis Magistris, Ecclesiasticæ disciplinæ forma suscipitur, quæ ad mores vitamque omnium Fidelium componendos longe lateque diffusa propagetur*. Quod si hæc ad amussim serventur ac fiant, inutile profecto erit celebre dictum Bartholomæi de Martyribus, de quo in ejus vita typis Romanis edita *pag. 32.* Cum enim in Concilio Tridentino consuleretur, an Cardinales reformatione egerent, Apostolica libertate respondit: *Illustrissimi ac Reverendissimi Cardinales indigent illustrissima ac reverendissima reformatione*.

16. Virtutum, quibus hactenus Cardinales fulgere debere diximus, & de quibus idcirco in causis Beatificationis & Canonizationis ipsorum quærendum est, satis apta occurrunt exempla in vitis aliquorum ex ipsis, qui pietate fuerunt insignes, & aliorum, in quorum causis processus jam confecti sunt. Abstinemus a vita illorum recensenda, quos nostris ipsi oculis conspeximus, dum spatio quadraginta fere annorum in Romana Curia versati sumus. Abstinemus a recensendis ceteris exemplis, quæ ex gestis aliorum Cardinalium, qui in suis Episcopatibus vixerunt, sumi possent. Reductoque sermone ad Cardinales, qui Romæ vixerunt, agmen ducat Ven. Cardinalis Baronius, qui Ven. Juvenali Ancinæ ipsum ad paupertatem hortanti sic respondit: *Quod paupertatem suades, optime quidem facis; sed scito, me esse pauperrimum: quod si forte quidem brevi sim moriturus, nullam habeo, quam meis relinquam, hereditatem, nisi ipsam paupertatem, ac proinde neminem puto fore mihi heredem, cum detestentur hanc omnes. Tu, cum veneris, videbis, videbisque, sub purpureis indumentis latere pannosum*. Hieronymus Barnabeus Congregationis Oratorii Presbyter testis oculatus ejus vitam typis edidit, & *lib. 2. cap. 5.* narrat, eum in victu eamdem rationem tenuisse, quam in Congregatione Oratorii servaverat, cibi & somni parcissimum; tum, licet ei summus Pontifex Clemens VIII. ædes in Vaticano parandas curasset, atque ea quidem supellectili instructas, quæ Cardinalem decebat, a pristina tamen paupertate & humilitate nunquam recessisse, cum ligneam sibi cellulam in eisdem ædibus componi jusserit, quæ nihil aliud continebat, quam lectulum suum brevem ac simplicem, feretri potius, quam lecti speciem habentem; ligneaque sella, æreo catillo ad manus abluendas, lucerna, & atramentario rudi ex argilla usque ad extremum vitæ usus sit. Cum, ut idem *eodem capite* narrat, ad Patres Oratorii diverteret, quod sæpe faciebat, dimissis famulis, solus in antiquam cellulam suam sese recipiebat; nec quidquam præ aliis in mensa habere volebat, præter loci dignitatem; quinimo ipsemet interdum linteo præcinctus, ceteris discumbentibus mensam ponebat, & cibos ministrabat; & ad ecclesiam eorumdem Patrum veniens, Missæ sacrificio peracto, Eucharistiam frequenti populo administrabat; Vespertinis horis celebrandis in Choro cum Presbyteris intererat, & post Vesperas e suggestu sermonem ad populum habebat. Quantam suorum, & maxime domesticorum curam haberet, idem Auctor *cap. 5.* pluribus exponit, affertque testimonium Justi Calvini, qui annalium ab eo scriptorum beneficio ex Hæretico Catholicus factus hanc ei inter ceteras laudem adscribit: *Ambulat inter suos non quasi dominus, sed parens. Eminet, excellit tum virtute & gravitate elatior aliis & excelsior; cetera par omnibus: & hoc saltem major, quo melior. Juxta eum maxima quies, tantum ubique silentium, & tam altus pudor, ut ad parvos penates & larem angustum ex domo Principis modestiæ & tranquillitatis exempla referantur*. Hæc ille, qui, ut Cardinalis domum diligenter inspexerat, ita in ejus laudes effusus domum ejus appellavit *omnium virtutum, pietatisque sacrarium*. Inter pia opera ab eo publice instituta citatus Auctor *lib. 3. cap. 13.* narrat, eum non dubitasse justo fœnori accipere pecuniam usque ad summam septem millium aureorum, & intra anni spatium eam expendere pro instauranda & reficienda sacra sui Tituli æde SS. Nerei, & Achillei, quæ ruinam minabatur. Similia quædam legi possunt in vita Ven. Dei Servi Cardinalis Bellarmini scripta a Patre Fuligatto, & signanter *cap. 19.* & in alia ejusdem vita scripta a Patre Bartolo *lib. 2. cap. 12.* Cum quibus concordant alia in processibus ordinariis, & Apostolicis, necnon attestationes Cardinalium post ultimam prædictam vitam impressæ, qui ejus virtutes, dum Romæ moram fecit, dimisso videlicet Archiepiscopatu Capuano, præsentes mirati sunt, inter quos Cardinalis Sanctæ Susannæ Scipio Cobellutius ita ait: *La dignità del Cardinalato non mutò in lui altro, che quello, che non era compatibile colla decenza dello stato*; Cardinalis Franciscus Dietrichstain: *Modum vivendi notavi semper modestum & religiosum, cui mensæ apparatus respondebat &c.* Cardinalis Cremonæ Desiderius Scaglia: *Effetto della sua umiltà ancora fu, che costituito in tanto grado menò sempre in tutto quello, che non ripugnava allo stato, la vita che averia tenuto privato Religioso dentro al Chiostro*; Cardinalis Alexander Ursinus: *Tralascio la povertà, colla quale vestiva di sotto, il riguardo, che in ogn'altra cosa aveva, se vi erano spese a recidere, acciò potesse maggiormente spendere in elemosine*. Et si quis alia consimilia de Ven. Dei Servo Cardinali Josepho Maria Thomasio noscere vellet, qui post adeptam Cardinalatus dignitatem semper in Urbe, licet modico tempore, vixit; quam modesta videlicet, & humilis fuerit ejus supellex; quam sancte suam familiam gubernaverit; quam egregia monumenta reliquerit tum pietatis, tum Ecclesiasticæ liberalitatis in sua ecclesia titulari SS. Martini & Silvestri ad Montes; legere poterit ejus vitam fideliter conscriptam a Dominico Bernino, & signanter *cap. 18. & 19.* quæ omnia Nos ipsi, & Nobiscum alii omnes, qui tempore eximii hujus Cardinalis Romæ morabantur, & adhuc superstites sunt, admirabundi conspeximus.

17. Legitur *in Deuteronomio cap. 17. v. 8. Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari ... veniensque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus ..... sequerisque sententiam eorum .... Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur*.

18. Textu hoc Deuteronomii summus Pontifex Innocentius III. utitur *in cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi*, ut explicet Cardinalium officium. Postquam enim ait, locum a Domino electum Sedem esse Apostolicam, Judicem constitutum supra Sacerdotes Levitici generis esse summum Pontificem, subjicit, Sacerdotes Levitici generis Cardinales esse sanctæ Romanæ Ecclesiæ. *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis Fratres nostri, qui Nobis jure Levitico in executione Sacerdotalis officii coadjutores existunt*. Ad horum proinde officium præcipue pertinet, consilium præstare summo Pontifici. Cardinalis Jacobat. *de Conciliis lib. 4. art. 2. num. 29.* scriptum reliquit: *Est officium Dominorum Cardinalium semper suadere Domino Papæ, ut ponat pacem & quietem inter Principes Christianos. Item pro reformatione Ecclesiæ, & ad exstirpandas hæreses, errores, schismata*. Gondis,

Villad,

Villad. *de Card. quæst. 5. num. 15. & seq. Cardinalis, acceptando officium, quod principaliter in consulendo versatur, tacite videtur fateri se sufficientem ad illud; &, quando Ecclesiæ utilitas postulat, non debet prætermittere, quod muneris sui est.* Cardinalis Palæotus in allato tractatu *part. 1. quæst. 6. pag. 50.* late probat, Cardinales esse consiliarios natos summi Pontificis, cum munus hoc eorum dignitati annexum sit, & proinde teneri etiam non requisitos ex natura officii ubi res postulat, summo Pontifici consilia præbere. In citata Constitut. 761. Sixti Papæ V. *Eidem Pontifici in executione Sacerdotalis officii, & in dirigenda ipsa Ecclesia Catholica, cui præest, consiliarii & coadjutores assistunt, quasi oculi & aures &c. Quorum opera & necessaria, & plurimum fructuosa universæ reipublicæ Christianæ, in secundis rebus ornamento & commodo, in dubiis præsidio & adjumento esse posset.* Demum bon. mem. Fr. Aloysius Lucinus olim Commissarius Generalis sancti Officii in Urbe, postea S. R. E. Cardinalis, vir sane doctus, in sua dissertatione, in qua vindicat privilegia Romani Pontificis, typis Venetis impressa anno 1735. *pag. 167. Nullus ex Romanis Pontificibus, cum oportuit, & cum oportet, aut neglexit, aut negligit Peritorum consilium in rebus arduis, olim ex Clero assumendo Consiliarios, vel cogendo Concilium ex finitimis Italis Episcopis, ac tandem ex sacrosancta Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio.* Atque, si novis & recentioribus vetera addenda sint, eadem profecto non deficiunt. In libello inscripto, *Diarium bibliothecæ Vaticanæ, & in recompilatione canonum* Cardinalis Deusdedit sic Papa protestatur: *Si quæ vero emerserint contra canonicam disciplinam, Ego cum Filiorum meorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, directione, & rememoratione ministerium meum geram, & emendari curabo.* Et S. Leo IX. *in epistola ad Michaelem Episcopum* scribit, Clericos Romanæ Ecclesiæ Cardinales appellari, quod Romano Pontifici proxime sociati consortio, illi omni sua ope, industria, studio, labore, obsequio famulantur & inserviunt. Quæ omnia aperte demonstrant, S. R. E. Cardinales esse summi Pontificis consiliarios, quemadmodum, late ostendit Naucleius *de monarchia Ecclesiastica 2. par. lib. 4. cap. 12.*

19. Hæc respiciunt ut plurimum Cardinales in Urbe existentes, qui Consistoriis & Congregationibus intersunt, in quibus negotia ad Sedem Apostolicam & summum Pontificem delata ad examen vocantur. De consilio summis Pontificibus præstito inquirendum est in causis eorum Servorum Dei, qui, dum viverent, Cardinalitia dignitate fulserunt, & in Urbe moram traxerunt. Cardinalis Papiensis *in epist. 48.* qualitates exponit necessarias, ut quis rectus Consultor dici possit: *Quærendum est, quale veri sit & quale hujus Cardinalis consilium. Nempe qui recte consulere vult, induere ante omnia debet veram erga illum charitatem, cui accedit consultor, ut, quid deceat & expediat, sine malignitate rimetur & doceat. Proxime huic liberam gerere & mentem & linguam, Ut nulli alieno affectui, nulli suæ cupiditati inserviens, simpliciter loquatur, quod sentit. Hæc vera est, ni fallor, recte consulentium via, quam mox ut egredimur, non tam ad salutem, quam ad pestem adjungimur.* Et *in epist. 280. De Cardinalium officio pauca nunc audi. Consulere nemo bene potest, qui idem non sapiat. Sapit nemo, nisi qui a Deo sapientiam habet. Loquitur Scriptura:* Dominus dat sapientiam, & ex ore ejus prudentia, & scientia. *Ex Deo igitur eruat sua consilia, nec proferet linguæ, quod timor Domini non probet. Desideria quoque, si qua eum privatim tenent, postbabeat publicis, nihil suum credens, quod commune non sit.* Et de Cardinali Bessarione *in epist. 127.* sic ait: *Sed illud quantum est, quod semper meditatur aliquid, & proponit Pontifici, quod ad communem rem vel Christianorum, vel Ecclesiæ faciat? Nullis capitur aliis studiis. Non vagatur, non otiatur, nec abire tempus per inertiam sinit. Salutaria sunt omni tempore, quæ operatur. Vides de nostris esse, qui frequenter in agris sint, conspiciantur crebro prata & fontes, & indulgeant venatui, &, cum domi sunt, conviviis & confabulationibus dies ducant inutiles. Huic Patri nihil est horum; sed, si quid publicum aliquando accidit fideli alicujus curandum diligentia, adhibetur hic semper ad providendum primus. Quanto studio id peragat, testes nos sumus, & testis frequens talium demandatio. Nisi enim injuncta perficeret, non tam crebro injungeret Pontifex. Neque enim negligenti opus unum, libenter demandamus secundum. Acre judicium ejus, & mens prompta, & voluntas ad bonum festinans absolvit mature quæque difficilia.* Cardinalis Papiensis in sua declamatione habita adversus Joannem Cardinalem Atrebatensem, dimisso Consistorio, uti habetur *in epist. 48.* se excusat, quod aliquando venationi indulgeret, eam condemnans in Episcopo, & admittens in Cardinali, si potissimum eam exerceat valetudinis causa: *Plebem Cardinalis non curat. Præcepta quotidiana Parochianis non dat. Ad nullum ministerium Sacrorum se populo exhibet. Solo consilio Apostolicæ Sedi adscriptus, instar quoddam sæcularis Principis habet.* At, cum idem Papiensis Cardinalem Bessarionem laudibus efferat, quod abstinens a venatione domi se contineret, publicisque negotiis assidue vacaret, satis hoc esse debet, ut quæ ab eo dicta sunt de Cardinalibus, ad eos extendi non possint, aut debeant, de quorum virtutibus agitur quoad Beatificationem & Canonizationem. Quocirca, perpensa Papiensis epistola, recte ait Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 3. lib. 3. cap. 46. sub num. 10. Non is ego sum, qui obnitar censoribus indeflexis, qui venationem ne his quidem causis, valetudinis videlicet, aut recreationis, satis purgari & emaculari posse existimant. Sunt nævi certe aliqui, quos obruit quidem virtutum nitor eximius, quibuscum coaluere, & quarum tuitioni ipsimet famulari videntur. Sed nævi tamen sunt, & quidem tanto magis conspicui, quanto dignitas eorum eminentior est, qui illic infiguntur.* Ceterum, ad rem redeundo, sæpe citatus Cardinalis Palæotus *part. 5. quæst. 1. pag. 221.* nonnullos laudat S. R. E. Cardinales, qui ad Pontificatum subinde evecti sunt, quique in Domino libertate usi fuerant, cum ad præstandum consilium essent adhibiti: *Nam Callixtum III. qui Patrum nostrorum, aut superiori ætate vixit, legimus, cum Cardinalis esset, eam in dicendis sententiis libertatem cum gravitate conjunctam semper retinuisse, ut sine assentatione, seu timiditate, sed magna modestia & libertate, quod conducere putabat, loqueretur. Marcellum item Cervinum, quem plerique nostrum agnovimus, & ad summum Pontificatum evectum Marcellum II. appellatum scimus, certum est, tum aliis in rebus, tum præcipue quo tempore de alienandis Ecclesiæ Romanæ Bonis aliquando agebatur, non solum vehementer illi consilio obstitisse, verum etiam aliis Cardinalibus, ne assentirent, nulla prorsus maximorum Principum, sive aliorum, qui repugnabant, ratione habita, persuasisse. Paulum vero IV. qui paucis abhinc annis e vita decessit, notum est, tunc, cum Cardinalis esset, ad eam, qua pollebat, facundiam, insignem etiam in dicenda publice sententia, & omni sermone libertatem addidisse.*

20. Consimilia exempla collecta legi possunt *in tract. de officio & dignitate Cardinalis* composito a Hieronymo Plato Societatis Jesu *cap. 12.* In relatione causæ S. Pii V. *tit. de fortitudine* habetur, eum, privatis rationibus postbabitis, apud summum Pontificem Pium IV. consiliorum semper libertate usum fuisse, ut propterea ab ædibus Palatinis, Aulicorum fraude ejectus, multa difficilia & maxime incommoda toleraverit: & *in tit. de temperantia* exponitur, illum ad summum Pontificatum evectum non modo non ægre tulisse, quod sibi in Consistorio Cardinalis Sanctæ Severinæ sese opposuerit, sed eidem, omnibus audientibus, gratias egisse, atque ex obedientiæ virtute præcepisse, ut libere in rebus omnibus sensum suum explicaret. Qua animi fortitudine in rebus arduis se gesserint Cardinales Baronius, & Bellarminus in monitis & consiliis summo Pontifici Clementi VIII. propositis, licet ei non omnia placitura esse, prænoscerent, legi potest in vita Cardinalis Bellarmini scripta a Patre Fuligatto *cap. 31.* & in altera ejusdem Cardinalis vita scripta a Patre Bartolo *lib. 2. cap. 13.* & in vita Cardinalis Baronii scripta a Patre Barnabeo *lib. 2. cap. 1.* In citato tractatu Cardinalis Palæoti *de sacro Consistor. consultat. par. 2. qu. 3. pag. 63.* late probatur, religionem & debitum Papæ obsequium in nullo a Cardinali lædi, qui rebus a summo Pontifice propositis consulendo dissentit. Post Alvarum Pelagium *de planctu Ecclesiæ* Platus in citato tractatu *de officio & dignitate Cardinalis cap. 27.* hoc aureum profert documentum: *Sunt interdum, qui, cum Pontificis animum in aliquam partem inclinatum vident, ob metum offensionis non audent loqui, quæ sentiunt, potiusque prætextus inducunt ad ejus judicium approbandum: qua dissimulatione nihil potest esse deterius. Nam etiam in quovis homine vitiosa esset: multo vero turpior & injustior in iis, quos pro sua officio ac munere veritatem profiteri oportet.* Item *in cap. Fundamenta, de elect. in 6.* legitur: *Decet namque ipsi Romano Pontifici, per Fratres suos sacrosanctæ R. E. Cardinales, (qui sibi in executione officii Sacerdotalis coadjutores assistunt) libera provenire consilia. Decet, ipsius nullo modo vacillare judicia, ut Fratres ipsos nullus sæcularis Potestatis metus exterreat,*

nullus

nullus temporalis favor absorbeat, nullus eis terror immineat, nihil eos a veri consilii soliditate removeat; quin, cum per ipsum Romanum Pontificem in quibuscumque negotiis contingeret eorum peti consilia, in consulendo per omnia liberi, eidem Romano Pontifici in omnibus, quæ pro tempore imminent, libere consulant & assistant: quæ profecto demonstrant, nullatenus repugnare religioni & debitæ erga summum Pontificem venerationi, si aliquis ex Cardinalibus in consilio præstando ejus sensui adversetur; dummodo id fiat cum debita humilitate, absque temeritate & superbia, & non ex imperitia, sed cum solida ratione. Hieronymus Manfredus *in tract. de Cardinalibus cap. 50.* ait: *Debent quam conjunctissimi esse cum summo Pontifice, eique in omnibus subjecti esse & parere, ut membra capiti suo, nec proterve ei contradicere, temeritate, aut superbia, aut studio contradicendi; majori enim nexu sunt illo conjuncti sunt, quam quilibet alius cujuscumque generis*: Et Gondissalvus *in tract. de Cardinalibus cap. 7.* addit: *Debent cavere, ne, male consulendo, Papam errare faciant, quia ita delinquit consulens, ut faciens, idque non solum, si scienter, sed etiam, si per inscitiam male consuleret; quia admittendo hoc officium, quod principaliter versatur in consilio dando, videntur profiteri, se esse peritos & sufficientes ad illud. Unde fit, ut merito eis imputetur, si aliquid postea per imperitiam faciant.*

21. Doctrina autem non modo necessaria est, cum Cardinalis in sensum abit diversum a sensu summi Pontificis, sed quoties opinatur, & suam profert sententiam: *Ipsi denique* (verba sunt Sixti summi Pontificis in sæpe memorata Constit. 76.) *Ipsi denique vere sunt sal terræ, ac lucernæ positæ super candelabrum, ut inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram discernant, ac doctrinæ opportunitate & veritate infirma confirment, dirupta consolident, depravata convertant, luceant omnibus, qui in domo Domini habitant, ac primæ huic Sedi assistentes cunctos Pastores, dum in gravioribus negotiis eamdem Sedem consulant, ejusve opem implorant, suo judicio, consilio, & auctoritate instruere, dirigere, ac docere non cessent.* Cardinalis autem Palæotus *in tract. de sacr. Consistor. in conclus. membr. 4. pag.* 349. ostendit, tria Cardinali ad recta recteque consulendum esse necessaria, rerum peritiam, benevolentiam, & loquendi libertatem: & postquam attulit illud Ciceronis, *Si quis Grammaticum se professus barbare loquatur, aut si absurde canat is qui se haberi velit Musicum, eo turpior sit, quod in eo ipso peccet, cujus scientiam profitetur*; concludit, Cardinalem in dandi consilii ratione peccantem hoc turpiorem esse, quod in officio, cujus magister esse debet, labitur, artemque consiliarii professus in consulendo delinquit. Modestia quoque cum gravitate in proferendis sententiis requiritur; sed tunc magis modestia & humilitas necessariæ sunt, cum Cardinalis loquitur coram summo Pontifice, & ob ejus sensu alienus est, cui tamen intellectum subjicere tenetur, postquam ab ipso Decretum prolatum est: aliud enim est tempus loquendi, aliud tacendi; aliud tempus antecedens, quo res proponuntur tractandæ, aliud subsequens, quo res jam satis tractatæ & excussæ sunt; nec de iis agit summus Pontifex amplius tanquam deliberandis, sed Decreto suo illas firmat & concludit. Ad primum tempus spectat libertas loquendi, a modestia & humilitate non sejuncta: ad secundum pertinet obedientia, ut pluribus in locis sui tractatus *de Consistorio* ostendit Cardinalis Palæotus. Cardinalium exempla, qui suis consiliis a Romani Pontificis opinione intrepide recesserunt, & nonnulla facta, quæ minus laudabilia ipsis videbantur, libere improbarunt, nec ob id a summis Pontificibus tanquam ipsi infensi habiti sunt, sed muneribus decorati, collecta legi possunt in tractatu Plati *de officio & dignitate Cardinalis cap.* 28. Nonnulla supra dicta sunt de summo Pontifice S. Pio V. intereaque addere fas sit, quæ de Ven. Dei Servo Cardinali Bellarmino refert Pater Bartolus in ejus vita *lib. 2. cap. 6. Diceva il suo voto alla presenza del Papa con umiltà e modestia, ancorchè quello che doveva dire, non fosse interamente conforme alla mente del Papa: così ne parlano i processi*. Additque Pater Fuligattus in ejusdem vita *cap.* 31. *Bene spesso non si sapeva che cosa fosse più ammirabile in lui, la modestia, o la dottrina. Il che fu avvertito anche maggiormente, quando avanti il Papa doveva spiegare il suo parere con acquietarsi senza repliche, eziandio dove la ragione era per la sua sentenza, riserbando il farlo capace privatamente, ogni volta che lo stimava necessario, e che la cosa l' avesse richiesto &c. Con questi termini di riverente osservanza verso i Pontefici in particolare è da stupire, come seppe congiungere la libertà di dar loro consiglio intrepidamente, dove lo constringeva la coscienza, ed altri non ardiva di farlo, per non guastare i proprj interessi*. An autem modestiæ, humilitatis, debitæque subjectionis fines excesserit Ven. Dei Servus Franciscus Ximenes de Cisneros Archiepiscopus Toletanus, & S. R. E. Cardinalis, qui, teste Gomesio, ait, esse summum Pontificem, si opus foret, interdum *perterrefaciendum*, quemadmodum a se nuper factum fuerat, cum liberiori epistola eum admonuisset, ut se erga Reges Hispaniæ indulgentius gereret, judicium sit illorum, qui sententiam suam proferre debebunt super ejus virtutibus, quæ adhuc a sacra Congregatione approbatæ non fuerunt. Facta est enim oppositio a Prospero Bottinio Archiepiscopo Myrensi Fidei olim Promotore in suis animadversionibus, quam evadere Postulatores conati sunt, perpetuam ostendendo summam Ximenii reverentiam erga Sedem Apostolicam, testimonio Romanorum Pontificum comprobatam, & durum verbum interpretando, quasi nihil aliud dicere voluerit, quam summum Pontificem Leonem X. debuisse admoneri, qui Gallis adhærere potius videbatur, quam Hispanis.

22. Sixtus V. in allegata Constit. 76. de Cardinalibus ait, eos legationibus in provinciis gubernandis, & in gravioribus rebus sæpe ad Reges & Imperatores perfungi. Qua integritate Martinus Presbyter Cardinalis tempore Eugenii III. Daniæ legatione functus sit, quam constanter munera recusaverit, ita ut pauperior redierit, quam iverit, S. Bernardus *lib. 4. de considerat. cap. 5. col. 447. vol. 1. oper.* admirabundus testatur: *Quid dicis mi Eugeni? Nonne alterius sæculi res est, rediisse Legatum de terra auri sine auro? Transisse per terram argenti, & argentum nescisse? Donum insuper, quod poterat esse suspectum, illico rejecisse?... O si saltem daretur virorum copia quales perstrinximus nunc, quid te felicius? Quid illo jucundius sæcula?..... O si viderem in vita mea Ecclesiam Dei talibus innixam columnis! O si Domini mei Sponsam cernerem tantæ commissam fidei, tantæ creditam puritati!* B. Nicolaus Albergatus Bononiæ Episcopus, & S. R. E. Cardinalis in suis legationibus ad Venetos & Florentinos conciliandos, ad Venetos & Ligures pacificandos, ad Gallos, & Anglos, ad Basileense Concilium, ad Germanos, quam pie, quam sancte, & quanto cum profectu Christianæ reipublicæ se gesserit, testis est Jacobus Zenus Episcopus Feltrensis Auctor contemporalis *in ejus vita*. Platus *in cit. tract. de dignit. & offic. Cardinalis cap.* 32. loquitur de Cardinalibus Legatis, qui provinciæ alicui tempore pacis gubernandæ præficiuntur, & profitetur, se nihil dicere velle de integritate, justitia, & continentia tum in pecunia, tum in aliis rebus, cum hæc communia sint etiam sæcularibus Magistratibus; additque, specialem in eis esse debere pietatem & lenitatem, ita tamen ut segnes & remissi non sint in tuenda justitia, in puniendis sontibus, in comprimendis maleficiis. De legatione Bononiensi administrata a Cardinali Bessarione sermonem habet Cardinalis Papiensis *epist.* 127. *Missus deinde Bononiam Legatus, difficilem Præsidatum secunda fama administravit. Nullæ in eo sordes, nullæ rapinæ, nulla cogitationes privatæ rei magis, quam publicæ inventæ sunt. Civitas ad tumultum prona est, ut nosti, passa ante ejus accessum crebras cum emissiones, tum etiam cædes civium. Hoc regente, nil tale auditum. Continuit in officio omnes, indulgens cuique, quod indulgendum per honestatem fuit. Prensatio personarum, atque horum cura, illorum neglectus, quæ induxerunt olim in multas civitates nostræ ditionis seditiones graves atque odia, procul ab eo fuerunt. Una in omnes æquitate occasionem mali hujus sustulit. Magno, ut parvo, patere ad se aditum voluit; & quemque, qui vellet lamentari, per se & petere, & privatam rem agere. In benefactis intrepidum semper se præstitit. Xanto Bentivolo potentia factionis suæ, quæ una Bononiæ poterat, aliquando insolescenti sic restitit in oculis populi, ut & ceteris exemplo esset, & noscerent alii, non deesse animum Præsidi ad tuendam dignitatem officii.*

23. Electio summi Pontificis commune negotium est omnibus S. R. E. Cardinalibus, sive moram trahant in Urbe, sive resideant in Episcopatibus, quorum gerunt administrationem, dummodo hi, mortuo Pontifice, ad Conclave accedant, prout accedere tenentur, cessante legitimo impedimento. S. Antoninus *in 3. part. Sum. Theolog. tit. 21. cap. 2.* §. 8. quærit, an Cardinales teneantur omnium optimum eligere in summum Pontificem; & affirmando respondet, afferens, peccare, qui idoneum eligit, meliori posthabito: quod confirmat Manfredus *in libello de Cardinalibus cap. 7. & cap.* 26. & Albanus *in eod. tract. quæst.* 11. Platus in allato sæpe tra-

ctatu

statu de dignit. & offic. Cardinalis cap. 31. ex doctrina ejusdem S. Antonini notat, id esse intelligendum, si spes sit, eum, qui melior, aut optimus judicatur, ad Pontificatum pervenire posse; nam, si desperetur, quia major pars alio inclinet, & in hunc pauci, vel nullus, tunc ait, licere alteri suffragari, etiamsi minus bono, dummodo simpliciter bono: additque, meliorem non intelligi eum, qui sanctior sit, & magis pietati ac religioni deditus, sed qui magis idoneus est Ecclesiæ gubernandæ, dummodo in eo non desit ea virtus, probitas, atque integritas, quæ in gregis Dominici Pastore desideratur. Confirmantur hæc omnia ex formula juramenti, quod singulis vicibus a quolibet Cardinali suffragaturo præstatur, dum astat altari, & schedulam deponit in calicem magnum ad recipienda suffragia paratum. Verba juramenti sunt hæc: *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere, quem secundum Deum judico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo*; uti habetur in Constitut. 19. Gregorii XV. *Bullar. tom.* 3. Nec omitti possunt gravissima verba Clementis Papæ XII. in Constitutione, quam edidit anno 1732. pro bono Conclavis regimine: *Ceterum, tametsi opus non esse in Domino confidimus, urgente Nos tamen Pastoralis officii debito, ac præcipue, quo tenemur, boni publici desiderio, Cardinales nunc & pro tempore existentes per viscera misericordiæ ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & per effusionem sui pretiosi sanguinis enixe rogamus, hortamur, obsecramus, & monemus, ut tunc potissime, dum scilicet de creando Romano Pontifice agitur, serio perpendant rei, quam gerunt, gravitatem, ministerii, quod per eos tractatur, magnitudinem, ac personæ, quam in Ecclesia Dei sustinent, dignitatem; sedulòque cogitent, se in renuntiando supremo ipsius Ecclesiæ Rectore Divinæ mentis interpretes constitutos, nudaque omnia & aperta esse in oculis ejus, cui solemnis & arctissimi jurisjurandi religione fidem suam promissuri & obligaturi sunt; neque aliud esse forsan posse in omni eorum vita factum, de quo tam arduum atque difficile eis futurum sit rationem reddere æterna justoque Judici sempiterna vel præmia, vel supplicia decreturo. Itaque etiam sub Divini intermìnatione judicii eisdem Cardinalibus præcipimus itidem & mandamus, ut in suffragiis ferendis, ac aliis omnibus & singulis electionem quomodolibet concernentibus, solum Deum præ oculis habentes, & non sua, sed quæ Christi sunt, quærentes religiose, sincere, & libere, humanis quibusque artibus, factionibus, partium studiis, omnique demum carnis affectu, ac privatis commodis, & desideriis remotis, atque Principum secularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus, ac etiam grati animi, & cujusvis alterius necessitudinis titulo minime attentis, & postpositis, sese gerant ad eligendum eum, quem universali Ecclesiæ fructuose utiliterque gubernandæ idoneum secundum Deum judicaverint: ac memores supradictarum Constitutionum, pœnarumque in eis contentarum, ne quidquam facere, admittere, aut attendere, quod ab hoc proposito alienum sit, vel per quod electio retardetur, aut libertati suffragandi quoquo modo officiatur per se, vel alium, directe, aut indirecte, quovis colore, prætextu, vel ingenio audeant, seu præsumant.* Memorandum porro est exemplum nunquam satis laudati Ven. Cardinalis Baronii, de quo in epistola Cardinalis de Joyeuse Regi Galliarum scripta inter epistolas Cardinalis du Perron *pag.* 353. *tertiæ edit. Paris. an.* 1629. Actum fuerat in Conclavi, & conclusum de eligendo in summum Pontificem illo, quem Cardinalis Baronius reputabat indignum. Solus contra omnes Baronius pugnavit & obstitit, cunctosque ab eo eligendo retraxit. En verba citatæ epistolæ ex Gallico in Latinum translata: *In hoc rerum statu* (ceteris videlicet jam paratis ad eligendum) *magnus advenit Baronius, qui hac in re magnus appellari potest, quique cum jam protestatus esset, se nunquam esse adoraturum hominem prædictum, nisi ultimum, alta voce exclamavit, alloquendo multitudinem Cardinalium congregatorum, se velle, ut sua verba, quæ erat prolaturus, nota essent posteritati; ususque verbis Psalmi,* Scribantur hæc in generatione altera, *ait, dignitate summi Pontificatus eum esse indignum, quem ceteri eligere volebant: magnum vulnus Ecclesiæ in ea electione infligi; se nolle schisma facere, sed se ultimum futurum esse in ejus adoratione. Tunc vidimus ferventem zelum pro Dei honore, & exemplum satis carum, quod unus Cardinalis in ipso actu adorationis, ceteros aspiciens pro electione deliberatos, loqui ausus sit tanta libertate.*

24. Superfluum est aliquid addere de summi Pontificatus desiderio, quod sine peccato a Cardinali haberi non potest, cum superius de hoc argumento actum sit. At reticeri duo insignium Cardinalium facta non possunt, alterum Cardinalis Baronii, qui, cum summi Pontificis mandato non timide, & (uti dicitur) intra dentes suam sententiam in scriptis exposuisset de Sicula Monarchia, *litteris datis ad Antonium Talpam* de opere sibi demandato & composito, hæc habet: *Ego vero id libentissime facio, eo maxime nomine, quod hanc rem haud mediocrem utilitatem mihi allaturam esse confidam, nimirum ad humilitatem servandam; quandoquidem Hispanis ea prabetur occasio, ut in solemnibus Comitiis, (siquidem eo perventum fuerit) adversos atque infensos mihi sese ostendant: quæ res non parum momenti habet apud me.* Cumque jam tempus advenisset novi Pontificis eligendi, & a Principibus, iisdemque amicissimis viris etiam atque etiam rogaretur, ut ex iis, quæ scripserat de Sicula Monarchia, nonnihil immutaret, quod ea nimirum ratione, quæcumque illi ad Pontificatum obtinendum obstabant, tolli omnino videbantur, constanter negavit, se quidquam unquam admissurum, quod viam sibi ad Pontificatum sternere posset: idemque eximius Cardinalis electo Leone IX. in aliis litteris scriptis *ad eumdem Antonium Talpam* scribit: *Quod spectat ad novum sanctum Pastorem, de hoc libere glorabor in Domino Bonorum omnium auctore, quod, cum ante Comitia de me provehendo frequenter ageretur, ego quasi per cuniculos agere cœpi pro Cardinali Florentiæ, ut a me omnium animos averterem, ea via negotium dirigens, per quam demde ad finem perventum est; placuitque Domino, ut ego ipse, qui cœperam, ipse perficerem.* Cumque nondum elapso mense Leo IX. e vivis excessisset, & Cardinalibus iterum in Conclave ingressis, multorum suffragio se Pontificem designari vidisset, quid ab eo præstitum sit, ne Pontifex fieret, fuse legi potest *in ejus vita c.* 8. In fine autem *tom. XII. annalium*, quem dicavit Paulo V. qui in eo Conclavi summus Pontifex electus est, ait *pag.* 900. *edit. Rom.* 1607. *Fratrum sententia interclusus, cunctisque evadendi remediis destitutus, tædio vitæ gravatus supra modum, ultra vires, in illa ærumnosa cum Jeremia erupi sæpe lamenta,* Væ mihi, mater mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? *Cum vero bis tenerer vallatus angustiis, & a Deo tantum, qui est solum omnipotens, præstolarer auxilium, ecce statim ex insperata catastrophe facta est rerum repentina, sicut & admiranda mutatio. Excitatus namque tamquam dormiens Dominus clamore suorum, qui laborantes erant in remigando, festinus exsurgens imperavit vento & mari, & facta est tranquillitas magna, atque dicto citius miro consensu omnium ecce provehitur Paulus tamquam a maris ereptus tempestate salvus in Cathedram Petri, cui una cum universa Ecclesia Catholica feliciter acclamamus: Paulo Papæ V. a Deo electo salus & vita.* Ut alibi dictum est, introducta est causa Beatificationis & Canonizationis Ven. Dei Servi Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini. Dum de signanda commissione agebatur, & de fama virtutum & miraculorum res erat, ego ipse tunc fungens munere Fidei Promotoris, & quotquot aderant, non sine lacrymis audivimus Cardinalem de Polignach mirabili & suavissima, qua pollebat, eloquentia narrantem in Congregatione ordinaria sacrorum rituum, quæ contigerant in Conclavi, in quo electus est Pontifex Innocentius XII. quæ ipse bene noverat, utpote Conclavista, ac proinde omnium, quæ gerebantur, optime conscius. Narravit ergo, sufficientem Suffragantium numerum in electionem Cardinalis Barbadici consensisse; sed hoc defuisse unum, quod nonnulli ex Electoribus scire ab eo vellent, utrum electus in summum Pontificem, magnum quoddam negotium magnarum discordiarum causam inter Sedem Apostolicam, & potentissimum Regem, esset ad leges summi juris, an potius æquitatis pertractaturus. Hac super re tentatus & excussus, nihil voluit respondere. Interrogatus, quodnam consilium esset novo Pontifici daturus, si consuleretur, respondit se ei dicturum, ut preces toto corde ad Deum funderet, qui eum dirigere dignaretur in eam viam, quæ gloriæ suæ, & Sedis Apostolicæ incolumitati esset profutura. Conversisque Suffragantium animis in Cardinalem Pignatellum, qui ad summum Pontificatum evectus Innocentii XII. nomen assumpsit, pius & vere Venerabilis Gregorius Cardinalis Barbadicus, statim ac ad primum ejus amplexum accessit, serio monuit, ut in eo negotio lento gradu procederet, non stricti juris, sed epicheiæ leges servaret, quas optiores ipse autumabat, & magis commodatas felici ejus expeditioni, gloriæ Dei, & Sedis Apostolicæ prosperitati.

25. Et hæc sunt, quæ cursim potuerunt adnotari, ne caput hoc in volumen excresceret. In supradictis ergo, & aliis pluribus facile obviis, & in laboribus quoque

pro

pro Ecclesia & pro Sede Apostolica exantlatis momentum constitui poterit, cum agitur de causis Servorum Dei, qui, dum viverent, Cardinalatus dignitate potiti sunt, non quia (ut diximus) ea sola sufficiant pro virtutibus approbandis, sed ut, si cetera non deficiant, & in supra narratis Dei Servus heroice se gesserit, tutum de heroicitate virtutum judicium ferri possit: a quo profecto abstinendum esse videretur, si cetera adessent, & in his, quæ statum personæ respiciunt, Dei Servus defecisset, aut heros non fuisset. Aliquid dicendum esset de erogatione redituum Ecclesiasticorum, sed de his infra commodius agetur.

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

De iis, quæ in causis Servorum Dei, qui Episcopi fuerunt, advertenda sunt post adeptam Episcopatus dignitatem.

1. PLERIQUE absolutissimi Episcopi in album Sanctorum post reservationem harum causarum Sedi Apostolicæ solemni Canonizatione relati sunt, Udalricus Augustanus, Benno Misnensis, Bernuvardus & Godehardus Hildesheimenses, Gerardus Tullensis, Hugones duo, Gratianopolitanus & Lincolniensis, Malachias Hibernensis, Osmundus Saresberiensis, Otho Bambergensis, Petrus Anagninus, Richardus Cicestriensis, Thomas Herfordiensis, Virgilius Salisburgensis, Ubaldus Eugubinus, Willhelmus Briocensis, Vulstanus Wigorniensis, Andreas Fesulanus, & cum his Ludovicus Tolosas, & Franciscus Gebennensis, unus Patriarcha, Laurentius videlicet Justinianus, & complures variarum gentium Archiepiscopi & Primates, Edmundus scilicet Cantuariensis, duo Willhelmi, Bituricensis & Eboracensis, Laurentius Dublinensis, Thomas Valentinus, Antoninus Florentinus, Carolus Mediolanensis, Thuribius Limanus; omissis ex cœtu Episcoporum Stanislao Cracoviensi, & ex cœtu Archiepiscoporum Thoma Cantuariensi, quod nunc sermo sit de Confessoribus, Stanislaus autem munus Pastoris impii Regis facinoribus execrandis exercens Martyr occubuerit, & Thomas martyrium subierit pro juribus suæ Ecclesiæ tuendis.

2. Si exempla requirantur virtutum antiquiorum Episcoporum, qui aut juxta antiquum Ecclesiæ morem in album Sanctorum relati sunt, aut Canonizationis honorem a summis Pontificibus obtinuerunt, ne talia quidem deesse compendiosa narratione de eorum virtutibus ostendi potest. De vita exemplari S. Eusebii Episcopi Vercellensis & Martyris hæc habentur apud S. Maximum (*inter anecdota* Ludovici Antonii Muratorii *tom. 4. serm. 6. pag. 78.*): *Erat utique vita illi Christus, quia per spiritualium virtutum tramitem gradiens, absque Christo vivere nesciebat. Erat ei & mori lucrum, quia, si damno præsentis vitæ transiret e sæculo ad Christum pergens, cæli se noverat divitias lucraturum . . . . . Quæsivit vivens Christum, cum salutaria ejus præcepta custodiens, indivisam Verbi cum Patre asseruit unitatem. Acquisivit eum moriens, cum ad societatem regni ejus corporis mortem transivit: & quia unam Patris, Filiique, sicut est, substantiam non negavit, exilia, carcerem, verbera, famem, sitimque sustinuit, quæ omnia fideliter superans, vitam quam dilexit, invenit, & mortem quam non timuit, triumphavit. Nam quid est aliud calcare mortem, quam, vivendo fideliter, vitam possidere post mortem, & obeundo, cum Fide perpeti, sancti nominis tenere memoriam &c.* Sermone 9. de eodem S. Eusebio *pag.* 88. hæc habet: *Cum in hac urbe* (scilicet Vercellarum) *dispensante Deo, summi gradum Pontificii suscepisset, ut universo Clero suo spiritualium institutionum speculum se cæleste præberet, omnes illos secum intra unius septum habitaculi congregavit; ut, quorum erat unum atque indivisum in religione propositum, fieret vita victusque communis; quatenus in illa sanctissima societate vivendi invicem sibi essent conversationis suæ & judices & custodes; &, dum alter alterius humilitatem præfert, continentiam stupet, suspicit castitatem, patientiam laudat, miserantis animi prædicat bonitatem, jejunia vigiliasque miratur, omnes ab omnibus discerent, quod in se singuli non habebant. Quæ cum ita essent, in universorum tamen pectora bonorum omnium plenitudo magni ejus Eusebii de fonte manabat, atque ita fiebat, ut, dum in Divina præcepta exemplis se mutuis excitant, in diversorio illo non tam hominum esset congregatio, quam virtutum.* S. Bernardus quoque in vita S. Malachiæ Episcopi Hibernensis *cap.* 19. ita de ejus sanctis moribus loquitur (*col.* 682. *oper. vol.* 1.): *Ut enim taceam interiorem hominem ejus, cujus pulcritudinem, fortitudinem, puritatem satis indicabant mores ipsius & vita, ipsum exteriorem ita uno semper modo, ipsoque modestissimo & decentissimo, gessit, ut nil prorsus appareret in eo, quod posset offendere intuentes. Et quidem* Qui non offendit in verbo, ille perfectus est vir. *At vero in Malachia quis umquam, etiamsi curiosius observarit, deprehendit otiosum, non dico verbum, sed nutum? Quis manum, pedemque moventem frustra? Immo quid non ædificans in ejus incessu, aspectu, habitu, vultu? Denique vultus hilaritatem nec fuscavit mœror, nec levigavit risus. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia serius, sed non austerus; remissus interdum, dissolutus numquam. Negligens nihil, etsi pro tempore multa dissimulans. Quietus sæpe, sed minime aliquando otiosus &c.* Demum S. Gregorius Nissenus Magni Meletii Episcopi Antiochiæ egregias virtutes his verbis commemorat (*pag.* 1023. *tom.* 2. *oper.*): *Cum primum bene morata, ac modesta illa Ecclesia* (scilicet Antiochena) *virum vidit, faciem vidit ad imaginem Dei vere formatam, vidit dilectionem fontis modo scatarientem, vidit gratiam labiis circumfusam, animi demissionis summum gradum, post quem amplius quicquam cogitari non potest, vidit mansuetudinem atque clementiam qualis in Davide fuit; qualis in Salomone, intelligentiam atque prudentiam; qualis in Moyse, bonitatem; qualis in Samuele, perfectionem; qualis in Josepho, continentiam pudicitiamque; qualis in Daniele, sapientiam; quemadmodum magnus Elias, zelo Fidei præditam; sicut sublimis Joannes, integritate corporis ornatum; sicuti Paulus, inexsuperabili præditum dilectione. Vidit tot Bonorum circa unam animam concursum. Amore beato vulnerata est, casto bonoque Sponsum suum amore atque benevolentia prosequuta dilexit.*

3. Non est hic locus exponendi invictum robur, quo nonnulli sancti Episcopi, effuso sanguine, pro Fidei Catholicæ defensione & propagatione mortem libentissime oppetierunt. De Confessoribus loquimur. Omitti vero non potest certamen inter Modestum Præfectum Valentis Imperatoris Ariani, & S. Basilium M. in asserenda Fide Catholica adversus Heterodoxos, & in resistendo voluntati Præfecti, qui ipsum ad partes Arianorum adducere conabatur. En verba S. Gregorii Nazianzeni *in orat.* 20. *pag.* 349. *num.* 74. *oper. tom.* 1. ubi memoratum refert certamen: *Hac oratione commotus Præfectus, ac majori ira succensus de subsellio surrexit, atque asperioribus verbis cum eo agere perrexit. Quid? Potestatem hanc non pertimescis? Cur vero pertimescerem? inquit Basilius. Quid fiet? Quid patiar? Quid patieris? intulit ille: unum o tam multis, quæ mea sunt potestatis. Quænam hæc? subjunxit Basilius: fac enim intelligamus. Bonorum, inquit ille, proscriptionem, exilium, cruciatus, mortem. Tum Basilius. Si quid aliud habes, id nobis minitare. Horum enim, quæ adhuc commemorasti, nihil nos attingit. Quonam modo? inquit ille. Quoniam, inquit Basilius, Bonorum proscriptioni obnoxius non est, qui nihil habet: nisi forte laceris & detritis hisce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates & copiæ sunt. Exilium autem haud cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum, ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco: immo, ut rectius loquar, universam terram Dei esse, scio, cujus advena ego sum & peregrinus. Jam tormenta quid accipere queant, cum corpus desit? nisi forte primam plagam dixeris; hujus enim solius penes te arbitrium & potestas est. Mors porro beneficii mihi loco erit: citius enim me ad Deum transmittet, cui vivo, & munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obii, & ad quem jampridem propero. Quo sermone obstupefactus Præfectus, Nemo, inquit, me* (*nomenque suum adjunxit*) *ad hunc usque diem ita est allocutus, nec pari verborum libertate. Neque enim, ait Basilius, fortasse in Episcopum incidisti. Alioquin hac prorsus modo disseruisset pro hujusmodi rebus in certa-*

non veniens &c. Et S. Bernardus *ferm. 2. de S. Malachia Episcopo Hibernensi* ejus propagandæ Fidei zelum sic extollit (*col. 152. vol. 1. oper.*): *Posuit sine sumptu Evangelium, replevit Evangelio patriam, suorum maxime feralem edomuit barbariem Hibernorum, levi jugo Christi in gladio spiritus exteras subdidit nationes, usque ad extrema terræ restituens hereditatem suam illi. O ministerium fructuosum! O ministrum fidelem! Numquid non per ipsum Filio est paterna adimpleta promissio? Numquid non hunc olim intuebatur Pater, cum ad Filium loquereetur:* Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? *Quam libens Salvator recipiebat, quod emerat, & emerat pretio sanguinis sui, ignominia crucis, horrore Passionis! Quam libens de manibus Malachiæ, pro eo, quod gratis ministraret! Ergo in ministro quidem gratum erat munus gratuitum, in ministerio autem placita conversio Peccatorum, Grata, inquam & placita, in ministro simplicitas oculi, in ministerio autem salus populi.*

4. Egregium porro solicitudinis Pastoralis erga oves sibi commissas S. Paulini Episcopi exemplum legitur apud S. Gregorium Papam *dialog. lib. 3. cap. 1.* licet de ejus veritata nonnulli quæstionem moveant, quod vel Vandali tempore S. Paulini nunquam Italiam ingressi sint, vel si juxta Cardinalem Baronium ingressi sunt anno 429. quo tempore S. Paulinus erat in humanis, inverisimile videatur ipsum annorum 76. & infirmitatibus laborantem in Africam trajecisse, ut filium viduæ liberaret. At, utcumque sit de hoc, narrat idem S. Gregorius, Paulinum, ut filium viduæ a Vandalorum captivitate redimeret, in Africam trajecisse, seque pro illo in servitutem tradidisse. Verum ex Divina revelatione cognitus, quisnam vir esset, dataque ai optione petendi quod vellet, ut in patriam suam cum magno munere reverteretur, ipse ita respondit (*loc. cit. col. 281. oper. tom. 2.*): *Unum est, quod mihi impendere beneficium potes, ut omnes civitatis meæ captivos relaxes. Qui cuncti protinus in Africana regione requisiti cum onustis frumento navibus pro venerandi viri Paulini satisfactione in ejus comitatu laxati sunt . . . . sicque factum est, ut omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, & qui se in servitium solum tradiderat, cum multis a servitio ad libertatem rediret; illum videlicet imitatus, qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati, cujus sequens vestigia Paulinus ad tempus voluntarie servus factus est solus, ut esset postmodum liber cum multis.* De supra memorato S. Malachia Episcopo S. Bernardus *ferm. 2. loc. cit.* sic ad rem loquitur: *Qui quasi unus omnium parens vivebat omnibus. Quasi gallina pullos suos, sic fovebat omnes, & in velamento alarum suarum protegebat. Non sexus, non ætas, non conditio discernebatur, aut persona. Deerat nemini, expanso omnibus gremio pietatis. De quacumque tribulatione clamaretur ad eum, propriam reputabat; nisi quod in sua patiens, in aliena compatiens erat, plerumque & impatiens. Nonnumquam siquidem repletus zelo pro aliis, in alios movebatur, ut eripiens inopes, & reprimens fortes consuleret proinde omnibus in salutem.* Et latius in ejus vita (*cap. 8. col. 672. loc. cit.*): *Monere communiter, secreto arguere, flere per singulos, nunc aspere nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat. In quibus per hæc minus profecisset, cor contritum & humiliatum offerebat pro eis. Quoties noctes totas pervigiles duxit extendens manus in oratione? &, cum venire ad ecclesiam nollent, per vicos & plateas occurrebat invitis, & circumiens civitatem perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed & foris rura & oppida nihilominus sæpius percurrebat cum sancto illo comitatu discipulorum suorum, qui numquam deerant lateri ejus. Ibat, & erogabat vel ingratis cælestis tritici measuram; nec vehebatur equo, sed pedes ibat, & in hac virum se Apostolicum probans. Jesu bone, quanta passus est pro nomine tuo bellator tuus a filiis sceleratis, quanta sustinuit ab iis ipsis, quibus & pro quibus loquebatur bona tibi! Quis digne exprimat, in quantis vexatus, quibus affectus sit contumeliis, quibus injuriis lacessitus, quoties laxatus inedia, quoties afflictus in frigore & nuditate!* Sanctus autem Augustinus *in natali S. Cypriani Martyris* (*ferm. 309. al. 12. inter additos a Parisiens. num. 4. tom. 5. oper. col. 1248.*) narrat, quid ille solicitus de ovibus sibi commissis egerit pridie ante martyrium: *Cum in alium diem dilatus* (scilicet ad martyrium) *apud Custodes esset, atque illuc se multitudo Fratrum, ac Sororum congregans pro foribus pernoctaret, custodiri puellas præcepit. Quanta intentione considerandum! Quanta laude prædicandum! Quanto præconio commendandum est! Vicina corporis morte, non moriebatur in animo Pastoris vigilantia Pastoralis, & cura tuendi Dominici gregis usque ad extremum vitæ hujus diem mente sobria tenebatur; nec excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris manus jam proxima cruenti carnificis. Ita se Martyrem cogitabat futurum, ut esse non oblivisceretur Episcopum, magis curans, quam rationem Pastorum Principi de commissis sibi ovibus redderet, quam quid Infideli Proconsuli de Fide propria responderet.*

5. Si omnia virtutum elogia, quibus Episcopi inter Sanctos relati fulserunt, quæque leguntur in bullis Canonizationum, postquam mos inductus est in eis referendi, quæ ex Actis desumuntur, essent in hoc caput inserenda, caput hoc contineret magnam partam *codicis Canonizationum* editi studio & opera Archiepiscopi Ancyrani: quocirca nonnulla tantum, quæ per compendium virtutes attingunt, opportunum transcribere existimamus. In bulla itaque Canonizationis Sancti Richardi Cicestriensis in Anglia Episcopi *pag. 99. cod. Canoniz.* edita ab Urbano IV. ita legitur: *Ipse namque vocatus ad regimen Cicestriensis Ecclesiæ factus est solito magis vigil ad curam, non segnis ad opus, suavis ad mores. Ex tunc fuit ei pauperum cura major, habitus abjectior, gestus & affatus humilior. Ex tunc ille in persecutionum perpessione fortior, in libertatis Ecclesiasticæ defensione constantior, in justitiæ censura inflexibilior, in oratione ferventior, in eleemosynarum largitione profusior, in proprii corporis castigatione rigidior, districtior in observantiæ disciplina, in carnis & spiritus lucta prudentior.* Et in bulla Canonizationis S. Francisci Salesii *pag. 373. loc. cit.* edita ab Alexandro VII. *Integras Episcopi partes suscepit, cavere ne grex, aut diœcesis, improborum, Hæreticorumque more luporum insidiantium incursibus pateret, ordinare Clerum, statuere familiam religiosis moribus compositam, sanctorum Patrum veterumque Episcoporum exempla sibi proponere, cuncta Episcopalis vitæ momenta suis virtutibus functionibusque animare, Synodum cogere, Ecclesiasticæ disciplinæ leges vel restituere vel sancire, ac potissimum Catholicæ religionis sinceritati consulere, qua mores Catholicorum informando, qua Sectariorum dogmata evertendo, qua deceptas oves ad ovile reducendo.*

6. At, ut ad particulares actus descendamus, de quibus sedula inquisitio facienda est, cum ad examen vocantur causæ Servorum Dei, qui, dum viverent, Episcopi fuerunt; in solemni examine, quod consecrationi Episcopali præmittitur, multa sane indicantur, quorum potissimum habenda est ratio, dum agitur de virtutibus. Consecrandus enim interrogatur. *Vis ea, quæ Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, & verbis docere, & exemplis?* Rursum: *Vis esse semper in negotiis Divinis mancipatus, & a terrenis negotiis, vel lucris turpibus alienus, quantum te humana fragilitas concesserit posse?* Atque his aliisque interrogationibus Consecrandus respondet per verbum *Volo*.

7. Episcopus Rhutenensis Ludovicus Abelly *in enchiridio Episcopalis solicitudinis* hæc habet in commentariis ad prædictam primam interrogationem: *Episcopus in Ecclesia instar cujusdam sideris, non modo in se Solis justitiæ ac veritatis radios excipere, sed & eos in populum Christianum refundere, animasque sibi creditas luce illa cælitus accepta illustrare tenetur.* Si etenim doceret, & non faceret, adversus ipsum urgeret monitum S. Hieronymi *in epist. ad Nepotianum* (*num. 7. col. 260. tom. 1. oper.*) *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis?* Et quod quidem attinet ad verba (dictum est anim, Episcopum debere verbis docere) sacrum Tridentinum Concilium *c. 5. sess. 2. & sess. 24. c. 4.* ait, sacram prædicationem præcipuum munus esse Episcoporum, & eam ab ipsis omnino exercendam esse, nisi fuerint legitime impediti. Concordat Concilium Lateranense in *cap. Inter cetera, de Officio Judicis ordinarii*. Dei Servus undequaque spectabilis Aloysius de Granata severe Episcopos redarguit, qui, omissa verbi Dei prædicatione, totos se convertunt ad forensia judicia, uti videri potest in ejus concione ad Pastores: *Quid hoc monstruosius, ut nostrorum Prælatorum omnis pene cura & sollicitudo in hoc uno causarum studio consumatur, nobilissima prædicandi sarcina (ac si nihil ad eos pertineret) aliis commissa? Qua fronte, qui summum in Ecclesia gradum obtinent, qui ipsius Dei vices gerunt, qui ad spiritualia, & Divina tractanda (ut spirituales, ac pene Divinos omnes reddant) potissimum destinati sunt, ad abjectissima hæc, relicto Divini verbi ministerio, se dimittant?* Venerabilis Dei

Ser-

Servus Bartholomæus a Martyribus in citato Opere, cui titulus, *STIMULUS PASTORUM*, 2. *part.* c. 7. postquam attulit illud Psalmi, *Ego* (ait Christus) *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus prædicans præceptum ejus*, ait: *Quid hic dicitis, otiosi Pastores, qui cathedras prædicandi ambitis, & officium ac munus prædicandi negligitis? Christus se dicit constitutum Regem ad prædicandum; vos autem dicitis, non posse vos simul regere & prædicare? Poterant quidem utrumque Patres nostri Gregorius, Ambrosius, Augustinus &c. regebant Ecclesias suas, prædicabant, scribebant &c. Quod si per impedimenta utrumque præstare non potestis, alia per alios exercete, vobis vero docendi officium reservate.* SS. Gregorii, Ambrosii, Augustini exemplis alia superaddi possent omnium aliorum Episcoporum, qui canoni Sanctorum adscripti sunt, aut de quorum Beatificatione aut Canonizatione tractatur. Unum autem aut alterum afferemus, illud videlicet, quod habetur in bulla Canonizationis S. Caroli Borromæi *pag.* 293. *loc. cit.* *In prædicatione verbi Dei tam frequens erat beatus Pontifex, ut plane in omni patientia & doctrina impleret ministerium suum, vigilando, laborando, labore prue incredibili, ita ut quadraginta horarum solemnibus precibus continuo persistens in jejunio & vigilia, singulis horis ad populum admirabili patientia sermonem haberet.* Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus in *admonit. ad nepotem cont.* 3. plura disseruit de obligatione, quam habent Episcopi Evangelium annuntiandi, &, quod scriptis exposuit, opere implevit. Cum enim esset Archiepiscopus Capuanus, qualibet Dominica & quovis die festo, exceptis duobus mensibus anni, mense videlicet Septembri & mense Octobri, quod tunc pauci ad ecclesiam accederent, sermonem habuit ad populum magno cum fructu audientium, ut fuse refertur in ejus vita a Patre Bartolo *lib.* 2. *c.* 8. Ad hoc ipsum quoque refertur, pueros & rudes Christiana doctrina, & necessariis ad salutem imbuere. Rosignolius *in tract. de actionibus virtutis lib.* 1. *c.* 14. hæc habet: *Concionari Episcoporum est, & quidem proprium & præcipuum munus, ac simul catechizare, teste Sancto Augustino, & Sancto Cyrillo Alexandrino, quorum etiam alter librum disciplinæ hujus a se diligentissime conscriptum inscribit de catechizandis rudibus, alter institutionem parvulorum edidit. Catecheses extemporaneas appellat suos libros Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, in quibus explicandis sedulo versabatur: & extant multorum Patrum Græcorum & Latinorum explicationes apertæ, simplices, nullo ornatu, magna facilitate, nimirum ut agnoscas, esse rudium & idiotarum catecheses.* Porro, quanto cum labore & patientia SS. Carolus Borromæus & Franciscus Salesius pium opus docendæ Christianæ doctrinæ promoverint, & pueris & rudibus Fidei mysteria, & cetera ad salutem necessaria in universa ipsorum diœcesi ipsi explanaverint, refertur in opere *de vita & officio Episcopi* Romæ a pio Sacerdote edito, anno 1719. *part.* 1. §. 28. De vigilantia quoque S. Caroli Borromæi, ne ullus error Fidei Catholicæ adversus in animas sibi creditas irreperet, testimonium perhibet Episcopus Rhutenensis supra citatus *in enchirid. Episcopal. solicitud. cap.* 7. *Quæ quidem & plurima alia æque ad Fidei Orthodoxæ conservationem utilia luculentissime præstitit ipse Divus Carolus; qui, cum Hæreticorum provinciæ Mediolanensi adjacentium viciniam, tamquam gregi suo valde periculosam, reformidaret, dici vix potest, quantas curas impenderit, ut hoc contagiosum malum a suis ovibus averteret, quot præcautiones adhibuerit, quæ antidota & alexiaca præparaverit adversus pestiferos illius afflatus. Id plane testantur saluberrima decreta super hac re ab ipso edita, quæ in ejus Actis videri possunt.* Et de S. Francisco Salesio legitur in bulla Canonizationis ipsius: *Sic cetera virtutum genera exercuit Charitatis æstu succensus, ut, septuaginta Hæreticorum millia Ecclesiæ Catholicæ subjecisse, sit fama vulgatum.*

8. Supra recensitus S. Carolus Borromæus, ut Divinis negotiis semper esset intentus, & potissimum gregis commissi curæ, cum ad regendam Mediolanensem Ecclesiam accessit, Majoris Pœnitentiarii officium, Archipresbyteratum basilicæ S. Mariæ Majoris Urbis, Ordinum Regularium complurium, Regnorum, & nationum honorificentissimas clientelas, quas vocant *Protectiones*, reliquit, uti legitur in bulla, & in Actis Canonizationis ipsius. Petrus Blesensis *de institut. Episcopi cap.* 4. Episcopum admonet, ut, sæcularibus relictis, se totum ad Divina convertat: *Vacuum a sæcularibus negotiis oportet esse animum Divinæ servitutis obsequio mancipatum. Magnis addictus es? Noli minimis occupari. Minima vero & vilia ea sunt, quæ ad sæculi quæstus, & non ad lucra pertinent animarum.* Synesius Episcopus Ptolemaidis in Africa sanctitate conspicuus *in epistola* 57. *adversus Andronicum pag.* 199. sic loquitur de Episcopis, qui aliquando se rebus sæcularibus involvunt: *Nec Episcopos damno, qui negotiis destinentur; sed cum noverim vix me horum alterutrum assequi posse, qui utrumque præstare possint, eos admirari soleo. Non est id mearum virium duobus ut Dominis serviam. Sin aliqui reperiantur, quibus ne mentis quidem ad inferiora descensus detrimentum afferat, merito illi possunt Sacerdotes fieri, & præesse civitatibus. Solaris radius, quamvis cœnum contingat, purus, nec inquinatus manet. Ego si idem fecero, fontibus, ac mari opus habebo.* Synesius hic pericula recenset, quibus Episcopi expositi sunt, dum munera quædam sæcularia assumunt, quorum causa opus est, ut se curis sæcularibus involvant, & sic a Divinis abstrahantur. An autem omnia prædicta optime præstita sint a Ven. Dei Servo Cardinali Ximenio Archiepiscopo Toletano, judicium sit eorum, qui in examine virtutum ipsius suffragium præstabunt; nobisque interea satis esse poterit favorabile judicium de eo prolatum a Gomesio in ejus vita *lib.* 2. *cap.* 40. his verbis: *Neque enim tam ingentis ditionis Princeps, qualis Archiepiscopus Toletanus est, solum concionibus ad populum habendis, puerisque sacro Oleo ex Christiano ritu confirmandis, & eleemosynis distribuendis, aut vicis suæ diœceseos peragrandis, templisque invisendis, & id genus aliis, quæ certe magni momenti, ejusque muneris sunt, contentus esse debet, sed excelsissima quæque concipere, expeditiones in Mauros adornare, litoribus nostris ab hostium incursibus tranquillitatem parare, totius Regni molem sustinere, tumultantes populos sedare, Reges, ut præclara conentur, adhortari, doctos homines & ingenia provehere, disciplinæ nitorem restituere, rem litterariam pro viribus juvare, mores denique pravos corrigere, bellum vitiis omnibus indicere, eorumque prorsus radices exstirpare. Quæ omnia adeo cumulate Ximenius præstitit, ut ad summum fastigium ea dignitas tunc perducta inclinationem, quam videmus, minata videatur.* Quæ tamen dicta ita intelligenda sunt, ut nullum sibi vindicent locum quoad eas curas, quas nonnulli Episcopi assumere tenentur ob temporale dominium, quod in nonnullis locis obtinent suo Episcopatui annexum ex Imperatorum, vel Regum donationibus, aut alio quocumque titulo. In eo quippe rerum statu, ut jus sui Episcopatus tueantur, quædam facere debent, quæ ad sæculum potius, quam ad spiritalem gubernationem pertinere posse videntur; nec id sanctitati officere poterit, si omnia rite componantur, nec Principis majestas Episcopali humilitati detrimentum afferat. Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas *lib.* 2. *epist.* 43. ita alloquitur Goscelinum Catalaunensem Episcopum: *Quid & illud, quod, cum tantæ urbi non solum Episcopum, sed & Principem necessario vos esse oporteat, nihil de Monacho vindicet Pontifex* (Goscelinus enim Monachus erat), *nihil de religione Princeps usurpet, nihil de prisco Ordine mundus furetur?*

9. Administratio justitiæ, defensio jurium Ecclesiæ, robur in plectendis criminibus, prudentia in componendis dissidiis partes sunt muneris Episcopalis. Cumulate & heroice hæc omnia præstita sunt a S. Antonino, in cujus bulla Canonizationis *pag.* 227. *cod. Canoniz.* ita legitur: *In administranda justitia nullus Judicum eo tempore illi comparari poterat, ita ut præfatus Nicolaus prædecessor appellationes, quas a suis sententiis ad Sedem Apostolicam deferri contingeret, nulli alteri committi, sed ad eum ipsum examinandas remitti mandabat, ratus, hominem ab omni odio, amicitia, prece, pretio, aliisque omnibus, quæ judicantium animos in sententiis dictandis perturbare ac pervertere solent, penitus alienum esse. Causas omnes ad eum delatas concordia componere, aut celeri sententia definire studebat. Cujus judicio fere omnes propterea acquiescebant, quia id ab ore sanctissimi viri, Deo sic inspirante, procedere existimarent. In corrigendis vitiis emendandisque delictis ingenti utebatur severitate, ita tamen ut in eo misericordia cum justitia conjuncta esse videretur. Fidei, & Ecclesiasticæ libertatis defensorem se præbebat acerrimum, nec ullius minas formidabat .... Clerum reformaverat, ac populum correxerat, pravosque civitatis mores emendaverat, ludos omnes prohibitos atque damnatos sustulerat, superfluos mulierum ornatus restrinxerat, ac fere omnium cordibus devotionem spiritualem infixerat, quandoque freno, quandoque vero calcaribus pro animarum & temporum qualitate utens, ut, semotis seditionibus, sub Dei timore, & charitatis zelo viverent, & in sancta religione persisterent.* In bulla Cano-

nizationis S. Caroli Borromæi legitur, paratum se illum ostendisse animam suam ponere pro tuendis Ecclesiæ juribus, & Ecclesiastica restituenda & conservanda auctoritate; licet alioquin mitissimus & clementissimus esset vir, ita ut calumnias, contumelias, & graves patientissime tulerit persecutiones, & oblata aliquando indicia proditionis vitæ suæ neglexerit, litterasque nec resignatas flammis tradiderit. Additur, quod tribunalia sua omni studio, & præsertim visitandi assiduitate non solum a quavis labe iniquitatis, sed etiam suspicione immunia præstiterit: & in relatione Rotæ Auditorum edita in ejus causa, sanctitatis argumentum desumitur ex auctoritate Ecclesiastica ab eo constanter magnis in periculis defensa, & ex cultu justitiæ in tribunalibus Ecclesiasticis ab eo strenue promoto; quemadmodum videri potest *in secunda parte argum.* 11. *& argum.* 21. Notum est quippe omnibus, quomodo, assumpta a S. Carolo provincia et a Sede Apostolica demandata reformandi Ordinem Fratrum Humiliatorum, Hieronymus Lignana Præpositus S. Christophori Vercellensis, & alii scelerati ejusdem Ordinis in necem sancti Cardinalis conspiraverint, & Hieronymus Donatus Farina ejusdem Ordinis Apostata, nactus loci & temporis opportunitatem, in eum, vespere de more in sacello cum familia precantem, sclopum igneum exonerarit, telorum parte ad vestes ejus obtrita, parte utrimque in proximo defixa, Carolo interim orationem inceptam prosequente; quemadmodum legitur in bulla Canonizationis, in citata relatione Rotæ Auditorum *part.* 2. *argum.* 14. & in bulla 119. S. Pii V. *Bullarii tom.* 2. in qua sustulit & extinxit Ordinem prædictorum Fratrum Humiliatorum. Joannes XII. in bulla Canonizationis S. Thomæ Herfordiensis *pag.* 132. *cod. Canonizat.* eum his laudibus extollit: *Jura vero suæ Ecclesiæ defensabat indutus justitia ut lorica. Paratus namque pro sibi commisso grege animam ponere, non timuit in hoc Principem, nec Magnatem.* Alexander Papa VII. in bulla Canonizationis S. Thomæ de Villanova *pag.* 359. *cod. Canoniz. Nam & invictum animum in tuendis Ecclesiæ juribus, & Ecclesiastica restituenda & conservanda auctoritate ostendit, illis verbis usus, se gloriosam magis mortem, quam odibilem vitam amplecti, nec supplicia pro Ecclesiastica immunitate ex debito Pastoralis officii in libertatem vindicanda timere, aut fugere: quod ex animo dictum ostendit, cum Regio Magistro minitanti rerum temporalium expoliationem imperterrite respondit: Tunc magis locuples ero, cum temporali subsidio liber ad cælum lætus remigrabo.* Commendatur denique S. Laurentii Justiniani justitia in bulla Canonizationis ipsius *pag.* 550. *loc. cit. Viri justitia inde patuit, quod nihil unquam ab illo judicatum rescissum est, ejusdemque sententiæ inappellabiles habitæ sunt.* Item de prudentia in componendis populorum dissidiis mentio habetur in bulla Canonizationis S. Andreæ Corsini *pag.* 528. *eod. cod. Beatæ memoriæ Urbanus Papa V. cognita Divinæ Gratiæ dono, quo Fesulanus Episcopus in componendis populorum discordiis pollebat, Legatum Bononiam mittit, ut diffidentia pectora mitigaret, ferocesque civium animos flecteret. Andreas Pontificis jussis obtemperans illuc proficiscitur, ubi tumultuantes venerandi Præsulis auctoritate, & verborum dulcedine capti, mox depositis armis, in concordiam reducuntur, paucis, qui adversabantur, atroci morbo correptis, qui tandem meritis Beati Andreæ liberati ab omni odio quieverunt.* Huc facit illud Concilii Lateranensis III. *in cap. Irrefragabili, de offic. Judic. ordinar.* sub Innocentio III. *Irrefragabili Constitutione sancimus, ut Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus, maxime Clericorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur:* quod ita tamen intelligendum est, ut modis debitis expleatur, quos explicat S. Laurentius Justinianus in opere de regimine Prælatorum: *Non pariformiter Pastores animarum, & Reges gentium, ac sæculares Principes Subditos gubernare oportet. Sane Principibus cum terrore licet gerere, Ecclesiasticis vero Præsulibus cum charitate & lenitate: illis tamquam Dominis, istis autem ut Patribus; illis cum severitate punire, istis vero cum moderamine, & mentis compassione corrigere; illis jugulare & perimere, istis autem, omni crudelitate semota, delinquentes revocare ad vitam, ut emendentur.* Additque S. Thomas *in quæstion. disput. quæst. unic. de correctione fraterna art.* 1. *Præpositi Ecclesiarum in Ecclesiis constituti sunt, ut non parcant, objurgando peccata, quia ad eos pertinet charitativa correctio, sed continua.*

10. Cohæret his, quæ modo dicta sunt, electio Ministrorum, atque Consiliariorum, necnon Familiarium. Quod olim Moysi populum Isreeliticum inter deserta dirigenti, & gubernanti socer Jethro consilium dedit, uti legitur *Exod.* 18. *v.* 18. hoc unicuique Episcopo suggeri summa ratione potest: *Ultra vires tuas est negotium. Solus illud non poteris sustinere. Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis .... qui judicent populum.* Inter præcipuos Pastoralis solicitudinis Administros primus est Vicarius Generalis. Quanta fuerit S. Caroli Borromæi diligentia in eo eligendo, legi potest in ejus vita scripta ab Episcopo Novariensi *lib.* 1. *cap.* 6. Magna quippe sedulitate omnes pene Italiæ provincias per se, vel per alios lustravit, ut eum reperiret, tandemque audito nomine Nicolai Ormaneti Sacerdotis, qui antea Matthæi Giberti Veronensis Episcopi virtutibus omnibus Pastoralibus ornatissimi consiliorum particeps fuerat, & postmodum Reginaldo Polo Cardinali in Angliam proficiscenti rebus illius Ecclesiæ componendis operam dederat, & tunc ab humanis cupiditatibus alienus parochiam quamdam ruralem in diœcesi Veronensi regebat, nihil non fecit, ut eum sibi adjungeret, cum quo vastissimæ diœcesis Mediolanensis, immo totius provinciæ curas partiretur. Testatur idem Scriptor vitæ S. Caroli *lib.* 5. *cap.* 3. *&* 7. eum in primordiis Episcopatus viros alios pietate, disciplina Ecclesiastica, doctrinaque præstantes selegisse, & sibi adjunxisse, quorum consilio in diœcesis administratione uteretur. Scriptor vitæ S. Hugonis Lincolniensis Episcopi apud Surium *die* 17. *Novembris* testatur, eum suscepto Præsulatu, primam curam & solicitudinem adhibuisse, ut viros sapientia & scientia instructos, atque in timore Dei probatissimos suo lateri adjungeret: *Ut viros sapientia & scientia instructos, atque in timore Dei probatissimos suo lateri adhiberet, quorum consilio & auxilio fretus Pastorale munus suum perquam strenue adorsus est:* & S. Bernardus *epist.* 42. seu *tract. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum de moribus & officio Episcoporum cap.* 1. (*col.* 468. *oper. vol.* 1.) scribit: *Prudenter itaque cogitastis, Sacerdotale onus, Episcopale opus, curamque Pastoralem digne non posse administrari sine consilio.* Porro memoratis duobus Consiliariis ab Henrico electis, concludit: *Horum acquiescendo consiliis, nec præceps eris in sententia, nec vehemens in vindicta, non in corrigendis remissior, non severior in parcendis, non pusillanimis in expectandis, nec superfluus in victu, nec notabilis in vestitu, non citus ad promittendum, non ad reddendum tardus, nec prodigus dator.*

11. Inter Domesticos & Familiares oportet ut Episcopus non nisi eos adsciscat, qui sint probatæ vitæ, & omnis turpitudinis non modo labe, sed & suspicione vacent. Inter cetera, quæ Apostolus tanquam necessaria in Episcopo requirit, illud est, ut *sit suæ domui bene præpositus:* quod utique constare non potest, si ejus Familiares & Domestici insolescant, si bonis moribus præditi non sint, & si errantes ab ipso non corrigantur & puniantur. Apud Cassiodorum *variar. lib.* 10. *epist.* 5. (*tom.* 1. *oper. pag.* 160.) Theobaldus Rex hæc innuit Theodosio suo Familiari: *Ut quicumque ad domum nostram noscitur pertinere, & curæ tuæ probatur esse commissus, nullis præsumptionibus insolescat, quia solus dicendus est ille meus, qui legibus potuerit esse tranquillus. Augete formam nostram per patientiam vestram. Si quis habueris cum altero forte negotium, ad communia jura descendite. Fora vos tueantur, non iniqua præsumptio. A domesticis inchoare volumus disciplinam, ut reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere.* Beatus Nicolaus Albergatus Bononiensis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis summis effertur laudibus a Carolo Sigonio *in historia*, quam *de vita & gestis ejus* conscripsit, quoniam etiam ante Cardinalatum viros probatissimos inter suos Familiares adscripsit, uti videri potest *cap.* 5. *Eruditis hominibus, aut laudem aliquam ingenii cultioris habentibus mirifice studuit, atque eis non solum in angustiis rei familiaris præsto fuit, sed etiam, quos idoneos esse judicavit, ad Ecclesiasticos honores dignitatesque provexit &c. quorum duo ex ipsius domo, quasi ex quadam doctrinæ ac sanctitatis officina progressi, deinde Pontificatum maximum sunt adepti; unus Thomas Sergianensis, quem ex domestico puerorum magistro sibi ad scribendas epistolas ministrum assumpsit, ac post dignitate canonica decoravit; alter vero Æneas Silvius Piccolomineus Senensis, quem in legationibus non tam peregrinationum atque itinerum comitem, quam actionum & consiliorum adjutorem participemque habuit. Nicolaus V. ille, hic Pius II. in Pontificatu vocatus.*

tus. Porro in Relatione Rotæ Auditorum edita in causa S. Pii V. *tit. de prudentia* subjicitur: *Pontifex vero factus Domesticos omnes convocatos ad pietatem religionemque complectendam, ad invidiam atque odia deponenda hortatus est. Nolle enim se quemquam inter Familiares, nisi spectatæ virtutis probitatisque, retinere; in quibus imitatus est claros illos viros Augustinum, Gregorium, Basilium, & alios, ad quorum prudentiam & sanctitatem commendandam rectam familiæ institutionem referunt Scriptores*.

12. Ad Ministros, non autem ad familiares, pertinet manum apponere ad regimen & gubernationem Ecclesiæ & diœcesis; quod ipsum dicendum est de propinquis, & sanguine junctis Episcopo. S. Ambrosius in ipso ad Episcopatum ingressu sic vitam instituit, ut curam rerum domesticarum Satyro fratri reliquerit, & sese totum spiritalibus Ecclesiæ curis penitus mancipaverit. At, cum Satyrus frater esset spectatissimæ virtutis, & peritissimus in rebus agendis ac moderandis, unde & ipsum S. Ambrosius consultorem atque arbitrum habere consuevit, quemadmodum testatur in oratione, quam habuit in ejus funere, non idcirco id normam & regulam constituere debet, ut fratrum, & propinquorum opera ceteri Episcopi utantur tum in redituum administratione, tum in Ecclesiæ gubernatione; quin immo tutum & forte necessarium est, ut a prædictis propinqui arceantur: *Non consenta a' parenti di mescolarsi nel governo della Chiesa &c. E ciò deve eseguire il Prelato. Ordini egli colli suoi ministri, o dia buon ricapito a tutte le cose del Vescovado, che sono cose di Dio, nè i parenti vi s' impaccino &c. I parenti, benchè siano congianti per sangue al Vescovo, nelle appartenenze del governo dello spirituale si hanno da tenere per estranei*; verba sunt piissimi citati Auctoris in opere *de officio & vita Episcopi* Romæ edito anno 1719. §. 24. Ven. Dei Servus Cardinalis Ximenius ad Archiepiscopatum Toletanum evectus, fratres secum habitare permisit. Alter eorum nomine Bernardinus in Religione S. Francisci, cui nomen dederat, haud mediocriter pius, non modo consiliorum particeps, sed totius familiæ primus constitutus est. Inter eos subinde simultates exortæ sunt, ita ut Bernardinus non modo ausus fuerit libellum scribere quadraginta & amplius rerum capita continentem, quibus Archiepiscopi mores, familiæ luxum & intemperantiam falso & immerito sugillabat, sed & ad alia incredibilia pene scelera prolapsus, fratris ægrotantis cubiculum ingressus, arrepto pulvinari, quo ejus caput fulciebatur, os obturarit, & tanta vi guttur utraque manu furibundus compresserit, ut omni facultate ministros inclamandi adempta, qui in proximo cubiculo excubabant, vix non animam Archiepiscopus efflaverit. Adactus ideirco fuit eum compedibus vinctum Turigios oppidum juxta Toletum amandare, ut in cœnobio vitam sordidam, ut meruerat, traduceret; & ab eo tempore, amicorum frustra precibus adhibitis, hominem amplius videre noluit, nedum alloqui, aut in familiam recipere. Alvarus Gomesius *in historia de rebus gestis Cardinalis Ximenii* universam rei seriem exponit, & ex ea tum Petrus Franciscus de Rubeis, tum Prosper Bottinius Fidei Promotores non contemnendas desumpserunt animadversiones, cum in sacrorum rituum Congregatione ageretur de virtutibus dicti Cardinalis, de quarum approbatione adhuc (uti jam diximus) nihil decretum est. Nec vero ab admissionibus, & negotiorum expeditione potest Episcopus se liberum existimare, quod ministrorum, & ceterorum adjutorum, etiam idoneorum, ope & auxilio fretus sit. Plinius de Trajano ait: *Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: audiuntur statim, dimittuntur statim*. S. Bernardus *lib. 4. de consider. cap. 6. col. 449. vol. 1. oper.* queritur de quotidiana audientia, quæ præstatur administratoribus rerum temporalium, quæ tamen non ita facile datur ceteris, qui ob suas spirituales indigentias instant audiri: *Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta nescimus*. S. Gregorius Petrum quemdam ab Episcopatu rejecit, quod, ut ferebatur, postulationes audire nesciret, & negotiis, quæ proponebantur, providere. *Petrus Diaconus, quem a vobis electum asseritis, omnino, (ut dicitur) simplex est; & nostis, quia talis hoc tempore in regiminis debet arce constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam de extrinseca subjectorum utilitate & cautela sciat esse sollicitus*. Ita legitur *in can. Petrus, dist. 39.* De S. Ambrosio S. Augustinus *lib. 6. Confessionum cap. 3. (tom. 1. oper. col. 121.)* hæc habet: *Non enim quærere ab eo poteram, quod volebam, sicut volebam, secludentibus me ab ejus aure atque oris catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat, cum quibus quando non erat, quod per exiguum temporis erat, aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis, aut lectione animum*. Item *in annal.* Cardinalis Baronii *ad an. 375. num. 24.* de eodem S. Ambrosio subjicitur: *Episcopum requirentibus omnibus, in omnibus se paratum exhibuit, ut nemini ad eum aditus esset aliquando interclusus, nullius ostii velum esset oppansum, nec, qui ad eum duceret, esset alicujus o Cubicularii officium requirendum*. In compendio virtutum & miraculorum S. Pii V. edito, cum ageretur de Canonizatione ipsius, ita legitur: *Totus in eo fuit, ut Subditorum commoda provideret, quorum querelas supplicesque recursus quantovis sanitatis suæ dispendio, data cuilibet fandi copia, prolataque audiendi patientia a mane usque ad vesperas pene quotidie excipiebat*.

13. Tenetur Episcopus suam diœcesim visitare. Visitationis autem scopus est sanam Orthodoxamque doctrinam, quando opus sit, expulsis hæretibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, & cetera, prout locus & occasio feret, ex Visitantium prudentia ad Fidelium fructum constituere; uti colligitur ex *can. Decernimus*, ex *can. Episcopum 10. quæst. 2.* & latissime ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 3. de reformatione*. Apud peritos antiquitatis Ecclesiasticæ constat, viduatæ Ecclesiæ Visitatorem Episcopum dari consuevisse: nec enim tunc Ecclesiæ vacantes Canonicorum curæ demandabantur. Hoc jure utebatur summus Pontifex uti Metropolita in sua diœcesi Urbicaria; delegabat enim Episcopis vicinis visitationem Ecclesiarum vacantium: & antiqua hæc canonica disciplina de Visitatore Episcopo a Metropolita deligendo, cum aliquis Suffraganeus Episcopatus vacaret, in toto fere Occidente viguit; veluti late ostendit Franciscus Nicolai Episcopus Caputaquensis *in dissert. historico-canon. de Episcopo Visitatore, Romæ impressa anno* 1710. Ad Episcopum autem Visitatorem inter cetera pertinebat omnem curam adhibere, ut sarta tecta Ecclesiastica permaneret disciplina, quemadmodum desumitur ex S. Gregorio *lib. 2. epist. 43. indict. 10. (oper. tom. 2. col. 605.) ad Felicem Episcopum Acropolitanum*. En ejus verba: *Quoniam Velina, Buxentina, & Blandana Ecclesiæ, quæ tibi in vicinio sunt constitutæ, Sacerdotis noscuntur vacare regimine, propterea Fraternitati tuæ earum solemniter operam visitationis injungimus, illud præ omnibus commonentes, ut, ibi præfatarum Ecclesiarum, sive diœceseos earum vel Diaconi, sive religiosæ personæ inventæ fuerint, districte canoniceque ut vivant, modis omnibus studebis*. Sed, utcunque sit de hac visitatione, quæ ab Aula recessit, redactoque sermone ad visitationem, quam Episcopi ipsi, Sede plena, statis temporibus ad normam sacrorum Canonum, & sacri Concilii Tridentini *locis supra allatis* explere debent, in bulla Canonizationis S. Caroli Borromæi *pag. 293. cod. Canoniz.* sic de visitationibus ab eo susceptis Paulus V. summus Pontifex loquitur: *A frequenti visitatione ecclesiarum & populorum suæ diœcesis, ac provinciæ, vel aliarum etiam diœcesum, cum ab Apostolica Sede demandabatur, nullis incommodis aut periculis deterreri vel retardari potuit, non æstu, non algore, aut nocturnis tenebris, non præruptis & asperis Rhætorum, & Helvetiorum montium nive & glacie rigentium, neque aliis denique multis & gravibus difficultatibus. Sed vir Dei charitate, quæ foras pellit timorem, & omnia sustinet, omnibus superatis, etiam cum suæ vitæ discrimine, increpando, obsecrando, prædicando, & exemplo atque auctoritate personæ, hæreses, multaque alia gravissima vitia, & abusus, præsertim a Clero per Christi Gratiam sustulit*. Et Benedictus XIII. in bulla Canonizationis S. Turribii *pag. 579. loc. cit.* ait: *Limanam gentem moribus fœde corruptam, variisque superstitionibus turpiter inquinatam, ad Christianam pietatem alacriter excolendam summo studio traducere contendis, rebusque Ecclesiæ Limanæ dispositis, diœcesim, & sacram provinciam nudis pedibus totam lustravit: unde factum, ut incredibilis Turribii charitas vitia, & mutua odia, quæ passim dominabantur, ex animis suæ plebis prorsus evelleret*. Alia illustria exempla Episcoporum, qui summo cum labore & fructu suarum diœcesum visitationes expleverunt, collecta legi possunt *in cit. enchiridio Episcopalis solicitudinis*, Auctore Ludovico Abelly Episcopo Rhutenensi *cap. 8. sect. 1.*

14. Synodum cogere munus est Episcoporum. Id enim præscriptum est *in can. Quoniam*; *in can. Abbates 18. quæst.*

quæst. 2. & in Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 2. *de reformatione*: Maximum quippe bonum ex Synodorum coactione descendit, quemadmodum explicant Patres Concilii provincialis Coloniensis anni 1549. *Synodorum convocatio omnibus medetur, quæcumque vel officiorum neglectus, vel pravitas morum in parochias invexit, & Parochos ad majorem sedulitatem excitat, a vitiis & defectibus deterret, quæcumque in Ecclesiis corrigenda sunt, aperit, & reformat in meliorem statum & ordinem.* Quapropter in citata bulla Canonizationis S. Caroli Borromæi *cit. loc.* ita legitur: *Quantum in Ecclesia suæ recta administratione præstiterit, satis declarant Synodi multæ provinciales, ac diœcesanæ, ejusque Ecclesiæ Actorum edita volumina, quæ Sacerdotum manibus teruntur, & regendi Ecclesias doctrinam abunde suppeditant.* Et in bulla Canonizationis S. Thomæ de Villanova *pag.* 359. *cod. cit. Ecclesiasticam enim disciplinam, & Laicorum mores, coacta Synodo provinciali, multis affectus injuriis, instauravit.* Et in bulla Canonizationis S. Turribii *pag.* 579. *cod. cit. Tum vir Dei probe guarus, nihil aptius ad disciplinam, & Evangelii semina, quæ bonum fructum redderent, in agro Dominico seminanda, quam sacra Synodorum Statuta reperiri, mox ad Presbyterorum, & Confratrum Episcoporum diœcesana, & provincialia Concilia identidem celebranda omnem suam solicitudinem vertit, quæ hujus etiam Sedis Apostolicæ munimine roborata, multa & probatissima habuit.*

55. Succedit residentia, de qua in Concilio Tridentino *sess.* 6. *cap.* 1. *de reformat.* & *sess.* 23. *cap.* 1. Ad rem Cajetanus *in* 2. 2. *D. Thomæ qu.* 185. *art.* 5. hæc habet: *Pastor nec nomen Pastoris meretur, si non personaliter attendat suo gregi. Non enim quilibet ovium dominus, sed ille tantum, qui pascit suas, vocatur Pastor. Alioquin Principes habentes multos ovium greges, quos per alios pascunt, Pastores ovium essent, quod est falsum. Episcopus autem est vere Pastor, juxta verbum Domini ad Petrum, Pasce oves meas.* Cumque residentia præcepta sit, ut Episcopus operetur, hinc est, quod Episcopus ille suo munere recte non fungitur, qui residet otiosus, juxta monitum Patrum Concilii provincialis Remensis anni 1564. *cap.* 1. *Ne quis defunctum se munere suo putet, si otiosus in Ecclesia resideat; quoniam præcepto Divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, Sacrificium pro his offerre, verbi Divini & Sacramentorum administratione, & bonorum operum exemplo pascere.* Et in bulla sæpe citata Canonizationis S. Caroli Borromæi ita subjicitur: *Itaque, Urbano splendore & amplitudine relictis, bonus operarius in messem, quam susceperat, Mediolanum discedit, ubi partes suas in dies magis implendo, agrum illum malitia temporum vepribus turpiter deformem ac silvescentem in suum restituis nitorem, ut Ecclesiam Mediolanensem præclarum exemplar redderet Ecclesiæ disciplinæ. Hoc autem tum a se præsente præstandum cerneret, numquam a residentia discessit, nisi coactus, aut concedente Sede Apostolica, vel seniore Episcopo suæ provinciæ approbante.*

56. Episcopus est ordinarius minister sacramenti Confirmationis. Quamvis enim Sacramentum hoc, absolute loquendo, necessarium non censeatur ad æternam salutem obtinendam; cum tamen tot periculosæ occasiones, & mundi carnisque illecebræ undique ad peccatum solicitent, quemadmodum sibi maximum damnum inferunt ii, qui gratiam hujus Sacramenti sibi oblatam vel per ignorantiam parvi faciunt, vel per socordiam negligunt, vel indigne illud suscipientes sacrilegii reatum incurrunt, uti late docent S. Thomas 3. *par. quæst.* 72. *art.* 11. *ad tertium*, S. Bonaventura *in* 4. *sent. dist.* 8. *art.* 3. *qu.* 2. Hugo de Sancto Victore *de Sacramentis lib.* 2. *par.* 7. *cap.* 3. ita Episcopi a gravi peccato immunes profecto non sunt, qui sacramenti Confirmationis debitam administrationem, & ejus dignam susceptionem tanquam instrumentum maxime idoneum ad avertenda mala gravissima a grege sibi credito omittunt. Postquam ad Apostolos delatus est nuntius, provinciam Samariæ verbum Dei recepisse, ejusque populos fuisse baptizatos in nomine Jesu, ad eos miserunt Petrum & Joannem, qui eis sacramentum Confirmationis conferrent, quemadmodum legitur *Actor. cap.* 8. *v.* 14. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* S. Hieronymus *in dialog. advers. Luciferian.* antiquam memorat consuetudinem Episcoporum excurrendi ad loca, in quibus erant, qui sacramentum Confirmationis reciperent: *Ecclesiarum esse consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Pariter in vita S. Turribii Romæ edita anno 1726. occasione Canonizationis ipsius *lib.* 2. *cap.* 24. narratur, nulli pepercisse labori, nullo periculo, nulli incommodo, ut omnibus degentibus in vastissima diœcesi Archiepiscopatus Limani sacram Confirmationem conferret; ita ut multorum opinio sit, decies centena circiter hominum millia ipsius manibus fuisse sacramento Chrismatis confirmata: & concordat bulla Canonizationis *pag.* 579. *cod. Canoniz. Unde Christianitas illarum partium, Deo favente, mirifice aucta est, ita ut ad nongentos & eo amplius mille Fideles salutari fonte renatus ipse unus per manus impositionem Chrismatis sacramento confirmaverit.*

57. Transeamus ad Ordinum collationem. *Manus cito nemini imposueris*, inquit Apostolus *in epist.* 1. *ad Timotheum cap.* 5. Joannes Moscus Scriptor VII. sæculi in opere, cui titulus, *Pratum spirituale*, refert, S. Leoni M. ante sepulcrum SS. Apostolorum Petri & Pauli deprecanti pro suorum peccatorum remissione Petrum Apostolum apparuisse, eique dixisse: *Deprecatus sum pro te Dominum, a quo tibi condonata sunt peccata, sic tamen, ut obnoxius adhuc sis reddendæ apud Deum rationis temerariæ manuum impositionis.* De sacra Ordinatione peragenda sic loquitur S. Gregorius *epist.* 49. *ad Adeodatum Primatem Numidiæ lib.* 3. *indict.* 11. (*col.* 660. *oper. tom.* 2.): *Estote ergo præcipue in Ordinatione solliciti; eorum enim, qui in sacro sunt Ordine collocandi, prius vitam moresque discutite; &, ut dignos huic officio adhibere possitis, non vobis potentia, aut supplicatio quarumlibet surripiat personarum. Ante omnia autem cautos vos esse oportet ut &c. nulla præveniat in Ordinatione venalitas.* Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus *in admonit. ad nepotem controv.* 5. scribit, Episcopos imitari debere sanctos Pontifices Romanos, qui in primordiis Ecclesiæ parcissimi erant in ordinandis Episcopis, licet Ecclesia Romana etiam inter Persecutores amplissima esset & copiosissima. Et in opere *de gemitu columbæ lib.* 2. *cap.* 5. ait, ex facilitate manus imponendi factum esse, *ut hoc tempore sit prope infinita turba Clericorum, quorum plurimi non aspirant ad sacros Ordines, ut sit Dominus pars eorum, sed vel subtrahant se a Foro sæculari, vel ut subsidium quærant vitæ temporalis, vel ut ad honores Ecclesiasticos ascendant; atque hinc fit, ut multi circumeant cum magna jactura Ecclesiasticæ dignitatis sordidi, ac ostiatim mendicantes, alii vero, quod multo gravius est, culpa sua etiam Sacerdotes inveniantur in publicis carceribus, vel catenis alligati in triremibus cum ultima fæce hominum ad remos trahendos assidua fustigatione cogantur.* Huc facit illud Patrum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. *Paucos idoneos & probatos habere satius est, quam multos inutiles, atque adeo ipso vitæ genere perniciosos.* Concordat aliud *in can. Tales, dist.* 23. *Melius est enim Domini Sacerdoti paucos haberi Ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant.* In sacrosancto Tridentino Concilio Decreta extant præcipua super collatione & susceptione Ordinum, digna plane, quæ quam exactissime serventur. Quocirca in primo Concilio Mediolanensi *tit. de sacramento Ordinis* habetur: *Cum Tridentina Synodus accurate complexa sit omnem diligentiæ rationem, quam in conferendis Ordinibus adhibere debent Episcopi, ut Ecclesia idoneos Sacerdotes, aliosque Ministros habeant.* Quam porro exacte Vener. Dei Servus Cardinalis Bellarminus, dum erat Archiepiscopus Capuanus, opere impleverit, quod scriptis de sacra Ordinatione docuerat, legi potest in ejus vita scripta a Patre Fuligatto *cap.* 23. *pag.* 192. Præter administrationem sacramenti Confirmationis, & collationem Ordinum aliæ quoque Ecclesiasticæ functiones ab Episcopis peragendæ sunt, quæ si omittantur, ecquis est, qui Episcopum a culpa excusare possit? Anno 1561. cum Lovaniensibus typis Ivonis Carnotensis Decretum evulgaretur, doctus Auctor nonnullos Episcopos severe arguit propter earum omissionem: *Quotusquisque umquam vel portiunculam aliquam officii attigit sui? Ecquis? altaria unxit, ecclesias dedicavit, Virgines sacravit, Pœnitentibus, illustrasisque manum imposuit?* Ecclesiarum consecratio nescio quid sanctum, ac religione Christiana dignum spirat; quemadmodum bene observat Martene *de antiq. Eccles. ritib. tom.* 3. *lib.* 2.

cap.

cap. 13. De S. Carolo Borromæo Giussanus in ejus vita lib. 8. cap. 10. scribit, eum viginti quatuor annorum spatio, quibus Mediolanensem Cathedram tenuit, trecenta, & eo amplius tum altaria, tum templa consecravisse, & intra octodecim dies quatuor decies sacram hujusmodi functionem obivisse.

18. Sequitur collatio Beneficiorum. Personis autem magis idoneis Ecclesiastica Beneficia conferenda sunt. Quare Innocentius III. *in cap. 1. ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, ait: *Nam ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium, & Beneficium in persona magis idonea dispensare.* Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 24. cap. 1. de reform.* ait, *eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint . . . . præfici diligenter curaverint.* Cardinalis de Lugo *de just. & jur. disp. 35. n. 12.* recte animadvertit, Tridentinum non imposuisse novam in hac re obligationem, sed antiquam explicasse, quæ oritur ex lege naturali: & inter propositiones damnatas ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. Quadragesima septima hæc est: *Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Nova methodus quoque ab eodem sacro Tridentino Concilio *sess. 24. cap. 18. de reform.* statuta est in collatione Ecclesiarum parochialium: *Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his* (sermo est de Examinatoribus) *idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.* De S. Carolo Borromæo hæc habentur in bulla Canonizationis ipsius: *Severus tamen arbiter erat in expendendis meritis personarum, cum de Ecclesiasticis Beneficiis, & officiis conferendis ageretur; Beneficia enim, nisi magis idoneis, non dabat, neque in illis dispensandis ullatenus a sacrorum Canonum dispositione recedebat.* Et in amplissimo Cardinali Federico Borromæo apud Ciacconium *in Sixto V.* proponitur exemplum, quod ceteri imitentur Episcopi in collatione Beneficiorum: *In conferendis Sacerdotiis librator diligentissimus Candidatorum merita magis pensabat, quam vota; humeris aptabat onera inspectos virtutis, non gratiæ.*

19. De Confessariorum electione, & Monialium regimine nonnulla dicenda sunt. In Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 15. de reform.* cautum est, ne ullus Regularis possit Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur. In primo autem Concilio provinciali Mediolanensi *part. 2.* peragendi examinis ratio insinuatur: *In iis probandis hanc rationem habeant Episcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute soliciti & fideles custodes sint eorum, quæ in Confessione dicuntur, provecta etiam ætate, præsertim illi, quibus Confessiones mulierum erunt audiendæ.* Et Cardinalis de Lauræa *in tract. de sacramento Pœnitentiæ disput. 20. num. 40.* postquam hæc, quæ sequuntur, præmisit: *Pœnitens sæpe ignarus est, nescitque peccatorum circumstantias, & sæpe luxuriam confitetur non distinguens species, sæpe numerum non exprimit, vel dolorem debitum non habet, aut propositum, quorum defectu facis nullam Confessionem, si autem Minister caret scientia, non potest succurrere tali Pœnitenti, neque curare, ut debito modo fiat Confessio;* subjicit *num. 53. Unde infero, gravissime etiam peccare Episcopos, & alios Prælatos, qui tales Sacerdotes ignorantes suis ovibus præficiunt.* Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus *con. 8. §. 2. & 3.* mala enumerat, quæ a malis Confessariis causam habent: *Isti sua imperitia & superbia corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt. Nec enim esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Porro ut digni assumantur ad Ordines, ad Beneficia, & officia ea prosunt, quæ statuta sunt a sacro Concil. Trident. *sess. 23. c. 18. de Seminariis erigendis.* Quocirca in bulla Canonizationis S. Caroli legitur, eum pueris, & adolescentibus civitatis & diœcesis, tum Clericis, tum laicis, necnon Helvetiis, & Rhætis moribus & litteris informandis, itemque Presbyteris Sæcularibus in regimine animarum erudiendis Seminaria & Collegia instituisse. Et in bulla Canonizationis S. Thomæ de Villanova, tria erexisse dicitur Collegia, quæ pinguibus dotavit proventibus, primum Valentiæ, alterum Compluti, tertium Oriolæ, a quibus viri tum probitate, tum doctrina præstantes plurimi prodiere. Et in processibus causæ Ven. Dei Servi Cardinalis Francisci Ximenes Archiepiscopi Toletani ex testibus, Historicis, summorumque Pontificum Apostolicis litteris comprobatum est, eum, licet tantis negotiis esset distentus, studium nunquam prætermisisse Complutensis Academiæ erigendæ & augendæ; ecclesiam Collegiatam SS. Justi & Pastoris, intercedente auctoritate summi Pontificis, adjunxisse eidem Academiæ, ut ejus ecclesiæ Beneficia Magistris & Professoribus ad Rectoris arbitrium conferrentur; præter decem & septem Canonicatus Sacerdotales, & duodecim portionarios inter Professores Academiæ distribuendos, quos ipse ære proprio dotavit ad summam usque aureorum centum & quinquaginta millium, quæ ad hunc finem collegerat, & in arce Uzedana deposuerat.

20. Quoad regimen Monialium, Tridentinum Concilium *sess. 25. de Regularibus, & Monialibus cap. 10.* jubet Episcopos diligenter attendere, ut Sanctimoniales semel saltem singulis mensibus Confessionem peccatorum expleant, & sacrosanctam sumant Eucharistiam: & *cap. 5.* eisdem mandat Episcopis, ut Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restituant, &, ubi inviolata est, conservari maxime curent. Quod autem attinet ad earum regimen, sapientissimum est monitum Ven. Dei Servi Juvenalis Ancinæ Salutiarum Episcopi, cujus Beatificationis causa pendet in sacrorum rituum Congregatione. In ejus enim vita *lib. 2. cap. 8.* hæc habentur: *Avvertite* (eos Dei Servus alloquebatur, qui Monialibus præerant) *Avvertite, sono Vergini, spose di Cristo: conviene conservarle. Fate opera, che regni Cristo tra loro, e non entri il lupo; e se alcuna di esse a caso diviene infetta, procurate d'ajutarla quanto prima, acciocchè non danneggi le altre. Fate, che osservino puntualmente le Regole, spendano bene il tempo, e leggano libri fruttuosi, che le ajutino alla perfezione Religiosa, che professano.* Exacta ergo observantia in Monialium regimine Episcopo injungitur; ita tamen, ut frequens & solitaria cum eis conversatio nullatenus admittatur. De S. Augustino refert S. Possidius in ejus vita *cap. 26. Etsi forte ab aliquibus feminis, ut videretur, vel salutaretur, rogabatur, numquam sine Clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis umquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset.* Hanc ad rem observat Erasmus in epistola dedicatoria ad Archiepiscopum Toletanum: *Collegia mulierum, quæ instituerat, raro admodum inviseret, nec omnino cum ulla femina misceret colloquium, nisi præsentibus Clericis, aut aliis matronis, nisi forte quid esset arcani, quod unius auribus esset committendum.*

21. De veneratione & obsequio erga summum Pontificem & Sedem Apostolicam habenda est ratio in examine causarum Servorum Dei, qui, dum viverent, Episcopali dignitate fulserunt. In solemni examine, quod consecrationi Episcopali præmittitur, Consecrandus interrogatur: *Vis traditiones Orthodoxorum Patrum, ac decretales sanctæ & Apostolicæ Sedis Constitutiones veneranter suscipere, docere, ac servare?* Cui interrogationi respondet: *Volo.* Consonat alia interrogatio: *Vis Beato Petro Apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi atque solvendi, ejusque Vicario Domino nostro Papa N. suisque Successoribus Romanis Pontificibus fidem, subjectionem, & obedientiam secundum canonicam auctoritatem per omnia exhibere?* Et huic interrogationi Consecrandus pariter respondet: *Volo.* Supra memoratus Ludovicus Abelly Episcopus Rutbenensis in opere citato *de veneratione, & obsequio præstandis ab Episcopo erga summum Pontificem* sic ait: *Porro hæc subjectio & obedientia, quidquid Hæretici, vel Politici obloquantur, non ullius humani respectus, aut proventus intuitu, non servili metu, non adulatorio, aut superstitioso cultu, sed libero, religioso, ac pio affectu, sicut ab omnibus Catholicis, sic maxime ab ipsis sacris Antistitibus Romano Pontifici, tamquam supremo Ecclesiæ capiti, defertur; idque, ut Ecclesiasticæ hierarchiæ ab ipso Deo præscriptus ordo servetur, atque summi & æterni Pastorum Principis supereminens magnitudo in eo, cui vices suas demandavit, clarius innotescat, & ipse Christus Dominus in persona Vicarii sui agnoscatur tamquam a Deo Patre constitutus supra omnem Principatum, & Potestatem, Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum*

lum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, omniaque sub pedibus ejus subjecta videat. Joannes XXII. *in Extravag. Ut Prælatorum, de majorit. & obedien.* debitæ venerationis defectum erga Summum Pontificem ait esse virtuti religionis oppositum: *Et ipsorum* (hoc est Prælatorum) *ad Christi Vicarium indevotio, religiositati quippe contraria, non immerito arguenda.* Sinceram venerationem erga summum Pontificem & Sedem Apostolicam a S. Carolo Borromæo semper exhibitam testatur Giussanus in ejus vita. De virtutibus & miraculis S. Bennonis Episcopi Misnensis in Saxonia agunt Bollandiani *tom. 3. Junii pag. 446.* & Matthæus Raderus *in Bavaria sancta t. 3. pag. 185. secundæ editionis*, & in bulla Canonizationis ipsius edita ab Hadriano VI. narratur, quomodo, vigentibus magnis inimicitiis inter S. Pontificem Gregorium VII. & Henricum IV. Imperatorem, & Imperatori parentibus non solum Principibus, sed etiam universis Germaniæ & Galliarum Episcopis, solus Beatus Benno Decreti Imperatoris auditor non fuit, immo Imperatorem, & Marchionem Misnensem hostes religionis judicatos censuris affecit, conjectusque icciren in vincula, non multo post in pristinum statum est restitutus.

22. Omitti non potest, cum agitur de Servis Dei Episcopis beatificandis aut canonizandis, examen, quomodo se gesserint erga sæculi Principes, cum quibus (ut sæpe accidit) quæstiones intercedunt. Aureum est monitum Cardinalis Bellarmini ad nepotem *controv. 7. Hæc res videtur hoc tempore esse lapis offensionis & petra scandali, & valde difficile est sic libertatem Ecclesiasticam defendere, ut indignationem eorum non incurramus, vel sic eam negligere, ut non incurramus in offensionem Dei, & ejus Vicarii. Duo in re tam ardua mihi occurrunt. Primum, ut nihil temere, & sine maturo consilio agamus, &, si nobis non adsint in præsentia viri periti, quorum consilio fidere possimus, scribamus, si tempus patitur, ad absentes. Alterum, ut sic vivamus, ut intelligant Principes, vel Principum Administri, nos non quærere occasiones cum illis rixandi, sed sola Dei timore & amore duci, ut libertatem Ecclesiasticam defendamus, & alioqui eorum amicitiam optare & magnificare; & re vera conemur officiis & beneficiis amicitiam illorum diligenter conservare & nutrire: multa enim Principes sæculi amicis Episcopis concedunt, quæ non concederent iis, quos adversarios sibi esse sciunt, aut credunt.* Porro, ut a reliquis abstineamus exemplis, cum S. Ambrosius eo modo se gesserit in concertationibus, quas habuit cum Imperatoribus Valentiniano & Theodosio, quæ volebat, assecutus est, & Ecclesiastica jura absque eorum indignatione propugnavit. De concertatione ab ipso habita cum Imperatore Valentiniano hæc leguntur apud Theodoretum *lib. 4. cap. 7. Paucis post diebus elapsis, cum divinus Ambrosius multa cum libertate Imperatorem alloquens, nonnulla reprehendisset, quæ a Magistratibus haud recte facta esse videbantur, respondit Imperator: Hanc tuam libertatem jam pridem cognitam habebam. Sed licet eam probe nossem, non solum non contradixi, immo assensum præbui ordinationi tuæ.* De prohibitione autem ab eo facta Imperatori Theodosio, ne Ecclesiam ingrederetur, nisi peracta pœnitentia criminis admissi in miseranda Thessalonicensium cæde, sic scribit idem S. Ambrosius in oratione, quam habuit in ejus funere (*num. 34. col. 1207. oper. tom. 2.*): *Dilexi Virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret. Stravit omne, quo utebatur, Insigne Regium. Deflevit in ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat; gemitu & lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit Imperator, publice agere pœnitentiam; neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Item apud Surium *ad diem 17. Novembris* narratur, S. Hugonem Episcopum Lincolniensem Richardo Regi restitisse, qui Episcopos & Prælatos Angliæ in unum convocari jusserat a Cantuariensi Archiepiscopo, ut illis indicaret, Regem pecuniis indigere, & cupere ab iis adjuvari. Restitit autem sanctus Præsul animadvertens, pauperculam plebem ea ratione gravari; & ad Regem properans adeo eum sua magnanimitate perculsit, ut & mitissimo animo ejus objurgationes acceperit, & eo abeunte, Rex, ad suos conversos dixerit: *Si omnes Episcopi tales essent, nihil adversus eos possent sive Reges, sive Principes.*

23. De redituum tandem erogatione, proindeque de eleemosynarum largitione quærendum est, cum agitur de Dei Servis, qui Episcopi fuerunt. Cumque reditus in duplici sint differentia, alii videlicet, qui proveniunt ex Bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, alii, qui proveniunt ex Bonis Ecclesiasticis, & Bonorum quidem primi, & secundi generis Ecclesiastici dominium habeant, possunt eorum reditus sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri; ita tamen, ut non sint immunes a peccato, si eos minus recto distribuant affectu. Deducitur hæc regula ex *can. 39. & 46.* inter eos, qui *Apostolici* dicuntur: *Ut Episcopi, quæ propria ipsorum sunt, valeant in quoscumque placuerint heredes transferre, ut tamen ad alios res Ecclesiæ minime transeant.* Deducitur quoque ex *can. Episcopi*, ex *can. Manifesta*, ex *can. Si manifesta 12. quæst. 1.* & est doctrina D. Thomæ *2. 2. quæst. 185. art. 7.* ubi quærit, utrum Episcopi mortaliter peccent, si Bona Ecclesiastica, quæ administrant, pauperibus non largiuntur: respondet enim modo, qui sequitur, quoad Bona patrimonialia, vel quasi patrimonialia: *Propriorum Bonorum verum dominium habent, unde ex ipsa rerum conditione non obligantur, ut eas aliis conferant, sed possunt eas vel sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri: possunt tamen in earum dispensatione peccare propter inordinationem affectus, per quam contingit, vel quod sibi plura conferant, quam oporteat, vel aliis etiam non subveniant, secundum quod requirit debitum charitatis. Non tamen tenentur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ.*

24. Porro non desunt exempla SS. Episcoporum, qui Bona etiam patrimonialia in pios & sanctos usus erogarunt. De S. Osmundo Episcopo Saresberiensi in Anglia Callistus III. in bulla Canonizationis *pag. 169. cod. Canonizat.* ita loquitur: *De Bonis a Deo sibi collatis in Regno Angliæ tunc in suis primordiis tenuem & exilem* (sermo est de Episcopatu Saresberiensi) *nova quadam fundatione, ac ampla sui patrimonii dote, & largitione ditavit prævia, scilicet terras & possessiones sui Comitatus Dorsetis, & quæ ad ipsum alias legitime pertinebant.* Et Paulus Papa V. in bulla Canonizationis S. Caroli Borromæi *pag. 294. cod. cit.* sic prosequitur: *Eoque processit pauperibus subveniendi studium, ut Oritanum Principatum reliquum patrimonii sui, nec tenuis reditus, distraheret, & quadraginta millium scutorum pretio, quamvis vili, inde percepto, diversis piis locis Mediolani tantum pecuniæ paucissimis horis attribueret.*

25. Egregia sunt hæc SS. Antistitum facta, quæ, licet maximopere commendanda sint, eo tamen laus progredi non debet, ut, si quis Episcopus justis ex causis de rebus suis patrimonialibus testari voluerit favore consanguineorum, id sit habendum insuperabilis obstaculi loco, quoties de ipsius virtutibus approbandis quæstio instituitur pro Beatificatione aut Canonizatione. Si etenim Bona ex Majorum testamento debeant in familia remanere, absonum esset, Dei Servum ea distrahere. Quapropter Carolus a Basilicapetri penes Surium *ad diem 4. Novembris* hæc refert de S. Carolo Borromæo: *A Majoribus accepta Bona, quæ fideicommissi jure manere in familia necesse erat, Francisco Borromæo Comiti patruo reliquit, eique patrueles suos Comites substituit Renatum, & Federicum, qui quidem, Francisco ante Carolum mortuo, ei successerunt.* Cumque S. Franciscus Salesius in testamento una cum fratre adjutore in Episcopatu Gebennensi insimul condito Anicii die 6. Novembris 1622. fratri Equiti Hierosolymitano legasset annuos florenos ducentos & sex, filiis alterius fratris præmortui Dynastæ Boesiaci, & Villarogeti aurea solarea bis mille, & patrimonialium heredem instituisset Ludovicum fratrem superstitem Dynastam & Baronem Salesium, Torrentinum, & Tullianum cum successiva vocatione majoris natu ex filiis masculis illius; deficiente autem linea masculina, vocasset in infinitum majorem natu ex masculis descendentibus a fratre præmortuo; & Anonymus quidam sanctitatem Francisci Salesii ob idipsum acriter impugnasset, dum de ejus virtutibus quærebatur in sacrorum rituum Congregatione, Petrus Franciscus de Rubeis tunc Fidei Promotor jussus pro veritate sensum suum aperire, postquam demonstravit, Bona, de quibus testatus Franciscus fuerat, non fuisse ex reditibus Ecclesiasticis quæsita, conclusit, ex prædicta testamentaria ordinatione nihil inferri posse adversus heroicas ejus virtutes.

26. At, si de Bonis Ecclesiasticis, vel de reditibus ex Bonis hujusmodi perceptis loquamur, quamvis certum sit Episcopos, qui habent reditus Ecclesiasticos ampliores his, qui pro congrua eorum sustentatione necessarii sunt, teneri in pauperes, & alios pios usus erogare, juxta Textum *in can. Fratrem nostrum dist. 86. Dic ergo* (nempe Episcopo Mariano) *ut non sibi credat, solam lectionem & orationem sufficere, ut remotus nihil studeat de manu sacrificare, sed largam manum habeat, necessitatem patientibus succurrat, alienam inopiam suam credat, quia*

si hoc

si hoc non habet, vacuum nomen Episcopi tenet; cum quo concordat alter Textus *in can. Florentino*, *dist.* 85. ubi Archidiaconus Florentinus in sacra scientia versatissimus ab Episcopatu rejicitur, quod ab eleemosynis elargiendis alienus esset; quæstio tamen adhuc sub Judice remanet, an obligatio superflua distribuendi in pauperes, & alios pios usus a charitate oriatur, an a justitia, ita ut qui non distribuit, teneatur ad restitutionem. Fagnanus *in cap. Si quis, de peculio Clericorum* stat pro obligatione ex charitate: Cardinalis Capisucchius *controv.* 30. stat pro obligatione ex justitia: & hæc esse videtur sententia D. Thomæ, qui *loc. cit.* hæc habet: *Sed Ecclesiasticorum Bonorum sunt dispensatores*, (loquitur de Episcopis) *ad dispensationem autem requiritur bona fides secundum illud* 1. *ad Corinthios* 4. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. *Sunt autem Bona Ecclesiastica non solum in usus pauperum, sed etiam ad cultum Divinum, & necessitates Ministrorum expendenda &c. Si ergo distincta sint Bona, quæ debent in usus Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & Ministris, & cultui ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum Ministrorum, aut in cultum Divinum expendenda, non est dubium, quin contra fidem dispensationis agat, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis Bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum & usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Si vero non sunt prædicta Bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur; &, si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento . . . Si vero sit multus excessus, non potest latere: unde videtur bonæ fidei repugnare, & ideo non est absque peccato mortali*. S. Doctor distinguere videtur casum a casu, casum videlicet, in quo distincta sint Bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & Ministris, & cultui ecclesiæ applicanda, ab alio casu, in quo reditus Episcopales ita inveniuntur dispositi, ut Bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, non sint distincta ab his, quæ sunt pauperibus, & Ministris, & cultui ecclesiæ eroganda; idemque S. Doctor concludere videtur, in primo casu idem judicium ferendum esse, quod prolatum est, dum agebatur de Bonis patrimonialibus, quorum erogatio, si sit inordinata, peccato non caret, sed non obligat ad restituendum; in secundo autem casu, si Episcopus multum excedit, applicando sibi, quæ essent pauperibus, aut ecclesiæ applicanda, ad instar mali administratoris & dispensatoris peccat contra justitiam, & sic ad restitutionem tenetur: quod dilucidius explicat *in epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 12. *lect.* 5. ubi, cum sibi id opposuisset, *Videtur, quod male fecerint Principes, & alii, dando divitias Prælatis*; respondet: *Dicendum est, quod non dederunt Prælatis propter se, sed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, sed pauperibus . . . Prælatis autem dantur, tanquam pauperum dispensatoribus*.

27. Hæc autem innuisse satis sit: quandoquidem, sive obligatio erogandi superflua in pauperes & usus pios causam habeat a charitate, sive a justitia, certum est, eum, qui hac in re modum excesserit vel superflua non erogando, vel sibi plus impendendo, quam rei necessitas, aut dignitatis gradus exposcerent, eum, inquam, dici non posse virtutibus excelluisse; immo adversus aliarum virtutum heroicitatem ex prædicto abusu redituum Ecclesiasticorum insuperabile constitui obstaculum. S. Bernardus *epist.* 2. *num.* 11. *col.* 12. *vol.* 1. *oper.* Ecclesiasticos omnes in unius Fulconis persona sic interpellat: *Conceditur ergo tibi, ut, si bene deservis, de altario vivas, non autem, ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas &c. Denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*. Et *serm.* 23. in Cantica (*col.* 1348. *num.* 12.): *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur. Duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & Sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur*. Et *declamat. in illud Evangelii, Ecce nos reliquimus omnia*, hæc habet: *Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi Ministri & Dispensatores, non utique domini, vel possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere, aut habere delicias, vel ornatum; sed vivere, ait Paulus, ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere*. Et *epist.* 42. (*col.* 470. *cap.* 2. *num.* 6.): *Dicite Pontifices, non quidem in Sancto, sed in freno quid facit aurum? . . . . Hoc, me etiam tacente, nisi non Curia Regum, tamen penuria pauperum clamat &c. Nobis frigore & fame miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, & nos sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte, quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis*. De temperantia in mensa, supellectili, & veste sanctorum Episcoporum exempla desumi possunt ab his, quæ leguntur de SS. Ambrosio, Augustino, Martino, Paulino, Epiphanio, Germano, Hilario, Athanasio, Basilio, Gregorio Thaumaturgo, Gregorio Nisseno, Joanne Chrysostomo, quæ summa diligentia collecta fuerunt a Thomassino *de vet. & nov. Eccles. discipl. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 34. *& seqq.*

28. Quæ dicta sunt quoad erogationem eorum, quæ ex reditibus Episcopalibus supersunt, ultra modestam Episcopi sustentationem, evitari profecto non possunt, si impendatur pro nepotibus, & consanguineis ditandis; immo, si non validius, saltem æquale hinc derivatur obstaculum adversus virtutes Dei Servi, qui fuit Episcopus. Sacrum Tridentinum Concilium *sess.* 25. *de reform. cap.* 1. ita loquitur: *Omnino vero eis* (id est Episcopis) *interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuant, eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa; immo, quam maxime potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant*. Concilium loco supra citato id extendit ad omnes habentes Beneficia tam Sæcularia, quam Regularia, necnon ad S. R. E. Cardinales: quod ipsum quoad Cardinales jam fuerat decretum a Leone X. *Constit.* 8. §. 20. (*tom.* 3. *part.* 3. *Bullar. nov. pag.* 397.): *Et cum minime deceat, affines & consanguineos, præsertim benemeritos & ope indigentes, negligere, sed illis providere justum & laudabile sit, non propterea tamen vel Beneficiorum multitudine, vel Ecclesiasticis reditibus ita eos impleri, convenire arbitramur, ut ceteri damnum ex hujusmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde scandalum nascatur. Statuimus itaque, ut Ecclesiarum Bona temere non effundant, sed ea in piis & sanctis operibus exponant; quorum causa magni & optimi reditus per sanctos Patres statuti & ordinati fuerunt*. Et Innocentius Papa XII. Constitutionem edidit ad moderandas donationes & distributiones redituum Ecclesiasticorum in consanguineos, vel affines Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos: *Quod si fratres, nepotes, consanguinei, vel affines, seu eorum loco adlecti sive adsciti præfata inopia laboraverint, poterit Romanus Pontifex pro tempore existens pro timorata sua conscientia illorum paupertatem eodem omnino modo sublevare, quo pauperum extraneorum inopiæ subvenire fas est &c. Eam in redituum & proventuum Ecclesiasticorum distributione eis facienda servari volumus moderationem, ut non nisi juxta eorum merita, & non ultra congruam pro gradus vel dignitatis, quem vel quam in Ecclesia obtinuerint, nullo ad consanguinitatem, affinitatem, seu adlectionem erga Romanum Pontificem habito respectu, sustentationem, ejusmodi reditus & proventus Ecclesiastici eis distribuantur*: & si, exigentibus meritis, aliquem ex eis assumi contigerit ad sublimem Cardinalatus dignitatem, idem Pontifex in citata Constitutione decrevit, ut ex Beneficiis quibuscumque, & Pensionibus ei summa annua assignetur non excedens verum valorem annuum duodecim millium scutorum monetæ Romanæ,

Nec enim fas erat Propinquos Romani Pontificis a dignitate Cardinalatus arcere, cum multi ex eis fuerint, & sint, & esse possint moribus & doctrina illustres. Nemo est qui merita ignoret Ven. Dei Servi Cardinalis Bellarmini. Hic autem fuit filius sororis Marcelli II. & inter Cardinales cooptatus fuit a Clemente VIII. Nemo qui non sciat sanctitatem S. Caroli Borromæi, qui Cardinalium Collegio adscriptus fuit ab avunculo Pio IV. Nemo qui perspectos non habeat pios & spectabiles mores Roberti Nobilis, qui a Julio III. propatruo creatus est Cardinalis, quique consummatus in brevi explevit tempora multa, ut ex ejus vita colligi potest, formis Urbini iterum impressa anno 1728. opera potissimum & studio Bernardini Narii meritissimi Præsulis, & olim a Secretis sacræ Congregationis Boni Regiminis.

29. Statuta in Sacro Concilio Tridentino, & in allegatis Constitutionibus suum habent fundamentum in recta, antiqua, & constanti Ecclesiæ disciplina: ex quo proinde fit, ut non desint exempla illustris moderationis a sanctis Episcopis, & optimis summis Pontificibus adhibitæ erga Propinquos & affines. In vita S. Laurentii Justiniani scripta a Bernardo Justiniano ejus nepote ita legitur *cap. 5. Primum illi de pecunia institutum fuit, ut nullum penitus sibi cum fratribus esset commercium &c. Illud in amoris fraterni signum retinuit, ut in Paschate, & Nativitate Domini, & festo Apostolorum Petri & Pauli eos donaret duobus panibus ex farinæ flore confectis. Post mortem autem fratrum idem tributum mihi semper pendit. Quin potius & a fratribus adjutus ipse est pecunia grandi in bullis Apostolicis Episcopatus, & a me deinceps non minori, præsertim cum ad Patriarchatum evectus est.* Summorum Pontificum Clementis IV. Martini VI. Urbani V. Hadriani VI, Marcelli II. egregiæ moderationis erga carnem & sanguinem exempla late referuntur a Thomassino *loc. cit. part. 3. lib. 2. cap. 46. num. 8. & seqq.* & a Theophilo Raynaudo *operum tom. 12. in opere, cui titulus*, Mala e Bonis Ecclesiæ, *pag. 217. & seqq.* ubi addit exemplum Benedicti XII. relatum in historia Pontificum Gallorum, qui Avenione sederunt, per Boschetum edita: & quomodo erga eosdem se gesserit S. Pius V. plene habetur in relatione Rotæ Auditorum edita in causa Canonizationis ipsius, *tit. de temperantia*; & in vita Cardinalis Bellarmini scripta a Patre Bartolo *lib. 3. cap. 7.* Votum affertur ab illo nuncupatum Deo die 26. Septembris 1614. *Voveo Deo omnipotenti in conspectu Beatæ Virginis Mariæ, & totius cælestis Curiæ, quod, si forte (quod non cupio, & precor Deum, ut non accidat,) ad Pontificatum assumptus fuero, neminem ex consanguineis vel affinibus meis exaltabo ad Cardinalatum, vel temporalem Principatum, vel Ducatum, vel Comitatum, vel alium quemcumque titulum, neque eos ditabo, sed solum eos adjuvabo, ut in statu suo civili commode vivere possint. Amen, amen. Hoc votum feci, non quod damnem eos Pontifices, qui consanguineos vel affines idoneos & dignos ad Cardinalatum evexerunt, sed quia existimavi, hæc tempora ita requirere ad majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ faciliorem reformationem, & sanctæ Fidei propagationem.*

30. Item, cum præscriptæ a Tridentino, & aliis Constitutionibus moderationes in re de qua nunc agitur, nihil aliud sint, quam antiqui juris declarationes, de eis quærendum erit non modo in causis Servorum Dei, qui post eas vixerunt, sed aliorum etiam, qui ante eas pie in Domino mortui sunt. In causa Ven. Servi Dei Francisci Cardinalis Ximenes Archiepiscopi Toletani Petrus Franciscus de Rubeis & Prosper Bottinius Archiepiscopus Myrensis Fidei Promotores opposuerunt illi nimium erga carnem & sanguinem affectum, cum Joanni fratri Eleonoram filiam Joannis Zappatæ Domini Barajarum prædivitem studuerit matrimonio locare, & Benedicto fratris filio uxorem dare Petronillam Mendoziam neptem ex sorore Ducis Infantadi, cui ipse Ximenius magnam attribuit dotem ex amplis reditibus & possessionibus acquisitis, dum Oranum expugnavit, & gubernationi Regnorum præfuit; ut refert Gomesius *lib. 1. pag. 954. & 955.* qui etiam *lib. 5. pag. 1062.* narrat, neptem Mendozio nupsisse, quamvis veritus esset, ne dos prægrandis ab ipso exposceretur. Cui animadversioni Postulatores satisfacere conati sunt, ostendendo, nuptias prædictas non fuisse ab ipso quæsitas, sed exceptas, cum essent oblatæ, eo tamen animo, ut Academiam Complutensem, cœnobia, & cetera pia opera ab ipso fundata contractis illustribus affinitatibus juvaret; rursus, dotes non ex Bonis Ecclesiasticis, sed aliunde quæsitis fuisse constitutas; & in constitutione dotis, cum neptem nuptui tradidit Mendozio, serio ponderasse, an excederet, & pium Antistitem dedeceret; ut prosequitur Gomesius *loc. cit. Religiose timebat, ne propter nobilitatem generis, & bene fundatas divitias majorem dotem Bernardinus posceret, quam per esset a Christiano & pio Antistite numerari.* In causa Ven. Servi Dei Roberti Cardinalis Bellarmini ipse fungens munere Fidei Promotoris opposui, eum favore suorum consanguineorum Pensiones transtulisse Ecclesiasticas, alteram videlicet scutorum quatuor centum super Ecclesia Capuana, alteram scutorum ducentorum super Abbatia Nonantulana. Cui animadversioni Postulatores satisfacere conati sunt, demonstrando, prædictos consanguineos paupertate laborasse, nec sanctitati repugnare, si de Ecclesiasticis reditibus consanguineis pauperibus subveniatur, dummodo id fiat moderate, id est ut non indigeant, non ut ditiores fiant; juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst. 31. art. 3. ad primum*, & *quæst. 185. art. 7. ad secundum.* Horum Venerabilium Dei Servorum causa adhuc pendet in sacrorum rituum Congregatione, nec ulla super eorum virtutibus prodiit usque adhuc resolutio. Et in causa Ven. Servi Dei Innocentii Papæ XI. cum de ea introducenda ageretur, allati sunt a Postulatoribus testes referentes, quod & notorium in Urbe erat, ipsum nedum suo unico ex fratre nepoti aliquid de Bonis Ecclesiæ, aut Cameræ Apostolicæ non contulisse, sed etiam severe mandasse, ne ad habenda quædam licita & consueta admitteretur emolumenta, quibus præcedentium Romanorum Pontificum nepotes potiti fuerant.

31. Si a Dei Servo, de cujus agitur Beatificatione, ad amussim ea omnia fuerint observata, quæ modo dicta sunt de redituum Ecclesiasticorum erogatione, nihil erit, quod in examine causæ ipsius (si de defectu loquamur) opponi possit. At, si sermo de heroicitate instituatur, necessarium esse videtur, ut aliquid adsit extraordinarium, aliquid arduum, & non commune ceteris probis Episcopis, qui bene reditibus Ecclesiasticis utuntur. De S. Exuperio Tolosæ Episcopo S. Hieronymus *ad Rusticum* ita loquitur: *Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit.* De B. Elphego Archiepiscopo Cantuariensi legitur, quomodo captus a piratis Danis maluit carceres, cruciatus, & mortem experiri, quam ut res Ecclesiæ, quas pauperum esse dicebat, in suam liberationem expenderentur. In vita B. Petri Damiani apud Bollandum *die 23. Februarii pag. 424. cap. VII. num. 38. tom. 3.* hæc habentur: *Quis in vestiendis nudis, in reficiendis egenis, in visitandis ægrotis promptior illo potuit esse unquam, ... turba pauperum Episcopalia limina quotidie frequentante?* Fortunatus Pictaviensis Episcopus scripsit vitam S. Germani Parisiensis Episcopi. Extat apud Surium *ad diem 28. Maji pag. 320. num. 75. tom. 3.* En verba: *Ceterum, quantum eleemosynis fuerit prodigus, explicari non poterit, nec si totius populi vox in unum se conglutinet, qui frequenter post juge cilicium contentus uno tantum casula, vel tunica, quidquid erat residui, unde pauperi tribuebat, ut inops calesceret, largitore algente.* Apud eumdem Surium *ad diem 26. Martii* de B. Ludgero Monasteriensi Episcopo *pag. 259. num. 32. tom. 2.* hæc habentur: *Omnem censum, qui in hereditate ejus propria, vel in Episcopio colligebatur, mox distribuere studuit.* Guigo quintus Prior Majoris Carthusiæ scriptis mandavit vitam Hugonis Episcopi Gratianopolitani inter Sanctos solemniter relati ab Innocentio II. Extat etiam hæc vita apud Surium *ad diem 1. Aprilis pag. 7. num. 17. loc. cit.* En ejus verba: *Eleemosynæ sane suus & per se diligens executor, & in aliis etiam fervidus exhortator. Exceptis enim domus suæ dumtaxat necessitatibus, cuncta pene, quæ consequi poterat, non in thesauros congerebat, posterorum vel dissipanda litibus, vel consumenda luxibus ... distribuit lætus egentibus.* In Bulla Canonizationis S. Ludovici Tolosatis Episcopi edita a Joanne XXII. *pag. 124. cod. Canonizat.* ita legitur: *Ipse enim viginti quinque pauperibus, quos in sua domo reficiebat, quotidie aquam infundebat manibus, manuque sua ipsis fercula apponebat, ac panes scindebat, eisdem etiam genu flexo, in ipsis Christo servire, ac ipsum recipere se delectans.* In bulla Canonizationis S. Antonini edita a Clemente VII. *pag. 227. cod. cit.* subjicitur: *Semper aliquid de necessariis usibus suis detrahens, ut largior erga pauperes ac liberalior esse posset &c. Cumque omnes mensæ suæ Archiepiscopalis fructus, reditus, atque proventus in pauperum alimoniam, Virginum dotes, atque hospitalium sustentationem, aliosque pios usus erogasset, ac pro temporum angustiis esset pauperum copia, & nihil aliud superesset,*

se, unde pauperibus ipsis & indigentibus subveniri posset, a præfato Eugenio, & recolendæ memoria Nicolao V. ac Calisto III. & Pio II. Romanis Pontificibus similiter prædecessoribus nostris, quibus ob vitæ sanctitatem carus erat, non parvas pecuniarum summas in hujusmodi pios usus convertendas recipiebat, easque pauperibus ipsius distribuebat. In bulla Canonizationis S. Caroli Borromæi edita a Paulo V. *pag. 294. eod. cit.* dicitur: *In eleemosynis dandis ita se gessit, ut, in hoc opere præcipue abundasse, merito dici possit, ac dispersisse & dedisse pauperibus &c. Cum vero pestilentiam in civitatem & diœcesim Dominus immisisset, & gregem sibi commissum bonus Pastor miserabiliter affligi cerneret, ut egenorum calamitati temporalibus etiam auxiliis prospiceret, vel argentea vasa, stragulam, aliamque vestem, ostiorum vela, propriique demum lectuli solatium dedit.* In bulla Canonizationis S. Thomæ de Villannva edita ab Alexandro VII. *pag. 360. loc. cit.* legitur: *Adeo enim fuit in pauperes liberalis, & parcus erga se ipsum, ut, quo egenis, quorum se parentem gerebat, largius subveniret, laceras indueret vestes, quas propriis manibus farciebat, unicum pileum proprio usui domi asservaret, cubiculum storeis vestitum incoleret, super sarmentis in terra quiesceret, sæpe pauperes convivas ex eadem patina cibum sumere permittaret; ipse vero adeo parce comederet, ut senio & infirmitate confectus, unico, eoque modico ferculo mensam instrui permisceit, & Œconomo secus cum precibus suadenti sæpius respondevit, iniquum esse, ut servus pinguiori cibo, quam Domini sui pauperes vesceretur. Lintea e proprio cubili desumens, & indusiis se ipsum exuens, ea pauperibus largiebatur &c. Tandem his multisque aliis meritis plenus in febrim incidit, ac cum peculium domesticum jamdiu in piis usibus consumpsisset, quæ pauperrimæ supellectili superfuerant, inter pauperes Familiares partitus est. Oblitus vero cujusdam Commentariensis patris familias egeni, cubile, in quo ægrotans jacebat, cum nil aliud ipsi superesset, ei donavit, & tunc, quod suum erat, auferret, hortabatur: at, renuentibus Familiaribus ipsum super stoream ponere, ut fieri postulabat, mira humilitate per viscera Jesu Christi a Commentariensi ejusdem cubilis usum ad mortem usque precatus est, ut, qui aliis pauperibus totus vixerat, in alieno decedens pauperrimus moreretur.* Et in bulla Canonizationis S. Francisci Salesii *pag. 374. loc. cit.* idem Pontifex prosequitur: *Abstinentiam vero, ac frugalitatem tam in victu quam in vestitu severe retinuit, ut & sibi modum statueret, ac largius aliorum inopiæ subveniret. Namque hoc vere charitatis ingenium est, sibi detrahere, aliis addere. Sic mensæ imposita fercula ad pauperes ablegabat, subligacula, interulas, similesque pannos sibi demptos ad aliorum operimentum traducebat. Immo supellectilem argenteam, candelabra, urceolos, anulum ipsum Pastoralem oppignoravit, ne pauperes dolerent. Dotem puellis, quam poterat, amplam erogabat, ne ipsarum pudicitia periclitaretur. Peregrinos, ac Religiosos viros, tanquam fratres, domi excipiebat. Omnes demum egestate pressos non contracta manu solabatur, & tam copiose, ut, cum regionem late fames ac alimentorum inopia invasisset, neminem stipe frustratum prætermiserit, singulis egenis familiis certa tritici copia attributa.*

32. Beatus Petrus Damiani in epistola ad Desiderium Abbatem *pag. 640. cap. VII. opusc. 33. oper. omn.* narrat, Regulari Constitutione præcipiente, ut Abbatis mensa semper sit cum hospitibus, consuetudine receptum fuisse, ut Abbas semper tres pauperes juxta se in mensa haberet. Petrus Blesensis *in litteris ad Hugonem Redigensis monasterii Abbatem* nimis sumptuosam & splendidam redarguit nonnullorum Abbatum hospitalitatem: *Quid de hospitalitate dicam? Quæ merito hostilitas potius, quam hospitalitas censeretur, Christus enim causam ei non præstat, sed inanis gloriæ obtentus.* Demum post plura concludit: *Sumptus tam detestabiles & enormes non de labore aut patrimonio nostro fiunt, sed de eleemosynis Fidelium, de oblationibus atque Decimis, de tributis egentium animarum, de exactionibus pauperum, de obventionibus etiam Placitorum. Qui in sudore vultus pane nostro vesci debuimus, labores miserorum nobis usurpamus ad delicias, atque in crapula & ebrietate sudorem bibimus alienum.* Integra fere epistola refertur a Christiano Lupo *tom. 5. ad V. Concilium Romanum pag. 193.* ubi subjicit, eam esse legendam Episcopis, Abbatibus, & Canonicis, aliisque Decimas possidentibus.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

De nonnullis advertendis in causis Servorum Dei Ecclesiasticorum in inferiori gradu constitutorum, & signanter Regularium, dum de eorum Beatificatione & Canonizatione tractatur.

1. SOLEMNI ritu, & juxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam duo Presbyteri Sæculares nulli Religiosæ Congregationi addicti in album Sanctorum relati sunt, Ivo videlicet Trecorensis, & Joannes Nepomucenus, sed, cum postremus hic inter Martyres recenseatur, solus in hac classe remanet Ivo. Ex familiis deinde Regularium Propagatores & Conditores primarii eodem ritu Sanctis adscripti sunt Bernardus Claravallensis, Joannes Gualbertus, Stephanus Grandimontensis, Dominicus Prædicatorum, Petrus a Morono Cælestinorum (cujus sub nomine Cælestini V. in superioribus mentio facta est) Francisci duo, Minorum, & Minimorum, Ignatius Societatis Jesu Presbyterorum, Philippus Nerius Oratorii, Joannes de Deo Fratrum Hospitalitatis pauperum infirmorum, eximii Parentes, quibus ex alibi dicendis addendus est Cajetanus Clericorum Regularium Theatinorum Fundator. Abbates Benedictini succedunt Sanctorum fastis inscripti ritu, quo supra, Robertus videlicet Casedei, Sturmius Fuldensis, & Gerardus Silvæ majoris; & ex familia Fratrum Prædicatorum Thomas de Aquino, Raymundus, Vincentius Ferrerius, Hyacinthus, & Ludovicus Bertrandus, omisso Petro a Verona, utpote inter Martyres recensito; ex familia Fratrum Minorum Jacobus Picenus, Joannes a Capistrano, Bernardinus Senensis, Didacus a S. Nicolao, Petrus Alcantarensis, Paschalis a Baylon, Franciscus Solanus; ex familia Instituti Eremitarum S. Augustini Nicolaus Tolentinas, Joannes a S. Facundo; ex familia Capuccinorum Felix a Cantalicio; ex familia Servorum Beatæ Mariæ Virginis Philippus Benitius, Peregrinus Latiosus; ex familia Clericorum Regularium Andreas Avellinus; ex familia Patrum Soc. Jesu uterque Franciscus, Xaverius, & Borgia, Aloysius Gonzaga, & Stanislaus Kostka: quibus addendæ sunt Sanctimoniales, sumendo hoc nomen stricte, & large, Clara videlicet Assisiensis, Catharinæ duæ, Senensis, & Bononiensis, Rosa a S. Maria, Teresia a Jesu, Maria Magdalena de Pazzis, Agnes Politiana, Francisca Romana, & Margarita a Cortona; neo omittendi videntur Eremitæ, qui, superna afflante Gratia, uni Deo copulati cælestem in terris vitam duxerunt, Guillelmus, Theobaldus, & Simeon unus, & alter, Padolironensis, & Trevirensis, quatenus ille tamen non sit inter Beatos tantum recensendus, juxta ea quæ a Nobis relata sunt *lib. 1. cap. 44. num. 10. & seqq.* quod ipsum etiam de Guillelmo dicendum esse videtur, juxta pariter a Nobis animadversa *lib. 1. cap. 9. num. 11.*

2. In Clericis autem & Presbyteris Sæcularibus nulli Religiosæ Congregationi addictis indagandum præcipue esse videtur, quomodo ad Clericatum vocati sint, quomodo in eo vixerint, an muneri ab ipsis suscepto probe satisfecerint, præter ea quæ alibi diximus esse necessaria, ut quis inter Sanctos recenseatur, hoc est nunquam intermissum exercitium actuum heroicorum, cujus fulgori nullum præjudicium allatum sit. Dictum est autem, perpendendum esse modum, quo ad Clericatum vocati sunt, an videlicet per ostium intraverint, quemadmodum bene explicant Patres Catechismi Romani compositores *tit. de sacram. Ord. pag. 197. Illi autem ostio in Ecclesiam introire merito dicuntur, qui a Deo legitime vocati, Ecclesiastica munera ejus unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant. Neque tamen hoc ita accipiendum est, quasi eadem lex æque omnibus non sit imposita. Homines enim ob eam rem conditi sunt, ut Deum colant, quod præcipue Fideles, qui Baptismi gratiam consecuti sunt, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus præstare debent. Verum qui Ordinis sacramento initiari volunt, hoc sibi proponant, opus est, ut non solum Dei gloriam in omnibus rebus quærant, quod quidem cum omnibus, tum maxime fidelibus com-*

mune esse constat, sed etiam ut alicui certo Ecclesiæ ministerio addicti, in sanctitate & justitia illi serviant. Nam ut in exercitu omnes quidem milites Imperatoris legibus parent, sed inter eos tamen alius Centurio, alius Præfectus est, alii alia munera obeunt: ita, quamvis omnes Fideles pietatem & innocentiam sectari omni studio debeant, quibus rebus maxime Deus colitur, eos tamen, qui Ordinis Sacramento sunt initiati, præcipua quædam munera & functiones in Ecclesia exequi oportet; nam & Sacra pro se ipsis, & pro omni populo faciunt, & Divinæ Legis vim tradunt, ad eamque prompta & alacri animo servandam Fideles hortantur & instituunt, & Christi Domini Sacramenta, quibus omnis gratia impertitur & augetur, administrant, &, ut uno verbo complectamur, a reliquo populo segregati, in omnium longe maximo & præstantissimo ministerio se exercent. Concordant Patres Concilii Coloniensis primi *part. 1. cap. 91. Quo affectu, ac proposito accedant Ordinandi, videndum, accurateque investigandum, num videlicet Dei causa tantum, an potius suæ commoditatis gratia, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Quid enim est sua quærere, non quæ Christi sunt? nisi cum tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt, temporalia sequentes, lucris inhiantes, & honores expetentes. Quisquis ergo talis est, non ovili Christi idoneus Pastor futurus, sed mercenarius.* Quibus addi potest S. Hieronymus *ad Nepotianum de Vita Clericorum* una cum aliis plene cumulatis in *Catholic. institut.* Amati Pouget *tom. 2. cap. 7. de sacram. Ord.* §. 3. Dictum est etiam quærendum esse, quomodo muneri assumpto satisfecerint: quod non solum sibi vindicat locum quoad Ordinum receptorum executionem, juxta ea, quæ superius ex Catechismo Romano exposita sunt, & quoad exemplum vitæ illibatæ, juxta monitum Concilii Trident. *Sess. 22. cap. 1. de Reform. Sic decet, omnes Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præseferant. Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem;* sed etiam quoad officia assumpta, puta, si Dei Servus fuerit Canonicus, si Parochus, si Vicarius; quippe in his etiam indagandum est, quomodo se gesserit, quomodo Choro inservierit, quomodo Constitutionibus Capitularibus obtemperaverit, quomodo Ecclesiasticis proventibus usus sit; &, loquendo de Parochis, an strenue & heroice suo officio functi sint, cum Parochis quadantenus applicari possint, quæ superius dicta sunt de Episcopis.

3. Confirmantur hucusque deducta ex Actis causæ S. Ivonis relatis apud Bollandianos *ad diem 19. Maji*, ubi nedum exponitur, quam fuerit assiduus in Confessionibus excipiendis, in Missis recitandis, in concionibus ad populum habendis, in eleemosynis distribuendis, in jejuniis & pœnitentiis, in tolerantia adversorum, sed etiam quomodo munus Vicarii Generalis assumptum expleverit: *Fuit in vita sapiens & litteratus Officialis primo Archidiaconi Rhedonensis, & postea Dominorum Alani, & Gaufridi Episcoporum Trecorensium. In quibus officiis sancte & juste se habuit, unicuique justitiam colorem faciendo sine delectu & differentia personarum, & litigantes, & alios dissensionem habentes ad pacem & concordiam pro viribus reducebat. Pro pauperibus, viduis, orphanis, ceterisque miserabilibus personis gratis postulabat, & ipsorum causas fovebat, & ad eorum defensionem se offerebat etiam non rogatus: unde pauperum & miserabilium personarum Advocatus communiter vocatus.*

4. In causis Fundatorum, atque Reformatorum Ordinum Regularium quærendum esse videtur, qua auctoritate, quo spiritu ducti, qua prudentia provinciam eam aggressi sint, quem finem iis in rebus habuerint; an regimen concupiverint; &, quatenus non concupitum obtinuerint, quibus modis illud exercuerint, & an aliquid humanæ gloriæ eam in rem irrepserit; an Religio ab eis fundata, aut reformata utilis sit; & gloriæ Dei conducat; an Regulas, quas statuerunt, ipsi observaverint. Zelus ab omnibus prætexi potest, sed zelus sine prudentia & scientia nihil proficit, immo nocet, juxta illud S. Bernardi *serm. 49. super Cantica* (*col. 1440. oper. vol. 1.*): *Importabilis absque scientia est zelus &c. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.* Ponderari ad rem possunt, quæ de regimine a Patribus tradita sunt. Sanctus enim Gregorius *Pastor. par. 2. cap. 6. col. 20. tom. 2. oper.* scribit: *Cuncti, qui præsunt, non in se potestatem debent Ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis; nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse?* subjicitque S. Isidorus Hispalensis *lib. 3. sent. cap. 42. Qui præficitur ad regimen, taliter erga disciplinam Subjectorum præstare se debet, ut non solum auctoritate, vero etiam humilitate clarescat.* Ut a ceteris abstineamus, quæ facile cumulari possent, in vita S. Benedicti scripta a S. Gregorio *cap. 36.* hæc habentur: *Scripsit Monachorum Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam, cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes magisterii illius actus invenire, quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.* Quæ porro de hac Regula, & ejus præstantia & auctoritate dici possunt, fuse prosecutus est Hæstenus *in disquisitionibus*. In bulla Canonizationis S. Dominici *pag. 71. cod. Canoniz.* legitur: *Novum Prædicatorum Ordinem instituit meritis, ordinavit exemplis.* In bulla Canonizationis S. Francisci de Paula *pag. 202. Ejusdem etiam Ordinis Institutor, & Generalis Corrector existens omnium se infimum (quoad poterat) exhibebat; & ad omnia etiam servilia opera, ut & ceteris humilitatis præberet exemplum, descendere non dedignabatur.* Et in bulla Canonizationis S. Ignatii *pag. 334. Denique non solum vanam mundi gloriam, sed se etiam ipsum egregia magnanimitate contempsit. Renuntiatus enim Præpositus Generalis Societatis, tamdiu id muneris subire recusavit, quoad ejus Confessarius ei, ut demandatum reciperet officium, imperavit. Et post receptum munus, ut eos, quos in Constitutionibus ad humilitatem hortabatur verbo, firmaret exemplo, primum quidem in coquinæ ministeriis aliquot versatus est dies, tum docere aggressus est pueros, & rudes doctrinam Christianam.* Ceterum, loquendo de auctoritate, qua Religio fundata est, & de ejus utilitate, cessare hodie videtur quælibet controversia, cum sine auctoritate Romani Pontificis novæ Religiones institui non possint. Antonius, Basilius, Augustinus Auctores Religionum fuerunt, nec ullam leguntur a Pontifice approbationem quæsivisse, cum nondum extaret jus Ecclesiasticum id præcipiens. Cum autem circa annum 1170. Pauperes de Lugduno Ordinem quemdam Religiosum instituissent, sed multis admixtis superstitionibus & hæresibus, eorum secta ab Alexandro III. reprobata est, ut scribit Abbas Urspergensis *in chronico ad annum 1212.* Hoc exemplo excitati SS. Franciscus & Dominicus volentes similiter novos Ordines instituere, suo judicio confidere noluerunt, sed a Romano Pontifice confirmationem petiverunt & obtinuerunt; quemadmodum refert Cardinalis Bellarminus *tom. 2. controv. lib. 2. cap. 4.* Paulo post hæc summus Pontifex Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi prohibuit, *ne quis de cetero novam Religionem inveniat, sed, quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat*; quemadmodum legitur *in cap. Ne nimia, de Religiosis domibus*. Matthæus Parisius *ad annum 1246.* ita scribit de hoc statu Concilii Lateranensis: *Post Ordines Prædicatorum, & Minorum initiatos & authorizatos, irrefragabiliter sancitum & statutum fuit, assensum Fratribus Cardinalibus cum tota sacri Concilii universitate præbentibus, ne ex tunc amplius novi Ordines adinvenirentur, vel adinventi admitterentur, ne scilicet authentici et jam recepti Ordines vilescerent spreti, & similiter damnificati.* Cumque, non obstante prædicto Conciliari decreto, variæ nihilominus ac novæ quotidie Religiones instituerentur, uti prosequitur idem Parisius, B. Gregorius Papa X. in Generali Concilio Lateranensi, relato *in cap. un. de Religiosis domibus in sexto*, inhibuit, *ne aliquis de cetero novum Ordinem aut Religionem adinveniret, vel habitum novæ Religionis assumeret, prohibitis & revocatis Religionibus & Ordinibus Mendicantibus post Concilium Lateranense adinventis, qui nullam Sedis Apostolicæ confirmationem obtinuissent.* Requiritur ergo Sedis Apostolicæ approbatio in fundatione novæ Religionis. Melchior Canus *de loc. Theolog. lib. 5. cap. 5.* docet, hac in re judicium summi Pontificis falli posse, cum non solum a scientia, sed etiam a prudentia dependeat. Ejus opinio communiter ab aliis rejicitur, cum summus Pontifex aliquam approbans Religionem, eam toti Ecclesiæ proponat uti veram vitam ad comparandam Christianam perfectionem; qua in re ejus judicium debet esse certum: nec vero obstat, quod nonnullæ Religiones jam approbatæ, fuerint deinde suppressæ; cum per suppressionem non reprobetur status Religionis, sed declaretur, Religiosos illius Ordinis consilia Evangelica, & vota recte non observasse,

vasse, vel illis pravas consuetudines admiscuisse; uti late ostendunt Lezana *tract.* 1. *de Fide disp.* 8. *quæst.* 5. Tannerus *in* 2. 2. *D. Thomæ disp.* 1. *quæst.* 4. *dub.* 7. Andreas Lan *in tract. de summo Pontifice*, *dub.* 4. §. *Colligitur tertio*, *cum seqq.* Marchesius *de Capite visibilis Ecclesiæ*, *dub.* 5. §. 5. *per tot.* Dominicus a Sanctissima Trinitate *de summo Pontifice*, *cap.* 19. §. *Quinta conclusio*, Gregorius de Valentia *de Romano Pontifice*, *quæst.* 6. §. 41.

5. Succedunt Monachi, ceterique Regulares. Atque in examine causarum horum Dei Servorum, qui Religiosam in Claustro vitam duxerunt, nonnulla videntur specialiter adnotanda. Horum primum est, an sanctæ vocationis ad statum Religiosum indicia præcesserint: nec enim hodie viget antiqua illa disciplina, juxta quam infantes, qui monasterio a parentibus offerebantur, monasticam vitam necessario amplecti debebant, de qua Textus *in can. Monachum*; *in can. Quicumque*; *in can. Quem progenitores* 20. *quæst.* 1. & *in cap. Cum virum*, *de Regularibus*: nam ex disciplina hodierna si quem parentes infantem monasterio offerrent, cum decimum quintum ætatis annum attingeret, monendus esset, an egredi vellet e monasterio; &, si egredi vellet, ei esset concedenda egrediendi licentia, juxta Textum *in can. Illud* 20. *quæst.* 1. & *in cap. Significatum*, *de Regularibus*. Secundum, de quo inquiri debet, est, quomodo Regulas & Constitutiones Religionis observaverint. Tertium, an ita vixerint, ut vere a mundo segregati dici potuerint. Quartum, an, si forte a Religione egressi sint, utpote ad Ecclesiasticas dignitates vocati, humilitatem Religiosam conservaverint, & vota Religiosa, quæ cum statu assumpto coalescere poterant, observaverint.

6. De indiciis sanctæ vocationis ad Religionem loquitur Leo X. in bulla Canonizationis S. Francisci de Paula *pag.* 201. *cod. Canoniz. Insigne specimen sanctitatis futuræ præseferens*, *solitudinem & Religionem diligere*, *ac orationibus & jejuniis assidue vacare cœpit*: *quæ cum ejus parentes animadvertissent*, *ipsum annum circiter decimum tertium agentem*, *juxta votum per eos emissum*, *Domui Sancti Francisci civitatis Sancti Marci obtulerunt*. Sixtus V. in bulla Canonizationis S. Didaci *pag.* 234. *cod. cit. Adolescens ex medio Babylonis fugiens*, *hoc est ex laqueis & periculis sæculi*, *pœnitentis habitu indutus*, *in propinquam solitariam ecclesiam una cum pio quodam Sacerdote spiritualis vitæ duce & socio secessit &c. Post aliquot vero annos*, *ut se arctioribus vinculis Christo astringeret*, *& a mundi tempestatibus quam longissime discederet*, *& sub suavi obedientiæ jugo Deo securius & fructuosius serviret*, *in portum Seraphicæ Sancti Francisci Religionis confugit*. Clemens VIII. in bulla Canonizationis S. Raymundi, *pag.* 263. postquam retulit, solemnem ab eo emissam fuisse professionem in Ordine Fratrum Prædicatorum, dum ageret annum circiter quintum supra quadragesimum, subjicit: *Quod ut omnibus admirationi fuit*, *hominem genere nobilem*, *doctrina præstantem*, *affluentem Bonis*, *dignitate & fama celebrem*, *suscepto Religiosæ vitæ Instituto*, *spontaneam paupertatem opibus*, *suique contemptum honoribus & commodis prætulisse*. *Ita ejus exempla complures litterati*, *ac studiis doctrinisque dediti nobiles viri eamdem Ordinem sunt amplexi*, *ac propterea magnum ea Religio in dicta civitate suscepit incrementum*. Urbanus VIII. in bulla Canonizationis S. Francisci Xaverii *pag.* 342. *Cumque Lutetiæ commoraretur*, *in familiaritatem Sancti Ignatii insinuatus*, *ac postmodum in Socium ipsius*, *qui ad idardentibus precibus a Deo ad ingentem Ecclesiæ utilitatem præstandam postulaverat*, *adscriptus*, *eoque duce*, *ingressus erat arctam viam*, *quæ ad vitam ducebat*. *Ut enim spiritu vivificaretur*, *carnem suam ad antiquorum sanctorum Patrum exemplum severissime mortificaverat*. Innocentius XII. in bulla Canonizationis S. Paschalis Baylonii *pag.* 471. *A teneris annis insigne futuræ sanctitatis specimen dedit &c. Simplex*, *rectus*, *& timens Deum*, *ætate simul & virtutibus crescebat Paschalis &c. Ardore itaque Religiosi Instituti*, *quod paupertate & observantia præstaret*, *ab ineunte ætate succensus*, *circa annum salutis millesimum quingentesimum sexagesimum quartum voti compos efficitur*. Benedictus XIII. in bulla Canonizationis S. Peregrini Latiosi: *Quem*, *licet christiane educatum*, *atque a teneris annis Deiparæ Virgini speciali studio addictum*, *tamen corrupti sæculi mores eo abduxerunt &c. ut Philippum Benitium &c. alapa in faciem percuteret*. *Philippo tamen pro hostibus suis Deum exorante*, *Peregrinus admissi criminis dolore tactus flevit amare*, *ac Philippum extra civitatem propere adiens veniam supplex deprecatus est*; *inque viam salutis a pio viro ductus*, *Regulæ Fratrum Servorum nomen daturus monitu Deiparæ Virginis atque Angelo comite Senas*, *quæ est civitas Virginis*, *statim profectus est*, *ubi novum plane hominem indutum omni genere pœnitentiæ se totum Deo dicavit*, *ut præteritum facinus nadequaque expiaret*. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *ar.* 1. docet, Religionem ingredi non solum expedire iis qui sunt exercitati in præceptis, ut ad majorem perfectionem veniant, sed etiam iis qui non sunt exercitati, ut facilius peccata vitent, & perfectionem assequantur; & *in volumine primo operum* S. Bernardi extant plures epistolæ, quibus nonnullos hortatur ad claustralem & Religiosam vitam amplectendam. Hujusmodi est *epistola* 104. & aliæ, quæ sequuntur.

7. De observantia Constitutionum Religionis, cui Dei Servi nomen dederunt, fusissime agit Scacchus *de not. & sign. sanct. sect.* 6. *c.* 4. & quæ ibi asserit, late confirmat allatis amplissimis testimoniis bullarum Canonizationis prædictorum Dei Servorum. Asserta Scacchi summatim exponemus, at prædictas summorum Pontificum bullas, ne actum agere videamur, qui legere cupiet, eas vel *in codice Canonizationum* legere poterit, vel ipsarum verba, quæ ad rem faciunt, apud eumdem Scacchum. Asserit itaque Scacchus, sanctitatis notam peculiarem in aliquo Dei Servo Regulari ex tribus capitibus esse desumendam, ex progressu videlicet illius de virtute in virtutem ratione status Religiosi, ab exacta observantia & custodia votorum, quæ nuncupavit, quando Professionem emisit, & denique ex vigilantissima observantia & custodia illorum omnium, quæ tam in Regula, quam in Constitutionibus sui Ordinis continentur, sive præcepta sint, sive non. Duplex ab eodem Scaccho ratio affertur: altera est, quod illi, qui ab Ecclesia canonizantur, proponuntur ut norma morum; quapropter, si aliquis contemptor aut violator sui Instituti, etiam in minimis, a summo Pontifice beatificaretur aut canonizaretur, videretur Ecclesia saltem non reprobare hujusmodi transgressiones, nec in Canonizandis requirere omnimodam perfectionem, qualem in Discipulis requirit Christus dicens: *Estote perfecti*, *sicut & Pater vester cælestis perfectus est*. Altera desumitur ex hoc, quod actus virtutum illorum Regularium, de quorum Beatificatione sive Canonizatione agitur, gradum heroicum attingere debent, quem gradum non attingerent acta Servorum Dei, nisi in eis splenderet exacta Regulæ, Constitutionum, & Institutorum omnium observantia. Prosequitur Scacchus, asserendo, Religiosum in obediendo adeo cæcum esse debere, ut nulla habita nisi liciti & honesti ratione, nulloque discrimine eorum quæ sibi a Superiore injunguntur, eidem omnino prompte & libenter debeat obedire; magnamque obedientiæ perfectionem esse, si aliquis voluntati Superioris obediat, licet non denunciatæ, atque adeo etiamsi id quod proponitur, non sit præcepti, sed consilii. Ven. Dei Servus Alfonsus de Orosco, de cujus heroicis virtutibus favorabile judicium latum est a sacra Congregatione, & a summo Pontifice super confirmatum, & in cujus causa, dum essem Fidei Promotor, consuetas exaravi animadversiones, ita scribit de obedientia *in libro certam. boni ad finem par.* 4. *cap.* 31. *pag.* 189. *Si corpus tuum spiritui*, *Deo opitulante*, *subegisti*: *si conscientiam tuam*, *in qua gaudium & gloria sita est*, *expurgare studuisti*; *si denique pro virili clausuram monasterii servasti*, *obedientia tibi opus est*, *sine qua cuncta Religiosi opera vacua sunt*, *teste Sancto Augustino*. *Quid multa*? *Melior est obedientia*, *quam victimæ*, *veluti Samuel Sauli Regi locutus est*. *Felix Monachus*, *qui toto pectore obedientiam diligit*, *eamque in omnibus*, *etsi minimis*, *rebus servat*. *Hic sane cum Christo Jesu Patri obediente usque ad mortem oraculum hoc fixum habeat in corde*, *semper & ubique dicens*: Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, *Non domum quam volo*, *habito*. *Non vestem quam cupio*, *induo*: *sed pannosa*, *quam Prælatus mihi præstitit*, *utor*, *Non ministerio*, *quod cogitavi*, *honorifico fungor*; *sed*, *obedientia omnia moderante*, *Fratribus meis inservio*. Hactenus Orosco. Scacchus autem prosequitur, asserendo, Religiosum adeo castum esse debere, ut nec nutu oculorum, nec verbis aliquid in moribus illius suspicari liceat, quod cordis munditiam non redoleat, omnemque idcirco mulierum familiaritatem, etiam consanguinearum, ab eo esse declinandam. Denique, paupertatis voti observantiam adeo stricte Religioso esse conservandam, ut sanctam paupertatem non solum teneat & observet, sed etiam amet, amplectatur, & ita complectatur, ut neque in vestitu, neque in supellectilibus cellæ aliquid appareat, quod paupertatem non redoleat: nihil sibi proprium vindicet,

cet, ne in libris quidem aliquid velut proprium retineat, immo ardentissime concupiscat, inter pauperes pauperrimus fieri. Concludit denique Scacchus, horum omnium indaginem severam adhibendam esse, cum agitur de Servis Dei Regularibus Beatificationis & Canonizationis causa; additque, plurimum ad Religiosi perfectionem conducere, si colligat se ipsum intra septa non tam monasterii, quam etiam cellæ, iis dando operam studiis, quæ Instituti, quod profitetur, propria censeantur, & præsertim orationi, ac lectioni sacrorum librorum, quibus homo perfecte instruitur ad regnum Dei.

8. Uti dictum est, Scacchus assertiones suas plene confirmat auctoritatibus summorum Pontificum in bullis Canonizationum. Nos alibi nonnulla addemus quoad paupertatem, & obedientiam. Quæ ab eodem Scacchu dicuntur de castitate, & sobria frequentatione alterius sexus, illustrari facile possunt argumentis undique collectis a Gonzal. *in cap. Inhibendum, num.* 8. *& sequ. de cohabit. Cleric. & mulier.* & a Theophilo Raynaudo *tom.* 12. *in tract. de sobria alterius sexus frequentatione per sacros, & Religiosos homines*, ubi ostendit, omnes sacros homines tali necessitati esse obnoxios, etiamsi sint Confessarii, etiamsi sint senes & annosi, etiamsi sint perfecti, & quamvis mulieres sint ævo detritæ, & deformes; uti legi potest *pag.* 266. *& seqq.* & *pag.* 274. *& seqq.* S. Hieronymus ita Nepotianum, & unumquemque sacrum hominem alloquitur (*epist.* 52. *num.* 5. *col.* 257. *tom.* 1. *oper.*): *Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & Virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit.* Illustris est quoque ejusdem S. Hieronymi locus *ad Eustochium num.* 7. *col.* 91. *cit. tom.* de se ipso sic loquentis, licet a consortio feminarum esset remotus, & pœnitentiis attritus: *O quoties ego ipse in eremo constitutus & in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam, me Romanis interesse deliciis! . . . Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Ethiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: &, si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo ossa vix hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit . . . Scorpionum tantum socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum . . . & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem sua jam in carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant.* Idem Theophilus *oper. tom.* 17. *pag.* 250. *& seqq.* congesta de more undique eruditione, ostendit, indecens esse Religiosis aulas frequentare; quod ad solitudinem a Scaccho insinuatam referri potest. Cardinalis Pallavicinus *in vindiciis Societatis Jesu cap.* 51. accusationi intentatæ contra suum Ordinem de supposita nonnullorum aulæ frequentatione ita respondet: *At, quatenus accusatio eadem Societatis Institutum, aut Moderatores perstringit, innocentissimos perstringit. Instituto enim nulla major cura, quam Sodales a rebus profanis abstrahere. Huc spectant interdictiones illæ, ne quis nostrum tutor fieret, vel negotiorum rerumque civilium utcumque procurator; ne ullius rei gerendæ, quantumvis piæ, curam assumeret, aut ad eam sumendam se propensum ostenderet, Præside inconsulto; ne Proceres ac Magnates adeat sine summi, qui in ea Urbe sit, Præpositi venia.* S. Thomas *opusc.* 19. *contra impugnantes Religionem cap.* 19. causas recenset, propter quas aliquando possunt Religiosi cellam deserere, & aulas adire: & Postulatores, doctrinæ S. Thomæ innixi, aliquando diluerunt oppositionem a me propositam, dum officio Fidei Promotoris fungebar adversus Dei Servos Religiosos, de quorum virtutibus in sacrorum rituum Congregatione agebatur, quod aulam frequentassent. Verba autem S. Doctoris sunt hæc: *Ut ergo appareat, quid in ista controversia sit tenendum, sciendum, quod sancti viri aliquid propter se quærunt, aliquid propter alios: propter se quidem quærunt, Christo per contemplationem inhærere, vel in hoc mundo, quantum præsentis vitæ infirmitas patitur, vel in futura vita, ubi eum plenissime contemplentur: sed propter alios interdum coguntur a desiderata contemplatione discedere, & se actionum tumultibus implicare. Sic ergo & in desiderio habent quietem contemplationis, & tamen propter salutem Proximorum patienter sustinent laborem actionis. Unde Paulus Philipp.* 1. *Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, permanere autem in carne necessarium propter vos. Gregorius etiam in homil.* 42. *super Ezech. ait: Menti Sponsum suum fortiter amanti una solet esse consolatio, si per hoc, quod ipsa a visione differtur, aliorum animæ per ejus verba proficiant, & ad cælestem Sponsum amoris facibus inardescant. Et hac necessitate contingit, quod Sancti quandoque multitudinibus se ingerant, & Magnatum gratiam & consortia quærant, non favore humano vel potentia delectati, sed ut plures ad viam salutis trahere possint, quia, ut dicit Augustinus* 8. *Confessionum, Multis noti, multis sunt auctoritati ad salutem, & multis præeunt secuturis; quia, ut ipse infra dicit, Plus hostis vincitur in eo, quem plus tenet, &. de quo plures tenet. Plus autem superbos tenet nomen nobilitatis, & de his plures nomine auctoritatis. Ideo, urgente Charitate, nobilium, & auctoritatem habentium Sancti consortia quærunt, ut per eos pluribus possint proficere ad salutem; &, nisi hoc facerent, essent merito arguendi.* Concordant ea, quæ ab eodem S. Doctore traduntur 2. 2. *quæst.* 187. *art.* 2. De S. Bernardo hæc habentur in ejus vita scripta a Gaufrido Monacho (*cap.* 2. *num.* 5. *col.* 1134. *oper. vol.* 2.): *Desideraverat tamen ab initio, omni modo subtrahere se negotiis, & nusquam egredi, sed in monasterio residere. Quod & postmodum, ex defectu corporis occasionem invenisse se reputans opportunam, aliquando statuit, & aliquandiu tenuit, donec illum exire coegit necessitas gravis Ecclesiæ Dei, & summi Pontificis, atque omnium Abbatum sui Ordinis jussio, quibus per omnia tamquam Patribus deferebat ipse omnium Pater*: & legi potest ejusdem S. Bernardi epistola 21. ad Matthæum Legatum *col.* 38. *oper. vol.* 1.

9. Illustrantur præterea memoratæ Scacchi assertiones doctrina prædicti D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 186. ubi *art.* 1. probat, Religionem significare statum perfectionis, cum faciat, ut homo prorsus inhæreat Deo: *art.* 2. probat, eum qui statum Religionis assumit, teneri operam dare, ut habeat Charitatem perfectam, & sic omnia illa, quæ in Regula statuta sunt, quam professus est, & quibus ad perfectionem pervenitur, præstet & exhibeat: *art.* 3. probat, ad acquirendam perfectionem Charitatis Paupertatem voluntariam esse primum fundamentum, juxta illud *Matth.* 19. *v.* 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me*: *Art.* 4. probat Continentiam perpetuam requiri ad perfectionem Religionis, cum ad statum Religionis necessaria sit remotio eorum, per quæ homo impeditur, ne feratur omnino in Dei servitium: *art.* 5. probat, etiam Obedientiam requiri ad Religionis perfectionem, cum status Religionis sit quædam disciplina, vel exercitium ad eam tendendi, & quicumque instruuntur, ut perveniant ad aliquem finem, oporteat, ut, quasi discipuli sub magistro, alicujus ductum sequantur: *art.* 6. probat, ad Religionis perfectionem Paupertatem, Continentiam, & Obedientiam debere voto firmari, cum ad statum perfectionis necessaria sit obligatio ad ea quæ sunt perfectionis, quæ Deo fit per votum: *art.* demum 7. & 8. probat, in dictis tribus votis consistere perfectionem Religionis, & inter tria vota potissimum esse Obedientiæ votum, cum per illud homo Deo offerat aliquid majus, videlicet voluntatem, quæ potior est corpore, quod homo offert Deo per Continentiam, & rebus exterioribus, quas homo offert Deo per votum Paupertatis.

10. Vera a sæculo segregatio, quæ ab observantia voti Paupertatis, & Obedientiæ causam habet, secum fert voluntatem omnino adversam muneribus & dignitatibus assumendis in Religione, & eo fortius extra Religionem, nisi debitæ adsint circumstantiæ. Huc referri possunt, quæ alibi dicta sunt de fuga Sanctorum, cum ad Episcopatum vocarentur, quorum nonnulli erant Religiosi, & Monachi. Huc itidem referri possunt, quæ habentur in bulla Canonizationis S. Raymundi de Pennafort, ubi non modo legitur, eum recusasse dignitatem Archiepiscopatus Tarraconensis sibi a Gregorio IX. delatam, sed etiam dimisisse Officium Confessarii ejusdem Pontificis; necnon Pœnitentiarii, & demum Magistri Generalis sui Ordinis, postquam illud per biennium administraverat. Huc denique possunt, quæ narrantur de Ven. Cæsare Cardinali Baronio non Monacho, non Regulari, sed tantum Presbytero Congregationis Oratorii, cum summus Pontifex Clemens VIII. eum adscripsit inter Protonotarios Apostolicos supra numerum. *In epistola nuncupatoria tomi* VII. *annalium ad eumdem Pontificem* (*edit. Romana an.* 1596.) sic Cardinalis de honore sibi delato conqueritur: *Vicisti tandem animum refra-*

refractarium, atque flexisti cervicem ferream, sed, fateor, non domuisti, ut impositum honoris jugum æquo animo ferrem, quod ad singula ferme momenta (scis Deus) a me excussissem, si licuisset: & latius *in epistola ad Antonium Talpam*, quam Hieronymus Barnabeus inseruit in vitam prædicti Cardinalis *lib. 2. cap. 3.* Ab ea quippe colligitur, quam fortiter Pontifici restiterit tum per se, tum per magni nominis intercessores. Ceterum post dignitatem assumptam (ut est in eadem epistola) a Vallicellanis ædibus non exivit, nec pristinum vitæ institutum mutavit, sacrasque Confessiones, uti prius, excepit, & in Oratorio, ut prius, sermones habuit: *Venerunt ad me per hos dies Cardinales aliquot, alii per nuntios me visitarunt. Ego vero domi habitu meo utor, meoque cubiculo: etsi enim Patres aliud cubiculum adjungere voluerant, tamen acquiescere nolui. Famulum unum accepi, quemdam nimirum ex meis in spiritu filiis, qui extra ædes nostras degit: præter hunc retineo Amanuensem meum; quotidie mane in ecclesia Confessiones audio, ut solebam; uno verbo idem sum, qui fueram; domesticos, ut ne alio, quam Patris nomine me appellent, serio admonui.*

11. Universa Ecclesia tam Orientalis in Synodo VIII. Œcumenica contra Photium *can. 14.* quam Occidentalis in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. *can. 16.* Monachos ad Episcopatum promotos obligat ad deferendum habitum Regularem: quæ sanctio legitur *in cap. Clerici officia, de vita & honest. Clericorum*. Docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. art. 11. ad quartum*, & *quæst. 185. art. 8.* Religiosos assumptos ad Episcopatum teneri ad Regulares observantias, quæ non impediunt officium Pontificale, quod ipsum ad eosdem Regulares ad Cardinalatum evectos extenditur, juxta ea quæ habentur apud Dominicum de Sancto Thoma *de Ecclesia Christi, & Papa sect. 18. quæst. 9. tom. 10. Max. Biblioth. Pontificiæ*. Ac de hujus sententiæ veritate absonum esset dubitare post editam a Benedicto XIII. Constitutionem anno 1725. quæ incipit *Custodes*. Postquam etenim ipse Regulam Ordinis Fratrum Prædicatorum, quam fuerat professus, ad amussim observaverat per totos quinquaginta tres annos, quibus onus Episcopale sustinuit, quod ipsum præstitit toto tempore, quo in summo vixit Pontificatu, hæc subjecit in prædicta Constitutione: *Statuimus atque sancimus, ut ex Monastico, Regulari, & Mendicantium Instituto ad Episcopalem, seu quamcumque aliam dignitatem, etiam S. R. E. Cardinalatum, jam evecti, & in posterum evehendi universis & singulis suæ Regulæ officiis & obligationibus, quæ Pontificale, sive cujuscumque alterius dignitatis, aut Cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint.* In Constitutionibus Societatis Jesu cautum est, ut si Socius assumatur ad dignitates extra Societatem, promittat, se auditurum consilia Præpositi Generalis, eademque executurum, si sibi meliora videantur, veluti late docent Vasquez 1. 2. *disp. 165. cap. 8. num. 89. in fin.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 6 num. 15.* Suarez *tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 3. de Religiosis mutantibus statum cap. 17. num. 8.* Cardinalis Pallavicinus *in vindicationibus Societatis Jesu cap. 36. & pluribus seqq.* Cohærenter ad hæc prohibitum esse legimus Monachis & Regularibus ad Episcopatum assumptis testamentum facere sive de rebus acquisitis ex proprio labore & industria, sive de rebus acquisitis jure hereditario, uti legitur *in can. Statutum 18. qu. 1.* nisi summi Pontificis accedat dispensatio, quemadmodum prosequuntur S. Thomas 2. 2. *quæst. 185. art. 8. ad tertium*, & S. Antoninus *in Summa 3. par. tit. 20. cap. 2. §. 7. vers. Si tamen ex concessione*. Memini, in causa B. Alexandri Saulii ex Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ad Aleriensem, deinde ad Episcopatum Papiensem assumpti, dum Promotoris officio fungerer, duplicem, & quidem non modicam, excitatam fuisse difficultatem, alteram, quod, licet Regularis, testamentum condidisset, & hæc fuit de medio sublata per exhibitionem facultatis testandi ipsi concessæ a summo Pontifice Gregorio XIII. alteram, quod non servasset modum in facultate præscriptum, & hæc quoque de medio sublata fuit a Postulatoribus, qui ostenderunt, conditum ab eo fuisse testamentum ad causas pias, servatis ad amussim quoad substantiam & modum præscriptis in Indulto Gregoriano.

12. Summus Pontifex Innocentius III. anno 1200. Episcopum Pennensem severe objurgavit, quod ex Abbate Cisterciensi factus Episcopus Cisterciensis Ordinis observantias non custodiret; quemadmodum colligitur *ex ejus epist. tom. 1. lib. 5. pag. 666. Tacti sumus dolore cordis intrinsecus & gravi mœrore turbati, quod tu, sicut accepimus, in injuriam Ordinis tui, & infamiam Ordinationis nostræ agis in pluribus ut apostata, qui teste Scriptura*, Vir inutilis *appellatur. Si enim diligenter attenderes, quod de te Monacho non simplici, sed Abbate duximus in Episcopum assumendum .... eam deberes servare tam in vita, quam moribus honestatem, quæ ad salutem tibi proficeret, & subditis ad exemplum. Verum, de quo miramur non modicum & movemur, propriæ conditionis oblitus, quod post acceptum Episcopatum quædam illicita liceat & expediat, quæ Fratrum Cisterciensium observantia reputat inhonesta, picturata sella, & chirothecis uteris sericatis, amplo te galero coronas, & carnibus publice usque ad saturitatem te reples, ei forsitan per insignia hujusmodi comparandus, de quo data ei tunica pellicea, scriptum esse legitur:* Ecce Adam factus est, sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum .... *Meminimus quidem, & tu debueras meminisse, qualiter in recessu tuo coram Fratribus nostris districte tibi duximus injungendum, ut Cisterciensis Ordinis observantias custodires, cum Pontificalis susceptio dignitatis non absolveret te a voto, ex qua, licet cum honore sit, sic onus sibi magis auxerit, ut Religioni nihil penitus deperiret, per quod ejus habenas taliter relaxares. Ideoque Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus .... ita corrigas vitam tuam, & te sic observantiæ Regulari conformes, ut non rediisse ad sæculum, sed in sæculo potius ipsum & pompas ejus contemnere videaris. Alioquin, cum admonitio præcesserit, de cetero vindicta sequetur.*

13. De Petro Eremita seu Monacho de Murrone, sumpto cognomine a monte Murronis, sub nomine Cælestini V. in summum Pontificem electo, & deinde inter Sanctos adscripto narratur, eum induci non potuisse, ut equo veheretur. Itaque humili asello sedens Aquilam perrexit, ut ornamenta Pontificalia susciperet, a Carolis patre, & filio Regibus Siciliæ, & Hungariæ, aliisque Magnatibus deductus, prædictis Regibus asini frena tenentibus. Quocirca Jacobus Cardinalis Diaconus S. Georgii ad Velum aureum in præfatione ad poema de S. Cælestino *apud Bollandianos ad diem 19. Maji* ita de eo cecinit:

Intumidus vilem Murre conscendit asellum,
Regum frena manu dextra lævaque regente
Pontificis.

Quod ab eo factum fuisse explicat Petrus Cardinalis de Alliaco in ejusdem Pontificis vita *lib. 1. cap. 11.* ne a monasticæ humilitatis proposito recederet: *Hoc autem ab eo factum est, non quidem superba singularitate, quasi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit; sed singulari humilitate, qua a sancta rusticitatis monastica consuetudine nec facile nec cito avelli potuit.* In bulla Canonizationis Sancti Pii V. ex Ordine Prædicatorum ad summum Pontificatum evecti san. mem. Clemens Papa XI. ita locutus est: *Nihil enim de pristina Religiosæ vitæ severitate remiserat, demptisque Principatus insigniis, & externo dignitatis splendore, in mentis recessu privatum agebat*; quod ipsum late prosecuti sunt Rotæ Auditores in relatione causæ ipsius *tit. de temperantia*. Alia non desunt exempla sanctorum Episcoporum ex Monachis aut Regularibus assumptorum, qui eodem modo in Episcopatu vitam traduxerunt. Auctor vitæ S. Fulgentii Episcopi Ruspensis *cap. 18. & 19.* (*sub initio operum ejusdem pag. 18.*) hoc de ejus vita in Episcopatu profert testimonium: *Suscepit interim Beatus Fulgentius Episcopatum sine aliqua ambitione cum maxima devotione ... Nec ita factus est Episcopus, ut esse desisteret Monachus; sed, accepta Pontificis dignitate, professionis præteritæ servavit integritatem. Servata vero professionis integritas plus ornavit Pontificis dignitatem. Numquam denique pretiosa vestimenta quæsivit, aut quotidiana jejunia prætermisit, aut conditos suaviter cibos vel inter hospites manducavit, aut discumbendo saltem requiescere, & resolvere rigidum propositum voluit; sed una tantum vilissima tunica, sive per æstatem, sive per hiemem, patienter indutus. Orario quidem, sicut omnes Episcopi, numquam utebatur; pelliceo cingulo, tamquam Monachus, utebatur. Sic studio humilitatis ambitionem vestium fugiebat, ut nec ipsa calceamenta susciperet Clericorum aut ultimis caligis in tempore hiemis, aut caligulis in tempore æstatis uteretur. Intra monasterium sane interdum soleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam, vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec Monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello, vel lactineo pallio circumdatus incessit. Quando temperies aeris invitabat, solo pallio intra monasterium est coopertus. Scapulis vero nudis numquam*

a nobis

a nobis visus est: nec deposita saltem cingulo somnum petivit. Suæ autem continentiæ, Deo teste, fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat; & tempore Sacrificii mutanda esse corda potius, quam vestimenta, dicebat. Huic beatissimo Sacerdoti nullus aliquando extorsit, cujuslibet generis carnes accipere, sed sola simpliciter olera, pisanas, & ova, quamdiu fuit juvenis, sine oleo: postquam vero senuit, superfuso oleo manducavit; ideo oleum persuasus accipere, ne caligo prævalens oculorum, lectionis impediret officium. A vino autem sanus semper abstinuit. Si quando vero, compellente infirmitatis necessitate, vino modico uti compulsus est, calicibus plenis aqua superfundens quidpiam meri, nec saporis ejus nec odoris jucunditate fruebatur. Antequam vigiliæ nuntiarentur a Fratribus, ipse semper corde & corpore vigilans aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicumque spiritali meditationi solus vacabat, quia se per diem filiorum Ecclesiæ necessitatibus occupari jugiter sciebat. Ad agendas cum servis Dei vigilias interdum descendebat, sed privatus apud se vigilias studiis, quibus dixi, multo laudabilius exercebat. In nullo autem loco visus est sine Monachis habitare: propter quod a civibus Ruspensibus hoc primum beneficium ordinatus Episcopus postulavit, ut fabricando monasterio locum congruum darent &c.. Si quando ad se videndos, jubentibus duntaxat Prioribus venirent, non ut hospites, sed quasi unius Congregationis homines susciperentur. Beati vero Fulgentii Episcopi provisionibus communiter gubernati, Patrem spiritalem simplici venerarentur affectu, sic Beato Fulgentio singula disponente, ne suscepta regendorum sarcina Clericorum, consolationem perderet Monachorum. Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas *lib. 2. de miraculis cap.* 14. encomium facit præstantissimum Matthæi ex Monacho Cluniacensi ab Honorio II. evecti ad sublimem dignitatem Cardinalis Episcopi Albanensis. En verba Petri: *Provectus ad sublimem Pontificalis Ordinis gradum nihil de Monacho quorumdam more demisit: sed, sicut de Beato Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas mansit; nihil de officiis, nihil de cantu, nihil de prolixiori Cluniacensi psalmodia quarumlibet curarum prætextu reliquit. Servabat in palatio instituta Claustri.* De Ven. Dei Servo Cardinali Francisco Ximenes de Cisneros Toletano Archipræsule, Hispaniarum Primate, magno Regni Cancellario, supremo Fidei Inquisitore, S. R. E. Cardinali, & universæ ditionis Hispanicæ Gubernatore certa monumenta supersunt, eum, licet annum septuagesimum ætatis suæ excessisset, & in varias corporis infirmitates incidisset, nedum jejunia & abstinentias per Ecclesias indictas, sed etiam per Regulas Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, cujus professor erat, demandatas observare consuevisse, habituque & cingulo per dictos Fratres gestari solito nocte indutum in lectum se recipere: quarum rerum notitia delata ad summum Pontificem Leonem X. ipse animadvertens, Cardinalis vitam & salutem magno adjumento Ecclesiæ Catholicæ futuram esse, virtute sanctæ obedientiæ per litteras Apostolicas ei præcepit, ut a prædictis abstineret: *Præcipimus & mandamus, ut de cetero, quamdiu in humanis vixeris, diebus jejuniorum prædictorum, sextis feriis & majoris hebdomadæ sanctæ duntaxat diebus exceptis, carnibus & aliis sementinam originem ab eis trahentibus vesci & uti debeas, quibus diebus tres Christi pauperes reficiendo omne jejuniorum meritum consequaris, perinde ac si ad litteram jejunia ipsa servares & adimpleres, & ipsis quoque diebus superius exceptis, dum Medicorum consilio tui corporis saluti expedire decernatur, carnibus & ab eis originem ducentibus tibi similiter vesci ac uti liceat, necnon, habitu sive tunica lanea & cingulo prædictis per te dimissis, linea duntaxat tunica in lecto sindonibus sive linteis lineis strato cubare atque dormire, ac alias in præmissis, & eorum aliqua, Medicorum, qui tui corporis valetudinem curabunt, libero consilio & suasioni parere atque obedire possis ac debeas.* Alia plura erudite collecta legi possunt apud Thomassinum *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 3. lib. 2. cap. 50. per tot.*

14. Neque in examine Servorum Dei Monachorum & Regularium omitti potest indago, an ad monasterium redierint, dimisso aliqua de causa Episcopatu: id enim palam faciet, eos non irrepsisse ad Episcopatum, ut hac vita Regularem observantiam deserentes, extra sua Claustra vitam ducerent. Ad monasterium redierunt S. Cælestinus V. dimisso Papatu, S. Gregorius Nazianzenus, & B. Petrus Damiani, dimisso Episcopatu; celebreque est exemplum Ardicini junioris a Porta, Aleriensis Episcopi & S. R. E. Presbyteri Cardinalis renuntiati ab Innocentio VIII. qui, annuente Pontifice, dimissis dignitatibus, vetus propositum confugiendi in sacram Camaldulensium eremum executioni mandavit. Quibus, aliisque permotus san. mem. Benedictus Papa XIII. in citata Constitutione, quæ incipit, *Custodes*, præcepit, ut Monachi & Religiosi, qui Episcopatu sibi collato quacumque de causa se in posterum abdicaverint, Claustra suæ Religionis repetere omnino teneantur & debeant. Summi Pontificis auctoritate Henricus de Joyosa a Religione Fratrum Capuccinorum translatus fuit ad Fratres Ordinis Hierosolymitani inter Sacerdotes hospitalis, eique indultum est, ut bello durante, defendendi causa Catholicam religionem & provinciam Occitanam, curta veste indui, & arma gestare, & exercitui præesse, & provinciarum administrationes, regimina & præfecturas, & alias quascumque dignitates sæculares tam militares, quam civiles accipere, & obire posset: *Cum tuo nomine Nobis fuerit expositum* (verba sunt Brevis Pontificii) *pluribusque testimoniis gravissimis aliunde confirmatum, præsentiam & operam tuam in ea administratione adeo esse necessariam, quod, si ab ea removereris, religio ibi Catholica, his præsertim turbulentis temporibus, maxime periclitaretur &c. Nos hanc præcipuam religionis causam attendentes &c.* Compositis rebus, admonitus Henricus, sui egressus e Capuccinorum Religione causam cessasse, ad Religionem reversus est, & mira facundia conciones habuit ad populum juxta morem suorum Religiosorum. Cardinalis de Ossat *epistolar. tom. 1. epist. 23. pag.* 433. meminit dispensationis concessæ pro exitu a Religione Capuccinorum, & *t. 3. epist.* 180. *pag.* 338. mentionem facit regressus ad Ordinem. Dominicus de Thou *lib.* 122. factum sic narrat: *Catharina uxore Espernonii sorore defuncta, monasticam vitam in Capuccinorum cœnobio ante duodecim annos professus fuerat, & post Antonii Scipionis fratris ad Villamurium extincti mortem summum armorum imperium a Septimaniæ Ordinibus honorifice delatum susceperat, ac post pacificationem, resumpta Sancti Spiritus torque, etiam Tribuni Equitum dignitate a Rege fuerat ornatus. Rursus mundi curarum pertæsus, cilicium Lutetiæ 8. Id. Mart. sumpsit, & concionibus publice habitis, magnam sui admirationem concitavit, stupentibus plerisque, hominem in aula longe a libris educatum tam cita felicitate ingenii & doctum & eloquentem Ecclesiasten evasisse.* Alii regressum ad Ordinem Capuccinorum adscribunt lacrymis piæ matris, Regis exprobrationibus, Pontificiis admonitionibus, & ipsius etiam synderesi. Legi possunt Morer. *in dictionar. histor. littera I. in verbo Joyosa in sexto*, Mezzatay *in compendio chronologico histor. Franc. tom. 6. pag.* 199. Ejus vita composita fuit a Domino Calliere, ubi etiam plura narrantur de felici ejus obitu.

15. Quæ dicta sunt de Regularibus quoad profectum de virtute in virtutem, & quoad observantiam suarum Constitutionum, locum etiam habere dicenda sunt quoad Moniales, de quarum agitur Beatificatione & Canonizatione; uti prosequitur Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 7. cap. 2. Eadem denique, servatis servandis, consideranda erunt in examine alicujus Monialis, quæ cum sanctitatis opinione decessisset, quæ in aliquo Servo Dei Regulari consideranda diximus:* non omissa observantia Clausuræ, utpote præcepta a Bonifacio VIII. *in cap. Periculoso, de statu Regularium, in 6.* & a sacro Concilio Tridentino *sess. 25. de Regularibus cap.* 5. adversus quam licet impie Erasmus *in vita D. Hieronymi* referens ejus sororis conversionem hæc impudenti calamo effuderit: *Sub idem ferme temporis Hieronymi soror Virginis Institutum arripuit, instigante Juliano quodam. Sed multum & hoc dissimile ab harum conditione, quas hodie ferreis cancellis, ceu feras indomitas, inclusas tenent. Non quod damnem publicam consuetudinem, sed quod doleam huc denique delapsam Christianorum pietatem, ut Virginis integritas claustris ferreis, & repagulis murorum sit extorquenda, cum ea demum religio sit accepta Christo, non quæ vi extunditur, sed quæ ultro a volentibus affertur;* nemo tamen est qui ignoret, sanctarum Monialium clausuram ex institutis Ecclesiæ Catholicæ esse voluntariam. Quocirca nihil aliud superest pro capitis complemento, quam ut aliqua innuantur de Eremitis. Quatuor autem sunt species Eremitarum. Prima est eorum, qui emittunt tria vota substantialia in aliqua ex Religionibus approbatis, quales sunt Eremitæ Camaldulenses, Montis Coronæ, & Montis Senarii: & cum hi sint veri Religiosi, nihil de illis occurrit speciali nota dignum. Secunda species est eorum Eremitarum, qui vivunt in Congregatione quadam, & modum tenent vivendi approbatum ab Episcopo. Hi vere & proprie non possunt dici Religiosi, sed tantum large & minus proprie. Doctrina est Divi Thomæ, eos teneri continentiam servare, & esse Episcopo subjectos, uti videri potest *in 2. 2. quæstion.* 186. *art. 1. ad tertium*, & *in 4. sent. dist. 27. in expositione*

lit-

littera, ubi sit ait: *Eremitæ etiam, quamvis obedientiam non promittant, tamen votum continentiæ habent annexum, & ex mora secundum determinatum tempus eorum votum solemnizatur*. Quoad hoc specialiter quærendum erit, an promissam continentiam servaverint, & regulas sibi ab Episcopo præfixas exacte adimpleverint. Tertia species est eorum, qui quamvis nullam Religionem professi sint, nec vivant in communione aliqua, auctoritate tamen Episcopi sunt addicti servitio alicujus ecclesiæ, & de ejus manibus habitum Eremiticum suscipiunt, & sub illius obedientia vivunt: & quoad hos nihil occurrit animadvertendum, quod in examine Actorum Dei Servorum peculiariter considerari debeat. Ultima demum species est eorum Eremitarum, qui non sunt addicti ecclesiæ servitio auctoritate alicujus Prælati, sed in eremum secedentes in ea degunt, habitu Eremitico ad libitum suscepto. S. Thomas 2. 2. *qu.* 188. *art.* 8. agit de vita solitaria, & docet, eam, si rite recteque assumatur, præeminere vitæ sociali; sed esse periculosissimam, si absque prævio exercitio assumatur, nisi per Divinam Gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur. Quocirca, si ad examen deducatur causa alicujus Eremitæ quartæ, aut etiam tertiæ speciei, sedulo quærendum erit, quam ob causam ab hominibus secesserit, & solitudinem petierit; qualis fuerit locus, in quo vitam traduxit, an asper, an ita remotus ab hominum consortio, ut commoditate caruerit recipiendi Sacramenta; qualem habuerit suæ conscientiæ Rectorem; quales peregerit pœnitentias ad sensus retundendos, & se ipsum, quantum fieri potest, humiliandum; uti pluribus prosequitur Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 6. cap.* 5. pro quo argumento faciunt etiam ea, quæ a Nobis superius dicta sunt de carnis & corporis mortificatione a Dei Servis assumenda, & quæ referuntur *in vita B. Nicolai de Rupe Anachoretæ Subsilvani in Helvetia* edita a Petro Hugone Presbytero Societatis Jesu, de quo a Nobis tractatum est *lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 8. *& seqq.* Causam secessus Alexandræ feminæ solitariæ in eremum exponit Palladius *in vitis Patrum lib.* 8. *cap.* 5. Interrogata quippe Dei Famula a Melania Romana, cur se clausisset, respondit: *Quidam insano mei amore tenebatur, &, ne eum viderem, vel molestia afficerem, vel in invidiam vocarem, malui, me vivam in hoc monumento inferre, quam offendere animam, quæ facta est ad Dei imaginem*. Loci asperitatem memoravit S. Onuphrius apud S. Paphnutium ejus vitæ Scriptorem. Maximum laborem in desertis locis esse, non dubitatur, ubi necessaria deficiunt. Tam causam secessus, quam locum, vitam contemplativam, & pœnitentias in re, de qua nunc agitur, late exponit Bonifacius IX. in bulla lata pro Canonizatione S. Birgittæ *pag.* 552. *cod. Canoniz.* ubi post alios relatos Ecclesiæ status transitum facit ad Anachoretas, sive Eremitas, & ait: *Etiam Anachoretæ, & solitudinis acerrimi ac eremi Sectatores blandimenta, & captiosi, sed venenosi mundi vana spectacula fugientes, ut securi ad patriam pervenirent, latibula petierunt; & antris abditi, parvo & rudi victu, scaturientis aquæ & levi potu carnem propriam macerantes, & Satanæ stimulos reprimentes, palliastro, vel tegmine hirto amicti, ut plurimum nudis pedibus, & squalida humo, aut stramineo cubili fessa membra somno refoventes, in sacra contemplatione, & supernæ majestatis laude vacantes Deo (supple) inserviunt*.

16. Docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 3. posse aliquam Religionem institui ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem Divini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum & oppressorum. Anno 1118. quidam nobiles ex Equestri ordine, servata castitate, & obedientia, & sine proprio arbitrio se victuros professi sunt sub auctoritate Patriarchæ Hierosolymitani, qui eis imperavit ut vias & itinera ad peregrinorum securitatem, qui templum visitaturi accedebant, contra latronum insidias pro viribus conservarent. Templarii idcirco dicti sunt, uti refert Archiepiscopus Tyrensis Guillelmus *lib.* 12. *cap.* 7. Primus Ordinis Magister fuit Hugo de Paganis. Circa idem tempus Raymundus de Podio Equitibus, qui hodie Melitenses dicuntur, Regulam statuit, nonnullosque addixit servitio hospitalis in urbe Hierosolymitana, alios autem tuendæ Fidei, & incolumitati peregrinorum ad loca sancta venientium pugna & armis vindicandæ. S. Bernardus librum composuit *de laude novæ militiæ ad Milites Templi*, ex cujus *cap.* 4. desumi potest, quid inquirendum esset, si ageretur de causa alicujus Servi Dei, qui Ordini Militari nomen dedisset. Gallica quoque lingua est liber, qui in Italicam conversus Romæ prodiit anno 1713. *De præcipuis obligationibus Equitum Melitensium*, Hic, ubi occasio ferret, consuli posset.

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM.

De advertendis in causis Laicorum, & præcipue eorum, qui Imperatores, Reges, aut supremi Principes fuerunt, dum de eorum virtutibus agitur in sacrorum rituum Congregatione, Beatificationis & Canonizationis gratia.

1. ACTUM est hactenus de Ecclesiasticis: nunc est agendum de Laicis, inter quos Reges quoque referuntur. Quamvis enim Reges sacra inungantur unctione, nullo tamen modo referri possunt in classem Clericorum, seu personarum Ecclesiasticarum. Dictum est Reges inungi: non inunguntur autem Chrismate, quo Episcopi, sed simplici oleo Benedicto, hoc est oleo Catechumenorum. Rursus Episcopi in capite inunguntur; Rex autem inungitur in brachio dextero inter juncturam manus, & juncturam cubiti, atque inter scapulas, ut habetur in *cap. unic. de sacra unctione*, in quo etiam mysteria explanantur: quod ipsum late prosequuntur Pelagius *de planctu Ecclesiæ lib.* 2. *cap.* 56. Camillus Borellus *de Regis Catholici præstantia cap.* 49. *num.* 27. & de eadem unctione loquitur Pontificale Romanum *de benedictione & coronatione Regis*. Quinam sint Reges, qui sacro oleo inunguntur, videri potest apud Azorium *instit. moral. part.* 2. *lib.* 11. *cap.* 5. *quæst.* 3. Apud Aimonium *de gestis Francorum*, & alios legitur, sacri ampullam Chrismatis ore columbæ cælitus advenientis allatam esse, cum S. Remigius Remorum Episcopus Clodoveum Francorum Regem (quem nonnulli inter Beatos recensent, quos sequitur Theophilus Raynaudus *tom.* 15. *in opere, cui titulus*, Heteroclita spiritualia, *pag.* 248.) sacro fonte Baptismatis, & Fidei Sacramentis initiaret; quo sacro Chrismate Rex prædictus sacratus est, ejusque exemplo Successores Francorum Reges ejusdem cælestis ampullæ perenni, nec unquam deficiente sacro oleo hactenus consueverunt inungi: ut apud Cardinalem Baronium *ad an.* 499. Unctionis Clodovei Regis mentio fit *in testamento*, quod adhuc extat, Sancti Remigii.

2. At, cum bina extent dicti testamenti exemplaria, alterum prolixius, alterum brevius; prolixius autem, quo unctio refertur, suppostititium apud Scriptores Gallicanos habeatur; & brevius, in quo nullum de ea re fit verbum, existimetur genuinum: editumque fuerit *tom.* 1. *Bibliotheca Labbeana*, & *in annalibus* Cointii *ad an.* 533. *num.* 1. *& seqq.* veluti animadvertunt Pagi senior *ad an.* 541. *num.* 11. & Graveson. *in hist. Eccles. tom.* 2. *pag.* 308. hinc fit, ut de veritate prodigii tam illi, quam alii Gallicani Auctores dubitare non desinant; idque multo magis, cum Avitus Viennensis, Papa Anastasius, S. Nicetius Trevirensis, Gregorius Turonensis, Fortunatus *in vita S. Remigii* de Baptismo Clodovei loquentes, nullum de mirifica ampulla, & sacra unctione verbum faciant. Natalis Alexander *in hist. Eccles. sæc.* vi. *cap.* 4. *art.* 3. inter cetera, quibus utitur, argumenta, ut suadeat, prolixius S. Remigii testamentum apocryphum esse & suppostititium, animadvertit, in eo dici, Regem Clodoveum unctum fuisse. Ait enim, unctum non fuisse, ut Rex fieret, cum decimum quintum regni annum ageret, sed ut fieret Christianus. Quod si unctus in Regem esset, non fuisset ille ritus omissus ab ejus posteris, cum tamen nemo ex Regibus primæ stirpis unctus legatur. Jacobus Longueval Societatis Jesu *tom.* 2. *hist. Gallicanæ pag.* 231. ut se ab his omnibus expediat, & traditionem Ecclesiæ Remensis, eximiamque suorum Regum prærogativam defendat, animadvertit, apud Hincmarum, & in antiqua Missa S. Remigii narrari, quomodo, cum vellet ipse ægroto conferre sacramentum extremæ Unctionis, ampullæ vacuæ oleo mirabiliter repletæ sint; quo oleo cum unctus fuerit Clodoveus, recte asseritur, unctum fuisse oleo e cælo delapso.

3. Dictum est etiam, Reges, licet oleo sacro unctos, non esse inter personas Ecclesiasticas recensendos, quod optime explicatur ab Hallier *de sacris electionibus part.* 2,

cap. 10. *ar.* 5. §. 4. *num.* 58. *pag.* 1033. *Nihilominus quacumque unctione non ita Reges sacri efficiuntur, aut sancti, ut Ecclesiastici Ordinis exinde censeantur, aut Ecclesiasticam aliquam exinde habeant potestatem; tum quod potestas nulla Ecclesiastica per unctionem tradatur; sed per manus impositionem eo fine usurpatam, vel instrumentorum singulorum Ordinum traditionem: unctio vero ad solam personæ sanctitatem ac venerationem designandam & efficiendam, seu ad disponendum hominem ad Sacramenti condignam receptionem conferatur; tum quod Imperatorum unctio nec eo fine fiat (prout supra vidimus) quatenus Ecclesiastica ministeria Imperatoribus, vel Regibus tractare liceat, sed potius, ut ad Ecclesiæ defensionem ac protectionem se tamquam inuncti pugiles ardentius exsurgere & præliari bella Domini debere noverint &c. Unde a sexta Synodo Trullana Imperatores Laicis accensentur, licet ceteris majori prærogativa donentur. Idem quoque a Nicolao I. inter Laicos numerandi docentur, nec divinis, sed profanis negotiis intendere monentur &c. Quare non crude intelligendus est Petrus Damiani, dum quintum Sacramentum inunctionem esse Regis asserit, sumpto scilicet latissime nomine Sacramenti. Hanc autem mirifice commendat . . . deinde ista subjungit: Ex tunc exuitur Rex vestimentis suis, & oleo sanctificationis aspergitur, ut typico rore perfusus cælestis unguenti plenitudine glorietur. Sacramentis ergo hanc unctionem adnumerat, quæ duodecim numero statuit, eas omnes Sacramenti nomine donans Ecclesiasticas ceremonias, quæ quocumque modo Ecclesiæ membra distinguerent, coordinarent inter se, & in aliquo gradu constituerent, vel in sublimi quodam statu collocarent: quo sensu unctio Regum Sacramentum dici potest, licet non in Ecclesiastica, sed laica dignitatis apice suscipientem constituat.*

4. Post hæc autem ut veniamus ad Reges & Principes, qui in album Sanctorum relati sunt, Ven. Dei Servus Cardinalis Bellarminus in opere *de officio Principis Christiani lib.* 1. *cap.* 22. hæc habet: *Ex tanto numero Imperatorum, Regum, Principum absolutorum, qui vixerunt bis mille & sexcentis annis in Ecclesia Christi, in numerum Sanctorum relati paucissimi sunt, cum Principum spiritualium, id est Episcoporum, fere infinitus sit numerus. Sane in Martyrologio Romano inveniuntur Episcopi Sancti circiter nongenti. Principes vero sæculi Sancti solum viginti.* De eodem argumento ita loquitur Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 6. *cap.* 2. *pag.* 399. *De Regibus ac Principibus, qui per martyrium sanctam Ecclesiam sanguine purpurarunt, non loquimur in præsenti, sed de his, qui carnis maceratione & sanctis operibus violenter, ut ita dicam, cælum rapuerunt. Inter hos penes antiquos Sanctus Josaphat filius Regis Armeniæ adest. At inter recentiores Sanctus Henricus I. Imperator, Sanctus Ludovicus Franciæ Rex, Sanctus Stephanus Rex Hungariæ, Sanctus Casimirus filius Regis Poloniæ, Sanctus Edmundus Rex Angliæ, Sanctus Leopoldus Dux Austriæ, & alii plures recensentur, quorum nomina passim in historiis Ecclesiasticis & Martyrologiis referuntur.* Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 8. & signanter in eo, ubi agit *de titulo speciali cultus Sanctorum pag.* 570. *& seq.* longum refert elenchum Sanctorum, qui dum essent in humanis, Imperiali aut Regali claritate fulserunt, aut supremi alicujus Principatus dominatione potiti sunt. Inter eos *pag.* 588. *& seq.* recenset Constantinum Magnum, & Carolum Magnum. Quid de Carolo M. sentiendum sit, jam a Nobis dictum est *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 4. loquendo autem de Constantino M. inter Sanctos recensetur a Græcis in Menologio *die* 21. *Maji*. Ecclesia vero Latina eum Sanctorum fastis adnumerare recusavit, quod sub finem vitæ ab Eusebio Nicomediensi, ejusque Asseclis circumventus, Athanasium Alexandria pulsum in exilium deportandum jusserit. Legi potest Cardinalis Norisius *in append. ad hist. Donatistarum pag.* 674. *tom.* 4. *oper.*

5. Verum, si eorum, qui juxta præsentem Ecclesiæ ritum Imperatores & Reges Sanctorum canoni adscripti sunt, mentio haberi debeat, Henricus I. Imperator, & Germaniæ Rex II. hujus nominis ab Eugenio III. Eduardus Angliæ Rex ab Alexandro III. Chunegundes Imperatrix ab Innocentio III. Ludovicus IX. Galliæ Rex a Bonifacio VIII. Leopoldus Austriæ Marchio ab Innocentio VIII. ut ex eorum bullis colligitur, inter Sanctos solemniter canonizatos formali Canonizatione relati sunt. De duobus Regibus Canuti nomine appellatis, utpote martyrio sublatis, hic non agimus. De eis habita est mentio *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Deest (ut alibi diximus) bulla Canonizationis S. Elisabeth Reginæ Lusitaniæ, quæ ab Urbano Papa VIII. servatis servandis, & formali Canonizatione addita est Sanctorum fastis juxta documenta a Nobis allata *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 11. & in Appendicibus edenda *in calce hujus tertii Libri*. De S. Margarita Scotorum Regina, & de S. Stephano Hungariæ Rege, & de pertinentibus ad eorum æquipollentem Canonizationem legi possunt, quæ a Nobis allata fuerunt *cit. lib.* 1. *c.* 42. §. 7. *&* 8. De Servis Dei, sive Beatis Regibus, atque Principibus, in quorum causis sacrorum rituum Congregatio cultum approbavit, & in quorum honorem facta est concessio recitationis Officii & celebrationis Missæ videri possunt, quæ a Nobis allata fuerunt *lib.* 2. *c.* 24. §. 5. ubi actum est de B. Ferdinando III. Rege Castellæ & Legionis, cui cognomentum Sancti, & §. 14. de B. Amedeo Duce Sabaudiæ III. Amplior esset catalogus hic, si Summates, & excelsi Proceres essent addendi, necnon illi, qui, Principatu relicto, in Claustra se receperunt. Ab Alexandro quippe III. Sanctorum fastis adscriptus est B. Theobaldus Eremita, ut ex ejus Constitutione desumitur, qui Theobaldus ex Campaniæ Comitibus in diœcesi Senonensi ortus erat: ab Urbano V. Sanctis adscriptus est B. Elzearius de Sabrano in Gallia Narbonensi Ausoysii Dynasta, & Ariani in Apulia Comes; cumque Urbanus ab hac vita, non expedita bulla Canonizationis, decessisset, Gregorius XI. eam expediri jussit, ut ex ejus diplomate colligitur. Birgitta Nericiæ in Suecia Princeps a Bonifacio IX. fuit inter Sanctas relata. A Clemente IV. sanctarum Viduarum canoni adscripta est B. Hedwigis Bertholdi III. Comitis Andecensis, Moraviæ Ducis, atque Histriæ Marchionis filia, Henrici Barbati Poloniæ & Silesiæ Ducis uxor, ac postea Sanctimonialis Cisterciensis: se recepit enim inter Moniales dicti Ordinis, & earum Constitutiones ad amussim observavit, licet Religiosam professionem non emiserit, ut videlicet largiori manu suas divitias in pauperes erogare posset, ut ex bulla expedita desumitur. Margarita de Sabaudia Tertii Ordinis S. Dominici, Salomea Regina Aliciæ Monialis Ordinis S. Claræ, Chunegundes Regina Poloniæ Ordinis quoque S. Claræ, Joanna filia Alfonsi V. Regis Lusitaniæ Religiosa Ord. S. Dominici, Teresia, & Sancia Moniales Ord. Cisterciensis filiæ Sancii I. Regis Portugalliæ cultum habent in ecclesiis & locis particularibus, approbato in earum causis casu excepto a decretis Urbani VIII. uti ostensum fuit *lib.* 2. *cap.* 24. & alibi quoque ostendetur, indultum in earum honorem a Sede Apostolica fuisse cultum Officii & Missæ. Sed cum in capite præsenti animus sit ea tantum exponere, quæ specialiter animadvertenda videntur in causis Regum & supremorum Principum, qui Principatum retinuerunt usque ad obitum, relictis ceteris, qui Principatum dimiserunt, ut se in Claustra reciperent, & quorum sanctitas ex iis potissimum, quæ in Claustris gesserunt, desumitur; hinc fit, ut non ab his, sed ab illis argumenta sumamus, necnon & ab aliis, qui apud Historicos egregiarum virtutum laude floruerunt; non ut assertionibus nostris sanctitatis prærogativam eis asserere velimus, qui in album Sanctorum Ecclesiæ judicio relati non sunt, sed quia (ut alibi quoque dictum est) non inopportunum Nobis esse videtur, exempla aliqua sublimiorum virtutum colligere etiam ab iis, qui aliquos earum actus ediderunt, quamvis eorum nomina in Beatorum aut Sanctorum catalogum relata non sint.

6. Nonnulla quoque a veteris Testamenti Regibus, quorum sanctitas in sacra Scriptura commendatur, hauriuntur, puta, ex S. Joseph Patriarcha, cujus innocentia vitæ & morum summis laudibus commendatur *in lib. Geneseos*, cuique Pharao suam potestatem regiam, quam habebat in Regno Ægypti, plene communicavit, uti habetur *Genes.* 41. & quem Philo Hebræorum doctissimus *in lib. de ejus vita* scribit, creatum fuisse a Pharaone Proregem, vel potius Regem totius Ægypti, necnon ex gestis Moysis primi Ducis Hebræorum, Josue secundi Ducis Hebræorum, ex David, Ezechia, Josia, & Josaphat Hebræorum Regibus, & Juda Machabæo summo Sacerdote & Principe Hebræorum. Ut enim animadvertit citatus Cardinalis Bellarminus *in præfat. lib.* 2. supervacaneum non est cognoscere, quid in republica Hebraica Testamenti veteris egerint Principes sive Reges, licet hic & nunc quæstio sit de Regibus & Principibus ad rempublicam Christianam novi Testamenti pertinentibus; cum in veteri Testamento promitterentur Bona temporalia & præsentia, quibus futura & spiritualia significantur; novum autem Testamentum Bona spiritualia promittat in præsenti tempore, Gratiæ donet virtutes, atque in primis patientiam in tribulatione, sed in futuro gloriam & gaudia sempiterna: &, juxta S. Augusti-

gustinum *in epist.* [140. *ad Honoratum, de Gratia novi Testamenti* (*tom.* 2. *col.* 430.) & alibi frequenter, viri Hebræi, qui viventes in Testamento veteri contempserunt temporalia, & spiritualibus adhæserunt, floruerint quidem tempore veteris Testamenti, sed ad Testamentum novum quodammodo pertinuerint. Quocirca in Pontificali Romano, cum agitur *de benedictione & coronatione Regis*, Metropolitanus, aut alius Episcopus, qui eum coronat, orat Deum, ut Rex coronatus, Moysis mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, Deo in omnibus complaceat, & per tramitem justitiæ inoffensa gradu semper incedat.

7. Porro multa heroicarum virtutum exempla passim occurrunt in gestis eorum Regum & Principum, quorum sanctitas ex sacra Scriptura desumitur. Et re vera quodnam illustrius charitatis erga Proximum, vel dilectionis inimicorum exemplum haberi potest eo, quod in sacra Genesi legitur de S. Joseph Patriarcha? *Cap.* enim 45. *v.* 5. sic fratres, qui eum vendiderant, ingenti pavore concussos alloquitur: *Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus; pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Et *v.* 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti.* Cumque post obitum Jacob parentis, fratres iterum metuentes ad eum accessissent, dixerant, uti legitur *Genes.* 50. *v.* 16. *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus, ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. .... & proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus.* At Joseph ad hæc reposuit, uti Scriptura prosequitur *v.* 19. *Nolite timere. Num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos. Nolite timere; ego pascam vos, & parvulos vestros. Consolatusque est eos, & blande ac leniter est locutus.* Addi potest ejusdem Joseph exemplum temperantiæ, & castitatis heroicæ. Cum enim esset *pulcra facie, & decorus aspectu*, uti loquitur Scriptura *Genes.* 39. & uxor Putipharis eum per singulos dies solicitaret ad adulterium, castissimus juvenis eam a scelere multis rationibus avertere curavit, sed tandem aliquando, cum ab illa se cogi videret, *relicto in manu ejus pallio fugit & egressus est foras.* De mansuetudine Moysis, & virginitate Josue Hebræorum Ducum præclara habentur ex Divina Scriptura: de Moyse quippe legitur *Num.* 12. *v.* 3. *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Cumque in Divinis Scripturis nulla fiat mentio filiorum Josue, S. Hieronymus asserere non dubitavit, eum virginitatis palma fuisse decoratum. Etenim *lib.* 1. *adversus Jovinianum num.* 22. *tom.* 2. *oper. col.* 273. postquam multis probavit Josue virginem fuisse, concludit dicens: *Moyses moriens plangitur a populo Israel, Jesus autem quasi victurus non plangitur; nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas post mortem incipit coronari.* Nec omitti possunt, quæ in eadem sacra Scriptura leguntur de mansuetudine, sanctitate vitæ, & pœnitentia David post admissa peccata. De mansuetudine quidem celebre est illud Ps. 131., *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus.* Pro ejus sanctitate facit illud *Psal.* 100. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi. Non adhæsit mihi cor pravum: declinantem a me malignum non cognoscebam. Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Commissoque gravi peccato adulterii simulque homicidii, multa in sacris Litteris de eximia ejus contritione, confessione, & satisfactione per opera pietatis habentur. Ad contritionem pertinet illud *Psalm.* 6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Ad confessionem oris non solum pertinet, quod libera voce dixit Prophetæ Nathan: *Peccavi Domino*, sed palam in oratione exclamavit *Psal.* 50. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Denique ad satisfactionem per opera pœnitentiæ refertur illud *Ps.* 34. *Induebam me cilio, & humiliabam in jejunio animam meam.* Cui superaddi possunt flagella a Deo immissa, quæ ipse æquo animo tulit, & summa cum patientia. Ut enim habetur *lib.* 2. *Regum cap.* 13. Amnon ejus filius ab Absalom fratre occisus est. Absalom contra eum conspiravit, ejecitque ex urbe regia, & publice expanso tentorio, ipsius uxores incestavit. Post hæc Absalom magno cum patris dolore occisus est in prælio. Semei ipsi Regi David maledixit maledictione pessima quasi usurpatori alieni regni. Demum ipse David ab urbe regia fugere coactus est, & fuga adeo repentina, ut nudis pedibus, aperto capite & flens per montem olivarum iter fecerit.

8. Succedunt exempla ceterorum Principum & Regum, vel qui post Christi adventum pietate floruerunt, licet catalogo Sanctorum non sint adscripti, vel qui virtutibus adeo excelluerunt & miraculis, ut ab Ecclesia fuerint in album Sanctorum relati. Theodosii Imperatoris pietatem S. Ambrosius extollit in oratione funebri de ejus laudibus] habita ad populum (*num.* 30. *col.* 1206. *oper. tom.* 2.): *Convertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam, in quam festinavit intrare Theodosius.* Et *num.* 32. *Absolutus igitur dubio certamine, fruitur nunc augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua.* Et *num.* 39. *Manet ergo in lumine Theodosius, & Sanctorum cœtibus gloriatur.* S. Paulinus Nolæ Episcopus *in epist.* 28. *ad Severum col.* 175. loquens de laudatione sua in Theodosium, ait: *Non tam Imperatorem, quam Christi servum, non dominandi superbia, sed humilitate famulandi potentem, nec regno, sed fide Principem prædicarem.* Et S. Augustinus *lib.* 5. *de civ. Dei* miris laudibus ejus effert fidem & pietatem, quem dicit in bello magis orando, quam feriendo pugnasse. De ejus insigni pœnitentia ob crimen commissum in cæde Thessalonicensium nonnulla in superioribus dicta sunt. Tiberius Imperator cum Justino regnavit ut Cæsar annis tribus: solus autem ut Augustus annis quatuor. Teste Gregorio Turonensi *lib.* 5. *cap.* 19. cum Justinus Imperator, amisso sensu, amens effectus esset, & per solam Sophiam Augustam Imperium regeretur, populi Tiberium Cæsarem elegerunt. Quam autem fuerit ille in eleemosynis distribuendis liberalis & misericors, narrat idem Gregorius: refert enim, eum statim multa de thesauris, quos Justinus congregaverat, pauperibus erogasse: & Augustæ increpanti, quod Rempublicam in paupertatem redigeret, & intra breve tempus dispergeret, quæ ipsa multis annis collegerat, respondisse, opes Fisco non esse defuturas, prout re vera non defuerunt, si ejus pecuniæ in pauperum eleemosynas, & redimendos captivos erogarentur. Joannes Dubravius Olomucensis Episcopus *in historia Bohemica lib.* 4. & 5. virtutes exponit S. Wenceslai Bohemiæ Regis, & præ ceteris ejus religionem. Cum etenim ab Othone Imperatore, quem liberali hospitio exceperat, facta fuisset ipsi potestas petendi quidquid sibi petendum a Cæsare putaret, non gloriosa, non ambitiosa postulavit, prout Cæsar sibi suaserat, sed sibi tantum concedi precatus est brachium S. Viti ex Gallia in Saxoniam translati, in cujus honorem ecclesiam ædificavit; tantum autem fuit ejus obsequium in Sacerdotes, ut ipse suis manibus vinum inter Sacra, libaque, & thura illis subministraret: unumquemque eorum domi suæ inviseret, nequid ex necessariis rebus deesset; & noctu plerumque, vel in ipsa hieme, nudis pedibus accederet ad templa, in quibus vigiliæ ab ipsis celebrabantur. Vita S. Henrici Imperatoris extat *sexto tomo antiqu. lection.* Henrici Canisii; & de eo quoque plura habentur apud Bollandianos *tom.* 4. *Julii.* De S. Chunegunde Imperatrice ejus uxore plura referuntur *in annal. Benedict. tom.* 4. *pag.* 321. §. 98. & apud Bollandianos *tom.* 1. *Martii pag.* 281. Extant bullæ Canonizationis utriusque (uti supra dictum est) & in eis testimonium perhibetur conservatæ integerrimæ castimoniæ usque ad finem vitæ. Cumque, instigante humani generis inimico, suspicio quædam contra Chunegundem exorta fuisset, ipsa, ut suam innocentiam demonstraret, super ignitos vomeres nudis pedibus incessit, & processit illæsa. Episcopus Chartuitius vitam S. Stephani I. Regis Hungarorum edidit, quam Laurentius Surius elegantiori stylo exornavit. Rex, ut est in ea, dabat operam eleemosynis, vacabat precibus, crebro adhærens ecclesiæ pavimento cum lacrymis Dominum orabat, ut animi sui propositum ipse ad effectum perduceret, ut, qui sine illo nihil posset efficere, ejus opitulante providentia, bona, quæ facere decrevisset, cum virtutum incremento etiam re exequi valeret. Postea sequuntur morum reformationes, quæ ejus exemplo factæ sunt: nec omittitur, eum tanta fuisse misericordia & pietate erga pauperes Christi, ut nullum unquam hospitem & peregrinum absque aliquo solatio a se discedere

dere passus sit; & ad recreandos egenos quotidianas expensas absque intermissione fieri jusserit. Alredus Rhievallus Anglus Monachus & Abbas Cisterciensis Ordinis circa annum 1164. vitam conscripsit S. Eduardi Regis Anglorum ab Alexandro III. inter Sanctos solemniter relati. Dicitur fuisse pater orphanorum, & supra humanum modum pecuniæ contemptor. Nullus unquam eum vidit aut inflatum superbia, aut ira efferatum, aut gula dehonestatum: instantibus autem Regni Proceribus de successione sollicitis, ut uxorem duceret, cum ea convenit de servanda castitate, prout re vera servavit. Ab Innoc. VIII. inter Sanctos (uti vidimus) relatus est Leopoldus Austriæ Princeps; & in bulla Canonizationis *pag.* 197. *cod. Canoniz.* Pontifex sic effatus est: *Prætendant nunc hujus sæculi amatores ad peccata excusanda conjugales, familiares, civiles, aut regalis solii molestias, sæculi illecebras, & tentationes &c. Leopoldi nobilis Principis conjugati, ac multorum filiorum ac subditorum cura irretiti clarissimo exemplo admonemur, ut, omni excusatione semota, per hac temporalia ita caute ambulemus, ita sancte nos exerceamus, ut æterna non amittamus, allecti spe momentaneæ hujus prosperitatis, perpetuitate gloriæ cælestis non fraudemur; sed, mundi molestias, illecebras, aut dignitates contemnendo, ad cælestem patriam totis viribus contendamus.*

9. Nimis profecto longum facerem, si in hoc caput ea insererem, quæ de virtutibus S. Ludovici Regis Francorum habentur in ejus vita conscripta a Gaufrido de Belloloco ejus Confessario, aut in bulla Canonizationis ipsius: quanta videlicet cura filiorum educationi vacaverit, quanta humilitate pauperibus inservierit, quanta pietate suis ipse manibus mortuorum cadavera sepeliverit, infirmis ministraverit, pauperibus larga subsidia præstiterit, pœnitentiis corpus afflixerit, & instar Religiosi ad Missiones profecti ad felicem Turcarum conversionem incubuerit. Similia occurrunt in historiis, quæ gesta referunt B. Amedæi III. Ducis Sabaudiæ, & S. Casimiri Regis Poloniæ filii, cujus vita conscripta fuit a Gregorio Swevicisk i Cathedralis Ecclesiæ Vilnensis Canonico. Amedeus quippe charitatem & mansuetudinem Patriarchæ Josephi æmulatus, statim ac mortuo Ludovico patri in Ducatum successit, Philippum fratrem, quem pater auxilio Regis Galliæ carceribus includi curaverat, in vindictam odii, quo Amedeum prosequebatur, & insidiarum, quas adversus ipsum paraverat, non modo e carcere eduxit, sed in Gallias profectus cum Rege egit, ut Margarita filia Ducis Borbonii ei in matrimonium conjungeretur; ipse autem partem imperii sui eidem donavit. Ejus patientia maximopere enituit in ferendo epileptico morbo, quo laborabat; ejus misericordia in pauperibus alendis, & liberalissime vestiendis, & in ministerio ad eorum mensam, quod suis manibus exercebat; ejus pietas in peregrinatione assumpta una cum uxore Jolanda, ut sacro linteo, in quo sculpta est Imago Christi (& de quo alibi) venerationem præsens adhiberet, in qua peregrinatione vitam cum morte feliciter commutavit. Addit Auctor vitæ S. Casimiri, eum declinasse luxum vestium, & lecti mollitiem tanquam peccati fomitem; nuda usum humo pro cubili, & ex horridis equorum setis comparato cilicio, & aliis verberum asperitatibus teneram carnem affligere consuevisse; summa diligentia quosvis inopes sublevasse, jacentes erexisse, afflictos recreasse, oppressos liberasse; virginem tandem mortuum esse, cum monitus, ut vitæ tutandæ causa, tori virginalis consortium admitteret, oblatum consilium exequi recusarit. Admiranda denique gesta S. Elzearii de Sabrano fuse exponuntur in bulla Canonizationis edita (uti supra dictum est) a Gregorio XI. Apparet inde ejus potissimum in pauperes misericordia, corporis afflictiones, jejunia, & jugis oratio; sed illud maxime mirum, quod cum uxorem haberet ætate juvenem, & nobilitate præclaram, ab hac vita tamen, illa intacta, migravit, ut ipsa retulit, & Elzearii Confessarius comprobavit.

10. Hæc, & alia plura nullo negotio colligi possent ex authenticis, quæ supersunt, monumentis virtutum heroicarum, quibus Principes in Sanctorum album relati fulserunt; inter quæ non ultimum profecto sibi vindicant locum ea, quæ ad virginitatem, seu illibatam pertinent castitatem, aut quæ spectant ad humilitatem. Multa quippe superbiæ incitamenta, multæ voluptatum illecebræ Reges & Principes obsident: unde *Genes. cap.* 12. legitur: *Cum itaque ingressus esset Abraham Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem* (Saram) *quod esset pulcra nimis, & nuntiaverunt Principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis.* Verum, prætermissis illis, quæ Sanctis omnibus communia sunt, & quæ necessaria omnibus existimantur, qui in album Sanctorum ab Ecclesia referri debent, veniamus ad ea, quæ peculiariter inquirenda sunt, dum agitur de virtutibus Regum & Principum, Beatificationis & Canonizationis gratia. Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 6. *cap.* 2. monet, specialiter inquirendum esse de zelo Fidei Christianæ conservandæ, &, quatenus occasio suppetat, propagandæ, de cultu erga Deum, de obedientia Romano Pontifici debita, de bellorum ab eis assumptorum justitia, de recta gubernandi ratione, de exemplo denique bonorum operum, quo populos sibi subjectos ad pietatem & religionem excitarunt. Præclare Plinius in *Trajani paneg. cap.* 45. *Vita Principis censura est, eaque perpetua, populorum. Ad hanc diriguntur, ad hanc convertuntur; nec tam imperio illis opus est, quam exemplo.* Et ne a sacris discedamus, S. Gregorius VII. *lib.* 7. *epist.* 5. Canuto Daniæ Regi obedientiam sibi & obsequium sicuti Vicario Christi per Legatos præstanti hæc insinuavit: *Animadvertere siquidem Excellentia tua debet, quod quanto pluribus supereminet & dominatur, tanto magis sibi subditos potest exemplo suo aut ad deterius, quod absit, inflectere, aut ad sanum consilium ignavos etiam provocare.* Quod optime prosequitur Lactantius *lib.* 5. *Divin. instit. cap.* 6. *de just. Et, quoniam mores ac vitia Regis imitari, genus obsequii judicatur, abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrare scelus Regi viderentur, si pie viverent. Sic assidua imitatione corrupti Divinum fas reliquerunt, & paulatim male vivendi consuetudo mos factus est; nec jam quidquam ex antecedentis sæculi pio & optimo statu remansit. Sed, explosa justitia, & veritatem secum trahens, reliquit hominibus errorem, ignorantiam, cæcitatem.*

11. De zelo Moysis primi Ducis Hebræorum habetur, quod offensam Deo illatam ulturus (populus enim, eo absente, fecerat sibi idolum Vituli aurei) Levitis mandatis jusserit, ut obvios quosque Israelitas occiderent, facta subinde cæde viginti trium millium Israelitarum: ita legitur 32. *Exod.* & *in lib. Num. cap.* 25. *v.* 5. cum filii Israel iterum peccassent adorantes idolum Beelphegor, clamavit Moyses: *Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor &c. & occisi sunt viginti quatuor millia hominum*; & cuncti Principes populi suspensi sunt in patibulis. Josue secundus Dux Hebræorum, qui jusserat, ut capta Jericho, omne aurum & argentum, quod in ea repertum fuisset, conservaretur in Dei thesauros, & reliqua omnia destruerentur in Dei honorem; quique lapidari jusserat virum nomine Charmi, qui clam abstulerat aliquid auri & argenti, & nescio quæ alia Deo dicata, & omnia Bona ejus, id est tabernaculum, oves, boves, & asinos, & omnem substantiam ejus flammis cremandam tradiderat; in fine vitæ incredibili ardore hortatus populum ad persistendum in religione unius veri Dei, ita insinuavit in cordibus audientium zelum religionis, ut Scriptura dicat: *Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue & Seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue.* Hæc habentur *Jos.* 6. 7. 23. & 24. *v.* 31. De se David Rex & Propheta scribit *Psalm.* 100. *v.* 7. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Nec præteriri possunt, quæ de zelo veræ religionis sanctorum veterum Regum Ezechiæ, Josiæ, & Josaphat in sacro Textu leguntur. Ezechias siquidem purgavit Jerusalem ab omni fœditate idololatriæ, uti habetur 4. *Regum* 16. neque solum civitatem purgavit ab omni cultu falsorum Deorum, sed incredibili labore & sumptu restituit altare Domini, & sacrificia secundum Legem Domini, & omnes sacros ritus & cæremonias, ac totam denique faciem veræ religionis renovavit, non parcens labori aut sumptibus: quæ omnia legi possunt *lib.* 2. *Paralip.* 29. & 30. Josias imitatus est Ezechiam; Regnum enim ab omni idololatria purgavit, altaria combussit, idola abstulit, quemadmodum legi potest *eit. lib.* 2. *Paralip.* 34. & 4. *Regum* 23. ubi Divina Scriptura testatur, similem illi non fuisse ante eum Regem, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysis. *In eodem* denique *lib.* 2. *Paralip. cap.* 17. *v.* 3. & *seq.* de Rege Josaphat sic habetur: *Ambulavit in viis David patris sui primis, & non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis illius, & non juxta peccata Israel.* Curavit præterea, ut multi viri docti mitterentur in partes Regni, qui peragrantes per cunctas urbes Juda, populos erudirent circa legem & præcepta Dei; quodque præcipuum est, ipse Rex abiit in Bersabee, & usque ad montem Ephraim, & ad Dei veri cultum populos revocavit.

12. Con-

12. Concordant cetera, quæ eb Historicie narrantur de Theodosio & Tiberio Imperatoribus, quorum paulo superius habita est meotio. Vetuit Constantinus Magnus Dæmonibus hostias immolari. Julianus impietatem renovavit. Jovianus, cum Imperio potitus est, simulacrorum cultum probibuit. Velentinianus eisdem legibus Europam praclare gubernavit. Valens adversos doctrinæ Apostolicæ propugnatores bellum perpetuum gessit; & toto tempore, quo regnavit, Gentiles non destiterunt ignem in aris accendere, libamenta & hostias simulacris immolare: quæ omnia Theodosius exstirpavit radicitus, & sempiterna oblivione obruenda curavit. Eutychius erat Episcopus regiæ civitatis Constantinopolitanæ, vir doctrina & libris editis illustris, sed, quod majus est, opinione sanctitatis atque miraculis clarissimus, & Tiberio Imperatori gratissimus, quod ei Imperium prædixerat, ut Eustathius in ejus vita restatur. Inter Eutychium, & S. Gregorium solemnis disputatio inita est de carnis resurrectione, eam Gregorio asserente, & Eutychio impugnante. Gregorius homo externus, non ultra Diaconatum initiatus, nulla scriptione celebris, nullo miraculo edito illustris, nullo beneficio Imperatori astrictus; & tamen, statim ac Tiberius cognovit, opinionem Eutychii hæresis labe infectam esse, non solum eam censuit rejiciendam, sed librum ab eo conscriptum cremandum existimavit. Res fuse exponitur ab ipso S. Gregorio *lib. 14. moral. cap. 19.* ubi, postquam narravit disputationem a se initam cum Eutychio, sic concludit *num. 74.* (*tom. 2. oper. col. 466.*): *Cum piæ memoriæ Tiberius Constantinus Imperator secreto me, & illum* (Eutychium) *suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur, agnovit, & utriusque partis allegationes pensans, eumdem librum, quem de Resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destruens, deliberavit in flammis cremari debuisse.*

13. Cetera pro hoc eodem argumento exempla, quæ ex Actis Canonizationum desumi possent, collecta legi possunt apud Scacchum *loc. cit. sect. 6. cap.* 2. ubi verba inferuntur desumpta ex ipsis Canonizationum bullis. Intereaque pro re, de qua nunc agitur, scitu digna sunt, quæ narrantur in vita S. Ludovici Regis Galliæ *cap. 6. apud Surium ad diem 25. Aug. Fidei propagationem summopere sitiebat. Itaque, si quid ab Inquisitoribus, quod ad Fidem pertineret, esset ad eum relatum, id, aliis negotiis omnino postbabitis, audiebat, & instar Phinees magno zelo in Christianæ Fidei violatores animadvertebat.* Addique possunt gesta B. Ferdinandi III. Castellæ & Legionis Regis, cognomento Sancti, qui adeo exarsit Catholicæ Fidei zelo, studioque ejus religiosi cultm tuendi ac propagandi, ut Hæreticos insectatus, quos in nullo Regnorum suorum loco consistere passus est, suis ipse manibus ligna comburendis damnatis ad rogum admoverit, præstiteritque, ut in Cordubensi, Giennensi, Hispalensi aliisque urbibus, Meurorum jugo ereptis Catholica Religio revivisceret.

14. Amor erga Deum in Rege David quantus esset, inde apparet ubi ait *Psal. 22. v. 8. Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.* Item *Psal. 30. ver. 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Item *Psalm. 33. v. 9. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Item *Psal. 41. v. 3. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Item *Psalm. 76. v. 3. Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus sum.* Item *Psal. 72. v. 25. Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram &c. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Item *Ps. 85. v. 4. Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi; quoniam tu, Domine, suavis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.* Item *Psalm. 103. v. 34. Ego vero delectabor in Domino.* Addidit David amori erga Deum pietatem & religionem erga ea, quæ Dei sunt: præparavit enim thesauros immensos, ut magnificentissimum Templum ædificaret; uti habetur *lib. 1. Paralip. cap. 22. v. 14. Ecce ego paupertate mea præparavi impensas Domus Domini; auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum; æris vero & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine, ligna & lapides præparavi ad universa impendia.* Hujus vestigiis, quantum potuit, inhærens S. Henricus Imperator Bambergensem ecclesiam fondavit, & alias Episcopales Sedes reparavit, quemadmodum habetur in bulla Canonizationis, cum qua consonant, quæ ex ejus Actis apud Surium leguntur eruta ex manuscriptis codicibus, & edita per Jacobum Gretserum: *Cumque Christianissimus Rex Poloniam, Bohemiam, & Moraviam tributarias fecisset: ob reverentiam Sancti Laurentii Martyris, conculcationem & destructionem Merseburgensis ecclesiæ cœpit pio intuitu misericordiæ & pietatis respicere, & ad nihilum redactam in ædificiis, & ministerialibus, in sæcularibus possessionibus, in Ecclesiasticis ornamentis, in pristinum gradum Pontificalis dignitatis, sicut Deo & Sancto Laurentio voverat, studuit restaurare: nec prius ab operibus misericordiæ destitit, quoadusque ad antiquum statum dignitatis, & pristinum honorem religionis ex integro perduceretur.* Sanctus Stephanus I. Rex Hungarorum, ut est in ejus vita apud eumdem Surium, primus Hungariam ad Christi Fidem convertit, & primus ecclesias ibidem erexit, provincia distributa in decem Episcopatus, erectaque Ecclesia Strigoniensi in Metropolim, petita a summo Pontifice facultate; in civitate, quæ Alba dicitur, insignem condidit Basilicam Beatissimæ Virginis; in urbe Hierosolyma Monachorum cœnobium exstruxit, ditavitque viveis & prædiis, unde eis quotidiani victus copia suppeteret; in urbe regia Constantinopolitana mirifici operis ecclesiam fabricavit; & Romæ sub Protomartyris Stephani titulo duodecim Canonicorum collegium condidit, rebusque necessariis instruxit, addito hospitio Hungarorum, qui orationis causa Romam ad Beati Petri Apostolorum Principis limina venirent. S. Eduardus Rex Anglorum votum emiserat peregrinationis suscipiendæ ad limina Apostolorum. Urgente ex ejus absentia periculo seditionum, summus Pontifex eum e voto absolvit; ita tamen, ut expensas, quas ad iter paraverat, pauperibus erogaret, & cœnobium Monachorum in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis aut novum constitueret, aut vetustum repararet & augeret, constituta de suis reditibus Monachis alendis annona. Monasterium ædificiis ac possessionibus regali liberalitate ab eo auctum est, impetrata a Nicolao Pontifice confirmatione earum, quas fecerat, donationum, obtentaque novorum insignium privilegiorum concessione pro Abbate, & Monachis. Gaufridus in *vita S. Ludovici Regis Francorum* testatur, ab eo extructas domos & hospitalia, monasteria Religiosorum, multa Dominicanorum & Franciscanorum condita a fundamentis cœnobia, in qualibet civitate & castello Regni sui domos congruas & opportunas paratas, ut in eis pauperes cæcitate laborantes vivere possent, certis assignatis proventibus; Abbatiam denique Regii Montis Cisterciensis Ordinis ab eo conditam, & ditatam. Beatus Ferdinandus III. Castellæ & Legionis Rex, capta Hispali, templum Maurorum expiatum, & Christianorum dedicatum Sacris insigni Archiepiscopatu, honestissimo Canonicorum & Dignitatum collegio regia & religiosa liberalitate exornavit, & alia deinde in urbe templa & cœnobia erexit. Beatus denique Amedeus III. Dux Sabaudiæ magnificentiam suam & pietatem demonstravit in publicis ædificandis hospitalibus & monasteriis, in ornandis & pretiosa supellectile ditandis ecclesiis, auro, argento, & gemmis ad colendam memoriam Principis Apostolorum erogatis.

15. Succedit obedientia erga Romanum Pontificem. Theophilus Raynaudus *tom. 15. in opere, cui titulus*, Heteroclita spiritualia, *pag.* 248. agens de sanctitate Clodovei (quem ipse Ludovicum appellandum esse contendit) Regis Francorum a S. Remigio Episcopo Remensi baptizati hæc habet: *Observantiam vero in Sedem Sancti Petri, quæ observantia est germanus character Catholicismi, prodidit Clodoveus, transmissa ad Hormisdam Papam corona magni pretii*, Caroli M. Ludovici Pii Imperatoris & Regis Francorum, & multorum in Regno Galliæ Successorum venerationem, obedientiam, & merita erga Sedem Apostolicam ex Ecclesiæ annalibus longa prosequitur oratione Mauclerus *de monarchia tom. 2. quarta parte, lib. 7. cap. 5. & plurib. seqq.* In vita S. Henrici Imperatoris memorantur, quæ ab ipso præstita sunt, ut debitam exhiberet Benedicto VIII. summo Pontifici venerationem, & cum ipse Romam accessit, & cum Benedictus Alemanniam ingressus est, ut Bambergensem Ecclesiam visitaret. Innocentius II. S. Leopoldum Austriæ Principem venerationis erga Romanum Pontificem causa peculiarem Sancti Petri Filium appellavit, ut in bulla Canonizationis legitur. Inter alia denique monita, quæ S. Ludovicus Galliæ Rex quasi hereditariam successionem testamento filio suo reliquit, præcipuum est illud: *Sis devotus & obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & summo Pontifici tamquam Patri spirituali*; ita ut aut apocrypha omnino habenda sit *Pragmatica sanctio*, quæ ejus nomine circumfertur, aut saltem tali nota inurendus sit *articulus*, in quo nonnulla sanciuntur parum honorifica sanctæ Sedi, utcumque scripserit

Natalis

Natalis Alexander *in hist. Eccles. sec. XIII. & XIV. tom. 7. pag.* 289. ubi, rejecta reliqua parte Pragmaticæ, *ultimum* tantum *caput* admittit tanquam verum. Contra universæ Pragmaticæ veritatem facit, quod ea tantum lucem aspexit anno 1461. duobus videlicet sæculis post obitum S. Ludovici, tunc cum Senatus Parisiensis confugit ad Ludovicum XI. & quod de ea unquam habita est mentio, cum memorabiles illæ dissensiones vigerent inter Bonifacium VIII. summum Pontificem, & Philippum Pulcrum Galliæ Regem, licet utrinque plura, quam oportebat, scripta sint, & millies se obtulerit occasio Pragmaticam allegandi, quemadmodum bene animadvertit Thomassinus Auctor Gallus *de vet. & nov. Eccl. discipl. part. 2. lib. 2. cap. 33. num. 4. & part. 3. lib. 1. cap. 43. sub num. 17. §. Adde & viris*, Contra veritatem vero ultimi articuli facit, quod Pragmatica pluries sine eo typis impressa est; quod tempore suppositæ editionis S. Ludovicus ex summi Pontificis consilio se parabat ad secundam expeditionem in Terram sanctam; & quod tunc temporis Ecclesiæ Romanæ præerat Clemens IV. natione Gallus, ab omni avaritia, & carnali in cognatos affectu alienissimus, quorum occasione Bona Ecclesiastica sæpe cumulantur & dilapidantur; ita ut inverisimile omnino sit, suo Edicto sanctum Regem sistere voluisse affectam Romanæ Curiæ rapacitatem, Beneficiorumque & Bonorum Ecclesiasticorum usum, cum posset ad ipsum summum Pontificem confugere, eique sui Regni damna, si quæ essent, exponere; cum, si quid tunc temporis exigebatur ab Ecclesia Gallicana, non ob alium finem exigeretur, quam ad parandum ipsi Regi subsidium in bellica expeditione. Præterquamquod ecquis est, qui sibi suadere possit, Regem, qui anno subsequenti monitum modo relatum filio dedit, quique, adductus avi sui Philippi Augusti exemplo, qui ab Ecclesiasticis injuriam sibi fieri malebat, quam cum eis contendendo Ecclesiam scandalizare, hæc addidit: *Sis diligens, quod omnes Subditi tui justitia & pace fruantur, maxime autem personæ Ecclesiasticæ & Religiosæ*; & paulo post: *Ama igitur, o fili, personas Ecclesiasticas, & serva pacem earum, quantum poteris*, Regem, inquam, potuisse anno proxime antecedenti articulum eum edere Romano Pontifici, sanctæ Sedi, & Ecclesiastico cœtui injuriosum? Legi potest Auctor Gallus *in tractat. de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 1. cap.* 15.

16. Ad bella quod attinet, legi possunt fuse deducta apud Hugonem Grotium *de jure pacis, & belli lib. 1. cap.* 2. ut ostendatur, bellum Divino juri non repugnare, hoc est nec veteri, nec novo Testamento. *Auferam* (minatus est Deus populo suo ingrato, & suorum beneficiorum oblito) *auferam fortem, & virum bellatorem, Judicem, & Prophetam*, quorum loco *effeminati dominabuntur eis, & corruet populus*: uti habetur apud Isaiam *cap.* 3. Quapropter Reges etiam sancti bellarunt pro Fide & ejus propagatione, pro tutamine dignitatis, pro defensione suæ ditionis, & suorum populorum tutela; uti animadvertit Scacchus *loc. cit. sect. 6. cap.* 2. Imma Theologi passim docent, teneri Principes aliquando sub pœna culpæ mortalis gerere bellum non solum ad defensionem, sed etiam ad offensionem, urgente videlicet periculo temporali, aut spirituali suorum populorum; uti videri potest apud Schiaram *in Theologia bellica lib. 1. difficult.* 7. Josaphat Rex pugnavit cum Moabitis, & Ammonitis, qui sibi Syros adjunxerant. Rex Ezechias bellum gessit cum Sennacherib Rege Assyriorum. Judas Machabæus, de cujus in Deum pietate hæc habentur 2. *Machabæor. cap. 15. v. 18. Erat enim pro uxoribus, & filiis, itemque pro fratribus, & cognatis minor sollicitudo; maximus vero & primus pro sanctitate timor erat Templi*, strenue adversus hostes pugnavit. Plenæ sunt sacræ Litteræ virtute bellica fortium & illustrium Ducum, qui prælia præliantes pro Deo, pro ejus Lege, & cultu, justissimi atque religiosissimi judicati sunt. Philo Judæus in fine *libri primi de vita Moysis* illorum bella, justissima nominando, prædicavit. Similia habentur apud Origenem *homil. 26. in Josue, cap.* 31. & S. Ambrosius *lib. 1. officiorum, cap.* 19. bona certamina Moysis, Josue, Gedeonis, & aliorum probatæ fidei Ducum victoriis nobilitata commemoravit. Theodosius Imperator, cognita morte Valentiniani Imperatoris, & Eugenii tyrannide, in Europam exercitum traduxit. Tiberius Imperator, cujus superius mentio habita est, ingentem coegit exercitum centum quinquaginta turmarum equitum lectissimorum, quorum armis Chosroam penitus profligavit. Celebre est evitandi prælii causa duellum oblatum a S. Wenceslao Rege Bohemiæ Ladislao Curimensi Principi, in quo Angelorum ministerio Ladislai contumaciam in obsequium convertit. Henricus I. Romanorum Imperator adversus Poloniam, Bohemiam, & ceteras adjacentes regiones Sclavorum, qui fines Regni sui vastabant, militem paravit. S. Stephanus I. Hungarorum Rex castra movit adversus Conradum Imperatorem, qui, tranquillitate perturbata, Pannoniæ infesta tulerat signa. Expeditiones S. Ludovici Galliarum Regis in Terram sanctam, bella, captivitas ejus omnibus notissima sunt. Notissima quoque sunt bella adversus Mauros a B. Ferdinando III. Rege Castellæ & Legionis suscepta, & feliciter expedita: & apud Historicos habetur, Amedeum III. Ducem Sabaudiæ misisse in Peloponnesum exercitum satis copiosum, ut ea regio a Turcarum furore defenderetur; promptum quoque & paratum se exhibuisse ad opes & vitam fundendam, cum summus Pontifex Pius II. Concilio Mantuano præsidens Principes Christianos ad bellum sacrum contra Mahumetanos invitavit; & exercitum demum coegisse, ut Regnum Cypri, si posset, recuperaret, quod, expulso Ludovico a Sabaudia Rege legitimo, Soldanus Ægypti invaserat auxilio potissimum Jacobi nothi Nicosiæ Episcopi, qui, dimissa dignitate Episcopali, ei adhæserat. B. Petrus Damiani non probasse visus est, quod S. Leo Papa IX. adversus Normannos bellum gesserit, ut *in epist. 9. ad Odericum Episcopum Firmanum lib.* 4. legitur, ubi etiam negare videtur, Romano Pontifici jus esse gladii temporalis. De hac Beati sententia judicium profertur a Cardinali Baronio *ad an. 1053. num.* 10. ubi de Bennone schismatico loquens, ait: *Sicut iste non est audiendus, ita quæ Petrus Damiani in his, quæ adversus eumdem Leonem militaribus copiis se miscentem scripsit, in his quæ asserit examinanda sunt an in omnibus veritate subsistant. Cum enim ipse esset mœrens animo, ac lugens eremi incola, quod frequenter audiret, Episcopos aliquos in Galliis atque Germaniis galeatos ac loricatos ad bella procedere, facinus execratus scripsit epistolam ad Firminum Episcopum, qua deplorans mundi hujus mala, præcipue vero discordias oboriri solitas inter Imperatores atque Pontifices, sic vult munera eorum esse distincta, ut nec Imperatores attingant, quæ sunt Sacerdotum, nec Sacerdotes, quæ sunt Imperatorum, ut bella tractare, & alia id genus, quæ ipsis omnino referunt*. Tum recitatis epistolæ verbis, addit *num. 14. Hucusque de his Petrus Damiani, cui Catholica dogmata penitus adversantur, quibus hæresis errore notantur omnes, qui ab Ecclesia Romana Cathedra Petri, e duobus alterum gladium auferunt, nec, nisi spiritualem, concedunt*. Cardinali Baronio adhæret Cardinalis Bellarminus in opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, dum loquitur de B. Petro Damiani. De utroque gladio ita loquitur S. Bernardus *lib. 4. de consideratione cap. 3. col. 444. vol. 1. oper.* alloquens Eugenium III. *Aggredere eos* (sermo est de perversis Christianis, qui suis seditionibus Ecclesiæ pacem turbabant) *sed verbo, non ferro. Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es reponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic*: Converte gladium tuum in vaginam. *Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, evaginandus. Alioquin, si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis*, Ecce gladii duo hic, *non respondisset Dominus*: Satis est, *sed* Nimis est. *Uterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus est, ille Sacerdotis, is Militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris*. De utroque prædicto gladio eodem modo sentiunt summi Pontifices Gregorius IX. *in epistola ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum*, & Bonifacius VIII. *in cap. unam sanctam, de majorit. & obed.* Ceterum B. Petrum Damiani materialem gladium summo Pontifici non abstulisse, sed tantum S. Leonis IX. factum reprobasse, qui in Apuliam perrexerat, & expeditioni militari adversus Normannos interfuerat (a quanec victor evasit, sed fugato partim, & partim occiso exercitu, in quodam castello ab eis obsessus est) pluribus ostendere conantur Cajetanus *in scholiis ad cit. epist.* Advocatus Thomas Montecatinius in responsionibus ad meas animadversiones, dum ego Promotoris Fidei officio fungens resisterem petitioni Ordinis Camaldulensis, qui Officium, & Missam B. Petri Damiani sub ritu Doctoris petebat, de quo infra; & Pater Vitalis Marttus in responsione ad quæstiones Vallumbrosanas Fidelis Soldani *cap. 19. n. 19. & seqq.* Autumavit igitur Beatus Petrus competere quidem Romano Pontifici etiam materialem gladium, sed eum vel propria manu, vel aliorum se præsente, & tamquam belli Duce mandante, non esse adversus ho-

stes

stes exerendum. In citata epistola idem Damianus objicit S. Leoni IX. factum S. Gregorii: *Numquid hoc legitur, vel egisse, vel litteris docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias a Langobardorum est feritate perpessus?* Ille enim *in epistola ad Sabinianum*, de qua in *Can. Si in morte 23. q. 8.* sic loquitur: *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec comites haberet, atque in summa confusione esset divisa; sed, quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* Quæ Sancti Gregorii verba, si una cum ceteris ejus factis sedulo ponderentur, supra indicatæ explicationi non obstant, quemadmodum Gratianus post *can. Ut pridem* & *can. Suppliciter 23. quæst. 8.* bene prosequitur: *In regesto etiam legitur, quod Beatus Gregorius civibus Thusciæ, ut contra Longobardos arma pararent, mandavit, & militibus stipendia decrevit. Hoc ergo exemplo, & præmissis auctoritatibus claret, quod Sacerdotes, etsi propria manu arma arripere non debeant, tamen vel his, quibus hujusmodi officia commissa sunt, persuadere, vel quibuslibet, ut ea arripiant, sua auctoritate valeant imperare.* Pater Christianus Lupus *ad Concilia generalia & provincialia tom. 3. pag. 365.* quærit, quisnam Romanorum Pontificum primus assumpserit jus gladii, nec alienum ad sui defensionem vocaverit, sed proprium conscripserit exercitum. Famigeratam profert epistolam Leodiensium adversus Paschalem II. in qua dixerunt, fuisse S. Greg. VII. Porro, S. Greg. VII. militiam habuisse, pluribus ostendit idem Lupus; at, S. Leonem IX. militasse, & sic ante tempora S. Greg. VII. Romanos Pontifices probet habuisse militiam, concluditque, Gregorium VI. auctorem fuisse militiæ Papalis, cum Italia latronibus plena esset, Laici omnes S. Petri possessiones invasissent, Papalis excommunicatio spernere-tur, & Henricus III. Imperator Germanicis bellis occupatus auxilium negaret; & tandem ait, nullum Romanum Pontificem armatum unquam exercitum duxisse, nisi S. Leonem IX. & Joannem XI. qui, teste Luitprando Ticinensi, cum juvenis esset, se spectandum populis exhibuit clypeo & lorica indutum, sed sine militia, quæ tunc nulla erat in Ecclesia Romana.

17. Verum, utcunque sit de his, nostri non est instituti ea recensere, quæ necessaria sunt, ut bellum justum dici possit, & quæ in bello etiam justo cavenda sunt: paucis enim omnia indicantur a D. Thoma 2. 2. *quæst. 40. art. 1.* ubi docet, tria ad justum bellum requiri, auctoritatem videlicet Principis, cujus mandato bellum geritur; causam justam, ut scilicet illi, contra quos bellum movetur, oppugnationem mereantur; & rectam bellantium intentionem, scilicet ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Tantum monitum afferemus S. Ludovici filio datum, quod Joinvilius *cap. 89.* ex Actis Collegii Rationalium in urbe Parisiensi in ejus vitam inseruit: *Cave, bellum geras adversus Christianum quemquam, nisi ex multorum consilio, & ita, si bellum evitare non possis. Quod si bellum habeas, abstine ab Ecclesiasticis, & iis, qui tibi nihil nocuerunt.* Sanctus hic loquitur de bello adversus Christianos, quod suscipi ex sola necessitate vult: at res aliter se habet, cum agitur de expeditione adversus Infideles; ipse enim S. Ludovicus vivificæ Crucis signaculum in Terræ sanctæ subsidium assumpsit, & fere cum toto exercitu in Soldani & Saracenorum manus incidit. Cumque in conventionibus subinde propositis additum fuisset, ut ipse Dei negaret Filium, & extra Fidem ejus esset, si conventiones a se factæ non servarentur, id asserere forti animo recusavit, frustra obnitentibus Pictaviæ & Andaviæ Comitibus eo potissimum obtentu, quod ei & ceteris Christianis mortis periculum immineret. Oblatum quoque ipsi fuit, ut e carcere exiret, ceteris Christianis remanentibus in vinculis, donec pecunia pro eorum liberatione soluta esset; at sanctus Rex prompte respondit, se in carcere, donec solutio facta esset, manere velle, Christianis aliis libertati pristinæ restitutis. Cum ipso tandem liberatus exercitus fuit, & ad suum Regnum remeavit; ubi post aliquot annos ad incrementum Catholicæ Fidei, & liberationem Terræ sanctæ votis ardentibus adspirans, in ipsius Terræ subsidium iterum signum Crucis assumpsit. Ad regiones Infidelium feliciter pervenit; adversus Saracenos pugnavit; & ob labores multos, quos tulit, morbo oppressus ad Dominum migravit. Apud Othonem Frisingensem *lib. 1. de Frid. cap. 34. & seq.* habetur, Ludovicum juniorem Francorum Regem Principibus Regni aperuisse consilium ad Loca sacra pergendi. Regni Principes S. Bernardum consulendum decreverunt, ipseque accersitus cum respondisset, tanti momenti negotium ad Romani Pontificis examen esse referendum, & Eugenius Pontifex annuisset, excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis, Deo permittente, expeditio non ex voto successit. *Pax (inquit) & non est pax. Promisimus bona, & ecce turbatio*: verba sunt S. Doctoris *lib. 2. de considerat. ad Eugenium cap. 1. col. 411.* Quanta autem fuerit ejus tristitia super hoc, patet tum ex *ep. 288.* quam in lecto forsan ex animi ægritudine decumbens hac de re scripsit, tum ex *epistola* Joannis Abbatis Casemarii ad Bernardum ipsum, quæ est *inter Bernardinas 386. vol. 1. oper.* in qua virum sanctum, quem ob sinistrum expeditionis eventum audierat afflictum, consolatur. S. Augustinus *in epist. 189. num. 4. (tom. 2. col. 698.) ad Bonifacium Comitem Africæ* ait, errorem maximum esse, asserere, nullum hominem castris & armis assuetum, gratum esse Deo: *Noli existimare, neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat. In his erat Sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium: in his etiam plurimi illius temporis Justi: in his erat & ille Centurio, qui Domino dixit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Porro qui plura vellet de causis justis bellorum, & de his, quæ caveri debent in bellis a Principibus Christianis, legere posset Mauclerum *de monarchia sæculari Christiana 3. part. lib. 5. cap. 8. & seqq. usque ad finem.*

18. Omnia, quæ hucusque dicta sunt, & quæ pro capitis complemento dici possent, de justitia servanda, & bono exemplo Subjectis exhibendo, tum etiam quæ de uxoribus Regum addenda forent, collecta sunt in Pontificali Romano *de benedictione & coronatione Regis.* Antistes enim Regem coronandum admonet, dicens: *Primum pietatem servabis. Dominum Deum tuum toto mente ac puro corde coles. Christianam religionem ac Fidem Catholicam, quam ab incunabulis professus es, ad finem usque inviolatam retinebis, eamque contra omnes adversantes pro viribus defendes. Ecclesiarum Prælatis, ac reliquis Sacerdotibus condignam reverentiam exhibebis. Ecclesiasticam libertatem non conculcabis. Justitiam, sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes inconcusse administrabis, bonis præmia, noxiis debitas pœnas retribuendo. Viduas, pupillos, pauperes, ac debiles ab omni oppressione defendes. Omnibus te adeuntibus benignum, mansuetum, atque affabilem pro regia tua dignitate te præbebis. Et ita te geres, ut non ad tuam, sed ad totius populi utilitatem regnare, præmiumque benefactorum tuorum non in terris, sed in cælo exspectare videaris.* In traditione gladii evaginati Antistes prosequitur: *Accipe gladium de altari sumptum per nostras manus, licet indignas, vice tamen & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratus, tibi regaliter concessum, nostræque benedictionis officio in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ divinitus ordinatum; & memor esto ejus, de quo Psalmista prophetavit dicens:* Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: *ut in hoc per eumdem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, & sanctam Dei Ecclesiam, ejusque Fideles propugnes ac protegas, nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execreris ac dispergas, viduas & pupillos clementer adjuves ac defendas, desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris injusta, confirmes bene disposita; quatenus hæc agendo, virtutum triumpho gloriosus, justitiæque cultor egregius cum mundi Salvatore sine fine regnare merearis.* Verba Antistitis, quibus coronandum Regem admonet, repetuntur *in benedictione & coronatione Reginæ.* Cum ei dat coronam, hæc habet: *Accipe coronam gloriæ, ut scias, te esse consortem Regni, populoque Dei semper prospere consulas, &, quanto plus exaltari*[illegible]*nto amplius humilitatem diligas & custodias in Christo Jesu Domino nostro*; &, cum dat ei sceptrum, ait: *Accipe virgam virtutis ac veritatis, & esto pauperibus misericors & affabilis, viduis, pupillis, & orphanis diligentissimam curam exhibeas.* Et hæc sunt præcipua, quæ præter cetera omnibus in Sanctorum album referendis communia, ponderanda esse videntur in causis Servorum Dei, qui, dum viverent, regali dignitate fulserunt: & qui plura ad rem, de qua nunc agitur, cumulata, allatis undique exemplis & auctoritatibus, legere vellet, manum admoveat *ad tom. 1.* Maucleri *de monarchia part. 3. lib. 1. usque ad 7.*

19. Bina extant Concilia, Parisiense videlicet sextum, & Aquisgranense secundum, in quibus plura statuuntur ad nostrum institutum pertinentia. *In cap.* quippe 1. & 2. Concilii sexti Parisiensis ex S. Isidoro dicitur, Regum ministerium maxime positum esse in Ecclesiæ tuitione; *cap. 3.* Judices ministrosque probos a Regibus eligen-

ligendos docet, alioquin ipsos coram supremo Judice reos fore; *cap.* 4. docet, pietatem, justitiam, & misericordiam esse Regni fundamentum; & *cap.* 5. monet Reges, ut Regnum sibi a Deo traditum credant, illudque secundum ejus voluntatem gubernare satagant: demum *in cap.* 3. secundi Concilii Aquisgranensis viginti quinque canones continentur, quorum plerique gemini sunt iis, qui in supradicto sexto Concil. Parisiensi conditi leguntur.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM.

De advertendis in causis Virginum, Conjugatorum, Viduarum, atque Peregrinorum.

1. PLURA in superioribus dicta sunt de castitate Virginum, Conjugatorum, atque Viduarum, quæ iccirco absonum esset hic repetere. Theophilus Raynaudus *tom.* 8. *in opere de titulis cultus specialis Sanctorum pag.* 559. longum recenset catalogum Sanctorum Conjugatorum, Conjugum in conjugio virginum, Virginum extra conjugium, & Sanctorum atque Sanctarum, qui, mortuis marito, aut uxore, in viduitate perstiterunt. Idem Auctor *punct.* 14. *pag.* 574. inter Virgines in conjugio recenset juxta aliquorum sensum (quem tamen ipse non amplectitur) S. Joannem Evangelistam, quem volunt fuisse sponsum, sed absque conjugii usu, e nuptiis in Cana Galileæ a Christo abductum. S. Augustinus *in præfat. in Joannem Evangelistam* hæc habet: *Iste siquidem est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, & cui Matrem virginem virgini commendavit.* Ex quorum contextu verborum manavit opinio, S. Joannem Evangelistam fuisse maritum, & virginitatem in matrimonio servasse. Subscribere videtur D. Thomas 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 4. ubi, proposita quæstione, an perpetua continentia requiratur ad perfectionem Religionis, postquam firmavit, perfectionem non solum paupertatis, sed etiam continentiæ introductam esse a Christo Domino, subjicit *ad primum: Et ne alicui spes perveniendi ad perfectionem tolleretur, assumpsit ad perfectionis statum etiam illos, quos invenit matrimonio junctos. Non autem poterat absque injuria fieri, quod viri uxores desererent, sicut absque injuria fiebat, quod omnes divitias derelinquerent. Et ideo Petrum, quem invenit matrimonio junctum, non separavit ab uxore. Joannem tamen volentem nubere, a nuptiis revocavit.* At, cum S. Augustinus in fine citati operis satis aperte indicet, S. Joannem a nuptiis vocatum, non quod reliquerit uxorem quam duxerat, sed quia eam prorsus non acceperat, *plus amatum, quod neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit*; adhærendum esse videtur communi Veterum sententiæ, quæ eum cœlibem fuisse affirmat. Legi potest Cardinalis Baronius *ad annum* 31. *n.* 30. *& seqq.* Memoratam sententiam amplectuntur ex Patribus Epiphanius *hæres.* 58. §. 4. Chrysostomus *de virginitate cap.* 82. Cassianus *collat.* 16. *cap.* 14. Ambrosius *de instit. Virg. cap.* 7. Paulinus *epist.* 50. Exemplis autem relatis *superiori cap.* 24. *num.* 57. eorum qui virginitatem in matrimonio servarunt, addi potest illud S. Amonis, qui, uxore consentiente, cum ea vixit decem & octo annis, nec matrimonium unquam consummavit; ut in ejus vita legitur apud Palladium *in historia Lausiaca*.

2. De Mulieribus conjugatis Guyet *de festis propriis SS. lib.* 2. *cap.* 8. *quæst.* 28. ita loquitur: *Non ad exprobrandum dixerim, nullas hujusmodi reperiri in tabulis Ecclesiasticis, sed, nescio quo id fato accidit, ut omnes vel maritis superstites fuerint, adeoque ad Viduarum statum pertineant, vel maritis ipsis adjunctæ una simul cum iis, eademque die recolantur.*

3. Theophilus Raynaudus loco supra citato, *puncto* videlicet 14. *num.* 4. inter sanctas Viduas rec[illegible] S. Mariam Magdalenam. Ex nonnullis enim monumentis autumat, mortuo marito, viduam juvenem, & sui dominam licentius aliquanto vixisse, quam deceret piam mulierem, non vero quibusvis, aut etiam pluribus sui copiam fecisse, ob Marthæ sororis & Lazari fratris convictum, ac testatam Magdalenæ nobilitatem. At, licet in Ecclesia Occidentali a sæculo VII. invaluerit opinio, unam eamdemque feminam fuisse eam, quæ Jesu Christi pedes in ædibus Simonis Leprosi ungento fovit, quæque pretioso unguento perfudit caput ejusdem in Bethania, dum apud Lazarum diversaretur; cum tamen non desit, qui Mariam Magdalenam, Mariam sororem Marthæ, & Feminam criminosam doceant tres fuisse inter se distinctas mulieres, aliique velint, Mariam Magdalenam, & Feminam criminosam unam eamdemque feminam esse, sed a Maria sorore Marthæ distinctam, eo potissimum obtentu, quod Peccatricis nomen, quo in Evangelio compellatur, prostitutam mulierem designans, alienum omnino sit ab ea mulieris indole, & ab iis gestis, quæ sorori Marthæ tribuuntur, quemadmodum late explicat Augustinus Calmet *dissert. in tres Marias*, hinc est, quod supra dictum S. Mariæ Magdalenæ exemplum Viduis tuto non suffragatur. Ceterum alia multa, & quidem notissima suffragantur, inter quæ illud B. Mariæ de Capite, vulgo nuncupatæ *de la Cabeza*, uxoris S. Isidori Agricolæ, de qua *superiori lib.* 2. *cap.* 24. §. 27. Hæc enim superstes fuisse videtur marito, quemadmodum colligitur ex vita S. Isidori Agricolæ Auctore Joanne Diacono edita a Bollandianis *ad diem* 15. *Maji cap.* 2.

4. Ad institutum ergo ut redeamus, multæ sunt S. Hieronymi epistolæ, quæ rei, de qua nunc agitur, prodesse possunt. In epistolis siquidem ad Eustochium, & ad Demetriadem docet, quomodo virginitatem debeant custodire, in epistola ad Furiam, eam hortatur, ut in viduitate perstet, & ad secundas nuptias non transeat; & in epistola ad Celantiam matronam, eam instruit, quomodo inter honores, divitias, & onera matrimonii vitam sancte & religiose ducat. In epistola itaque ad Eustochium 22. *num.* 8. *col.* 92. *oper. tom.* 1. ait, ad custodiam virginitatis primum quidem abstinendum esse a vino: *Si quid itaque in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversus adolescentiam prima arma sunt Dæmonum.* Deinde a consortio Matronarum *num.* 16. *Nolo, habeas consortia Matronarum; nolo, ad nobilium domos accedas:* & num. 17. *Sint tibi sociæ, quas jejunia tenuant, quibus pallor in facie est, quas & ætas probavit & vita.* Tum præcipit subjectionem parentibus, rarum egressum in publicum, & pœnitentiam *cit. n. col.* 99. *Esto subjecta parentibus, imitare Sponsum tuum. Raro sit egressus in publicum &c. Accepto cibo, cum te in lectulo compositam dulcis libidinum pompa concusserit, arripe scutum Fidei, in quo ignitæ Diaboli extinguuntur sagittæ... Carnis amor spiritus amore superatur, desiderium desiderio restinguitur*; & n. 18. *Lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis stratum tuum riga. Vigila, & sis sicut passer in solitudine.* Multa demum insinuat de oratione *n.* 37. *Post hæc, quanquam Apostolus orare nos semper jubeat, & Sanctis etiam ipse sit somnus Oratio, tamen divisas orandi horas debemus habere, ut, si forte aliqua fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque, & vesperam, nemo est, qui nesciat. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa; nec recedatur a mensa, nisi referatur Creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum &c. Egredientes de hospitio armet oratio; regredientibus de platea oratio occurrat, antequam sessio; nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur.*

5. *In epistola ad Demetriadem* 130. *num.* 4. *col.* 971. *loc. cit.* laudat rudem amictum, & victus continentiam, eoque magis, quod illa esset nobilitate & divitiis pollens: *Incredibilis animi fortitudo inter gemmas & sericum, inter eunuchorum & puellarum catervas, & adulationem ac ministeria familiæ perstrepentis, & exquisitas epulas, quas amplæ domus præbebat abundantia, appetisse eam jejuniorum laborem, asperitatem vestium, victus continentiam.* Admirabundus refert, eam pro servanda virginitata oblatas respuisse nuptias, aviæ & matris indignationem nihil metuentem, quæ etiam sanctæ neptis & filiæ voluntati libentes postea præstiterunt assensum; sic *num.* 5. *Cum jam nuptiarum appropinquaret dies, & futuro matrimonio thalamus pararetur, secreto & absque arbitris, noctemque habens pro solatio, talibus se fertur armasse consiliis: Quid agis, Demetrias? Cur pudicitiam tanto pavore defendis? Libertate opus est. & audacia, quæ sic in pace metuis, quid faceres in martyrio perpetiendo? Quæ tuorum vultum ferre non potes, quomodo sustineres tribunalia Persecutorum?* Præcepta postea subjicit, quibus ad sanctitatem Virgo instruatur; initiumque ducit a pœnitentia, & a corporis mortificatione, quæ tamen moderata sit, ut *num.* 10. *Post cogitationum diligentissimam cautionem, jejuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum cum David:* Humiliavi

in

in jejunio animam meam, & cinerem tamquam panem manducavi. Et *num.* 11. *Neque vero immoderata tibi imperamus jejunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam sanctæ conversationis jacere fundamenta.* Modum insinuat, qua divitias suas debeat erogare, *num.* 14. *Alii ædificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis; columnarum moles advehant &c. non reprehendo, non abnuo. Unusquisque in sensu suo abundet. Meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, & maxime in domesticis Fidei, Virginum alere monasteria, servorum Dei, & pauperum spiritu habere curam, qui diebus & noctibus serviunt Domino tuo.* Hortatur, ut, licet nulla re indigeat, lanam habeat in manibus, & pollice staminis fila deducat; ut non modo otium fugiat, sed etiam aliquid habeat, quod Christo offerat, *num.* 15. *Hæc observans, & te ipsam servabis & alias: & eris magistra sanctæ conversationis, multarumque castitatem lucrum tuum facies, Scriptura dicente:* In desideriis est omnis anima otiosi. *Nec idcirco tibi ab opere cessandum est, quia, Deo propitio, nulla re indiges; sed ideo cum omnibus laborandum est, ut per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet servitutem. Simpliciter loquar. Quamvis omnem censum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsas confeceris vel in usus proprios, vel in exemplum Virginum ceterarum, vel quod aviæ, matrique offeras, majora ab eis in refectionem pauperum pretia receptura.*

6. Alia plura in *cit. epistola ad Demetriadem* legi possunt. *In epistola* vero *ad Furiam* 54. bona refert viduitatis, & ad eam servandam hortatur his verbis, *num.* 15. *col.* 290. *loc. cit. Si habes liberos, nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis sterilitatem, & rem incertam certo præfers pudori &c. Aut, si evenerit, ut ex secundo marito habeas filios, domestica oritur pugna, intestinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis quos genuisti. Clam porriges cibos: invidebit mortuo: &, nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod si de priore uxore sobolem habens domum te introduxerit, etiamsi clementissima fueris, omnes comœdi, & mimographi, & communes Rhetorum loci in novercam sævissimam declamabunt. Si privignus languerit, & condolueris caput, infamaberis, ut venefica; si non dederis cibos, crudelis; si dederis, malefica diceris. Oro te, quid habent tantum boni secundæ nuptiæ, ut hæc mala valeant compensare?* Exemplum proponit Annæ Prophetissæ filiæ Phanuelis de tribu Aser, quæ a sua adolescentia usque ad octoginta quatuor annos viduitatis onus sustinens a Templo non recessit, diebus ac noctibus insistens jejuniis & obsecrationibus: monet, ut jejuniis se dedat & vigiliis, *num.* 7. *Ardentes Diaboli sagittæ, jejuniorum & vigiliarum rigor restinguenda sunt.* Ut pauperibus subveniat, *num.* 12. *Illis tribue divitias tuas, qui non phasides aves, sed cibarium panem comedant, qui famem expellat, non qui augeat luxuriam. Intellige super egenum & pauperem. Omni petenti te da, sed maxime domesticis Fidei. Nudum vesti, esurientem ciba, ægrotatem visita.* Ut abstineat a consortio juvenum sive domi, sive extra domum, & ab omni luxu, *num.* 13. *Juvenum fuge consortia. Comatulos, comptos, atque lascivos domus tuæ tecta non videant. Cantor pellatur ut noxius. Fidicinas, & psalterias, & istiusmodi chorum Diaboli, quasi mortifera Sirenorum carmina, proturba ex ædibus tuis. Noli ad publicum subinde procedere, &, spadonum exercitu præeunte, Viduarum circumferri libertate. Pessimæ consuetudinis est, cum fragilis sexus, & imbecilla ætas suo arbitrio abutitur, & putat licere quod libet.*

7. Demum *in epistola ad Celantiam matronam* 168. quæ ab ipso petierat, quomodo vitæ suæ cursum dirigere deberet in conjugio constituta, sic respondet, *num.* 2. *col.* 1089. *tom. cit. Petis namque, & solicite ac violenter petis, ut tibi certam ex Scripturis sanctis præfiniamus regulam, ad quam ordines cursum vitæ tuæ, ut, cognita Domini voluntate, inter honores sæculi, & divitiarum illecebras, morum magis diligas supellectilem, atque ut possis in conjugio constituta non solum conjugi placere, sed etiam ei, qui ipsum indulsit conjugium.* Postquam autem multa protulit de observantia mandatorum Dei, docet moderationem in sermone esse adhibendam, *num.* 18. *Sit igitur intentus ac vigilans, & adversus peccata semper armatus animus tuus. Sermo in omnibus moderatus & parcus, & qui necessitatem magis loquendi indicet, quam voluntatem. Ornet prudentiam verecundia; quodque præcipuum in feminis semper fuit, cunctas in te virtutes pudor superet. Diu ante considera, quid loquendum sit: & adhuc tacens provide, ne quid dixisse pœniteat. Verba tua ponderet cogitatio, & linguæ officium animi libra dispenset.* Humilitatem esse colendam, *num.* 20. *Nihil habeas humilitate præstantius, nihilque amabilius. Hæc est enim præcipua conservatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium; nihilque est, quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate infimi simus.* Illicita non esse patranda, quod licita quædam omittantur: *num.* 12. *Cave, ne si jejunare, aut abstinere cœperis, te putes jam esse sanctam; hæc enim virtus adjumentum est, non perfectio sanctitatis. Magisque id providendum est, ne tibi hoc, cum licita contemnas, securitatem quamdam illicitorum faciat. Quidquid supra justitiam offertur Deo, non debet impedire justitiam, sed adjuvare. Quid autem prodest, tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira atque odio inebriari?* Addit, rationem habendam esse non conscientiæ tantum, sed famæ, & nihil esse committendum, quod aliis occasionem suppeditet detrahendi, *num.* 23. *Beatus est, qui tam sancte tamque graviter disposuit vitam suam, ut de eo sinistre aliquid ne fingi quidem possit, dum adversus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quisquam ausus est, quod a nullo putat esse credendum. Quod si id assequi difficile atque nimis arduum est, saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inveniant detrahendi, ne nobis scintilla procedat, per quam adversus nos sinistræ famæ flamma confletur: aliqui frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si eis ipsi obtrectandi materiam ministramus.* Hortatur tandem ut vacet orationi, *num.* 24. *Eligatur tibi opportunus, & aliquantum a familiæ strepitu remotus locus, in quem tu, velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Tantum ibi sit Divinæ lectioni studium, tam crebræ orationum vices, tam firma & pressa de futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses.*

8. Transcribendæ essent integræ S. Hieronymi epistolæ, si quæcumque notatu digna sunt, quæque ad Virgines, Conjugatas, aut Viduas pertinent, essent hic lectoribus exhibenda. Qui cetera scire cupit, citatas epistolas legere poterit. Nos transeamus ad ea, quæ ex Actis Canonizationum desumuntur. Sæpe citatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 7. *cap.* 1. præter cetera, quæ in omnibus Canonizandis requiruntur, monet, specialiter esse inquirendum in Virgine sæculari, de cujus agitur Beatificatione & Canonizatione, qua promptitudine, facilitate, gaudio, & voluptate perpetuam virginitatem servare proposuerit, qua animi fortitudine oblatas nuptias respuerit, quanto studio solitudinem amaverit, quomodo corpori castigando studuerit, sacræ lectioni se dederit, ab hominum commercio abstinuerit, vestium vanitatem oderit, & erga pauperes misericors fuerit.

9. Omnia hæc singula elucent in Actis earum Virginum, quæ in Beatarum & Sanctarum album relatæ sunt. De S. Catharina Senensi *apud Surium die* 29. *Aprilis* hæc habentur: *Quadam die secretum petiit locum, &, flexis utrisque humiliter genibus, sic precata est Beatissimam Matrem Christi: O Virgo sacratissima, quæ prima inter feminas perpetuam Domino virginitatem vovisti, qui te voluit esse matrem unici filii sui, obsecro benignitatem tuam, ut, non attentis meritis meis, digneris mihi sponsum dare filium tuum, quem totis animi visceribus concupisco; & ego promitto & illi & tibi, quod nullum umquam alium admittam sponsum, sed virginem me illi perpetuam conservabo. Ita septem annos nata, Christo sponso immortali suam dedicavit virginitatem, idque voto coram Deo solemni.* S. Ambrosius Sanctam Agnetem sic exhibet alloquentem filium Præfecti Urbis, qui eam opibus, cultu pretioso, & aliis muliebribus irritamentis ad nuptias solicitabat (*vitæ num.* 3. *ap. Bollandianos ad diem* 21. *Jan. tom.* 2. *pag.* 351.): *Discede a me, fomes peccati* (virginitatem enim voverat) *nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia ab alio amatore præventa sum &c. Ipsi me tota devotione committo, quem cum amavero casta sum, cum tetigero munda sum, cum accepero, virgo sum.* In bullis Canonizationum SS. Catharinæ Senensis, & Claræ de Assisio illustria extant exempla secessus a mundi strepi-

strepitu, dum adhuc essent in puerili ætate, & antequam Religioni nomen darent. Cetera prosequitur Scacchus, allatis exemplis præteritarum Canonizationum, quæ apud eum legi possunt. Non videtur autem omittendum id, quod Beatus Raymundus de Capua scripsit de S. Catharina Senensi, de abstinentia videlicet a corporis cultu, & a mundo muliebri, dum adhuc esset inter Sæculares: *Cæperunt & parentes, & germani ejus ignari propositi illius de ejus tractare conjugio. Mater quoque ad studium excolendi corporis eam hortari, ut posset Procerum oculis esse gratior & amabilior. Sed illa memor voti sui, licet id parentibus pro illorum reverentia celaret, nihil tale facere voluit; non enim hominibus, sed Deo modis omnibus placere contendebat. Ferebat id mater ejus moleste, &, cum per se illam movere non posset, filiam Bonaventuram, quam Catharina impense amabat, ut ei persuaderet, hortata est; & illa quidem multis viis ejus tentans animum, tandem eo adduxit, ut daret operam aliquando corpori ornando, nihil tamen interim remittens de proposito servandæ integritatis. Hanc autem culpam postea non semel tantis cum singultibus & lacrymis confessa est, ut videri posset gravissimo se scelere obstrinxisse; & ornatum corpori adhibere adeo enorme peccatum visum est oculis Catharinæ, ut sæpe dixerit: Ego quidem nec Tartarum puto sufficere huic peccato puniendo.*

50. Succedunt Conjugati: & prætermissa quidem virginitate in matrimonio servata, de qua alibi actum est, sæpe citatus Scacchus *sect. 6. cap. 6.* sapienter monet, in Dei Servis conjugatis, de quorum agitur Canonizatione, specialiter esse inquirendum, quo studio familiam in Dei timore educaverint, uxorem videlicet, liberos, & reliquos domesticos, siquos habuerint; quomodo singulos in officio continuerint; num prudenter & moderate cum eis se gesserint; quomodo rem familiarem administraverint, & sic in operibus misericordiæ, eleemosynas pauperibus largiendo, se exercuerint. In eo autem, quod attinet ad mulieres conjugatas, subjicit idem Scacchus, specialia sanctitatis argumenta desumenda esse ex virtute mansuetudinis erga maritum, socrum, & totam familiam, ex modestia, & contemptu mundi muliebris, ex solicitudine in regenda & gubernanda domo, liberos nimirum, servos & ancillas in Dei servitium & timorem dirigendo, ex cultu religionis, atque piis exercitationibus in his, quæ viro quantum ad jura matrimonii non officiunt: nec omittendum, si forte vir Infidelis sanctificatus est per mulierem Fidelem, hoc est vel ad veram religionem per eam, vel ad bonam frugem & sanctos mores traductus est.

51. Quæ dicta sunt, Scacchus confirmat sacri Textus auctoritate, cum *Genes. 3.* Heva appelletur socia ab Adamo: *mulier, quam dedisti mihi sociam*; & Apostolus Paulus 1. *ad Timotheum cap. 3.* agens de electione alicujus Conjugati ad Episcopatum hæc habeat: *Suæ domui bene præpositus, filios habens subditos cum omni castitate*; & Petrus Apostolus *in prima Canonica cap. 3.* dicat: *Mulieres subditæ sint viris suis, ut, si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conversationem*; Idem exponens morum honestatem & modestiam, quæ Conjugatas decet, sic prosequatur: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed, qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples: sic enim aliquando & sanctæ mulieres ornabant se subjectæ propriis viris.* Hæc, & alia complexus est Clemens IV. in bulla Canonizationis S. Hedwigis uxoris Henrici Barbati Poloniæ & Silesiæ Ducis *pag. 103. cod. Canoniz. Cum claræ memoriæ Henrico Duce Poloniæ matrimonium duxit legitime contrahendum, in quo, tripartitum bonum conjugii salubriter conservando, sic prudenter se gessit, quod tori fidem inviolatam custodiens, & prolem in Dei timore susceptam erudiens, ab ipso Duce, cui non præcipiti voluptatis affectu, sed discreto semper inhæsisse judicio creditur rationis, quousque est assumptus de medio, per separationis injuriam non divertit, licet, ut orationi & contemplationi vacarent devotius, torum ex pari voto & consensu unanimi per multa annorum curricula habuerint sequestratum, cum Creatori suo minus obsequi valeat ad plura distractus animus, & viro placere cupiens mulier in his, quæ Dei sunt, interdum segnior habeatur.* Apud Surium *ad diem 23. Julii* de S. Birgitta hæc enarrantur: *Filios suos Birgitta cum multa sollicitudine & diligentia educavit, eosque, seu aquila provocans ad volandum pullos suos & super eos volitans, unguibus castigationis, & sanæ doctrinæ radiis Solis justitiæ objecit, adhibens illis præceptores, qui eos in Fide & moribus instituerent.* In bulla Canonizationis S. Franciscæ Romanæ *pag. 282. cod. cit.* summus Pontifex Paulus V. ejus vitam in statu conjugali ita describit: *Curis familiaribus a spiritualibus minime distrahebatur, sed, rebus domesticis dispositis, non egrediebatur foras cum Dina, ut videret filias alienigenas, sed ipsas horas in secreto cubiculi sui, devote orando & meditando, quotidie transigebat. Abstinebat spectaculis, nuptiarum celebritatibus, non ingrediebatur domum convivii, neque etiam cognatorum; ejusque oblectamenta & deliciæ erant, ecclesias & hospitalia frequentare, verbi Dei prædicationibus & Divinis Officiis cum devotione intendere.* Et paulo post: *Non illi etiam, dum in conjugio vixit, quamquam nobili & opulento viro collocatæ, serica, non auro contexta, sed vilis & lanea vestis.* Et rursus *pag. 281. Et quemadmodum Sara obediebat Abrahæ, sic illa viro semper obediens fuit.* De S. Monica matre sua hæc testatur S. Augustinus *lib. 9. Confessionum cap. 9. num. 19. (tom. 1. oper. col. 164.): Tradita viro servivit veluti Domino, & satagit eum lucrari tibi, loquens illi moribus suis, quibus eam pulcram faciebas, & reverenter amabilem atque mirabilem viro. Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet umquam simultatem. Exspectabat enim misericordiam tuam super eum, ut in te credens castificaretur. Erat vero ille præterea sicut benevolentia præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jam vero refractum, & quietum, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat.* Et paulo post *num. 20. Socrum etiam suam primo susurris malarum ancillarum adversus se irritatam sic vicit obsequiis, perseverans tolerantia & mansuetudine, ut illa ultro filio suo medias linguas famularum proderet, quibus inter se, & nurum pax domestica turbabatur, expeteretque vindictam.* Et infra *num. 22. Denique etiam virum suum jam in extrema vita temporali ejus lucrata est tibi, nec in eo jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat.* Demum in relatione causæ S. Elisabethæ Reginæ Portugalliæ Auditores Rotæ referunt, Dionysium Regem & ejus maritum sanctissimæ conjugis exemplo permotum & victum benevolentia, qua filios illegitimos, quos ipse fidei conjugalis oblitus genuerat, prosequebatur, ad meliora consilia animum adjecisse: *Quibus actibus tam Regem vicit, confusumque reddidit, ut bonitate & patientia, & charitate beatæ Reginæ motus, ab omnibus suis impudicis & illicitis conversationibus se retraxerit, & Reginam autem magno amore prosecutus fuerit, & matrimonii leges observaverit. Et juxta dictum Apostoli Pauli*, sanctificatus est vir Infidelis per mulierem Fidelem.

52. Prosequitur Scacchus, quæ pertinent ad Viduas, ut videri potest *sect. 7. cap. 3.* ubi adnotavit, in causis earum inquirendum esse de diligenti filiorum educatione, si quos genuerint; de secessu a sæculi turbis, aut saltem de studio erga illum & voluntate; de carnis & corporis mortificatione; de religione & pietate erga res sacras, & Sacrorum Ministros; & de charitate erga pauperes: quæ omnia confirmat allatis exemplis præteritarum Canonizationum. Ne actum agere videamur, lectorem ad Scacchum *loc. cit.* remittimus, & pro dictorum confirmatione textum afferimus S. Pauli *in epist. 1. ad Timotheum cap. 5.* ubi Timotheum instruit, quem delectum habere debeat in Viduis honorandis, id est alendis & sustentandis publico sumptu Ecclesiæ, quæ sustentatio nomine honoris idcirco significatur, quia fiebat cum testimonio virtutis earum, quæ sic alebantur, quemadmodum indicat Estius *ad locum citatum num. 3.* Verba autem Apostoli sunt hæc *loc. cit. v. 3. & seq. Viduas honora, quæ vere Viduæ sunt. Si qua autem Vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus; hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem vere Vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, Fidem negavit, & est Infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.* Detracta ætate sexaginta annorum, quæ juxta sensum Cardinalis Cajetani certa & statuta dicitur, non ut admittenda eligatur in numerum Viduarum, sed ut ceteris

præ-

præficiatur, contra sentientibus aliis interpretibus, eam ætatem statui pro Vidua, non uti ceteris præficienda, sed uti sumptibus Ecclesiæ alenda; reliqua concordant cum his, quæ supra ex Scaccho retulimus, quemadmodum consideranti patebit. De pedum lotione difficultas moveri posset. Apostolus autem respicit morem Judæorum, & locorum vicinorum, qui sordidos pedes ex itinere adventantium hospitum lavabant; quod obsequium leguntur etiam Abraham & Lot Angelis hospitio receptis exhibuisse *Genes.* 18. *&* 19. Christus quoque dixit Pharisæo *Luc.* 7. *Aquam pedibus meis non dedisti;* & ipse suorum Discipulorum pedes lavare non est dedignatus. Cumque nomine Sanctorum Fideles comprehendantur, & præsertim Ecclesiæ Ministri, & Evangelii Prædicatores, in quibus sanctitas magis elucet, & per synecdochen sub lotione pedum omne genus humilioris obsequii, quod Sanctis præstari solet, comprehendatur, nemo est qui non videat, relata a Scaccho optime concordare cum Apostolica doctrina. Inculcat Apostolus educationem liberorum, de qua profecto sedulo inquirendum est in omnibus parentibus, uti, præter supra deducta, ex sacra Pagina exempla suppetunt. De Job quippe legitur, eum vigilasse super cogitationibus filiorum suorum; & eamdem vigilantiam habuisse dicitur Tobias de filio suo, & Helcia de Susanna: & *in libris Regum* Heli Sacerdoti ira Dei denuntiatur ob vitam filiorum, qui Sacerdotium patris in quæstum verterant, quamquam plerumque eos pater increpasse referatur; sed levior objurgatio non satisfecit disciplinæ, ita ut inter sacros Interpretes adhuc hodie quæratur, an Heli damnatus sit, super qua controversia legi possunt utrinque deducta a Cornelio a Lapide *ad lib.* 1. *Regum cap.* 4. Post quæ, ad nostrorum Sanctorum exempla quod attinet, & signanter sanctarum Viduarum, S. Augustinus hæc refert de Monica matre sua *lib.* 9. *Confession. cap.* 9. *num.* 22. *Nutrierat filios toties eos parturiens, quoties abs te deviare cernebat.* Item, quantum studuerit curandis filiis S. Amelberga Vidua, sat superque declarat sanctitas eorum apud Surium *ad d.* 10. *Jul. Ex ea natus est Beatus Adelbertus Cameracensis Ecclesiæ Præsul sanctissimus, cujus gesta plena miraculis & virtutibus usque in præsens in eadem florent Ecclesia. Itemque quatuor Deo dicatæ sorores, Reinildis, Pharaildis, Ærmelendis, & Gudila.* Et infra: *Cum autem filiæ ejus ab infantia vitam castissimam ducere constituissent, licet multi Regni Proceres propter nobilitatem & opes illas sibi matrimonio jungere percuperent, maluere virginitatis tenere propositum, & Sponso immortali Christo Jesu adhærere potius, quam mortalium hominum conjugiis copulari.* De Sancta quoque Hedwige prosequitur Surius *ad d.* 15. *Octobr. num.* 1. *Ex ea igitur tam sancta radice sancti quoque rami prodiere, & bona arbor bonos fructus protulit: qui enim ex eis* (id est ex Hedwige, & ejus viro Henrico) *nati sunt, Divino cultui dediti fuere, eumque pro viribus augmentarunt.* Et alibi adnotatum est, claruisse miraculis Catharinam filiam S. Birgittæ, & matris Canonizationem promovisse.

13. De Servis Dei Peregrinis agit citatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 6. *cap.* 7. monetque, inquirendum esse de peregrinationis causa, de licentia obtenta peregrinandi, de gestis in peregrinatione, de frequentia Sacramentorum, de corporis afflictionibus & laboribus in peregrinatione exantlatis; & affert tanquam tritum illud, *Peregrinus aut nunquam, aut tarde sanctificatur;* de quo in celebri libro *de imitatione Christi lib.* 1. *cap.* 23. *Qui multum peregrinantur, raro sanctificantur.* Calvinus, & Magdeburgenses, & Claudius Taurinensis sacras peregrinationes exsecrati sunt; at earum pietatem & religiositatem latissime propugnarunt Thomas Waldensis *tom.* 3. *tit.* 15. Cardinalis Bellarminus *de cultu Sanctorum lib.* 3. *cap.* 8. Gretserus *in quatuor libris de peregrinationibus*, ubi multa scitu utilia reperiuntur, Theophilus Raynaudus *tom.* 15. *in opere, cui titulus*, Heteroclita spiritualia *pag.* 213. *& seqq.* Et quidem a primis Ecclesiæ sæculis in more positum fuit, ut Fideles proficiscerentur ad sepulcra Martyrum, & ad loca præcipuorum mysteriorum operatione consecrata. Apud Eusebium *histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 11. hæc habentur: *Hac igitur visione, tanquam Divino admonitus oraculo Alexander cum ex Cappadocia, in qua primum Episcopus fuerat ordinatus, Hierosolymam profectus fuisset, tum orandi tum locorum visendorum gratia:* & in lib. 3. *de vita Constantini cap.* 42. hæc refert de S. Helena: *Nam cum illa debitum piæ affectionis munus Deo omnium Regi persolvere decrevisset, & pro filio suo, tanto scilicet Imperatore, ac pro filiis ejus Cæsaribus Deo carissimis nepotibus suis gratias cum supplicationibus agendas sibi esse statuisset, quamvis affecta jam ætate, tamen juvenili animo properavit mulier singulari prudentia, ut Terram veneratione dignam perlustraret, & Orientis provincias, urbesque, ac populos cum regali quadam sollicitudine, ac providentia inviseret. Postquam vero Servatoris nostri vestigia debito cultu venerata est, prout olim Propheticus sermo prædixerat;* Adoremus (*inquit*) in loco, ubi steterunt pedes ejus; *continuo pietatis suæ fructum posteris etiam dereliquit:* & S. Joannes Chrysostomus *in epist. ad Corinth.* 2. *cap.* 12. *hom.* 26. (*tom.* 10. *oper. pag.* 625.) hæc ait de peregrinatione ad sepulcra Martyrum: *Hæc quippe sepulcra aliis Imperatorum sepulcris multo splendidiora & venerabiliora facta sunt. In illis enim mira solitudo, in his ingens hominum frequentia &c. Atque hic quidem Imperator subditos suos Præfecto ita subjecit, ut ei liberum sit alios solvere, alios vinculis astringere. At Sanctorum ossa non miseram hanc abjectamque potestatem habent, verum illa multo majorem. Dæmones enim sistunt, & excruciant, acerbissimisque illis vinculis eos, qui astricti sunt, solvunt &c. ideo nemo est qui peregrinationem umquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat: contra multi plerumque Imperatores peregre profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur.* Alia ex sacro Textu pro sacris peregrinationibus argumenta colligi possunt. Absalon enim *lib.* 2. *Regum cap.* 15. *v.* 7. ait David patri suo: *Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron.* Et in Evangelio Lucæ *cap.* 2. legimus, Beatissimam Virginem, & Sanctum Joseph juxta consuetudinem, & Legem Mosaicam singulis annis ad Templum Hierosolymitanum accessisse, ad quod etiam accedebant Gentiles, ut in eo Hebræorum Deum colerent; quemadmodum colligitur ex Evangelio S. Joannis *cap.* 12. inter quos fuit ille Eunuchus Candacis, de quo in Actis Apostolorum *cap.* 8. Inter Acta Ecclesiæ Mediolanensis, & signanter in Concilio quarto *par.* 1. *de religiosis peregrinationibus*, multa indicantur de modo, quo sacræ peregrinationes expleri debent. Suspectæ porro sunt mulierum peregrinationes, nisi vel illustri loco natæ, vel ob copiosum comitatum æque foris securæ sint, ac si domi hærerent, vel nisi ex speciali Dei impulsu prudenter probato peregrinationes suscipiant; quemadmodum pluribus prosequitur Theophilus *loco cit. pag.* 217. Amatus Pouget *in institut. Catholic. tom.* 2. *pag.* 955. plura exponit de peregrinationum utilitate, si sancte expleantur, & de earum periculis, si quis eas incaute aggrediatur: &, si fas est sacris miscere profana, celebris est epistola 28. Senecæ ad Lucilium, ubi ostendit, animum, non cælum mutandum esse, & quamvis terræ & urbes recedant, vitia tamen sequi peregrinum & errantem, ad quemcumque locum ipse pervenerit. In eo vero, quod attinet ad Beatificationes & Canonizationes, vel agitur de Dei Servis, qui aliquam peregrinationem pietatis gratia peregerunt, & quoad hos omnia a Scaccho indicata, erunt sedulo perpendenda, una cum aliis a Servo Dei peregrino gestis ante & post peregrinationem; peregrinatio siquidem non omnem ejus vitæ cursum, sed partem tantum complectitur: vel agitur de Dei Servis, qui aut integrum vitæ suæ cursum, aut majorem ejus partem peregrinando expleverunt; & hi quidem, si virtutibus eminuerint, poterunt esse sancti coram Deo, sed Canonizationis honorem in Ecclesia militante vix obtinere poterunt, cum fere impossibile sit testes reperire, qui de eorum gestis testimonium reddere possint; nisi forte secum peregrinando testes duxissent, qui post eorum obitum interrogati de necessariis testari possent. S. Gaudentius Episcopus Brixiensis *homil. die dedicat. basilicæ Concilii SS.* (*in collect. veterum PP. Eccles. Brix. pag.* 340.) hæc habet de suis itineribus: *Quid .... de quadraginta Martyribus dignum loquar, qui se itineri meo, cum per urbes Cappadociæ Jerusalem pergerem, fideles comites præbere dignati sunt.* Beatum Contardum ex illustri Estensium familia nonnulli peregrinantem comitati sunt. Ingravescente morbo, comites cœptum iter, ipso auctore & hortatore, prosecuti sunt, & ipse sancte Bronæ obiit, ut ex ejus vita apud Bollandianos *ad diem* 16. *Aprilis* plene desumitur. Si de S. Gaudentii Canonizatione, aut de Canonizatione B. Contardi juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam post eorum obitum agi debuisset, examini subjici potuissent testes itineris comites, & qui morti præsentes fuerunt; sed, cum casus consimiles raro contigerint, & credi possit, rariores futuros esse nostris temporibus; repetimus, peregrinos, qui aut totum vitæ cursum, aut majorem ejus partem peregrinando perfecerunt, sanctos esse posse coram Deo, sed ex probationum defectu vix de eorum

Beatificatione aut Canonizatione judicium institui posse coram Ecclesia. Experientia constat, quibus implicentur difficultatibus, qui post vitam in peregrinationibus traductam, matrimonium contrahere cupientes, probare debent, se aliud antea matrimonium non contraxisse; & in aliquibus rerum circumstantiis videmus, eos admitti ad juramentum, quod vocant *suppletorium*, ut sui status libertatem ostendant, indicta pœna contra polygamos, si aliud præcedens matrimonium fuisse ab eis contractum, constiterit. Si pro uno actu vitæ probando tot in peregrino occurrunt difficultates, quot quantæque occurrerent, si de singulis ipsius gestis ageretur, eorumque esset instituenda probatio?

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

De obitu Servorum Dei, de quorum agitur Beatificatione & Canonizatione.

1. POSTQUAM de virtutibus, earumque heroicitate, quibus Canonizandi, dum viverent, præditi esse debuerunt, necnon de specialiter advertendis, pro statu uniuscujusque Dei Servi, de cujus agitur Beatificatione & Canonizatione, multa jam dicta sunt, remanet, ut videamus de eorum obitu. Inter præcipua, quæ sedulo sunt advertenda in causis Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei, est ipsorum obitus; favorabili quippe de virtutibus heroicis deliberationi parum profuisset, continuatum earum exercitium, dum viverent, ostendisse, nisi manifesta earum indicia, ex iis, quæ in obitu contigerunt, apparerent. Fuit hoc sapienter adnotatum a Ven. Dei Servo Cardinali Bellarmino in suffragio, quod edidit in causa Canonizationis S. Franciscæ Romanæ, & formis impressum est in *Appendice X. primi Libri. Quamvis enim Sanctorum, qui cum Christo regnant in cælis, tam ingens sit numerus, ut Sanctus Joannes in Apocalypsi dixerit*, Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat; *tamen pauci sunt, quos Deus singulari providentia elegit, ut eis per Vicarium suum in terris publici decernantur honores. Neque enim ad hanc excellentiam satis est, ut coram Deo sancti sint; sed oportet, ut certissimis documentis probetur, eos, dum viverent vere sanctitatis gloria aliis præluxisse, & in eadem sanctitate diem extremum clausisse, & demum post mortem carnis animas eorum ad æternam beatitudinem pervenisse.*

2. Fusius hoc argumentum prosequitur Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 5. cap. 6.* ubi signanter hæc habet: *In extremo autem agone & lucta in Dei Servis ac Famulabus habitus virtutum, æternorum desiderium, & temporalium contemptus aperte cognoscitur; ac proinde omnia diligenter consideranda veniunt, quæ in illa rerum omnium ultima linea contigerunt, in Actis nimirum piorum virorum, de quorum cultu & Beatificatione aut Canonizatione in Ecclesia agendum erit. Cum enim virtus sit habitus, ut jam dictum probatumque extitit, & in habitu, non in actu virtutis ratio sit constituenda, ut omnes Philosophi ac Theologi docuerunt, propterea in extremo agone in primis micant ac splendent virtutum habitus in vita acquisiti, quando nimirum naturales sensus, & naturales potentiæ tam interiores, quam exteriores morbi violentia præpeditæ, impediuntur, quominus suas exerant operationes. Tunc enim quosdam actus quasi involuntarios ab habitibus longo virtutum exercitio acquisitis provenire non dubitamus; ac propterea ab illius extremi agonis actibus virtutum habitus jam acquisiti cognoscantur necesse est. Hac de causa Servorum Dei in agone positorum acta omnia attendenda diximus; verba videlicet, corporis motus, motus oculorum, suspiria, si quæ ediderint, & reliqua sigillatim, tam quæ contra hostem proferunt, verba, quam etiam hortatoria ad astantes, ac denique illa ipsa, quibus se Deo morituri commendant, ut illorum exemplo non solum Fideles formam abeundi ex hoc mundo ad cælum hauriant, sed ut ex his signis habitus virtutum Evangelicarum, Evangelicæque perfectionis ac sanctitatis notas habere possimus.*

3. Denique concordant decreta generalia Urbani VIII. *In processibus faciendis illud maxime & præcipue observandum est, ut videatur exitus vitæ illius, qui petitur canonizari; quoniam, cum, ut dici solet, exitus acta probet, si finis vitæ illustris sit, & sanctimonia plenus, & publica præsertim testificatione notatus, argumentum erit, quod actiones anteactæ potuerunt esse sanctæ: & ideo in formandis articulis videndum est, qualis fuerit vitæ exitus, & qualibus circumstantiis sanctitatis sit munitus; nam in hoc articulo magnum causæ pondus consistit.*

4. Illustrantur hæc omnia argumentis ab Ecclesiastica historia petitis. S. Possidius Calamensis Episcopus vitam scripsit S. Augustini Hipponensis Episcopi, & *cap. 31.* exactissime descripsit, quanta pietate & sanctitate, & peccatorum pœnitentia se ad mortem præparaverit: *Sane ille Sanctus in vita sua prolixa pro utilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ divinitus condonata vixit annis 76. in Clericatu autem, vel Episcopatu annis ferme 40. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum Baptismum etiam laudatos Christianos, & Sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod & ipse fecit ultima, qua defunctus est, ægritudine: nam sibi jusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi, de pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & jugiter ac ubertim flebat: &, ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem, quam exiret de corpore, a nobis postulavit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus Medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei refectio inferretur. Et ita observatum ac factum est: & omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei usque ad ipsam suam extremam ægritudinem impræetermisse, alacriter, & fortiter, sana mente sanoque consilio in ecclesia prædicavit. Membris omnibus suis corporis incolumis, integro adspectu atque auditu, & ut scriptum est, nobis astantibus & videntibus, & cum eo pariter orantibus, obdormivit cum Patribus suis, enutritus in bona senectute: & nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione Sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est.*

5. S. Hieronymus vitam edidit S. Pauli Eremitæ, ubi refert mirabilem adventum S. Antonii ad ipsum, & mortis, quam Paulus divinitus habuit, præscientiam: *Olim te, Frater, in istis regionibus habitare sciebam* (sic Paulus Antonium allocutus est) *n. 11.* (*tom. 2. oper. col. 9.*) *olim te conservum meum mihi promiserat Deus. Sed, quia jam dormitionis meæ tempus advenit, &, quod semper cupiebam, dissolvi & esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona justitiæ, tu missus es a Domino, qui humo corpusculum meum tegas, immo terræ terram reddas.* Tum visionem narrat, quam habuit Antonius, animæ Pauli in cælum receptæ, & alia denique prodigia, quæ in obitu contigerunt: *Cumque jam dies alia illuxisset, & trium horarum spatio viam remeavisset* (sermo est de Antonio, qui ad suam eremum perrexerat, ut pallium sumeret sibi a S. Athanasio Episcopo olim dono datum, quo corpus S. Pauli involveret) *vidit inter Angelorum catervas, inter Prophetarum & Apostolorum choros, niveo Paulum candore fulgentem in sublime conscendere. Et statim in faciem suam procidens, sabulum capiti superjaciebat, ploransque & ejulans ajebat: Cur me, Paule, dimittis? Cur insalutatus abis? Tam tarde notus, tam cito recedis? Referebat postea Beatus Antonius, tanta se velocitate, quod reliquum erat viæ, cucurrisse, ut instar avis pervolasset. Nec immerito. Nam ingressus speluncam, vidit, genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus, corpus exanime: ac primum & ipse, vivere eum credens, pariter orabat: Postquam vero nulla, ut solebat, suspiria precantis audivit, in flebile osculum ruens, intellexit, quod etiam cadaver Sancti Deum, cui omnia vivunt, officioso gestu precabatur.* Hucusque Sanctus Hieronymus, qui etiam subinde refert, duos leones ex interioris eremi parte currentes ad cadaver S. Pauli substitisse, haud procul cœpisse humum pedibus scalpere, & arenam certatim egerentes, unius hominis capacem locum fodisse, & S. Antonium in eo corpus S. Pauli deposuisse, & tumulum ex more composuisse.

6. Ab eodem S. Hieronymo scripta est etiam vita S. Hilarionis Monachi, in qua nec paupertatem, in qua mortuus est, nec humilitatem, nec ultima, quæ protulit, verba omisit. Habetur enim *n. 44.* (*t. 2. oper. col. 39.*) *Igitur octogesimo ætatis suæ anno, cum absens esset Hesychius, quasi testamenti vice brevem manu propria scripsit epistolam, omnes divitias suas ei derelinquens, Evan-*

vangelium scilicet, & tunicam saccam, cucullam, & palliolum. Nam Minister ejus ante paucos dies obierat. Venerunt itaque ad ægrotantem de Papho multi religiosi viri, & maxime, quod eum dixisse audierant, jam se ad Dominum migraturum, & de corporis vinculis liberandum. Sed & Constantia quædam sancta femina, cujus generum & filiam de morte liberaverat unctione olei. Quos omnes adjuravit, ut ne puncto quidem horæ post mortem reservaretur, sed statim eum in eodem hortulo terra operirent sicut vestitus erat, in tunica cilicina, & cuculla, & sago rustico. Jamque modicus calor tepebat in pectore, nec, præter sensum, quidquam vivi hominis supererat; & tamen, apertis oculis, loquebatur: Egredere, quid times? Egredere, anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem times? In hæc verba exhalavit spiritum.

7. Extat *apud Bollandianos* vita S. Patris Benedicti scripta a S. Gregorio Magno, in cujus *cap. 37.* nedum sui exitus præscientia ab ipso Fratribus denuntiata exponitur, sed alia quoque referuntur; quomodo scilicet jusserit, sibi sepulturam aperiri, quam eximia pietate se muniverit perceptione Corporis & Sanguinis Domini, Viatico videlicet, aut sub utraque specie, qua ratione infirmis aliquando traditum est ex veteri disciplina, aut sub unica tantum specie, cum juxta Antiquorum loquendi morem unica tantum species panis fuerit designata nomine Corporis & Sanguinis Dominici, teste Mabillonio *in annal. tom. 5. pag.* 114. At, utcunque sit de his, idem S. Gregorius refert, quomodo S. Benedictus orans, & erectis ad cælum manibus, animam efflaverit; simulque prodigia narrat, quibus a Deo ostensum est, ejus animam ad cælestem visionem admissam fuisse. En verba S. Gregorii *n.* 37. (*apud Bollandianos ad diem 21. Mart. tom. 3. pag.* 587.) *Eodem vero anno, quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conversantibus, quibusdam longe manentibus sanctissimi sui obitus denuntiavit diem; præsentibus indicens, ut audita per silentium tegerent, absentibus indicans, quod, vel quale eis signum fieret, quando ejus anima de corpore exiret. Ante sextum vero sui exitus diem, aperiri sibi sepulturam jubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingravesceret, sexta die portari se in Oratorium a discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione munivit; atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælum manibus stetit, & ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Qua scilicet die duobus de eo Fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius posito, revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia strata palliis, atque innumeris coruscа lampadibus via recto Orientis tramite ab ejus cella in cælum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cujus esset via, quam cernerent, inquisivit: illi autem, se nescire, professi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via, qua dilectus Domino cælum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitum, sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat, agnoverunt. Sepultus vero est in Oratorio Beati Joannis Baptistæ, quod, destructa ara Apollinis, ipse construxit. Qui & in eo specu, in quo prius habitavit, nunc usque, si petentium fides exigat, miraculis coruscat.*

8. S. Gregorius Nazianzenus *orat. 20. in laudem S. Basilii* (*tom. 1. oper. pag.* 370.) sic de ejus morte effatur: *Cum ferme mortuus & exanimis esset, maximaque ex parte vita perfunctus, circa extremos sermones robustior fit, ut cum pietatis verbis abscederet, ac fidelissimis suis cultoribus ad Ecclesiasticos gradus provehendis manum & spiritum præberet, ut ne Sacrario fraudarentur, quos discipulos, atque in Sacerdotio adjutores habuerat.* Postquam autem retulit, postrema ejus verba fuisse, *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, & subinde animam lætum exhalasse, addit: *Non ante tamen, quam sacrosancta doctrina eos, qui aderant, nonnihil instruxisset, extremisque alloquiis meliores effecisset.*

9. Vitam denique S. Malachiæ Episcopi Hiberniæ S. Bernardus Abbas fideliter conscripsit. Cum devenisset ad exponendam ejus mortem, ait *cap. 31. num. 70. col. 695. oper. vol. 1.* Monachis medicamenta adhibentibus & fomenta, eum dixisse, cum sciret tempus instare suæ dissolutionis: *Sine causa hæc, sed charitate vestri facio quidquid injungitis.* Fratribus autem asserentibus, non oportere de vita diffidere, cum nulla mortis signa apparerent, respondisse, *n. 71. Oportet, hoc anno Malachiam exire de corpore: ecce appropinquat dies, quem, ut optime nostis, optavi semper ipsum fore diem resolutionis meæ*: tum jussisse, se sacro Oleo ungi, sumptoque Viatico, se Fratrum orationibus, & Fratres Deo commendasse; neminem tamen de ejus vicina morte suspicionem tunc habuisse, cum mortis indicia nulla essent, *num. cit. Alto de solario descendebat pedibus suis, & sursum nihilominus suis pedibus ascendebat, & dicebat mortem esse in januis. Quis hunc hominem crederet moriturum? Solus ipse, & Deus id scire poterant. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur, non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuatæ, non contracta labia, non adusti dentes, non collum exesum & gracile, non curvi humeri, non caro exinanita in corpore reliquo.* Febrim deinde invaluisse, & unumquemque suum judicium reprehendisse, nec ulli amplius dubium superfuisse de obitu Malachiæ; eumque oculos levantem in circumstantes hæc protulisse verba, *num. 73. Desiderio desideravi, inquit, hoc Pascha manducare apud vos. Gratias ago supernæ pietati, non sum fraudatus a desiderio meo &c. Habete, inquit, curam mei; ego vestri, si licuerit, non obliviscar. Licebit autem. Credidi in Deum, & omnia possibilia credenti. Amavi Deum. Amavi vos, & charitas numquam excidit. Et suspiciens in cælum, Deus, inquit, serva eos in nomine tuo; non solum autem eos, sed & omnes, qui per verbum ac ministerium meum tuo se mancipavere servitio. Deinde imponens manus singulis, & benedicens omnibus, pausatum ire jubet, quia nondum venerat hora ejus.* Demum circa mediam noctem, congregatione tota Monachorum astante, & Psalmos & hymnos canente, feliciter ex hac vita migrasse anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, loco & tempore, quo prælegit & prædixit, *num. 74. Malachias Episcopus, & Legatus sanctæ Apostolicæ Sedis, velut e manibus nostris assumptus ab Angelis, feliciter obdormivit in Domino, & vere obdormivit. Vultus placidus placidi exitus indicium fuit, & quidem omnium oculi fixi in eum: nemo tamen, qui, quando exivit, advertere potuisset. Mortuus vivere, & vivens mortuus putabatur; adeo nil intercidit, quod alterutrum distermínaret. Eadem vivacitas vultus, serenitas eadem, qualis apparere solet in dormiente.*

10. Suffragantur exempla ex ipsis Canonizationum Actis petita, quorum nonnulla operæ pretium esse censemus hic inserere. In bulla Canonizationis S. Thomæ de Villanuva *in cod. Canoniz. pag.* 361. refertur, qua hilaritate vicinæ mortis nuntium receperit; quomodo omnia, quæ superfuerant, mandaverit pauperibus distribui; quid post recepta Ecclesiæ Sacramenta Clero commendaverit; quam pio mentis affectu in osculo Domini mortuus sit; & quæ postrema demum fuerint ipsius verba: *Cumque orans & vigilans exspectaret adventum Domini sui, Episcopus Segobricensis, ultimum adventare vitæ terminum, nuntiavit: tum exhilaratus gratias egit, & addidit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus: usurpans etiam illud Sancti Martini, Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, sin minus, cupio dissolvi, & esse tecum. Tum vero, cum per Œconomum quinque millium aureorum summam superesse significaretur, eam pauperibus distribui mandavit; cumque intellexisset, omnibus civitatis pauperibus abunde esse subventum, & adhuc mille & quingentos aureos reliquos esse, ad immortalitatis bravium terrenis omnibus affectibus expoliatus anhelans, sic conquestus est: Cur me hic detinetis adhuc, ne ad fruendum bonum, quod mihi paravit Dominus, evolem? Properate, opus absolvite, ne ipse diutius hic in labore anxius detinear, sed tandem in pace Christi requiescam. Et certior factus, jam omnia consummata, ipse suum jam consummaturus cursum, Deo gratias agens, addidit: Nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nil habens unde tenear, strenue luctaturus: jussitque, se sacro Oleo muniri, & Clerum vocari, cui, sumpto sanctissimæ Eucharistiæ sacramento, sanctitatem vitæ, & perpetuam erga sanctam Sedem Apostolicam obedientiam ex testamento legavit. Demum semel adhuc sub speciebus sacramentalibus venerari cupiens Deum Salvatorem, quem mox facie ad faciem sese intuiturum sperabat, in suo cubiculo sanctum Sacrificium confici, & interim sibi Dominicæ Passionis Evangelium secundum Joannem legi voluit; eoque cum alta contemplatione audito, ac mira pietate & humilitate augustissimo Sacramento, ergo quod semper devotissimus extitit, ad elevationem adorato, præ gaudio vim lacrymarum profundens inchoavit Canticum,* Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; *eoque absoluto, subdit: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Quæ cum diceret, expiravit die octava Septembris vespere Nativitatis Beatissimæ Virginis, cujus, dum viveret, amore languebat, anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, ætatis suæ sexagesimo octavo.* Eadem omnino referuntur in relatione Rotæ Auditorum, quam in ejus causa exara-

xararunt, & quam Contelorius integram edidit post suum tractatum *de Canonizatione*. Hicque obiter fas sit aliqua adnotare de pio usu legendi morientibus Passionem Domini, quem maximopere commendat Durandus *in rationali lib. 7. cap.* 34. Ejus memoria habetur in antiquo Breviario Montis Cassini manuscripto tempore Abbatis Oderisii *tit. Officium, sive obsequium circa morientem*. Ibi enim post administrationem sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ subjicitur: *Deinde legantur ante eum Passiones Domini*. Concordat antiquum Breviarium apud Martene *lib. 5. cap. 9. num. 19. de antiquis Monachorum ritibus*. Plura alia collecta legi possunt in eruditis notis ad sermonem 4. *de Purgatorio* san. mem. Benedicti XIII. Et in vita S. Frodoberti Abbatis Cellensis *in 11. sæc. Benedict. par. 2. pag. 634. num. 22.* ita legitur: *Universos denuo jubet adesse discipulos, dumque ante eum Textus Passionis legeretur Dominicæ, sub oculis omnium sancta anima carnis exuta velamine felici decessu cælestia penetravit*.

11. In relatione Rotæ Auditorum in causa Canonizationis S. Caroli Borromæi 2. *par. art.* 22. narratur, eum, quasi præscium propinquæ mortis, ad Montem Varallum se contulisse, ubi piis meditationibus, jejuniis, vigiliis, & peccatorum Confessione generali se ad mortem præparavit, & incredibili humilitate subinde Ecclesiæ Sacramenta recepit: *Paulo antequam a Domino vocaretur Carolus veram post tot labores quietem recepturus, ad Montem Varallum diœcesis Novariensis, sicut diu optaverat, sacella ejus sacra, quæ Passionem & sepulturam Domini repræsentant, visitaturus se contulit: quindecim dierum spatio ibi moratus, orationi, piis meditationibus, Divinis contemplationibus, & aliis spiritualibus exercitiis deditus, jejuniis, vigiliis, dormitatione in terra, & nudis tabulis carnem jamdiu multis asperitatibus castigatam amplius maceravit; &, quasi propinquæ mortis præscius, Confessionem generalem humiliter fecit, & quotidie de more Missam celebravit: &, quamvis febris tertiana supervenisset, consueta exercitia non omisit. Quibus absolutis, versus Aronam itinere suscepto, paroxysmis invadentibus, Cœnobium pervenit, inde Asconam, ut inchoatum Collegium stabiliret, sicut fecit. Inde reversus Cœnobium, postea Aronam, & mox Mediolanum petivit; ubi, ingravescente febri, postquam incredibili & quadam inexplicabili devotione & profunda humilitate Ecclesiæ Sacramenta recepisset, die tertia Novembris circiter tertiam horam noctis anno Domini 1584. ætatis vero anno 47. in beato, tamquam alter Martinus, quem in munere Pastorali multum fuerat imitatus, placido fine quievit in Domino*.

12. In relatione causæ Sancti Petri de Alcantara *tit. de felicissimo obitu*, plura referuntur: primo quidem (ut ibi dicitur) licet ultima infirmitate laborans, nunquam Divinum Officium prætermisit; secundo, ea nocte, quæ præcessit administrationem sanctissimi Sacramenti, jugiter oravit; tertio, enixis precibus suorum peccatorum veniam a Deo postulavit; quarto, incredibili spiritus fervore sacrum Viaticum recepit; quinto, lætatus est, nuntium audiens vicinæ mortis; sexto, magna reverentia extremæ Unctionis sacramentum excepit; ultimo, ante obitum mirabili visione Sanctissimam vidit Trinitatem, Beatissimam Virginem, & Sanctum Joannem Evangelistam. En verba relationis Rotalis: *Evenit itaque, quod ultra infirmitates, quibus semper Dei Famulus affectus vitam ducebat, supervenit illi quædam febris, ex qua credidit se moriturum; & per dies, quibus duravit, etiamsi esset in extremo debilis, nunquam tamen Divinum Officium dicere prætermisit. Et, cum vidisset Religiosos afflictos, cœpit illos consolari dicens: Nolite, filii mei, flere: jam erat tempus, in quo Deus misericors misericordiam mei haberet: petiitque in illo vespere sacramentum Eucharistiæ sibi ministrari; &, cum hoc differretur usque ad sequentem diem de mane, totam illam noctem in dulcissima oratione & contemplatione consumpsit, &, copiosis lacrymis e dolore & contritione peccatorum effusis, sæpius verba Psalmistæ repetebat dicens:* Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. *Et quasi maximis culpis involutus, & tamquam ille, qui pœnitentiam per tot annos continuos & valde austeram & rigidam non egisset, ita deprecabatur Deum, ut magis & magis illum lavaret, & a peccatis mundaret; quibus verbis ex illo Divino affectu prolatis, Fratres præsentes ædificationem maximam senserunt, quia & illis fuere occasio confusionis, videndo Patrem suum, qui totum cursum suæ vitæ in inserviendo Deo, & in oratione, & Divina contemplatione, & pœnitentia consumpserat, in fine ita culpas lacrymis lavare, a Deoque petere, amplius & amplius ab illis mundari: quibus vir sanctus addebat: Castiga me, Domine, non secundum peccata mea, sed secundum magnam misericordiam tuam. Ego enim spero, per merita tuæ sanctissimæ Passionis a te salvari. Venit igitur dies, & illud sanctissimum Viaticum cum venire agnovit, quamvis debilis, & quasi paralyticus non valens moveri, statim absque alicujus adjutorio genuflexus, vinctisque manibus, incredibilique spiritus fervore illud Divinum Sacramentum adoravit, & summa cum veneratione, lacrymis, & reverentia suscepit, petiitque, sibi suo tempore sacrosanctum extremæ Unctionis sacramentum ministrari; & oculis fixis in Christo crucifixo, quem ibi habebat, vultuque sereno & quasi igneo ex spiritus fervore, & in maxima quiete, & quasi in ecstasim, & absorptus in Deum remansit per longum temporis spatium: posteaquam, accedente Medico, ab illo vir Dei quæsivit: Quando veniet tempus optatum, & hora, qua ex hoc exilio eripiar, & viam vitæ ingrediar? Cui Medicus respondit: Pater mi, cito ista hora adveniet; jam enim appropinquat. Quo audito a viro sancto, inenarrabili lætitia fuit affectus, qua, & maximo jubilo conversus in Deum, hilarique vultu dixit cum Regio Propheta:* Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. *Sequenti die, summo mane fuit illi ministratum sacramentum extremæ Unctionis, quod extrema devotione & reverentia suscepit, maximaque cum compositione suæ personæ, & quasi nullam infirmitatem haberet, ipsemet cum Ministro & aliis alternatim Psalmos recitabat, & ad imitationem sui Patris Seraphici Francisci voluit spiritum paupertatis etiam in morte demonstrare, ita ut moreretur cum eadem paupertate, qua fuit natus. Siquidem neque illum unicum habitum, quo utebatur, in morte voluit habere; illo namque exutus petiit a Guardiano in charitate, ut aliquo veteri habitu illum sepulturæ mandaret: fecitque, suos Filios & Fratres vocari, illisque observantiam Regulæ, & obedientiam debitam Superioribus commendavit, vidensque, quia veniret hora transeundi ex hoc mundo ad æterna gaudia, illos brachiis plenis charitate amplexus fuit, impartivitque suam benedictionem. Quibus peractis, Servus Dei quievit, & in hac quiete intra se ipsum nec manum nec pedem movens stetit per longum temporis spatium; &, quando ab hac quiete venit, dixit Fratribus: Filii mei, non videtis Sanctissimam Trinitatem, & Dominam meam gloriosissimam Virginem Mariam, & Divum Joannem Evangelistam? Et illius vultus fuit plenus quadam cælesti lætitia; & hac Divina visione, genibus flexis, & prædicando, & monendo suos Fratres (ut notat Beata Mater Teresia cap. 27.) & proferendo aliquos Psalmorum versus, spiritum Deo reddidit, remanentibus oculis corporeis ita claris & lucidis, ut omnibus admirationem causaret, sicque persliterunt, usquedum corpus sepulturæ fuit traditum*.

13. Spiritalium quoque visionum, præscientiæ obitus, immunitatis a vexationibus malignorum spirituum, verborum ad Sorores astantes habitorum mentio habetur in relatione causæ S. Franciscæ Romanæ, ut ex sequentibus desumitur: *Ægrotabat initio mensis Martii an. 1440. Baptista de Pontianis filius Servæ Dei Franciscæ in domo Transtiberina sita prope ecclesiam Sanctæ Martyris Cæciliæ. Francisca de domo Congregationis Consororum, quam paulo ante instituerat, eo anxia properaverat, ut filium infirmantem consolaretur, & ad humilem peccatorum Confessionem faciendam exhortaretur. Postquam autem pio & materno officio perfuncta, de sero ad eamdem domum in Christo Filiarum redire vellet, Presbyter Joannes Pater ipsius spiritualis, cui assidue confitebatur, & actiones omnes suas atque cogitationes explicabat, considerata illius corporis debilitate, eidem præcepit, ne recederet, sed apud filium pernoctaret. Francisca, tametsi id ægre tulisset, obedientiæ tamen virtute coacta, sicut sibi injunctum fuerat, in domo filii sui remansit. Eadem nocte, gravissima fuit febri correpta; lucente autem die, eumdem Patrem spiritualem advocari jussit, qui de rebus gerendis, Ecclesiæque Sacramentis venerabiliter sibi ministrandis curam gereret: & ita totus ille dies dilapsus est. Nocte vero mox sequenti, sanctissimas habuit visiones; vidit enim Salvatorem humanatum, incredibili claritate fulgentem, & innumera sanctorum Angelorum multitudine comitatum sibi dicentem, tempus esse, ut ad patriam desideratam veniret cum sociis suis epulari ad convivium jamdudum sibi præparatum. Huic singulari revelationis beneficio aliud atque aliud dulcissimum addidit Altissimus; quoniam hoc toto suæ ægritudinis tempore usque ad felicem transitum, Gratia sibi Divina favente, nullas malignorum spirituum visiones habuit, & dies obitus sui antea præscivit; id quod Patri suo spirituali non occultavit, cui sui corporis tabernaculum infra septem dies proxime futuros deponendum denuntiavit, sicut sibi a suo Sponso Christo fuerat demonstratum. Hora igitur sui obitus jam instante, & Patri spirituali, & Filiabus suis quas in Christo genuerat, sermonem hortatorium*

& ar-

& ardentem fecit, casdem exhortando, & verbis consolatoriis propter suum obitum materno affectu demulcendo; nam ad Divinum amorem eas inflammavit, & ad Dei omnipotentis timorem concipiendum incitavit, ad maternam sanctissimam & mutuam charitatem, & inter se unionem perpetuam conservandam incendit, ad fortiter perferendas tribulationes, & humani Inimici generis tentationes vincendus, & ad omnia mundi pericula superanda (Divina Gratia praeveniente) roboravit, &, quod est maximum & praecipuum, ad Jesu Christi vigilanter sectanda vestigia magna conatu, & sermonis efficacia animavit. Haec ita gesta fuisse, contestantur in processu signata C. super ar. 58. repetitivo fol. 110. quinque testes, in quibus est Mabilia uxor Baptistae de Pontianis filii ejusdem Franciscae, qui praesentes omnia consideraverunt. Sed neque fefellit eam Divinum oraculum: nam eodem die, quo sibi revelatum fuerat se morituram, pacifico fine in Domino requievit. Fuerunt haec omnia sanctorum Patrum institutis, qui pias Religiones constituerunt, valde conformia; illi enim, paulo antequam de hac infelici vita ad felicem & beatam a Domino vocarentur, similibus prorsus sermonibus alumnos suos hortabantur, ut in omni virtutum genere sese exercentes, & vestigia Christi Domini sectantes, Altissimo semper famularentur, & in Romana Ecclesiae obedientia Catholicisque dogmatibus firmiter retinendis perseverarent. Circumstantibus igitur, & amare flentibus praedictis Servae Dei Filiabus, illa, oculis in caelum intentis, & animo orante simul & ore, in Domino obdormivit.

14. Demum praeter cetera, quae in obitu S. Mariae Magdalenae de Pazzis contigerunt, mirabile extat heroicae, qua vivens fuerat insignita, obedientiae indicium, de qua in relatione ejus causae tit. *de felicissimo obitu: Beatissima certe haec Virgo, quae nullo pondere gravis, ad caelestes illas, nec ullo tempore interituras felicitates evectu, suam gloriam contemplatur & Deum. Quinque mensium spatio jam aegrotaverat, cum sanctissimo illa Viatico munita, sacrae Unctioni corpus exposuit, & Panem manducavit Angelorum; tantaque animi demissione a cunctis aeque Monialibus veniam poposcit, ut ad pias lacrymas aeque traheret universas. Per id tempus, quo mortem praestolabatur, ut viveret; sacras preces duntaxat, Psalmos & hymnos concini, magnopere exoptabat; de Deo loqui, futuram vitam meditari voluerat: omnique mortis timore discusso, in sola Dei miseratione fiduciam applicuerat, singulas Moniales usque ad extremum spiritus anhelitum consolata, & religioso amoris incremento prosecuta. Nocte illa, quae diem beati interitus antecessit, Confessario assistenti circa horam septimam dixit, ut reliquam noctem quiesceret; adhuc enim futuro mane illa viveret. Altera die lucescente, post aliquam moram penes patientissimam Monialem factam, Divinum Sacrificium celebraturus jam chlamydem induebat & stolam, quando a Monialibus interpellatus, ut morituram denuo reperet, his fere verbis respondit: Dicite Sorori Magdalenae, ut, quam vivens obedientiam praestitit, eam sedula praestet moritura, illumque opperiatur, donec, expleto sacro altaris ministerio, Moniales sacro Pane reficiat. Quo executa praecepto, quae usque ad horam illam obmutuerat, quasi tunc expergisceret ab interitu, subridens ait: Benedictus Deus: sibique potum postulavit, &, quo usque Sacrificium compleret, & Moniales a sacro convivio recederent, animam morata non recessit a vivis, sed usque ad finem fortiter decertans, pro doloribus tantis aeterna solatia receptura, ad caelestia regna transivit die 25. Maji anno 1607.*

15. Plura, & pene infinita alia facile cumulari possent desumenda ex sacris historiis, Sanctorum vitis, Canonizationum bullis, & ex opere Joannis Severani Presbyteri Congregationis Oratorii, qui congesta undique eruditione, tractatum composuit *de pretiosa morte Justorum:* sed ea, quae supra relata sunt, indicasse satis sit, ut omnibus pateat, in causis Beatificationis & Canonizationis magnum constituendum esse momentum in obitu Servorum Dei, & omnia esse diligenter ponderanda, quae in eo rerum eventu contingunt. Fortunatus Scacchus *loc. supra cit.* docuit, motus oculorum, & suspiria esse consideranda. Fuit hoc sedulo animadversum in causa S. Andreae Avellini. Cum enim praedixisset, se in extremo agone habiturum esse validissimum certamen cum humani generis hoste, qui praesentes erant, Andreae vultum, quasi inducta pavoris ac moeroris nube, infuscatum viderunt; cumque, pugnae tempus ab eo dictum adesse rati, frequentissimas pro eo preces ad Deum fudissent, conversis ad Imaginem devotissimam e cubiculi pariete pendentem oculis, consuetae hilaritati redditus, placida serenaque facie ex hujus vitae pelago ad aeternum tranquillitatis portum feliciter evolavit; uti legitur in compendio causae ipsius ad calcem *primi Libri*. Similia sunt ea, quae leguntur in vita S. Comitis Elzearii Confessoris apud Surium *die 27. Septemb. cap. 33. pag. 389. Ad extremum jam in agone positus vultum praetulit valde terribilem, unde colligi licerer, eum in magna versari labore ob quaedam illi objecta. Atque sub ejusmodi conflictu exclamavit: Magna est Daemonum vis; sed eam penitus enervarunt virtus & merita sacrosanctae Incarnationis & Passionis Jesu Christi. Et post paululum rursus exclamans, Plane, inquit, vici. Post aliquantum temporis spatium cum ingenti clamore dixit: Totum me Divino judicio committo. Atque, his dictis, reparatus est vultus ejus, & quodam rubore atque splendore multaque elegantia perfusus; atque ita reddidit spiritum.* Cordinalis Federicus Borromaeus *de vera & occulta sanctitate lib. 3. cap. 16.* sapienter monet, inter inania vulgi adscribendum esse nonnullorum sermonem, qui asserunt, aliquem bene mortuum esse, cum ex hac vita discessit instar pulli, vel trimuli infantis; male autem mortuum, si sese moriens foedissime contorsit. Porro admittit ipse, terriculamenta multis objici, qui flagitiose vixerunt, & solatia aliis offerri, quorum vita innocens fuit; sed constanter negat, ex quiete corporis, sive agitatione firmum deduci posse argumentum ad judicandum de animae salute, vel exitio. Saepe, ait, agitationes & furores morientium a sola naturali corporis conditione & temperatura proficisci; & in viris probis aliquando Dei voluntare perturbationes contingere, ut anima purgetur, & ut astantes ad veram poenitentiam traducantur: quod multis exemplis confirmat. Facit huc sententia S. Athanasii, sive alterius antiqui Auctoris, *quaest. 105. ad Antiochum tom. 2. pag. 292.* ubi proposita quaestione: *Unde nam videmus, Justos aliquos diutius in extremo vitae halitu anima pugnare & judicari; contra autem peccatores interdum quiete & cito mori?* Respondetur: *Omnia quidem Dei judicia cognosci non possunt; ideoque nec nos haec curiose inquirere decet. Si quid tamen conjectare valemus, respondemus, pios viros vel ante mortem vel in morte cruciari, ut nos, qui ea videmus, timeamus, & emendemur. Fortassis autem Sancti, ut homines, levi aliquo defectu inquinati, hujusmodi cruciatu, quo in morte afficiuntur, perfecte purgati, puri demum decedunt.* Facit & illud Sancti Gregorii Papae *lib. 24. moralium in cap. 34. Job n. 33. (tom. 1. oper. col. 776.): Quid ergo facient tabulae, si tremunt columnae? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictae etiam Justi anima turbatur. Cui & si quid tranquillum in hac vita sapere potuit, mortis articulo interveniente concutitur, ut jure dici debeat:* Abominabilis fit ei panis in vita sua, & animae ejus cibus ante desiderabilis; *Vel certe propter pavoris poenam hoc, quod illic subditur:* Appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.

16. Addit idem Scacchus verbis supra recensitis, examinanda esse verba Servorum Dei, quibus se Deo morituri commendant. Dum munere fungebar Fidei Promotoris, in examine causae cujusdam Servi Dei opposui, eum in extremo agone se Deo commendasse, spem suam in ejus misericordia tantummodo constituendo, exclusis operibus, quae in vita peregerat. Dixi enim, certum esse ex Fide, Justos per opera pietatis vere ac proprie mereri, juxta illud Matthaei 5. *vers. 12. Merces vestra copiosa est in caelis;* & a sancto Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 26.* anathemate damnatos esse, qui asserebant, Justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo facta sint, exspectare & sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, etiamsi bene agendo, & Divina mandata custodiendo usque in finem perseverassent; & *can. 32.* simili poena damnatos esse, qui asserebant, hominis justificati bona opera ita esse Dei dona, ut non sint etiam ipsius justificati merita; vel ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei Gratiam fiunt, non vere mereri augmentum Gratiae, vitam aeternam, & ipsius aeternae vitae consecutionem, & gloriae augmentum, si in Gratia decesserit. Sed strenue a Postulatoribus responsum est, ab eodem sacro Concilio *sess. 6. cap. 9.* doceri, sicuti nemo pius de Dei misericordia dubitare debet, sic quemlibet, dum se ipsum & suam infirmitatem respicit, de sua Gratia formidare & timere posse; & *cap. 16.* quia in multis offendimus omnes, unumquemque, sicut misericordiam & bonitatem, ita severitatem & judicium ante oculos habere debere: ideoque, propter ambiguitatem propriae justitiae, & periculum inanis gloriae, Dei Servum fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reposuisse. Quapropter dicitur Danielis *cap. 9. versic. 18. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis;*

& Lu-

& Lucæ 17. *versic.* 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus*; & in Collecta Dominicæ, quæ *Sexagesima* dicitur, sic orat Ecclesia: *Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus*; & in Collecta secreta Dominicæ secundæ Adventus: *Ubi nullo suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidiis*; & in Canone post Consecrationem: *Intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor, admitte*. Quod late explicant Thomas Stapletonus *de merit. oper. cap. 14. lib. 10. pag.* 370. Cardinalis Bellarminus *lib. 5. cap. 7. de justificatione*, & passim alii.

17. Adeo exacte in examine obitus Servorum Dei, & omnium quæ in illo accidunt, proceditur, ut Prosper Bottinius Archiepiscopus Myrensis olim Fidei Promotor in animadversionibus factis in causa Ven. Servi Dei Pauli Butalis S. R. E. Cardinalis opposuerit, ipsum Romæ graviter ægrotantem Viaticum ad se delatum manibus recepisse, & sacram Particulam propriis manibus ori admovisse. Licet enim exempla Sanctorum non desint, qui hoc ipsum fecerunt, uti de S. Marciano Episcopo & Martyre habetur apud Bollandianos *tom. 3. Martii in iis Actis Martyrii S. Secundi cap. 2. num.* 6. de Cedmone Angliæ Monacho, ut apud Lipomanum *in vitis Sanctorum tom. 1. in vita Ildæ Abbatissæ*, de S. Valentino Episcopo Passaviensi apud Bollandum *tom. 1. Januarii pag.* 371. de S. Edmundo Cantuariæ Episcopo apud Vincentium Bellovacensem *in specul. hist. lib. 32. cap.* 85. & ex Ecclesiasticis documentis certum sit, sacras Particulas a Sacerdotibus fuisse etiam Laicis traditas, qui communicaturi eas ori admovebant; juxta ea quæ late habentur apud Cardinalem Bonam *rerum liturg. lib. 2. cap. 17. num.* 3. & *num.* 7. Martene *de antiq. Eccles. ritib. lib. 1. cap. 4. art. 10. num.* 8. Morinum *de sacr. Ordination. part. 3. exercitat. 12. cap.* 3. id tamen posterioribus Ecclesiæ Constitutionibus, & multo magis contraria consuetudine abrogatum est. Sed, excitata a Postulatoribus quæstione, an recentior illa prohibitio de non sumenda propriis manibus Eucharistia Sacerdotes comprehenderet eam extra Missam suscipientes, tandem animadversioni plene responsum est ex facti circumstantiis. Cum enim sacrum Viaticum ad Dei Servum Sacerdotali charactere insignitum, utpote Episcopum, delatum fuerit ab eo, ad quem deferre spectabat, & æger, eo consentiente, manibus exceperit, & hoc modo Communionem receperit, supradictus consensus tanti roboris est, ut ab actu quamcumque, etiam levissimam, culpam excludat; uti late ostendit Cardinalis de Lugo *de sacram. Eucharist. disp. 18. sect. 1. num.* 32.

18. Nonnullis Dei Servis, & Sanctis a Deo mortis dies revelatus est; at aliis revelatus non est. Nonnulli fuerunt immunes a Dæmonis tentationibus, uti supra visum est de S. Francisca Romana: alii vero tentationibus fuerunt obnoxii. Ut ceteros prætereamus, insidias & Dæmonis tentationes, quibus Satanas obruere conatus est S. Martinum, narrat Sulpicius Severus in ejus vita; & quatenus antiquis recentiora addenda essent exempla, refert Thomas a Kempis *in lib. de disciplina D. Fulgentii cap.* 4. Dei Servum Rupertum de Silvia Ordinis Canonicorum Regularium fuisse in agone tentatum a Dæmone, qui ei apparuit sub forma cujusdam sui Religiosi paulo ante defuncti, quique laudabilia a prædicto Ruperto gesta fideliter exposuit, ut eum peccati inanis gloriæ reum constitueret, & consimile est illud, quod de S. Ignatio narratur a Maffejo in ejus vita *lib. 1. cap.* 10. Item (uti supra vidimus) nonnulli Dei Servi, aut Sancti hilari corde vultuque sereno mortem exspectarunt; alii, ea adventante, magno terrore perculsi sunt. Apud Surium *tom.* 4. & apud Lipomanum *tom.* 6. legitur, Arsenium Eremitam, cujus habetur commemoratio in Martyrologio Romano *die 19. Julii*, flere cœpisse, dum sensit se mori; & Fratribus requirentibus, numquid timeret, respondisse, se vere timere, & hunc timorem semper habuisse ab eo tempore, quo in solitudinem secesserat. Simile est inter recentiores Sanctos exemplum S. Francisci Salesii: cum enim Menardus quidam ipsi ægritudine laboranti ultima pietatis officia præstaret, & ostendere conaretur, illustriores Sanctos mortem expavisse, Franciscus respondit: *Non immerito formidabant*. Et ad verba scripturæ, *O mors, quam amara est memoria tua*, prosecutus est; *Homini habenti pacem in substantiis suis*. Testis est Carolus Augustus Salesius in ejus vita *lib. 10. pag.* 462. Præclare Cardinalis Federicus Borromæus *de vera & occulta sanctitate lib. 1. cap.* 12. scribit, nonnullos Dei Servos, dum repentino mortis metu & horrore occupantur, maxime tristari & timere, quæ tristitia & timor per totum antea vitæ cursum illorum animos numquam invaserant; sed in ipso mortis articulo omnia evanescere, & tranquille mori: *Atque ideo dispositionem eorum* (verba sunt Cardinalis) *ego tunc maximopere censeo esse laudandam; quippe cum eodem tempore duo magna munera a Deo impetravint, humilitatis nimirum unum, alterum fortitudinis in tanta necessitatis tempore. Timorem vero ipsum crediderim posse proficisci vel ab Dæmonum arte, vel etiam immediate ab Divina voluntate, vel denique ab conditione naturali, qua, quam maxime potest, abhorret ab ultima illa dissolutione mortalis hujus fabricæ & elementaris*. Rursus nonnulli se promptos exhibuerunt ad vitam protrahendam, si suorum spirituali saluti essent necessarii: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua*; verba sunt S. Martini morientis relata a Sulpicio Severo *in epist.* 3. Fuerunt, uti vidimus, eadem adhibita a Sancto Thoma de Villanova; quod profecto mirum esse non debet, cum ea *in concione prima de eodem Sancto* Thomas ipse hoc laudaverit encomio: *O præclaram vocem! o admirabilem charitatem! Quid minus iste Moyse, vel Paulo personuit? Moyses, pro populo deleri de libro vitæ, Paulus, pro Fratribus anathema esse a Christo, Martinus, pro commissis sibi ovibus differri a gloria, non solum sustinet, sed, si opus est, petit & obsecrat. Jam jam in paradisum pedem posuerat gloriosus Antistes, & libenter extrahit ipsum, ut Fratribus suis serviat. Litus optatum diu jam securus tenebat, & amore Filiorum redit ad pelagus, atque pro dilectis ovibus, velut bonus Pastor, iterum exponitur naufragio*. Contra S. Franciscus Salesius supra memoratus numquam adduci potuit, ut ea proferret, licet ei fuissent insinuata a Patre Joanne Forerio Societatis Jesu Provinciali Lugdunensi, teste supra relato Carolo Augustino Salesio *in cit. vita lib. 10. pag.* 463. *Sed adhortatus est amplius Forerius, ut eam Divi Martini orationem recitaret: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Numquam autem induci potuit ad recitandam; immo vero inquiebat: Servus sum inutilis, inutilis, inutilis*. Et in bulla Canonizationis S. Philippi Nerii hæc habentur: *Cumque ægrotaret aliquando, atque ipsum obsecrarent astantes, ut, suorum solem beneficio, illam Sancti Martini dirigeret ad Deum orationem, Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; summa animi demissione respondit: Non sum ego Sanctus Martinus, nec me talem umquam existimavi. Quod si me vobis necessarium reputarem, perditum crederem*. Demum nonnulli, quæ a se in Domino facta fuerant, astantibus retulerunt. Sanctus quippe Bernardus moriens ait: *Tria vobis imitanda commendo, quæ in stadio quo cucurri, me pro possibilitate mea memini observasse. Minus sensui meo, quam alterius, credidi. Læsus de lædente vindictam non expetivi. Nemini scandalum facere volui; & si quando incidit, sedavi ut potui*; uti legitur in vita secunda S. Bernardi auctore Alano *cap.* 30. (*inter opera ejusd. Sancti vol.* 2.) Et S. Dominicus moriens suis Fratribus aperuit, se virginem mori, uti habetur apud Thomam Malvendam *in annal. Ord. Prædicator. cent. 1. part. 3. pag.* 368. Contra, S. Joannes de Cruce sibi memorari e circumstantibus, dum moreretur, passus non est ea plura, quæ passus fuerat in sui Ordinis reformatione; dixitque, sibi memoranda tantum esse sua peccata, & Passionis Christi merita, in quibus confidebat; uti testatur Pater Philippus a Sancto Paulo in ejus vita *lib. 1. cap.* 39. Dicta hæc & facta Servorum Dei, & Sanctorum inter se discrepant: sed in examine causarum Canonizationis non videtur ab eis argumentum desumi posse, ut statuatur, mortem alicujus Servi Dei non fuisse sanctimonia plenam, quod nonnulla cælestia signa defuerint, quæ in obitu aliorum Sanctorum apparuerunt; vel quod ab eo aliquid dictum vel factum sit, quod alii facere aut dicere noluerunt. Potest enim esse pretiosa in conspectu Domini mors ejus, in qua signa non apparuerunt, sicut alia in eodem conspectu pretiosa fuit, in qua signa contigerunt, cum ea a voluntate Divina pendeant. Rursus aliqui Dei Servi morti proximi, non in semetipsis gloriantes, sed in Domino, aliqua dicere & facere voluerunt, quæ alii dicere & facere noluerunt præ timore se exponendi periculo inanis gloriæ. Ideoque ex ceteris rebus desumendum erit judicium de pretiosa Servorum Dei morte; quæ si non desint, neque dicta, neque non dicta, neque facta, neque non facta modo exposita, nec alia his consimilia validam oppositionem constituere poterunt; quinimmo utraque, Servorum Dei meritis poterunt superaddi.

19. In decretis quoque generalibus Urbani VII. supra relatis advertendum decernitur, an obitus Servorum Dei publi-

publica praesertim testificatione fuerit notatus: quae verba intelligenda sunt & explicanda de fama sanctitatis in obitu, & de pio populorum concursu ad funus, & multo magis de prodigiis aut miraculis, siqua funeris occasione contigerunt. Horum quippe non modica habetur ratio in caussis Beatificationis & Canonizationis, uti desumitur ex bulla Canonizationis S. Birgittae §. 24. Canonizationis S. Catharinae Senensis §. 13. S. Antonini §. 28. S. Didaci §. 16. S. Hyacinthi §. pariter 16. S. Raymundi §. 42. S. Thomae de Villanova §. 23. S. Francisci Salesii §. 16. S. Petri de Alcantara §. 14. S. Rosae Limanae §. 45. & passim ex relationibus Rotae Auditorum, qui, in enarrando obitu Servorum Dei, non omiserunt publicam sanctitatis famam, pium populorum concursum, & siqua contigerunt prodigia & miracula, quibus Deus eorum mortem illustrare dignatus fuerit.

20. Pro capitis complemento superest, ut sermo transferatur ad genera mortis, de quibus propter aliquos eventus, qui in illis contigerunt, disputari potest, an talia fuerint, qualia esse debent, ut ita mortui in Beatorum & Sanctorum album ferri possint.

21. Primo itaque nonnulli Dei Servi aliquando mori cupiunt, & moriuntur, nullo astante: & quidem, si alia signa felicis obitus non desint, & eo magis, si aliqua prodigia obitum comitentur, nullum ex ea solitaria morte desumi poterit argumentum, quod eorum Beatificationi obstet aut Canonizationi. De obitu S. Romualdi Abbatis haec leguntur in ejus vita scripta a Beato Petro Damiani *cap. 69. Quadam igitur die coepit paulatim corporis virtute destitui, &, ingruente molestia, gravius fatigari. Sole itaque jam ad occasum vergente, praecepit duobus Fratribus, qui astabant, ut foras exirent, cellulae post se januam clauderent, celebraturi vero sibi matutinos hymnos ad eum diluculo remearent: cumque illi de ejus fine solliciti, velut inviti exirent, non statim ad quiescendum properant, sed, ne Magistrum obire contingeret, anxii pretiosi thesauri talentum prope cellulam latentes observant. Aliquandiu igitur commorantes, cum deinceps curiosis auribus attentius auscultarent, & neque motum corporis, neque sonum vocis audirent, jam, quod evenerat, veraciter opinantes, impulsa janua, velociter irruunt, lumen accendunt, & beata anima in caelum rapta, supinum jacere sanctum cadaver inveniunt. Jacebat itaque velut neglecta tunc caelestis margarita, in summi postmodum Regis aerarium honorifice reponenda. Nimirum qui sic obiit, ut praedixit; illuc transivit, quo speravit.* De obitu Sancti Joannis de Deo Institutoris Ordinis Fratrum Hospitalitatis pauperum infirmorum similia habentur in relatione Rotae Auditorum *tit. de fama & communi opinione sanctitatis §. Haec porro*, & in bulla Canonizationis ejusdem: *Jam vero humanae vitae spatium feliciter emensum, & tempus resolutionis suae instans, non minus pius & felix obitus die octava Martis anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo terminavit. Lecto enim infirmatus decumbens, omnibus Ecclesiae Sacramentis ab ipsomet Granatensi Praesule rite sanctèque refectus, assistentes omnes dimisit, viribusque in extrema vitae periodo licet destitutus, propriis indutus vestibus interim e lectulo prosiliens, ac provolutus in genua, manu & corde imaginem Salvatoris crucifixi, quem fervide vivens dilexerat, perstringens, inclinato ad ejus pedes capite, obiit in osculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimisit; ac in eadem corporis constitutione ab iisdem assistentibus ad eum paulo post redeuntibus repertus, sex circiter horis, quousque inde dimotus fuisset, mirabiliter permansit, odorem mire fragrantem diffundens.* Item quodammodo similia ea sunt, quae in obitu S. Cassii Narniensis contigerunt, teste S. Gregorio *homil. 37. in Evangel.* ubi, postquam retulit, divinitus fuisse monitum de suo obitu in festivitate SS. Petri & Pauli, eumque ad septennium expectasset; ac tunc demum morbo tentatum, cum Missas fecisset, ac Sacerdotes suos ac ministros de servando vinculo charitatis admonuisset; *Subito*, (inquit *tom. 1. oper. col. 1633.*) *inter ipsa sanctae exhortationis verba, voce terribili clamavit dicens: Hora est: moxque assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur; quo tenso spiritum emisit.*

22. Secundo, nonnulli aliquando Dei Servi moriuntur, non recepto Eucharistiae sacramento per modum Viatici. Porro, si aliquis potuisset Sacramenta recipere in ultimo vitae exitu, & non recepisset, nemo est, qui non videat, absonum esse de ejus Beatificatione & Canonizatione agere, etiamsi de heroicarum virtutum exercitio usque ad obitum sufficienter constaret; quemadmodum docet Fortunatus Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 5. cap. 6. Sacramentorum etenim usus Christianis omnibus, & Dei Servis est adeo necessarius in fine vitae, ut his in extremis caruisse, non dico suspicandum esse de illorum salute quae in Dei manu est posita, sed saltem nulla ratione agendum esse putarem de illorum cultu Beatificationis aut Canonizationis, nisi certo constaret, Dei Servum, aut Famulam omnia in extremis saltem petisse, suscepisseque pro loco & tempore Sacramenta.* At, si Dei Servus Viaticum non recepit, vel quia existimatum fuit, illud ei propter vomitum quo vexabatur, non esse administrandum, aut quia ea ipsa die qua mortuus est, sacramentum Eucharistiae, licet non per modum Viatici, receperat; si de aliarum circumstantiarum concursu non dubitetur, obitus talis haberi poterit, qualis requiritur in Beatificandis & Canonizandis. Primo modo mortuus est S. Franciscus Salesius, teste Carolo Augusto Salesio ejus nepote in vita saepe citata *lib. 10. pag. 460. Apoplectico stupore correptus immobilis decubuit, ita tamen, ut expergefieri interdum posset, quo tempore praeclarae ab eo sententiae extorquebantur.* Et *pag. 462. Media nocte multa sui finis indicia exhibuit: quare ad parochialem Sacerdotem ecclesiae Divi Michaelis, qui sanctum Oleum afferret, festinatum est. Is fuit minister Sacramenti Deagius Claudii Villani Curionis Vicarius, qui eum hora diei Sanctorum Innocentium primus unxit; &, dum rite peragit, sanctus Praesul ad omnia verba respondebat. Exactis Sacramentalibus caeremoniis, circumdari sibi brachium dextrum voluit suo Rosario, e quo multa pendebant benedicta numismata, quae jampridem Roma, & Laureto detulerat. Viaticum exhibere visum non est ad rem, eo quod vomitibus obnoxius esset.* Dum munere fungebar Fidei Promotoris, in discussione dubii super virtutibus in causa B. Vincentii a Paulo, in album Sanctorum post primam hujus Operis editionem a Clemente XII. solemniter adscripti, opposui, ei non fuisse Viaticum administratum. Postulatores pluribus demonstrarunt, verosimile admodum fuisse, viaticum ab eo fuisse receptum; & ad ulteriora progredientes comprobarunt, Beatum illa ipsa die, qua mortuus est, Eucharistiae sacramentum recepisse, & sic iterum Eucharistiam ea ipsa die per modum Viatici recipere non debuisse: licet enim aliquando una eademque die bis Missa celebrari possit, si postulet necessitas, juxta Textum *in can. Sufficit, de consecrat. dist. 1.* & *in cap. Consuluisti, de celebrat. Missarum*; puta, si aliquis Sacerdos duabus parochiis praefectus esset ita inter se dissitis, ut grex unius parochiae commode adire nequiret ecclesiam alterius, & ibi sacrificio Missae interesse; tunc enim Parochus, ceteris deficientibus Sacerdotibus, posset eadem die in utraque ecclesia, Episcopo id permittente & approbante, sacrificare, Gonzalez *in dicto cap. Consuluisti num. 2.* Pirhing. *in lib. 3. Decretal. tit. 41. §. 1. n. 2.* Engel. *eod. tit. 41. n. 3.* Pasqualig. *de Sacrificio novae Legis tom. 1. quaest. 386.* Barbosa *ad Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. num. 27. de sacrificio Missae*, Fragos. *de regim. Christianae reip. lib. 10. disput. 21. §. 7. num. 6. vers. Dixi, circa medium, tom. 2.* Bellet. *disquisit. Cleric. par. 2. §. 29. num. 3.* Nicol. *lucubr. juris tom. 2. lib. 3. tit. 41. sub num. 2.* Pax Jordan. *tom. 1. elucubrat. lib. 4. tit. 1. num. 79.* tamen extra sacrificium Missae, juxta Ecclesiae consuetudinem, & communem Doctorum opinionem non est permissum bis eadem die communicare, urgente etiam periculo mortis; ita ut juxta supradicta, qui mane recepit Eucharistiam ex devotione, eam iterum recipere non possit ea ipsa die per modum Viatici, si incidat in periculum mortis; uti late prosequuntur Suarez *tom. 3. in 3. part. D. Thom. quaest. 80. art. 11. disput. 69. sect. 3.* Cardinalis de Lugo *de Sacramentis disp. 16. sect. 3. num. 50. & seqq.* Merat. *tom. 3. disput. 35. sect. 2. num. 4.* Layman *oper. moral. lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 4.* Tamburin. *in opusculis, in methodo expeditae Communionis cap. 5. §. 6. n. 10.*

23. Tertio, aliquis quandoque Di Servus moritur, ictu apoplectico percussus: & quidem, si vis cognoscendi integra in eo persistat, etiamsi usum loquendi amiserit, dummodo cetera signa non deficiant, mortuus dici poterit eo genere mortis, quod ejus Beatificationi & Canonizationi non obstet. De morte S. Andreae Avellini haec referuntur in bulla Canonizationis ipsius *pag. 513. cod. Canoniz. Verum, octavum jam supra octogesimum suae aetatis annum, qui erat nostrae reparationis millesimus sexcentesimus octavus, attingens Beatus Andreas, primo mane e strato surgens, ac sacellum ingressus, & Sacerdotalibus de more ornamentis indutus, ad aram Missae sacrificium celebraturus accessit. Ubi vero rem Divinam agere coepit, ad illa verba,* Introibo ad altare Dei, *ita repente apoplexia percussus fuit, ut, nisi Minister Sacrificio inserviens jam jam labantem supposita manu susten-*

tasset, in terram corruisset, si corruere utique poterat fortis ille senex, quem senectus Christa occupaverat servientem, & quem extrema dies Salvatori invenerat militantem. Adfuere protinus astantes. Tam Patres hac de re moniti supervenientes, illum in adem templo proximam adduxerunt, & sacris exuerunt vestibus. Plura subinde, sed frustra, adhibita fuerunt medicamina. Nam violenta morbi eabies omnem ei loquendi usum abstulerat, illæsa tamen in totum discernendi facultate; quod per data ab eo signa plane compertum fuit: motibus nempe quibusdam ac nutibus, ut ad aram majorem perduceretur, ardens ostendit desiderium, ut stans coram illa, & in ea consumpta Deo universa mortificati sui corporis hostia, extremus, qui superérat, & morituro tunc in pectore vita ignis tepebat, quemadmodum vivens exarserat, Divino quoque moriens extingueretur amori. Cum vero Superior, an suscipienda Eucharistia gratia id expeteret, interrogasset, annuit ille iterato capitis flexu; nec a motibus desistere & quiescere visus, nisi cum hoc de negotio se idem Superior illi satisfacturum spopondisset, postquam scilicet, quod erat tunc opportunius, in cubiculum ægrotans asportatus fuisset. Eo perductus, ac lectula stratus, Medicis, qui jam advenerant, nullam salutis spem dantibus, sed intra paucas horas ægrum moriturum pronuntiantibus, sanctissimo Viatico, extremaque deinde Unctione munitus fuit. In tanta vero spirituum perturbatione, singulari Dei beneficio ita mente semper libera permansit, ut, viso a longe in Sacerdotis manibus Divino Sacramento, editis haud vulgaribus pietatis & devotionis indiciis, e lecto surgere, quantum per vires licuerat, conatus fuerit; non, nisi humi stratus, Dominum gloria in sui corporis hospitium suscepturus: quibus & morbi adversarius impetus, & Superioris obstitere præceptum. Itaque, susceptis Ecclesia Sacramentis, per aliquot horas aliquatenus conquiescens, tum ex Religiosis viris, tum ex Sacularibus in ejus cubiculum introeuntibus, atque ab eo benedictionem postulantibus, singulos ille se penitus agnovisse indicans, singulorum vota paterna benedictionis munere dignatus est. Et quatenus etiam vis cognoscendi deficiat, qui cognitionis defectus superveniat post recepta Ecclesiæ Sacramenta; & alia cuncta præmissa, quæ præmitti debebant, nullum ex hoc validum argumentum contra pretiosam mortem desumi posse videtur. Apud Surium etenim *tom.* 2. Tossinianum *in historia Seraphica*, Severanum *de pretiosis mortibus Justorum* legitur, Beatam Coletam Monialem S. Claræ, quæ in Belgica, Celtica, & Narbonensi Gallia multa construxit monasteria, post recepta Ecclesiæ Sacramenta, octo & quadraginta horis in lecto permansisse nihil loquentem, neque videntem, neque ulla corporis parte gestum vel signum edentem, nihilque mutato colore, felicissime in Domino obdormivisse.

24. Quarto, aliquando contingere potest, ut aliqui Dei Servi moriantur morte subitanea, & sic nedum Viatico non recepto, sed nullis editis signis, ex quibus de eorum obitu tutum ab externis indiciis ferri possit judicium. In sacra Scriptura legimus Abraham, Aaron, Isaac, Jacob, Joseph, Josue, Samuelem, Moysen, Mathathiam, Tobiam, & alios Justos in suis lectulis mortuos fuisse, & filiis & populis salutaria reliquisse documenta; contra vero subitanea morte occubuisse Pharaonem cum suo exercitu, item eos, qui gulæ vitio irretiti carnes Ægypti concupiverant, & alios, qui Terram promissam blasphemaverant: in Psalmo autem 72. *v.* 19. legitur: *Subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam*; & in Proverbiis *cap.* 29. *v.* 1. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus*. Sed hæc quamvis ut plurimum ita contingant, absonum tamen esset, in quocumque casu repentinæ mortis asserere, sic morientem mori damnatum. Exempla repentinæ mortis, sed sanctæ, collecta legi possunt apud Cornelium a Lapide *ad cap.* 4. *Sapientiæ v.* 6. Joannes Moscus, sive Sophronius *in Prato spirituali*, cujus honorifica mentio habetur *in Actione* 4. Synodi Nicænæ, quæ pro cultu venerabilium Imaginum contra Iconoclastas celebrata est, hæc narrat (*lib.* 10. *cap.* 57. *apud Rosweydum*): *Quadraginta fere milliaribus ab Ægis civitate Ciliciæ Stylites erat nomine Simeon. Hic fulgure percussus interiit. Abbas ergo Julianus Stylites Presbyter præter consuetudinem suam insolito tempore dixit discipulis suis: Mittite thymiama in thuribulum. Qui dixerunt ei: Dic nobis causam, Pater; orabantque, ut diceret eis. Senex autem dixit: Quia modo Frater meus Simeon a fulgure dejectus interiit, & ecce transit anima ejus cum tripudio & exultatione. Distabant autem ab invicem milliaribus fere vigintiquatuor.* Petrus Sutor *de vita Carthusiana lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 5. narrat, sex probatæ vitæ Monachos Carthusianos ex hac vita decessisse nivibus obrutos, & unum tantum ex iis post duodecim dies vivum inventum, & integro sensu pollentem ad Claustra fuisse deportatum, ibique post nonnulla prolata verba miram dulcedinem redolentia, & recepta Ecclesiæ Sacramenta, suavissimo Dominici Corporis sapore satiatum placidissimo fine quievisse. Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 12. *in Haplotheca contra ictum calumniæ, serie* 3. *cap.* 29. *pag.* 674. admittit, mortem subitaneam & inopinam, & Sacramentis destitutam excitare posse in aliis metum pro iis, qui sic mortui sunt, necnon in iis, qui vivunt, justum desiderium declinandi talem e vita exitum; sed contendit, nec judicium, nec vehementem suspicionem æternæ mortis de sic morientibus formari posse. *Contendo tamen, calumniam esse ultra sanctum pro se ipso desiderium, & nonnullum pro sic excedentibus metum (præsertim cum vita non adeo composita præcessit) progredi ad judicium, vel vehementiorem suspicionem mala sortis sic obeuntium: alioqui paterent calumniæ plerique Sanctorum eo fine conclusi.* Res profunde explicatur a Patre Didaco de Corduba in suo libro, cui titulus, *Ajuto de' moribondi*, ubi *part.* 1. *cap.* 9. his verbis materiam concludit: *Piene finalmente sono l' istorie di simili esempj ne' tempi passati e scorsi; e l' esperienza ben l' insegna ancora ne' presenti: nè deve cagionar maraviglia, che Dio Signor nostro alle volte ne' Santi, e Servi suoi queste morti repentine permetta, imperocchè oltre le ragioni sopra accennate, ve ne sono ancora dell' altre, una delle quali è, che è costume della Divina providenza non dispensare, se non rare volte, nell' ordinarie leggi della natura; poichè non parrebbe ragione di buon governo, se spesso, e senza molte e gravissime cause rompesse la legge delle cause naturali, e non facesse buoni i loro privilegj. Quindi è, che se alle volte è connaturale alla complessione ed agli umori di alcune persone sante e giuste il morire di morte subitanea, non altera perciò Iddio il corso ordinario della natura, ma lascia, che questa naturalmente operi: perciò, quando nelle sante litanie domandiamo a sua Divina Maestà, che ci liberi da morte subitanea ed improvisa,* A subitanea & improvisa morte libera nos, Domine, *con tal domanda non chiediamo, che ci liberi da morte repentina, che naturalmente ci può avvenire, ma da quella, che venendo all' improvviso coglie alle volte l' uomo in disgrazia ed inimicizia di Dio. Poichè, quando l' uomo si trova in grazia, non è cattiva tal sorte di morte, anzi ne' Giusti è gran benefizio, ed un pegno dell' eterna salute per i pericoli della morte, che spessa si sperimentano, da' nostri nemici cagionati: la qual verità c' insegnò lo Spirito Santo, quando disse, che il Giusto la passerà bene in qualsivoglia sorta di morte, che gli avverrà. Dal che s' hanno a cavare tre necessarissimi avvertimenti: il primo è, che la più importante diligenza ed il miglior apparecchio per ben morire è procurare di star sempre l' uomo in grazia ed amicizia di Dio: imperocchè, stando in questa modo, qualunque sorte di morte non sola non deve stimarsi cattiva per le persone giuste, ma più tosto felice ed avventurata: il secondo, che la Divina provvidenza, acciò stiamo sempre vigilanti ed accorti, ed ancorchè a noi abbia con la vita concesso il libero arbitrio, ci pone contuttociò avanti gli occhi il pericolo, che v' è di morire all' improvviso; dal qual pericolo non vuole che siano esenti nè i Giusti, nè i peccatori, anzi che tutti siano a tal sorta di morte soggetti; e questa vigilanza assai chiaramente c' insegnò Cristo, quando ci disse, che in qualsivoglia ora vegliassimo, poichè niun' ora è per la morte sicura: il terzo è, che non ha di che lamentarsi il peccatore, quando tal maniera di morte gli avviene; poichè, se Iddio non impedisce ne' Giusti il corso delle cause naturali, quando richiedono, che questi muojano di morte repentina, molto meno deve impedirlo, o alterarla in chi per tanti titoli merita con tal modo di morte anche l' Inferno.* Hæc ipsa per se vera sunt, cum sanctus coram Deo esse possit etiam ille, qui subitanea morte correptus occumbit, nullo propter impotentiam exhibito signo pœnitentiæ, aut desiderii sacræ Eucharistiæ recipiendæ. Cum autem, ut quis sanctus ab Ecclesia declaretur, externa signa deesse non debeant, quod ea de externis tantum judicium ferat; difficile admodum esset, ut sic moriens Ecclesiastico judicio inter Beatos aut Sanctos recenseretur. Difficile diximus, non impossibile: si enim de virtutibus heroicis constaret usque ad obitum continuatis; si quæ in obitu defuerunt, non voluntate sed necessitate defuisse constaret; si supernaturalibus signis & prodigiis Deus dignaretur prædictam mortem illustrem reddere; mors prædicta, licet subitanea & inopina, Beatificationi & Canonizationi obstare non deberet. Beatus Jordanus proximus a S. Dominico Ordinis

ois Prædicatorum Generalis, cum navigans Hierosolymam, tempestate navi fracta, fluctibus haustus repentina morte mortuus esset, multique mirarentur, & dolerent tam subitum & tristem tanti viri casum; apparuit ipse magna luce æque ac Cruce insignitus, dixitque: *Exivi ex hoc sæculo ad gloriam Beatorum, & inter Apostolorum choros, & Prophetarum evectus sum*: & rursum: *Hoc firmiter teneas, nec dubites, quia salvus erit omnis, qui usque in finem Domino nostro Jesu Christo servieris*; uti habetur apud Leandrum in ejus vita, quæ extat apud Surium *die* 13. *Februarii*. Et Simeon Stylites, non ille celebris, de quo Theodoretus, sed alius, de quo supra, fulgure percussus interiit, at ejus animam Julianus Stylites vidit exultantem in cælum ascendere, uti etiam supra dictum est.

25. Concludimus præsens caput exemplis pretiosæ mortis tum Beatæ Julianæ de Falconeriis, cujus virtutes & miracula fuerunt discussa & approbata tempore, quo ego fungebar munere Fidei Promotoris, Canonizatio autem post primam hujus Operis editionem peracta est a Clemente XII. cum a Benedicto XIII. jam prolatum fuisset Decretum de tuto ad Canonizationem processu; tum etiam Servæ Dei, sive Beatæ Imeldæ ex mea Lambertinorum familia. In causa Canonizationis B. Julianæ exhibitum fuit authenticum monumentum exaratum decem & octo diebus post ejus felicissimam in Domino dormitionem. En verba monumenti: *Memoria sis, quomodo Soror nostra Juliana decem octo retro diebus mortua cum Sponso suo Jesu evolavit ad Cælum, & fuit sic: Septuagenaria major, diris macerata in stomacho voluntariis pœnitentiis, jejuniis, catenis, ferreo cingulo, flagellis, vigiliis, inedia, nec recipere, nec retinere cibum amplius poterat, quando Sacratissimo Corporis Christi Viatico ut se arbatam agnovit, quantum doluit, quantum lacrymata est! Itaque Patrem Jacobum de Campo Regio humillime precata est, ut saltem Sanctissimum Sacramentum coram se in Pyxide deferret, ut factum est. Cum autem apparuit Sacerdos portans Corpus Domini, statim illa in terra stravit se in modum Crucis, & adoravit Dominum. Vultus autem ejus factus est tanquam vultus Angeli. Cupiebat illa, quod non licebat, se conjungere cum Jesu suo, & osculari illum; at renuit Sacerdos. Ergo supplex rogavit, ut super pectus suum fornaceum extenderetur velum, & super illud Hostia supra poneretur. Voti compos effecta est. At (ob stupendum Miraculum!) vix Hostia attigit amantissimum illud cor, quod disparuit, nec amplius inventa est. Juliana autem, simul ac Hostia disparuit, blando ac ridenti vultu, tamquam si in ecstasim raperetur, in osculo Domini moritur, cunctis mirantibus, qui ibi aderant, scilicet Sorore Joanna, Sorore Maria, Sorore Elisabeth, Patre Jacobo, & aliis ex domo.* De hoc eodem prodigio loquuntur Nicolaus de Pistorio, Paulus de Attavantibus, ceterique Historici Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & Raphael Maffejus, Michael Pocciantius, Silvanus Razzius, Thomas de Verona, Philippus Ferrarius, Archangelus Gianus, Abraham Bzovius, aliique a Postulatoribus cumulati, qui in Scripturis pro Canonizatione Beatæ Julianæ de Falconeriis exaratis addunt, super carnem circa cor inventam fuisse post ejus obitum Imaginem Christi crucifixi. Ex Castora de Galutiis, & Egano Lambertino nata est Imelda, cujus nomen a Cardinali Gabriele Palæoto recensetur *in catalogo Beatarum civitatis Bononiæ edito ad calcem Archiepiscopalis Bononiensis*. Ossa ipsius ab ecclesia S. Joseph extra urbem translata sunt ad ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ in urbe, & apud Moniales in cœnobio prope templum religiose custodiuntur: ea enim secum Moniales ipsæ detulerunt, cum a cœnobio S. Joseph transierunt ad cœnobium S. Mariæ Magdalenæ. Imelda vix annum undecimum egerat; cumque ad sacratissimam Eucharistiæ mensam accedere vereretur, in pias & lacrymosas preces effusa, Divina prorsus ope recreari meruit, Hostia cælitus demissa, post cujus sumptionem feliciter expiravit anno Domini 1333. Scriptores & Annalistæ patrii unanimiter rem exponunt, quæ latius etiam refertur a Bollandianis *ad diem* 12. *Maji*.

CAPUT TRIGESIMUMNONUM.

De ponderandis a Fidei Promotore, & a Consultoribus sacræ Congregationis, cum dubium proponitur, & disputatur de virtutum heroicitate, & signanter de peccatis, quæ aliquando occurrunt in perscrutanda serie vitæ servorum Dei.

1. DUM superius ageretur de virtutum heroicitate, diximus, heroas esse illos, qui in virtutibus Theologicis, & in ceteris virtutibus ipsorum statui consentaneis, non semel, non his, sed frequentissime se exercuerunt, ut supra ceteros probos, & in via justitiæ ambulantes homines, ab humero & sursum, ut dicitur, fuerint evecti, nihilque in ipsorum vitæ cursu inventum fuerit, quod virtutum fulgorem obscuraret. Plura quoque a Nobis allata sunt de virtutibus consentaneis statui uniuscujusque. Ex quo proinde fit, ut in dubio virtutum duo præcipue sint advertenda a Fidei Promotore & a Consultoribus sacræ Congregationis; alterum, an virtutes ad gradum heroicitatis ascenderint; alterum, an earum fulgor eclipsim passus sit ob alia quædam ab eis, dum viverent, gesta.

2. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, uti legitur *Genes.* 8. *v.* 21. Quocirca in sacro Eloquio Tobias laudatur, *cap.* 1. *v.* 4. *Tob.* quod cum *esset junior . . . nihil tamen puerile gessit in opere*: & de ipso legitur *v.* 10. quod pater eum *ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato*. Ecclesia autem nonnullos Sanctos laudibus extollit, quod morum innocentia & gravitate a teneris annis futuræ sanctitatis indicium præbuerunt. Ita legitur in lectionibus propriis, quæ ab universali Ecclesia recitantur in Officiis SS. Antonii Ulyssiponensis, Bernardini Senensis, Vincentii Ferrerii, Petri de Alcantara, Norberti, Raymundi Nonnati, Brunonis, Francisci Salesii. Ac futuræ quidem sanctitatis indicia in ea tenera ætate colliguntur ex neglectu puerilium ludorum, sæculi illecebrarum, misericordia in pauperes, abstinentia; quemadmodum desumi potest ex lectionibus quæ recitantur ab Ecclesia universali in Officiis SS. Nicolai Tolentini, & Felicis de Valois; & concordant bullæ Canonizationum S. Rosæ Limanæ, S. Thomæ de Villanova, S. Thomæ Episcopi Herfordiensis: *Misericordia ab infantia secum crevit erga pauperes*, juxta illud *Job* 31. *v.* 18. *Ab infantia crevit mecum miseratio*.

3. Hæc sanctos ab infantia respiciunt: sed, cum nonnulli, qui propter pœnitentiam canonizantur, in puerili, & adulta, & plus quam adulta ætate peccata commiserint, & alii quoque peccata mortalia, aut venialia admiserint, etiam post quam sanctitatis viam ingressi sunt, sive ingressi ab infantia sint, sive ab adulta, & plus quam adulta ætate; hinc fit, ut pro integra materiæ explicatione opus sit in præsenti habere sermonem de peccatis ante conversionem, & de ceteris post conversionem commissis, sive mortalibus, sive venialibus.

4. Plerosque ab Infidelitatis tenebris, & a peccatorum cœno, Divina Gratia adjutos, ad veritatis lucem, & ad apicem sanctitatis devenisse, res est adeo nota, ut probatione non indigeat. De peccatis, quæ a Dei Servis commissa sunt, antequam ad Deum converterentur, quæritur, an, & cur habenda sit ratio, cum de eorum virtutibus assumitur disputatio. Eorum notionem habendam esse, pluribus ostendit Theophilus Raynaudus *in hagiolog. exotic. tom.* 9. *pag.* 306. *de S. Maria Ægyptiaca dissert.* 5. *Nulla igitur Sanctorum injuria, magna autem Rei gloria, anteriores Sanctorum lapsus referri & verbo & scripta posse, evincitur & auctoritate & ratione*: auctoritate quidem, cum in novo Testamento referantur negatio Petri, incredulitas Thomæ, probra Pauli, peccata Matthæi, & scelera Sancti Latronis; ratione deinde, ne si eorum peccata ignoraremus, in eam credulitatem adduceremur, eos superioris naturæ, ac Divinæ fuisse; quæ opinio ab eorum imitatione tamquam impossibili peccatores revocaret. Ad rem facit auctoritas S. Augustini (*de Natura & Gratia cap.* 35. *tom.* 10. *col.* 144.) ubi Pelagii verba recitans ait: *Quorumdam sane exempla, quos peccasse legimus, non ideo scripta dicis qui sanum sapit, ut ad desperationem non peccandi valeant, & securitatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur, sed* (dicere pergit Augustinus) *ut disceremus vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus non desperandam salutem. Quidam enim in peccata prolapsi desperatione plus pereunt, nec solum pœnitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta & nefaria deside-*

ria servi libidinum & sceleratarum cupiditatum fiunt, quasi perdant, si non fecerint, quod instigat libido, cum eos jam maneat certa damnatio. Adversus hunc morbum nimium periculosum & exitiabilem valet commemoratio peccatorum, etiam in quæ Justi, Sanctique prolapsi sunt. Palladius S. Evagrii discipulus in sua sæpe memorata Lausiaca historia *apud Rosweydum lib. 8. cap.* 22. describens vitam Abbatis Mosis hæc habet: *Fuit quidam Moyses nomine, Æthiops genere, niger, servus cujusdam qui gerebat rempublicam, quem, propter morum improbitatem, & latrocinii crimen, projecit ejus dominus; dicebatur enim etiam usque ad cædes progredi: cogor enim dicere facta ejus improbitatis, ut postea ostendam virtutem ejus pœnitentiæ.* Melchior Canus *de loc. Theolog. lib.* 11. *cap.* 6. confirmat hæc omnia exemplo Evangelistarum: *Qui autem res humanas a Divis, quorum historias scribendas sumunt, alienas fore censet, ii, Divos ipsos ne homines quidem fuisse, videntur credere. Quanto sapientius Evangelistæ faciunt, qui vel in ipsis Apostolis, quos eramus vitæ totius exemplum habituri, nec affectus naturæ imbecilliores, nec casus etiam graviores dissimulant.* Concordat S. Franciscus Salesius (*serm. 15. Dominica Palmarum*): *Quindi è che non si faccia punto d'ingiuria a' Santi, quando si narrano i loro peccati o colpe, scrivendosi ancora le loro virtù. Ben fanno quelli, che scrivono le vite loro, un gran torto agli uomini, celando i peccati e le imperfezioni de' Santi sotto pretesto di onorarli, ommettendogli per dubbio, che ciò diminuisca, o pregiudichi la stima, che si ha della loro santità. E' infallibile, che ciò non è ben fatto, anzi a rovescio fanno torto a' Santi stessi, ed a tutta la posterità.* Celebre est dictum S. Hieronymi *epist. 77. ad Oceanum*, ubi laudando Fabiolam ad pœnitentiam conversam ait (*num. 3. col. 454. tom. 1.*). *Non laudabo conversam, nisi prius ream absolvero.* Cardinalis Bellarminus *de officio Principis, in vita S. Joseph Patriarchæ* optime colligit, ab eo non fuisse ullum peccatum commissum, quandoquidem sacra Scriptura nullum ejus peccatum commemorat: *Neque responderi recte potest, non ideo Josephum expertem omnis criminis vixisse, quia Scriptura sancta nullum ejus crimen detexit; Spiritus enim Sanctus in Scripturis suis neque adulatur improbis, neque Justis peccantibus parcit, & ubique tam bona, quam mala opera detegit, ut S. Gregorius in principio libri secundi moralium docet. Hinc non solum Davidis Prophetæ sancti adulterium & homicidium aperte describit, sed etiam Saulis reprobi virtutes, quibus initio regni sui floruit, non minus dilucide enarravit. Et quemadmodum Sancti Petri Fidem, & charitatem in Christum eximiam prædicavit, sic etiam negationem trinam cum juramento minime tacuit. Igitur, cum veridica & liberrima Spiritus Sancti vox peccata filiorum Jacob in medium protulerit, ut incestum Rubeæ, crudelitatem Simeonis Levi, fornicationem Judæ, & odium filiorum Jacob in ipsum innocentem fratrem eorum Joseph, certe, si Joseph ipse in aliquo deliquisset, Spiritus Sanctus in Scriptura sua id minime tacuisset.* In ea quæstione, quæ est inter Theologos, utrum in Judicio universali una cum meritis revelanda sint etiam peccata Justorum, & in qua negando respondet Magister sententiarum, & Viguerius, & probabilius affirmando respondent SS. Thomas & Bonaventura, animadvertit Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. 2. quæst. 59. sect.* 7. memoriam peccatorum nullum effecturam esse dolorem, aut tristitiam in Beatis, nec ex eorum manifestatione ipsos pudore aut tristitia esse afficiendos, cum harum passionum non sint capaces; utiturque exemplo S. Petri & S. Magdalenæ, qui sciunt, quotidie in Ecclesia sua peccata publice prædicari, de quibus tamen gaudent, cum id cedat in majorem Dei gloriam.

5. Faciendos esse fructus dignos pœnitentiæ, legitur Matthæi *cap.* 3. & ab eo dignos pœnitentiæ fructus fieri, qui in dolore cordis tantum affligitur per pœnam, quantum deliquit per culpam, annotavit Cardinalis Hugo *super Matthæum loc. cit.* Ex his autem palam fit, non modo opportunum, sed necessarium esse in examinandis gestis Servorum Dei, qui ante suam ad Deum conversionem fuerunt peccatorum sordibus inquinati, eorum notitiam habere, ut dignosci possit, an, & quos fructus fecerit pœnitentiæ, an dignos, an heroicos, & quanto tempore in eo felici statu pœnitentiæ permanserint. Quapropter Summi Pontificis Urbani VIII. prudentia summopere commendanda est: cum etenim cujusdam Dei Servi mors tempore Pontificatus ipsius contigisset, qui peccatis irretitus olim ab Instituto Regulari, cui nomen dederat, per apostasiam recesserat, & subinde ad cor rediens plurium annorum spatio laudabilem & arctissimam duxerat pœnitentiam, & Sanctitatis fama conspicuus ab hac vita migraverat, mandavit, ut juridicus processus confectus super ejus criminibus, & apostasia in Archivo castri S. Angeli clausus & Sigillis signatus asservaretur, numquam aperiendus, nisi jussu Pontificis pro tempore viventis, & cum causa Beatificationis ipsius promoveretur, quæ tamen nunquam promota est. Res tota acute explicatur a S. Gregorio *hom. 20. in Evangelia col. 1559. num. 8. tom. 1.* his verbis: *Ut enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur, sicque pietatis opera faciat, ut tamen, si voluerit, ea, quæ mundi sunt, non relinquat. At, si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse; neque enim par fructus boni operis esse debet ejus qui minus, & ejus qui amplius deliquit, aut ejus qui in nullis, & ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit; & ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo, quod dicitur,* Facite dignos fructus pœnitentiæ, *uniuscujusque conscientia convenitur, ut tanto majora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.* An autem pro constituendo digno fructu pœnitentiæ, non quoad Sanctitatem coram Deo, sed quoad Sanctitatem coram Ecclesia, aliqua temporis ratio, quo conversus ad Deum in heroica pœnitentia permansit, habenda sit, non ita facile definiri potest. Sanctus Latro per totam ante vitam scelestus, sancte nihilominus mortuus est, & eum Ecclesia colit tanquam Sanctum. Juxta alibi dicta, Martyrum catalogo multi reperiuntur adscripti, qui usque ad mortem fuerant sceleribus inquinati. Hæc autem probare videntur, pro constituendo fructu digno pœnitentiæ quoad sanctitatem, etiam in Ecclesia militante, non temporis rationem, sed actuum qualitatem esse perpendendam. At, seclusis Martyribus, in quorum obitu tanta colligitur heroicitas, quanta in omnem vel anteactam, vel postagendam vitam poterat extendi, omissoque Sancti Latronis exemplo, licet Confessoris & non Martyris (ut alibi explicabitur) qui per proximam paradisi promissionem fuit a Christo in cruce canonizatus; Ecclesia, quæ in Confessore canonizando non solum mortem, sed & vitam imitationi Fidelium proponit, non brevem, & actu uno collectam, sed intensam, longam, & multiplicem, extensamque per multos actus & habitus heroicitatem requirit. Sed in eo, quod attinet ad tempus, res nec est definita, nec facile definiri potest, cum fieri quandoque possit, ut quis consummatus in brevi expleat tempora multa, & multam gloriam Dominus in illo faciat, ut condemnet Justus mortuus vivos impios, & juventus celerius consummata longam vitam injusti. Dum munere fungebar Fidei Promotoris & intereram Congregationi sacrorum rituum, nonnullos Consultores audivi asserentes pro virtutum approbatione opus esse, ut Dei Servus per spatium saltem ultimorum decem annorum suæ vitæ heroice vixerit, sive res sit de Dei Servo, qui ante conversionem multis fuerit criminibus obnoxius, sive de Dei Servo, qui citra gravia crimina, sed non heroice antea vixerit. Quocirca Thomas Montecatinius celebris suo tempore in patrocinio præstando causis Servorum Dei in Romana Curia Advocatus, in satis ampla informatione ab eo exarata super virtutibus B. Alexandri Saulii ait: *Suus cursus viginti duorum annorum in Episcopalibus officiis productus, non est adeo brevis, ut si toto hoc tempore virtutibus heroicis refulsisse constet, opus quoque sit anteactæ vitæ opera inquirere. In causa Venerabilis Joannis Francisci Regis, anni decem in Missionibus Apostolicis summo labore, ac charitatis zelo peracti existimati fuerunt sufficientes ad decernendum de ejus virtutibus.* Cum autem assertionis rationem explorassem, nec ulla unquam mihi allata sit, a proposita sententia non recedo, quæ diuturnam exposcit quidem heroicitatem, absque ulla tamen temporis definitione: ideoque ubi casus contingat, unusquisque in causa suffragaturus, perpenso antecedentis vitæ Servi Dei cursu, videre debebit, an vel diuturni ratione temporis, quo heroice vixit, vel ratione qualitatis actuum, quos breviori tempore exercuit, ille inter Heroas possit adscribi, & inter Sanctos in Ecclesia colendos recenseri, juxta illud S. Joannis Chrysostomi *lib. de reparatione hominis, Non temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo censetur.* Sanctus Hieronymus *in comment. ad cap. 20. in Matthæum* (*tom. 7. oper. col. 152.*) loquens de vineæ operariis hæc habet: *Mihi videntur primæ horæ esse operarii Samuel, & Jeremias, & Baptista Joannes, qui possunt cum Psalmista dicere,* Ex utero matris meæ Deus meus es tu. *Tertia vero hora opera-*

rii

rii sunt, qui a pubertate servire Deo cœperunt. Sextæ boræ, qui matura ætate susceperunt jugum Christi. Nonæ, qui jam declinante ad senium. Porro undecimæ, qui ultima senectute. Et tamen omnes pariter accipiunt præmium, licet diversus labor sit. Ex his quippe verbis desumitur, omnes laborasse, & multis actibus operam suam præstantes habitibus virtutum præditos fuisse; item, laboris tempus in omnibus æqualem non fuisse, sed omnes unum idemque præmium fuisse consecutos.

6. Peccatis ante conversionem commissis peccata succedunt, quæ aliquando a Dei Servis commissa sunt, postquam vel ad Deum per pœnitentiam conversi, vel ad heroicam vitam a communi proborum hominum vivendi modo progressi sunt. Baillet *in discursu generali ad historiam Sanctorum* §. 86. nonnulla audacter refert Sanctorum peccata, & *in adnotationibus sub num.* 20. animadvertit, memoriam exstare peccatorum, & quidem gravium, commissorum a S. Aligin, seu Arigio Episcopo Lugdunensi, quem nonnulli ferunt consensisse insidiis adversus S. Desiderium Episcopum Viennensem, & ejus cædi; & præterea infensum fuisse S. Romarico instanti coram Regina Brunichilda pro Bonorum recuperatione, quibus injuste fuerat spoliatus, nec pœnitentiæ ullum exstare monumentum. In Martyrologio Ecclesiæ Lugdunensis *ad diem* 4. *Augusti* hæc leguntur: *Lugduni, Sancti Arigii Episcopi & Confessoris, qui rexit præfatam Ecclesiam annos octo, menses sex; obiit enim quinquagesimo ætatis suæ anno.* In opere Sammarthanorum, cui titulus, *Gallia Christiana, tom.* 4. *pag.* 40. hæc habentur: *Aridius, qui & Aredius, & Arigius, vir fuit, si vera sunt quæ de eo proferunt Scriptores Ecclesiastici illi aut coævi aut suppares, scelestus pluriumque criminum reus; si vero Ecclesiæ Lugdunensis cultui, traditioni, & monumentis cum recentioribus Auctoribus standum est, Sanctus & in Beatorum ordine collocatus.* Fredegarius & Aimoinus eum memoratorum criminum participem asserunt. Cointius eum plene purgat a crimine, & falsitatis arguit Scriptores, qui in eum stilum acuerunt. Severtus narrat, eum a vestigio ad exitum usque vitæ acerbissimum pœnitentiæ genus in se suscepisse. Vindicatur quoque S. Arigius a Theophilo Raynaudo *in indiculo SS. Lugdunensium tom.* 8. Sed, utcumque sit de hac historica controversia, hoc certum esse videtur, in examine Causarum Servorum Dei serio esse advertendum, num post conversionem, si post peccata commissa ad Deum conversi sint, an post heroicos mores ab iis susceptos, postquam communem ceterorum proborum hominum vitam duxerant, aliqua peccata commiserint, & an novos dignos pœnitentiæ fructus dederint. In Causa S. Bernardini Senensis excitatum est Dubium, an peccasset, quod Amedei cujusdam (de quo alibi sermo habitus est) Mediolani scholis Computi Regentis sententias in concione reprehendisset: reque serio & mature discussa, Nicolaus V. Summus Pontifex per speciale diploma 18. *Calen. Maji* 1447. declaravit, nullum propterea mortale, seu veniale peccatum ab eo fuisse commissum, sed eum potius exinde gratiam & animæ suæ merita acquisivisse, uti habetur apud Bollandianos *tom.* 5. *Maji pag.* 315.

7. Alia, & sane multa, cumulari possent exempla, ex quibus memorati examinis necessitas aperte desumitur: sed, ut examinis, quo subsecuta pœnitentia probetur, necessitas magis appareat, ponderanda sunt verba, de quibus *in Ezechiele* 18. *v.* 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*: & ibidem 33. *v.* 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Colligitur ex his, Deum peccatorum, de quibus Justus conteritur, ita non recordari, ut ea puniat; & præterea merita per peccatum subsequens mortificata, revera per Contritionem revivíscere: recordaretur enim Deus peccatorum, si merita non reviviscerent. Sed adhuc quæstio est inter Theologos, ad quem Gratiæ & gloriæ gradum merita Justi per peccatum mortificata reviviscant. Nominales enim docent, hominem in sua resurrectione spiritali Gratiæ gradum recipere, qui Contritioni respondeat; & præterea donari tota sanctitate, qua præditus erat ante suum peccatum. Dominicus Sotus asserit, pœnitentem, unum gradum Gratiæ præteritæ, & unum novum ratione præsentis Contritionis recipere, & tandem omnes antiquos, si eum summe pœniteat. Silvius, aliique sustinent, hominem per pœnitentiam ad eum solum Gratiæ sanctificantis gradum resurgere, qui præsentis suæ Contritionis intensioni conveniat. Dissidium autem hoc, licet respiciat sanctitatem coram Deo, simul indicat, quid agendum sit in declaranda sanctitate coram Ecclesia, in qua, si heroicitas attendatur, prout attendi debet, satis non erit, ut vel conversus ad Deum post crimina patrata, vel Heroes, qui subinde alia peccata commiserunt, pœnitentiæ signa dederint, sed esse necessarium videtur, ut tot & tales exteriores actus Christianarum virtutum & pœnitentiæ ediderint, ut, quantum fas est, cognosci possit, utrum ad eum sanctitatis gradum redierint, in quo coram Ecclesia erant constituti, an ad majorem ascenderint, aut in inferiori gradu perstiterint; juxta ea quæ habentur apud S. Thomam 3. *part. quæst.* 89. *ar.* 2. ubi agit de *reviviscentia* meritorum apud Deum, quæ fuerant per peccatum mortificata: *Secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior, vel remissior, secundum hoc Pœnitens consequitur majorem, vel minorem Gratiam. Contingit autem, intensionem motus Pœnitentis quandoque proportionatam esse majori Gratiæ, quam illa, a qua ceciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque vero minori; & ideo Pœnitens quandoque resurgit in majori Gratia, quam prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori.* Quapropter, si ab externis subsecutis virtutum actibus desumitur, illos in eo sanctitatis statu, in quo erat, perstitisse, nec uberiores fructus edidisse, præteritæ quidem ante peccatum laudabilis vitæ ratio haberi poterit; juxta eamdem S. Thomæ doctrinam *cit.* 3. *part. quæst.* 89. *art.* 5. *Ad tertium dicendum, quod ille, qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis quam de operibus, quæ in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Sed maxime dubitari poterit, an sic agendi heroes fuerint, Sanctis, seu Canonizatis in Ecclesia militante adscribendi; cum hi post lapsum acriores ad currendum resurrexisse dicantur, uti loquitur S. Ambrosius *apolog.* 1. *David cap.* 2. *n.* 6. (*tom.* 1. *col.* 677.): *Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.* Huc facit sententia eorum Theologorum, qui docent, permissionem peccati in prædestinatis esse prædestinationis effectum, cum eis prosit ad consequendam gloriam, quandoquidem est occasio humilitatis atque majoris diligentiæ.

8. Juxta S. Thomam *cit.* 3. *par. quæst.* 90. *ar.* 4. pœnitentia dividitur in pœnitentiam ante Baptismum, pœnitentiam mortalium, & pœnitentiam venialium; & cohærenter ad hæc in re, de qua nunc agitur, pœnitentia a Nobis dividitur in pœnitentiam peccatorum ante conversionem, in pœnitentiam mortalium commissorum post conversionem, & in pœnitentiam venialium. Porro, Justos aliquando peccata venialia committere, colligitur ex Scriptura *Proverb.* 24. *v.* 16. *Septies enim cadet Justus, & resurget*; Eccl. 7. *v.* 21. *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*; Jacobi 3. *v.* 2. *In multis enim offendimus omnes*; in prima Joannis *cap.* 1. *v.* 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Si itaque etiam Justi in peccata venialia labuntur, modo videndum est, an in causis Canonizationis de iis inquirendum sit. Inquiri debere, certum esse videtur, non quia, quatenus aliqua inveniantur, obstaculum præbere possint declarationi & approbationi virtutum in gradu heroico, juxta ea quæ a Nobis deducta sunt *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 10. sed ut dignoscatur, num fuerint peccata venialia ex surreptione, an ex proposito; num aliqua, an multa; & utrum Dei Servi, dum viverent, curaverint ab eis abstinere, quantum fas erat, & pro illis satisfacere. Si enim aliqua peccata venialia ex surreptione, & aliqua forte consulto fuerint commissa, nec posterior defuerit pro eis vitandis cautela, & piis operibus pro eis satisfactum sit, durum & absonum absque dubio videretur, Dei Servum heroicis gestis illustrem, ob eam solam causam a Beatificationis & Canonizationis honore removere. De Moyse, quem inter sanctos Reges veteris Testamenti superius adscripsimus, quæritur, an ullum peccatum admiserit. Duo leguntur in Scripturis, quæ peccata videri poterunt, homicidium patratum, de quo *Exod.* 2. & titubatio quædam, cum aquam de petra educere a Domino jussus esset, de qua *Num.* 20. Sed homicidium Scriptura non reprehendit, fortasse quia factum fuit ad defensionem Hebræi innocentis ab Ægyptio violenter oppressi. Quapropter S. Augustinus, qui *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 70. existimavit, homi-

cidium

cidium illud fuisse culpabile, tamen postea scribens *quæstiones in Exodum* retractavit sententiam illam suam priorem, & Moysen a criminis culpa defendit. Titubatio vero peccatum fuit, propter eam quippe iratus Dominus jussit, ut Aaron interiret, & Moyses ascenderet montem Abarim, videret Terram promissionis, ibique moreretur, nec Terram Chanaan ingredi posset, ut *ex cit. lib. Numer. cap. 20. & 27.* & *ex lib. Deuteron.* Sed, cum uterque non violenter, sed naturaliter mortuus sit, & sola peccati pœna fuerit, ut non ingrederetur in Terram promissionis, quemadmodum colligitur *ex cap. 1. v. 37. Deuteronom.* ubi Moyses ait: *Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc, sed Josue filius Nun minister tuus ipse intrabit pro te*; ex his plerique Sacræ Scripturæ Interpretes desumunt, peccatum Moysis non fuisse lethale, sed veniale. Quod si in examine causæ, dum res est de virtutibus in gradu heroico, multa occurrerent peccata, licet venialia, frequenter & consulto commissa, & resipiscentiæ ac satisfactionis probatio deesset, rationabiliter a virtutum approbatione videretur esse abstinendum. Facit huc doctrina D. Thomæ *1. 2. quæst. 89. art. 2. ad tertium*: *Dicendum, quod illi qui sunt abstracti a cura temporalium rerum, etsi aliquando venialiter peccent, tamen levia peccata venialia committunt, & frequentissime per fervorem charitatis purgantur: unde tales non superædificant venialia; quia in eis modicum manent. Sed peccata venialia ipsorum, qui circa terrena occupantur, diutius manent, quia non ita frequenter recurrere possunt ad hujusmodi peccata venialia delenda per charitatis fervorem.* S. Cæsarius Arelatensis Episcopus *in sermone de verbis Apostoli*, qui olim S. Augustino adscribebatur, & nunc est 104. *in append. ad tom. 5. oper. ejusdem Augustini*, peccatorum mortalium & venialium mentionem facit, & post enumeratas nonnullas species peccatorum venialium subjicit: *Hæc enim, & his similia ad minuta peccata pertinere, non dubium est, quæ, sicut jam dixi, enumerari vix possunt, & a quibus non solum populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius Sponsi cælestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant, de quo scriptum est:* Aptavit sibi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam. *Et ideo continuis orationibus, & frequentibus jejuniis, & largioribus eleemosynis, & præcipue per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assidue redimantur, ne forte simul collecta cumulum faciant, & demergant animam:* non quia per peccata venialia Sancti & Justi coram Deo desinant esse justi, quemadmodum explicat Concilium Tridentinum *sess. 6. de justificat. cap. 11.* *Licet enim in hac mortali vita, quantumvis Sancti & Justi, in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi*; nec quia ex multis peccatis venialibus omnino constitui possit unum mortale peccatum, veluti probat S. Thomas 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. sed quia ad mortale disponunt, ut idem docet *art.* 3. & late prosequitur Roderic. *in exercitio perfectionis & virtutum religiosarum part. 3. tract. 6. cap. 5.* Legitur enim *Eccles. 19. v. 1.* *Qui spernit modica, paulatim decidet*; subjicitque S. Gregorius *lib. 10. moral. cap. 11. (col. 349. oper. tom. 1.)*: *Ex vanitate . . . . ad iniquitatem ducimur, cum prius per levia delicta defluimus, ut, usu cuncta levigante, nequaquam post committere etiam graviora timeamus. Nam, dum moderari lingua otiosa verba negligit, more insolitæ remissionis capta audax ad noxia prorumpit &c. Si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus.* Joannes Thaul. *instit. cap. 2.* detrimenta enumerat ex peccatis venialibus in animam redundantia; & S. Hieronymus in epitaphio S. Paulæ *num. 15. col. 699. tom. 1. oper.* recte indicat, quomodo Sancti se gesserint in expiatione leviorum peccatorum: *Mollia, etiam in gravissima febre, lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum, stratis ciliciolis, quiescebat; si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibus pene orationibus dies noctesque jungebat, illud implens de Psalterio,* Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *In qua fontes crederes lacrymarum. Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream*: & Rosignolius *de action. virtut. lib. 2. cap. 5. pag. 241.* *Quare prudentissimi censendi & appellandi sunt viri illi Sancti, qui eas de se ipsis pœnas sumebant, cum in re parva peccassent, quas nos, nec etiam cum gravissime labimur, subire solemus. Tales fuere Sanctus Franciscus, Sancta Catharina Senensis, & multi alii, quos referunt Ecclesiastici Historici, vel propter verbum, quod imprudenter exciderat, vel propter oculum inaniter conjectum, similemque aliam levissimam culpam in omne ætatis tempus ita se ipsos acerbe castigasse, ut ad magnam admirationem intuentes traducerent.*

9. Dum essem Fidei Promotor, & perpenderem nonnullorum testium dicta, præcipue Confessariorum, qui asserebant, hunc aut illum Dei Servum vel toto vitæ tempore, vel longo tempore post conversionem elapso, a quocumque peccato veniali fuisse immunem, opposui communem Theologorum doctrinam, qui docent, neminem per totam vitam, aut per diuturnum tempus ex solis auxiliis, Gratiæ habituali annexis, posse omnia peccata venialia collective, ut ajunt, sumpta vitare; uti apparet ex Scripturæ testibus supra allatis, itemque ex Concilio Milevitano II. *can. 6. (tom. 1. collect. Harduini col. 1218.)*: *Placuit, quod ait Sanctus Joannes Apostolus*, Si diximus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, *quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit.* Optime S. Augustinus *de Natura & Gratia cap. 36. n. 42. col. 145. oper. tom. 10.* scribit: *Si omnes illos Sanctos & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc, quod iste dicit?* (Pelagius videlicet) *An quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Cassianus *collat. 22. cap. 13. pag. 770.* utitur textu *Proverb.* *Septies in die cadit Justus*: quamvis verbum *in die* nec in Hebræo, nec apud Septuaginta, nec in Latinis vulgatis emendatioribus legatur, sed ad rem ait: *Manifeste Scriptura pronuntiat*, Septies in die cadit Justus, & resurgit. *Quid enim aliud est cadere, quam peccare? Et tamen, cum dicatur septies cadere, nihilominus pronunciatur Justus. Nec justitiæ ejus præjudicat lapsus fragilitatis humanæ, quia multum interest inter justi, & peccatoris hominis lapsum. Aliud est enim admittere mortale peccatum, & aliud est cogitatione, qua peccato non careat, præveniri, vel ignorantiæ, aut oblivionis errore, aut facilitate otiosi sermonis offendere, aut ad punctum in Fidei theoria aliquid hæsitare, aut subtili quadam cenodoxiæ titillatione pulsari, aut necessitate naturæ aliquantisper a summa perfectione recedere. Hæc enim sunt septem lapsuum genera, in quibus Sanctus licet nonnunquam cadat, tamen justus esse non desinit; quæ, quamvis levia videantur ac parva, tamen faciunt, cum sine peccato esse non posse.* Denique S. Thomas *3. par. quæst. 79. art. 4.* cum sibi opposuisset illud Joannis, *Si diximus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, respondet: *Dicendum quod illud verbum non est intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis, sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus*: atque in eo, quod attinet ad longum tempus, idem S. Doctor *1. 2. quæst. 109. art. 8.* ait: *Non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii, non autem omnes; quia, dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, & etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos.*

10. Addidi, hominem justum ex speciali privilegio, & auxiliis Gratiæ extraordinariis posse omnia peccata venialia vitare, juxta illud S. Augustini *lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 6. num. 7. (col. 43. oper. tom. 10.)* *Si a me quæratur, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor, posse per Dei Gratiam, & liberum ejus arbitrium.* Concordat Concilium Tridentinum *sess. 6. de justificat. can. 23.* *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque Gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur & peccat, numquam vere fuisse justificatum; aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet ecclesia, anathema sit.* Hoc ipsum, quod de Beatissima Virgine dictum est a Concilio Tridentino, fuerat antea dictum a S. Augustino *de Natura & Gratia cit. cap. 36.* Cum enim Pelagius, ut suum dogma probaret, quo posse homines, si vellent, asserebat sine omni esse peccato, mul-

multorum utriusque sexus exempla protulisset, qui in Scripturis non modo non peccasse, sed etiam juste vixisse referuntur, quales fuerunt Abel, Henoch, Melchisedech, Abraham &c. & adjunxisset etiam feminas Deboram, Annam matrem Samuelis &c. & ipsam etiam Domini ac Salvatoris nostri Matrem; cum hæc, inquam, de Beatissimæ Virginis ab omni peccato immunitate Pelagius affirmasset, Augustinus ita respondit *n.* 42. (*col.* 144. *loc. cit.*): *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem; unde enim scimus, quid ei plus Gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum?* Ceteras puras creaturas a labe peccati immunes non fuisse pronuntiavit, ut ex ejus verbis supra relatis apparet, & late prosequitur Petavius *Theologic. dogmat. lib.* 14. *de Incarnat. cap.* 1. *n.* 14. De Noe, Daniele, & Job, Ezechiel *cap.* 14. ait ab imminente quadam iracundia Dei solos posse liberari. Cum itaque Scriptura Dei tam magnum de eis perhibuisset testimonium, citatus S. Augustinus *in libro de peccatorum meritis cap.* 10. *col.* 47. *oper. tom.* 10. quærit, an fuerint sine peccato, & respondet: *Nam Noe, sicut legimus, fuit aliquando ebrius, quamvis absit ut fuerit ebriosus; Daniel vero post orationem, quam fudit Deo, de se ipse dicit cap. 9. Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo*: ubi sua simul, & populi peccata commemorat; & Job pluribus in locis (quos ibidem refert, & expendit Sanctus Augustinus) se peccatorem pronuntiat. De Zacharia & Elisabeth *Luc.* 1. *v.* 6. legitur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*: quod citatus S. Augustinus *in lib. de Gratia Christi cap.* 48. *col.* 251. *oper. tom.* 10. ait: *Dictum enim est quantum mihi videtur secundum quamdam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum juste possit in accusationis & criminationis querelam vocare, quam propterea in Dei conspectu Zacharias, & ejus uxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebant, sed, ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem justitiæ, in qua vere atque omnimoda immaculati perfectique vivemus. Nam & Apostolus Paulus dixit, secundum justitiam, quæ ex Lege est, se fuisse sine querela, in qua Lege etiam Zacharias sine querela conversabatur; sed hanc Apostolus justitiam in stercoribus & detrimentis deputavit in comparatione justitiæ, quam speramus, & quam nunc esurire ac sitire debemus, ut ea quandoque saturemur in specie, quæ nunc est in Fide, quamdiu Justus ex Fide vivit.* Cumque speciale privilegium immunitatis a quolibet peccato etiam veniali S. Augustinus in sola Beatissima Virgine admiserit, licet non condemnaverit eum, qui alios præter eam dixisset omni peccato caruisse, uti colligitur *ex libro de perfectione justitiæ cap.* 21. (*col.* 189. *tom. cit.*): *Postremo, si, excepto illo capite nostro &c. asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines justi sine aliquo peccato &c. non nimis existimo reluctandum. Scio enim, quibusdam esse visum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere, quamquam nec defendere valeam*; idcirco dubitandum esse dixi, an fides testibus præstari possit asserentibus, hunc aut illum Dei Servum aut post conversionem, aut quod gravius est, toto vitæ suæ tempore talibus victricis Gratiæ extraordinariis auxiliis fuisse præventum, ut a quolibet peccato veniali fuerit immunis.

15. Ut alibi visum est, Gersonius *in tract. de examinatione doctrinarum par.* 2. *considerat.* 3. *col.* 16. *oper. tom.* 1. hujusmodi Confessariorum attestationes reprobavit, & dubitare visus est, an essent in materia Cannonizationis admittendæ: *Sunt Confessores, qui de nonnullis, quos vel quas audiunt, verba faciunt in bonum: O quam pura mens! quam integra! quam sine mortali delicto! Essem talis utinam cum meis similibus! Non advertentes qui taliter agunt, se per indirectum culpare reliquos confitentes eis, quos non ita prædicant, simul & occasionem dant suis laudibus, non qualitercumque, sed in Confessione mentiendi. Esset hic habendus sermo latior, præsertim in materia Canonizationis, & testificationis sumptæ per Confessores.* At, retenta sanctæ Sedis, & Sacrorum rituum Congregationis praxi, quæ alibi a Nobis propugnata est, admittendi videlicet, & fidem præstandi attestationibus Confessariorum, cum agitur potissimum de virtutibus Servorum Dei, necessarium esse existimo, nonnulla quoad eas subjicere, in quibus de immunitate Servorum Dei a peccatis testimonium profertur. Nonnullæ siquidem de immunitate a mortalibus peccatis loquuntur, quod nihil habet commune cum re præsenti. Ad hanc classem pertinent attestationes Confessariorum, Fratris videlicet Archangeli Blanchi ex Dominicana familia Theani primum Episcopi, deinde Cardinalis, & Humberti Locati ex eadem familia Episcopi Balneoregensis, qui S. Pii V. Confessiones exceperunt, testatique sunt, se nullam in eis lethalem culpam deprehendisse, uti legitur in relatione causæ prædicti S. Pii V. a Rotæ Auditoribus exarata *tit. de temperantia*. Eodem modo locutus est Cardinalis Bellarminus in sermone, quem habuit anno 1608. Romæ in Anniversario S. Aloysii Gonzagæ, quem citarunt, & laudarunt Rotæ Auditores in relatione causæ dicti Sancti: *Beatus Aloysius mandatis Dei & Ecclesiæ toto vitæ tempore ita exacte paruit, ut judicio Confessariorum, qui ejus generales Confessiones audiverunt, quorum unus ego sum, numquam lethale crimen admiserit, atque per hoc nullum præceptum violaverit.* Et cohærenter ad hæc in Congregatione habita die 10. Novembris 1612. super eadem causa conclusit, omnes Sanctos vel propter innocentiam, vel propter pœnitentiam sanctos haberi, at B. Aloysium propter utrumque simul posse beatificari ad similitudinem S. Joannis Baptistæ: quinimmo, cum memoratus Cardinalis in prædicta attestatione castigate locutus asseruerit, se quidem in generali Confessione nullum peccatum mortale invenisse, sed in eo quod attinet ad primos septem annos vitæ Beati addiderit, *Ma quanto poi alli primi sette anni, ne' quali non visse con quella cognizione di Dio, colla quale visse poi, lo tengo per conghiettura; perchè non è probabile, che nell' infanzia peccasse mortalmente, massime essendo preordinato da Dio a tanta purità*; excitata controversia, cur dixerit, se ex conjectura autumare, non fuisse ante septennium a Beato commissum peccatum mortale, opus fuit, ut Pater Ceparius alibi cum laude memoratus causæ Postulator scripturam exararet, in qua ostendit, Cardinalem sic testari debuisse, aut quia primum vitæ septennium non cadit sub legem Confessionis, juxta late deducta per Azorium *instit. moral. to.* 1. *lib.* 7. *cap.* 40. *qu.* 6. aut quia pueri ejus ætatis, licet ratiocinatione non careant, carere dicuntur usu rationis, & sic a peccato immunes censentur, juxta late deducta per Vasquez *par.* 2. *tom.* 1. *dist.* 41. *n.* 15. & *quæst.* 89. *dist.* 149. *cap.* 1. *n.* 1. Nonnullæ attestationes referunt, nullam in Confessione fuisse absolutionis materiam: sed, si sunt attestationes Confessariorum, qui vel generalem Confessionem non exceperint, vel aliqua tantum vice, aut vicibus interpolatis conscientiam Servorum Dei in sacramento Pœnitentiæ scrutati sint, nemo est qui non videat, ex eis ad probandam immunitatem a quocumque peccato veniali per longum tempus non posse argumentum desumi. Nec enim novum est (uti supra indicavimus) aliquem per modicum tempus a peccatis venialibus abstinere posse. Nonnullæ attestationes narrant, vix in generali Confessione fuisse absolutionis materiam, cujusmodi attestatio fuit B. Raymundi in vita S. Catharinæ Senensis *cap.* 6. *pag.* 48. *Io certamente rendo a lei questa testimonianza avanti Iddio ed alla sua Chiesa, che avendo udito più volte le sue Confessioni, o qualche volta anche la Confessione generale, non ho mai trovato, ch' ella abbia commessa alcuna cosa contro i Divini comandamenti. E di più io dico, che la trovai così monda dalle colpe veniali, che a gran pena d' alcun picciolo inciampo mi poteva accorgere nelle sue Confessioni quotidiane. Imperocchè è manifesto non solamente a suoi Confessori, che erano di sua usanza, ch' ella non mai, o rarissimo ne' suoi parlari cadeva in fallo.* Prætermisso autem, quod particula illa *vix* sufficientem materiam arguit, & sic aliqua peccata venialia; ponderandum est, eas attestationes immunitati a peccatis venialibus ex alia ratione prodesse non posse, quod non teneamur peccata venialia in Confessione aperire, licet laudabiliter fiat, uti factum fuit a S. Catharina Senensi, & passim ab aliis Sanctis. Aliquando in attestationibus legitur, Dei Servos in certa aliqua materia nec venialiter peccasse aut toto vitæ suæ tempore, aut post conversionem. S. Bernardus *in vita S. Malachiæ cap.* 19. (*col.* 682. *vol.* 1. *oper.*) *At vero in Malachia quis unquam, etiamsi curiosius observarit, deprehendit otiosum, non dico verbum, sed nutum, quis manum pedemque moventem frustra? Immo quid non ædificans in ejus incessu, aspectu, habitu, vultu?* Cumque privilegium hoc, licet insigne, nullatenus comparari possit privilegio Beatissimæ Virginis non ad unam materiam restricto, sed ad omnem peccatorum venialium materiam extenso, si omnia adsint, quæ adesse jure debent, ut attestationibus

nibus fides adhibeetur, fides eis non erit deneganda, uti bene ponderat Cardinalis Gottus *Theol. tom. 3. in primam secundæ partis dub. 10. quæst. 1. §. 2. num. 17. & seqq.* & huc faciunt ea, quæ a nobis dicta sunt in eo capite, in quo egimus *de illis Dei Servis, & Sanctis, qui carnis illecebras experti non sunt*. Generales demum & immodicæ nonnullorum Confessariorum attestationes commode explicari possunt de immunitate a peccatis venialibus non ex subreptione & inconsiderantia, sed de peccatis ex objecto venialibus, & plena deliberatione patratis, uti prosequitur citatus Cardinalis Gottus *loc. cit. §. 2. num. 13. Esto autem tenendum sit, hominem nec posse vitare omnia peccata, quæ ex genere sunt venialia, per totam vitam, aut diu, quia homo justus non semper operari potest ex fervore charitatis, secluso speciali privilegio, non adeo tamen certum est, quin ab aliquibus in dubium revocetur; immo non desunt qui asserant, fuisse aliquando homines tantæ perfectionis, ut numquam, vel fere numquam in peccata ex objecto venialia ex plena deliberatione lapsi sint, sed in ea tantum, quæ per ignorantiam, aut subreptionem contingunt. Animæ namque purissimæ, quales Apostoli, Sanctus Joseph, Sanctus Joannes Baptista, summa diligentia & summa cautione declinarunt ea omnia, quibus Deum offensum iri certo noverunt.* Fusius hoc argumentum prosequitur Jacobus Alvarez de Paz *de exterminat. mali, to. 2. lib. 1. par. 1. cap. 9. pag. 61.* ubi subjicit: *Conjice oculos, quæso, in Franciscum, in Dominicum, in Bernardum, in Ignatium nostrum, & in alios similes Sanctos, & videbis, te manifestam injuriam illis facere, si de ipsis, quod scienter & de industria peccata venialia fecerint, cogitares.* Et paulo post: *Interrogemus itaque viros sanctos, & obtestemur illos per nomen Domini, cui se totos commiserunt, ut dicant nobis sine ullo lædendæ humilitatis timore, an aliquod peccatum veniale non ex infirmitate, sed ex industria & ex malitia per aliquot annos commiserint: &, si dixerint, quia longo tempore, aut numquam, aut vix ex malitia peccarunt, credamus eis; sunt enim testes omni exceptione majores, & eos in hoc sequi & imitari conemur.* Hinc ad rem recte scribit S. Gregorius *moral. lib. 18. cap. 5. col. 561. oper. to. 1.* ad illa verba Joh: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea: Ac si aperte dicat, nequaquam se fecisse reminiscitur, unde in suis precibus confundatur. Sed quæri potest, quo pacto a corde suo reprehendi se denegat, qui se peccasse superius accusat dicens:* Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? *vel*, Certe, si justificare me voluero, os meum condemnabit me. *Sed sciendum, quod sunt peccata, quæ a Justis vitari possunt; & sunt nonnulla, quæ etiam a Justis vitari non possunt. Cujus enim cor in hac corruptibili carne consistens in sinistra cogitatione non labitur, vel si usque ad consensus foveam non mergatur? Et tamen, hæc ipsa prava cogitare, peccare est: sed, dum cogitationi resistitur, a confusione sua animus liberatur &c. Recte ergo is, qui peccatorem se confessus est, nequaquam se a suo corde reprehendi confitetur; quia, etsi, quæ illicita fortasse cogitando, defuit umquam rectitudini, forti tamen mentis certamine restitit cogitationi.* Caute tamen prædictæ & consimiles Confessariorum attestationes sunt excipiendæ; & valde timendum est, ne etiamsi coarctentur ad immunitatem a peccatis venialibus ex proposito commissis, & non ex subreptione propter humanam infirmitatem, non undequaque tutæ habendæ sint. Legitur in Psalmo 98. v. 8. *Domine Deus noster, tu exaudiebas eos; Deus, tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum*; & S. Augustinus ibi ponderans, ea referri ad viros perfectos supra a Domino laudatos, Moysen, Aaron, & Samuelem, quærit, quomodo ulciscatur in adinventiones eorum (*n. 12. col. 1067. oper. tom. 4.*): *Noverat ibi forte Deus aliquid, quod purgaret, quia & quod perfectum jam videtur hominibus, illi perfectioni adhuc imperfectum est. Pleraque faciunt Artifices, & ostendunt imperitis; &, cum jam judicaverint imperiti esse perfecta, expoliunt illa Artifices, qui noverunt adhuc quid illis desit, ut mirentur homines tantam expolitionem rebus accidisse, quas jam perfectas pronuntiaverunt. Fit hoc & in ædificiis, & in picturis, & in vestibus, & prope in omni genere artium &c. Sic & illi Sancti versabantur ante oculos Dei tamquam sine culpa, tamquam perfecti, tamquam Angeli. Noverat autem, quid illis deesset, qui vindicabat in omnes affectiones eorum.* Optime Suarez *tom. 3. de Gratia lib. 9. cap. 8.* quæstionem hanc illustrat: postquam enim *num. 10.* statuit, regulam Fidei esse, neminem in tota vita mortali posse omnia etiam venialia peccata vitare, nisi a speciali Dei privilegio; & *n. 18.* Justos & sanctos homines, quantumvis perfectos, in hac vita non omnia peccata venialia vitasse; & *num. 24.* nemini præter Virginem deberi aut posse tribui privilegium carendi per totam vitam peccato veniali; *num. 25.* docent, non solum per totam vitam, sed ne per notabilem quidem ejus partem posse de aliquo Sancto cum fundamento affirmari, eum caruisse omni peccato veniali, etiam per subreptionem; quod *num. 27.* extendit etiam ad peccata venialia deliberata: ita ut brevi tantum tempore possit Justus per communia auxilia vitare omnia peccata venialia, ut subjicit *n. 28.* addens *n. 29.* breve hoc tempus ad diem unum restringi.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

De nota jactantiæ & vanæ gloriæ, de qua sæpe disputandum occurrit in examine virtutum Servorum Dei.

1. UT alibi visum est, aliquando Dei Servi, Superiorum jussu, vitam suam descripserunt, in qua laudabiliter a se gesta narrarunt, & præterea retulerunt charismata & dona sibi a Deo collata: alii, si scriptis hæc non ediderunt, ore tamen retulerunt aut Confessariis, aut sodalibus, aut aliis hominibus: in quo rerum themate dubium excitatur, an jactantiæ seu vanæ gloriæ peccatum commiserint. Porro Sanctorum exempla, qui hæc & similia fecerunt, non desunt. Apostolus Paulus *in epist. 2. ad Corinth. c. 11. & 12.* a se gesta, & visiones, & revelationes Domini fuse prosecutus est. Job. *c. 29. v. 14.* de se ait: *Justitia indutus sum, & vestivi me, sicut vestimento & diademate, judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Ezechias ab Isaia admonitus de vicina morte, sic Deum allocutus est, ut habetur *Isaiæ cap. 38. v. 3. Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, &, quod bonum est, in oculis tuis fecerim.* Sara Tobiæ uxor, uti legitur *Tobiæ cap. 3. v. 16.* sic de se coram Deo locuta est: *Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.* Item Nehemias, ut *in 2. Esdræ cap. 5. v. 19.* ait: *Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia, quæ feci populo huic.*

2. Succedunt ceterorum exempla Sanctorum. Abbas Joannes apud Cassianum *collat. 19. cap. 3. pag. 702.* ait: *Idcirco, si quid elatius, immo liberius fortasse protulero, quæso, ut non jactantiæ vitio, sed ædificationis vestræ depromptum studio censeatis; quia vobis tam studiose quærentibus, nihil de veritate existimo subtrahendum. Arbitror enim instructionibus vobis aliquid posse conferri, si paulisper, humilitate seposita, simpliciter omnem propositi mei patefecero veritatem. Confido enim, quia nec apud vos de libertate dictorum cenodoxiæ notam, neque apud conscientiam meam de suppressione veritatis quoddam mendacis crimen incurram.* Apud Palladium *in historia Lausiaca (cap. 58. lib. 8. edit. Rosweydi)* Abbas Anuph ita socios alloquens inducitur: *Benedictus Deus, qui mihi hæc quoque signavit, & vestrum vitæ institutum, & adventum ... Ex quo Servatoris nomen professus sum in terra, ex ore meo non est egressum mendacium. Humani cibi nihil sumpsi, me cælesti alimento alente quotidie Angelo... Hæc, & multa alia narrans, tertio die tradit animam; eamque statim suscipientes Angeli, & chori Martyrum in cælos sustulerunt, ipsis videntibus, & hymnos audientibus.* Et in eadem historia *cap. 10.* Pambo Abbas eximiæ sanctitatis, morti proximus sic ait: *Nec memini, me ab aliquo panem gratis datum comedisse, nec me in hanc horam pœnituit alicujus sermonis, quem dixerim.* Abbas Guillelmus in vita S. Bernardi *lib. 1. c. 4. n. 23. col. 1086. oper. vol. 2.* de eo sic scribit: *Quidquid in Scripturis vales, quidquid in eis spiritualiter sentis, maxime in silvis & in agris, meditando & orando se confitetur accepisse;*

& in

& in hoc nullas aliquando se magistres habuisse, nisi quercus & fagos, joco illo suo gratioso inter amicos dicere solet: Continuator autem vitæ subjicit *lib.* 3. *c.* 3. (*num.* 7. *col.* 1135. *vol. cit.*): *Nam & confessus est, aliquando sibi meditanti vel oranti sacram omnem velut sub se positam & expositam apparuisse Scripturam*. S. Antonius, ut refert S. Athanasius in ejus vita *c.* 68. *pag.* 846. cum a discipulis rogaretur, non dubitabat eis communicare dona cælestia, quæ a Deo receperat: *Nec spiritualibus filiis pura in Christo anima occultare quidquam volebat*. S. Onophrius Paphnutio exposcenti sua gesta omoia candidissime aperuit, ut idem testatur in ejus vita *cap.* 2. quam scriptis consignavit, *apud Rosweydum lib.* 1. *pag.* 99. Severus Sulpicius *cap.* 26. *vitæ Sancti Martini* testatur, se eam scripsisse ex iis, quæ sibi aliis interrogantibus ipse patefecerat; ejusque vitæ partem scriptam fuisse etiam vivente S. Martino, testatur Baronius. De S. Ignatio Societatis Jesu Fundatore io lectionibus Officii habetur, claris adeo illustrationibus eum fuisse recreatum, ut postea solitus esset dicere: *Si sacræ Litteræ non exstarent, se tamen pro Fide mori paratum ex his solum, quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus*. Item in sexta lectione secundi Nocturni diei octavæ S. Dominici in Breviario Ordiois Prædicatorum factum hoc exponitur, quod etiam post alios refertur a Malvenda *in annal. Ord. Prædicat. centur.* 1. *part.* 3. *pag.* 368. En verba lectionis: *Dein, adscitis duodecim ex senioribus & præstantioribus Fratribus, Priori Conventus Bononiensis generaliter omnia peccata confessus est; Exomologesique sacro ritu peracta, illis astantibus dixit: En, Fratres carissimi, in hanc usque diem illibata mihi virginitas singularis Dei munere constitit; quam si vos etiam persancte colueritis, & vitæ munditia, & odore claræ famæ mirum in modum promovebimini*. In relatione Rotæ Auditorum in causa S. Philippi Nerii *tit. de virginali castitate* dicitur: *Virginalem castitatem Philippus perpetua conservavit, ut ipsemet manifestavit Francisco Buccæ ejus in Christo filio, ut eumdem ad castitatem induceret*. Denique in *vita S. Teresiæ cap.* 27. *pag.* 97. fuse expoouotur, quæ ei dicta fuerant de se ipso a S. Petro de Alcaotara: et enim narraverat pœnitentias a se jugiter peractas. Ipsa etiam S. Teresia *in Fundationibus cap.* 3a. testatur, Servam Dei Catharinam de Corduba (quam utpote sanctissimis moribus præditam, & & Christianis virtutibus illustrem, maximopere commendant Philippus a Sanctissima Trinitate *part.* 3. *Mysticæ tr.* 2. *art.* 2. *in principio*, Gaspar a S. Michaele *t.* 1. *l.* 4. *cap.* 14. *in fine*) non dubitasse referre gratias sibi a Deo collatas: *Dirò quello che da lei udirono alcune persone, o le nostre Monache di S. Giuseppe di Toledo, dove ella entrò a vedere, e come con molte Sorelle parlava con semplicità, così faceva con altre persone, perchè era grande la sua semplicità, schiettezza, e sincerità*. Et Sancta demum Catharina Adurna Flisca, vulgo dicta a Janua, Religioso petenti mirabilia aperuit quæ Deus in se efficere dignatus fuerat, teste Matthia Tanner Carthusiano in ejus vita *cap.* 38.

3. Si quis ex modo relatis, & aliis similibus exemplis crederet, absque jactantiæ & vanæ gloriæ vitio posse unumquemque sua laudabilia gesta palam exponere, deciperetur. Sapiens præcipit *Proverb.* 27. *v.* 2. *Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua*. Auctor *apolog. moral.* sub oomine S. Cyrilli editus a P. Balthasare Corderio *lib.* 2. *cap.* 28. post plura alia deducta ait: *Sed ad quid te laudas? Certe, si notus es, agis superfluum; si non notus, memento, quod latere desiderat vera virtus. Verum nec tempus laudandi quemquam est, donec vivit; nam commendatio vera non præterit, quam possessæ virtutis æternitas stabilavit. Laudet ergo te os alienum, accuset te os tuum; humilitatis te approbet virtus, dies te commendet ultimus, & æternus*: & Paulus Apostolus *in cit. epist.* 2. *ad Corinth. cap.* 11. *vers.* 1. antequam de laudibus suis loqui incipiat, usus est his verbis: *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ*; quæ sic Estius *in commentar.* declarat: *Loquitur autem ad hunc modum, non quod vera esset insipientia sic gloriari, quomodo ipse gloriari intendit, ut propterea sustinendus esset tamquam rem stultam faciens, sed quia gloriari & laudare se ipsum vulgo judicatur esse opus hominis insipientis ac vani, estque re vera tale, nisi justa aliqua necessitas excuset. Unde Sapiens præcipit Proverb.* 26. Laudet te alienus, & noo os tuum: *Sed, etsi justa ratio cogat aliquem, ut se ipsum laudet, sicut hoc loco Paulum, non tamen evadet, quin apud eos, qui causam facti vel ignorant, vel non considerant, habeatur insipiens: & propter hoc Apostolus in consequentibus, ubi laudes suas explicat, modo insipientem, modo quasi insipientem se vocat*.

Quapropter nemo non videt, opus esse aliqua noscere, ut tutum ferri possit judicium, quoties causæ examinantur Servorum Dei, qui res suas egregias aut scriptis mandarunt, ut aliis retulerunt; judiciam, inquam, de actu hoc, utrum vitio, an virtuti sit adscribendus, vitio videlicet inanis gloriæ, quod ab Apostolo reprobatur *ad Galat.* 5. *v.* 26. *Non efficiamini inanis gloriæ cupidi*; & *ad Philip.* 2. *v.* 3. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam*; consonatque illud *Joann.* 8. *v.* 54. *Si ergo glorifico me ipsum, gloria mea nihil est*.

4. Ante Estium fuisse hoc quoque receptum a S. Joanne Chrysostomo, deducitur ex his quæ scripsit *in Ps.* 130. Cum enim David dixisset 1. *Reg. cap.* 17. *v.* 36. *Et leonem & ursum interfeci ego servus tuus*; & plura alia egregia facta celebrasset; & *Ps.* 130. *v.* 1. cecinisset, *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*; memoratus Chrysostomus post allatam propriæ laudis prohibitionem ait *pag.* 571. *oper. tom.* 5. *Quomodo hoc ergo ignoravit Propheta, & nunc gloriatur, non apud duos, aut tres, aut decem, sed apud universum orbem terræ? Gloriatur autem dicens, Sum humilis, & moderatus, & mirandum in modum humilis, ac simplex: hoc enim sibi vult aliud ablactatus super matrem suam. Quare ergo hoc facit? Quoniam res quidem non est omnino prohibita, immo vero nonnumquam est necessaria, atque adeo nonnumquam incidit, ut non, si gloriemur, sed, si non gloriemur, simus insipientes*.

5. Modo laudatus Estius *in comment. ad dictum c.* 11. advertit, Deum neque præcipere, neque consiliari homini, ut laudet se ipsum, sed alicubi prohibere, sicuti prohibet jurare. Quocirca ante omnia necesse est, ut videatur, quid sit id, quod refertur a Dei Servo, de quo gloriari videtur, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 132. *art.* 1. Si enim gloriaretur de re caduca & fragili, de peccato vaoæ gloriæ non esset dubitandum: *Potest autem gloria dici vana .... ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta, cum quis quærit gloriam de eo, quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili & caduca*. Eadem quæstione *art.* 3. docet, inanem gloriam esse peccatum mortale ratione materiæ, de qua quis glorietur, puta si glorietur de aliquo facto, quod Divioæ reverentiæ sit adversum. Si autem res non sit fragilis & caduca, sed vere sit gloria digna, scrutanda est intentio loquentis, aut scribeotis de se ipso: *Sicut enim* (inqoit S. Gregorius *moral.* 12. *cap.* 31. *col.* 405. *tom.* 1.) *gravis culpa est sibi hoc hominem arrogare quod non est, sic plerumque culpa nulla est, si humiliter bonum dicat quod est; unde sæpe contingit, ut Justi, & Injusti habeant verba similia, sed tamen semper cor longe dissimile*: & , allato exemplo superbi Pharisæi, qui dicebat, *Jejuno bis in Sabbato*; & Regis Ezechiæ ita Deum oraotis, uti supra dictum est, *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto*, sic concludit *l. c. Ecce Pharisæus se justificavit in opere, & Ezechias justum se esse asseruit etiam in cogitatione; atque unde ille offendit, inde iste Dominum placavit. Cur itaque hoc, nisi quia omnipotens Deus singulorum verba a cogitationibus pensat, & in ejus auribus superba non sunt, quæ humili corde proferuntur?* Quia vero intentio homiois non patet homioibus, sed soli Deo, animadvertenda sunt nonnulla, quorum ope, quantum homini fas est, loquentis aut scribentis intentio patere possit. Si itaque necessitas egregia sua facinora, & gratias sibi a Deo collatas narrandi aut scribendi non deerit, credi poterit, rectam fuisse iotentionem scribentis aut narrantis. Isidorus Pelusiota *lib.* 3. *epist.* 278. *pag.* 610. rationem reddens, cur Pharisæus ob verborum arrogantiam apud Deum offenderit, Job vero, qui plura & sublimiora de se protulit, gloriam assecutus sit, concludit in hunc modum: *Frigidum enim atque insulsum, ut est, ita etiam videtur laudes suas prædicare, cum nulla urget necessitas. At, si quis, quæ minime convenit, audiens, in hujusmodi sermones invitus incidat, in eos, qui hanc necessitatem attulerint, culpa quoque conferri debet. Ac propterea Divina sententia eum, qui nullius contumeliis incitatus justum sese pronunciarat, aliosque omnes condemnarat, ac ne præsentem quidem Publicanum veritus fuerat, repudiavit. Eum autem, quem necessitas ad hoc impulerat (quid enim, quod ad stimulandum ipsius animum facere posset, Amici prætermiserant?) amplissimis laudibus coornavit*. Plutarchus opusculum conscripsit, *Quomodo quis sine noxa commendare se ipsum queat*; ubi accurate recenset varias occasiones, quibus quis sine labe evulgare apud alios Bona sua possit; puta, si ageretur de calumnia depellenda: *Se ipsum autem absque culpa reprehensionis laudare aliquis potest, primum, si calumniæ*

aut accusationis depellendæ gratia id faciat; item, si id fieret ad profectum aliorum: *Quoniam autem non modo citra dolorem aliarum & invidiam, sed etiam cum eorum utilitate usurpanda nobis sunt nostræ laudes, ne hoc agere, ut nos laudemus, sed eo ipso aliud aliquid moliri videamur, primum hoc considera, an excitandi studii, æmulationisque virtutum gratia apud auditores aliquis se ipsum laudare possit*. Concordat Dantes in Conviv. *Veramente al principale intendimento tornando, dico, come è toccato di sopra, per necessarie cagioni lo parlare di se è conceduto, ed intra l'altre necessarie cagioni due sono più manifeste. L'una è, quando, senza ragionar di se, grande infamia e pericolo non si può cessare. E allora si concede per la ragione, che delli due sentieri prender lo meno reo è quasi prendere un buono. E questa necessità mosse Boetio di se medesimo a parlare, acciocchè sotto pretesto di consolazione scusasse la perpetuale infamia del suo esilio, mostrando, quello essere ingiusto, poichè altro scusatore non si levava. L'altra è, quando, per ragione di se, grandissima utilità ne segue altrui per via di dottrina. E queste ragioni mossero Agostino nelle Confessioni a parlare di se*: & congesta undique eruditione prosequuntur Mazzonius *in apologia Dantis tom. 2. lib. 4. cap. 45. & 46.* & Mendoza *in Viridario lib. 3. problem. 9.*

6. At, ad sagra ut redeamus, *lib. 1. Reg. cap. 12. v. 1.* Samuel pro calumnia depellenda, (*Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia, quæ locuti estis ad me*) & v. 2. innocentiam totius vitæ suæ exposuit loquens ad universum Israel: *Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, & coram christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis*. Item *Actor. 15. v. 4.* Paulus & Barnabas ad profectum audientium publice annuntiaverunt conversionem Gentium, & miracula quæ Deus per eos fecerat: *Cum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & Senioribus, annuntiantes, quanta Deus fecisset cum illis*: & v. 12. *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos*. Et S. Gregorius *lib. 19. moral. cap. 23. num. 36. col. 623. tom. 1.* explicans illud *Matth. cap. 9. Videte, ne quis sciat*, de manifestatione gratiarum a Deo receptarum, & bonorum suorum operum concludit: *Occultentur ergo studio, necessitate publicentur, & eorum occultatio sit custodia propria, eorumque publicatio sit utilitas aliena*. Qui autem ex Theologis de hoc argumento scripserunt, tanquam honestas & laudabiles causas admiserunt pro sui commendatione tum infamiæ depulsionem, & reparationem æstimationis, tum profectum spiritualem aliorum. Ita Marcant. *in tribun. Sacram. tom. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 1. quæst. 3. §. 4. regul. 1. in primo & secundo casu pag. 337.* Theophil. Raynaud. *oper. tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 18. de Humilitate circa materias ipso ejus nomine notatas num. 259. & seqq.* & favet doctrina sæpe citati S. Gregorii, qui *lib. 18. moral. cap. 7. num. 14. col. 562.* hæc habet: *Sancti viri, quoties de se aliquid sequentibus innotescunt, morem Creatoris sui imitantur: nam Deus qui nos prohibet, ne proprio ore laudemur... proficere laudibus nescit; sed, dum suam nobis magnitudinem narrat, nostram ad se imperitiam sublevat, & bona sua loquendo nos edocet, quæ omnino homo non cognosceret si de se tacere voluisset &c. Morem ergo sui Creatoris imitantes sancti viri, nonnumquam quædam de se, ut audientes instruant, non ut ipsi proficiant, manifestant; & tamen in his alta se consideratione custodiunt, ne, dum alios a terrena intentione erigunt, ipsi in terrenæ laudis appetitione mergantur.*

7. Verba quoque eorum, qui de se loquuntur, diligenter sunt examinanda, an sobrietatem & modestiam redoleant, an ex eorum contextu conjici possit, loquentem quasi invitum de se & rebus suis loqui, & demum an omnia referat ad ultimum finem, hoc est ad Dei gloriam. S. Paulus se ipsum laudare incipiens *in cit. epist. ad Corinth.* semel atque iterum recidit, & ter se excusat: primo enim *cap. 11. v. 1.* ait, *Utinam sustineretis*; secundo se vocat *insipientem*, uti vidimus; & tertio subjicit, *Sed & supportate me*; & v. 2. *æmulor enim vos*; & rursus, *cap. 12. v. 6. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* Quocirca S. Joannes Chrysostomus *serm. 26.* (*tom. 5. opusc. pag. 336. edit. Front. Ducæi*) Apostolum commendaturus ostendit, quam gravate ad suas laudes descenderit, & eum comparat equo, qui præruptum clivum invitus & timens cogitur transilire: *Quemadmodum equus præcipitium aliquod præruptumque clivum transiturus se colligit, quasi hunc uno saltu exsuperaturus foret: verum profundum despiciens hiatum subjacere, obstupescit metu, contrahiturque, deinde quum sentit equitem vehementius urgere, rursum aggreditur, idemque quod antea perfert, necessitatem & vim indicans, subsistit aliquandiu, hinnitum mussitans super oram foveæ; resumpto tandem animo, se ultro fidenter adigit: Sic & Beatus Paulus, veluti se daturus in præceps, in laudum suarum recitationem, semel atque iterum, ac tertio, & subinde sæpius retrocedit*. Sanctus autem Gregorius *moral. loc. cit. num. 13.* de eodem S. Paulo hæc habet: *Ille Prædicator egregius veritatis contra Pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, dum, tot se pericula tolerasse concerta persecutione, describeret, & post hæc, usque ad tertium cælum, rursumque in paradisum raptum se esse, memoraret, ubi tanta cognoscere potuisset, quanta loqui omnino non posset, erat de se adhuc fortasse admirabiliora locuturus, sed ab humana laude alta se consideratione temperans subdit*: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. *Habebat ergo adhuc dicendum de se aliquid, qui parcit dicere; sed egit utrumque Doctor egregius, ut & loquendo quæ egerat, discipulos instrueret, & tacendo, sese intra humilitatis limitem custodiret. Nimis namque esset ingratus, si de se discipulis tota reticeret; & fortasse nimis incautus, si de se tota vel discipulis proderet. Sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque, ut loquendo, erudiret vitam audientium, & tacendo, custodiret suam.* Estius *ad cap. 12. cit. epist. ad Corinth.* ponderans verba supra allata: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me*, sic ea explicat: *Ab hujusmodi magnis & gloriosis recensendis* (revelationibus videlicet) *abstineo vestri causa, ne quis propter illa plus mihi tribuat, ac majorem existimet, quam mea facta quæ videt, & meus sermo quem audit, me esse declarant. Nam, ut annotant Græci, si victimas ei mactare, tamquam Deo, voluerunt Lystrenses propter claudum sanatum Actor. 14. & si Melitenses Deum appellabant, quod viperam de manu illæsus excussisset Actor. ultimo, quid non tandem honoris ei impendissent homines, si præterea magnificas illas revelationes eis manifestasset?* Denique relatio ad ultimum finem, hoc est ad Dei gloriam, ex eodem Apostolo *cap. 11. v. 30. epist. 2. ad Corinth.* plane colligitur: *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor*. Sensus enim horum verborum, juxta Estium sæpe citatum, est, illum gloriari noluisse in signis & miraculis, quæ plurima ediderat, quæque hominem mundo spectabilem & gloriosum reddere solent, sed in infirmitatibus, hoc est in iis quæ passus fuerat, utpote talia, propter quæ apud homines minus pios quisque contemptibilis haberi solet, & in quibus maxime declaratur virtus Christi. S. Gregorius *cit. lib. 19. moral. cap. 23. num. 36. col. 623.* ait: *Aliquando sancti viri & coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare, sed ad eum suum omnia referentes, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum, qui in cælis est, debeat glorificari*: & S. Thomas *2. 2. quæst. 132. ar. 1.* postquam docuit, vanam gloriam dici uno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, sicuti de aliqua re fragili & caduca (uti supra visum est) addit, dici quoque vanam aliis modis: *Alio modo ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus judicium non est certum; tertio, ex parte ipsius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel Proximi salutem*. Multa, quæ supra dicta sunt paucis fideliter exposuit Pater Petrus Ribadeneira *in vita S. Ignatii*: postquam enim plura, quæ ab eo audivit, retulit, sic subjicit *lib. 5. cap. 3. pag. 476. Di rado, e non senza gran cagione delle cose proprie ragionava, se non era per curare alcun'anima afflitta, e col suo consiglio consolarla, ovvero per inanimire col suo esempio i suoi Compagni, e rincorarli contro la difficoltà, che loro si offerivano*. Ut omnia prædicta apto confirmentur exemplo, ad calcem hujus Libri operæ pretium esse censemus edere epistolam Beati Joannis Tausignani Ordinis Jesuatorum Episcopi Ferrariæ, quæ manu propria Beati conscripta conservatur in archivo Patrum Carmelitarum Excalceatorum prædictæ civitatis, in qua, occasione calumniæ sibi impactæ apud Ducem Estensem, sua laudabilia gesta commemorat humilibus verbis, omnia bona facta ad Deum tamquam auctorem refe-

referendo. Inter opera S. Basilii *tom. 2. pag. 156.* extat homilia vigesima *de Humilitate*. Sanctus hic Doctor *num. 3.* ponderat illud Jeremiæ 9. *Ne glorietur sapiens in sapientia sua, & ne glorietur fortis in fortitudine sua, & ne glorietur dives in divitiis suis .... in hoc glorietur, qui gloriatur, si cognoscit ac intelligit, quod ego sim Dominus*. Et postea subjicit: *Hæc est sublimitas hominis, hæc est gloria atque majestas, vere cognoscere quod magnum est, eique adhærere, & a Domino gloriæ conquirere*. Ponderat etiam illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 1. *Christus factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio; ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur*, Et post hæc addit: *Hæc est enim perfecta ac integra in Deo gloriatio, cum quis non ob suam justitiam extollitur, sed novit destitui se quidem vera justitia, verum sola in Christum Fide justificatum esse*. Totus est Basilius in hac homilia, ut id ostendat. Per quæ confirmantur quæ modo dicta sunt de bonis omnibus, quæ ab hominibus fiunt, ad debitum finem referendis, idest ad honorem Dei, & proximi salutem, Et quia Sanctus ait, hominem sola in Christum Fide justificari, ne id simpliciores inducat in errorem, notabilia sunt verba Juliani Garnier *ad dictum locum lit. E: Notandum igitur, Basilium id sibi in hac oratione proponere, ut ostendat, nos in nostris operibus gloriari non posse. Quare hoc dicit, etsi jejunas, etsi stipem erogas, etsi alia id genus recte facis, non propterea justificabere; sed accedat, oportet, Fides; non quod Fides sola sine operibus justificet; sed quod ad justificationem necessario requiratur.*

8. Hucusque adducta confirmantur exemplis supra relatis; siquidem in iis neque opportuna occasio, neque causæ defuerunt, & signanter spiritalis utilitas audientium, & pudor & modestia fuerunt comites narrationis. Sufficere ergo deberent. Quia vero, cum res est de causis Canonizationis, nihil est prætermittendum, quod eruendæ veritati prodesse possit, præter ea quæ hucusque dicta sunt, opus erit sedulo inquirere, an Dei Servus, qui sua mirabilia enarravit, alia non exigua veræ humilitatis signa prætulerit, & in aliis virtutibus excelluerit: si enim ex aliis documentis de ejus humilitate ceterisque virtutibus constet, facile, ut infra dicetur, aliis supra expositis non deficientibus circumstantiis, quæ ipse de se dixit, existimari poterunt immunia a labe superbiæ, & vanæ gloriæ; uti bene explicat Nicolaus Lancic. *tom. 1. opusc. 8. cap. 10. pag. 269. Ego sane existimo, Dei peculiari consilio & instinctu, in humilitate, & contemptus sui amore fundatos, & cognitione vilitatis suæ clara imbutos, ac proinde a vanæ gloriæ & jactantiæ spiritu alienissimos interno Divino impulsu excitari ad manifestanda arcana & singularia Dei dona sibi concessa: videt enim amatrix animarum Divina Sapientia multum inde & Divinæ gloriæ, & auxilii animarum accedere; ideo facit, ut sæpe, nil minus, quam talia, cogitantibus Dei Servis, dicantur ab eis ea, quæ ipsi studio deprimendi se recte occultabant, & nulli nota esse cupiebant; sed is, in cujus manibus sunt nostra sorte, ob fines sibi notos, & nobis etiam aliqua ex parte manifestos ea propalari vult per Servos suos, quæ propalata esse ab omnibus fere eximiis Sanctis, legimus in eorum gestis in beneficium Ecclesiæ annotatis*. Optime in rem hanc Pater Bartolus *in vita Cardinalis Bellarmini lib. 3. cap. 10. Conciossiacosachè, come avvisai poc'anzi, alla providenza di Dio s'appartenga di far sì, che per edificazione della sua Chiesa, per gloria del suo nome, per contezza de' meriti de' suoi Servi se ne risappiano certi più rari effetti della sua Grazia in essi, i quali altrimenti se ne anderebbon sotterra con essi, nè convenendosi di metter sempre in ciò mano a' miracoli, il modo più somigliante al naturale è muovere e indurre internamente essi stessi a manifestarsi. Così oltre a tanti altri, che ne sappiamo, il santissimo Patriarca Domenico, e più da presso a noi S. Filippo Neri rivelaron la loro virginità, quegli a' suoi Religiosi, questi a' suoi figli spirituali: e dove lo Spirito di Dio induce e trae i Santi a palesare di se eziandio cose grandissime, non è possibile, che vi entri o si tramischi lo spirito della vanità; e allora tanto è, che parlino ad un popolo intero, quanto ad una, o due persone. Questi dunque, e quanti altri uomini di notoria santità han, com'essi, manifestato di se, ch'eran vergini, sarebbe temerità il pensarne altro, che averli a ciò indotti un particolare instinto dello Spirito Santo, essendo la presunzione per essi*. Idem confirmat Roderic. *in exercitio perfectionis, & virtutum religiosarum part. 2. tract. 3. cap. 29. La riputazione deve essere da noi desiderata, e dobbiamo rallegrarcene solamente, in quanto è necessaria per l'edificazione de' Prossimi, e per far frutto in essi, e per la maggior gloria ed onore di Dio Signor nostro &c. In questo dunque si conoscerà, se tu ti rallegri dell'autorità e della riputazione per il bene dell'anime, e per la gloria di Dio, o pure per te stesso, e per il tuo proprio onore ed autorità. Se, quando ti si porge l'occasione d'umiltà e dispregio, l'abbracci molto da vero e di buon cuore, e ti rallegri in essa, è buon segno &c. Ma se, quando ti si porge l'occasione d'umiltà, o d'essere poco stimato, la ricusi, e non la sopporti bene; e se, quando non è necessaria per l'utilità de' Prossimi, ad ogni modo ti rallegri della riputazione e della lode degli uomini, e la procuri, questo è segno, che anche nel rimanente ti rallegri per quel che tocca a te, per il tuo onore e riputazione, e non puramente per la gloria di Dio, e per l'utilità de' Prossimi ec, Ed anche il lodare uno se stesso può essere cosa buona o santa, se si fa, come si deve; come vediamo, che S. Paolo, scrivendo a quei di Corinto, comincia a lodarsi, e a raccontare grandezze di se, riferendo grazie grandi, che il Signore gli aveva fatte, e dicendo, che aveva travagliato e faticato più degli altri Appostoli, e comincia a narrare le rivelazioni e i ratti, che aveva avuti fino al terzo cielo. Ma egli faceva questo, perchè allora così conveniva, ed era di bisogno per l'onore di Dio, e per l'utilità de' Prossimi, a' quali scriveva, acciocchè così lo tenessero e stimassero per Appostolo di Cristo, ricevessero la sua dottrina, e cavassero frutto da essa. E diceva queste cose di se con un cuore non solo dispregiatore dell'onore, ma anche amatore del dispregio e del disonore per Gesù Cristo; perchè quando non era necessario pel benefizio de' Prossimi, si sapeva egli molto bene impiccolire ed abbassare, dicendo di se, che non era degno d'essere chiamato Appostolo, perchè aveva perseguitata la Chiesa di Dio, e chiamandosi bestemmiatore, ed il maggiore de' peccatori: quando gli venivano occasione di disonori e dispregi, questo era il suo gusto e la sua allegrezza.*

9. Quæ dicta sunt de narrantibus, sibi vindicant locum etiam in scribentibus, & quoad scribentes prætera videndum erit, num scripserint consilio aut jussu suorum Superiorum, qui enim scriptis mandaret absque consilio aut jussu suorum Superiorum, quæ sibi in virtutum exercitio, vel gratiarum Divinarum receptione insignia obtigerunt, inanis gloriæ, aut imprudentiæ notam evitare fortasse non posset. Quocirca de hujusmodi consilio ac jussu quæsitum est in causis Servorum Dei Alfonsi Rodriquez, Cardinalis Bellarmini, & Orusco, qui res suas scriptis commiserunt.

10. Habendus esset hic sermo de nonnullis Dei Servis, qui viventes asseruerunt, se post obitum per solemnem Canonizationem in Sanctorum album esse referendos. De S. Francisco de Paula legitur, dixisse Joanni Mediceo ad se advenienti cum Laurentio patre, qui eum jusserat Sancti manus deosculari: *Ego Sanctus ero, cum tu eris Pontifex*, uti habetur *in chronicis Ord. Minimorum*, & in vita dicti Sancti scripta a Fratre Isidoro Toscano *lib. 3. cap. 4. pag. 339.* S. Vincentius Ferrerius Alfonso Borgiæ sibi accedenti dixit, ut vitam castam & pudicam, quam inceperat, prosequeretur, ex quo potissimum amplissimam inter mortales dignitatem adepturus esset, sibique post obitum maximum honorem esset allaturus; & e suggestu concionem habens, cum inter astantes comperisset S. Bernardinum de Senis adhuc juvenem & ignotum, dixit, inter auditores suos esse hominem ex Ordine Fratrum Minorum, qui doctrina & exemplo futurus erat vir singularis, & qui, licet juvenis esset, sibi seni in honore Ecclesiæ esset præferendus; uti habetur in vita S. Vincentii apud Bollandianos *ad diem 5. Aprilis*, & apud Gabrielem Fiammam in eadem vita *lib. 4. de vitis Sanctorum*. De sua futura Canonizatione sæpe locutum esse S. Philippum Nerium, refert Jacobus Riccius in ejus vita *lib. 4. cap. 10.* & S. Andreas Avellinus accedens ad domum Aloysii Carafæ Principis Stiliani in urbe Neapolitana: cum ejus adventum tubicines tubarum sonitu excipere vellent, en honore recusato, inquit, similes honores se post obitum exspectare; & cum aliquando esset in templo Cathedrali ejusdem urbis, tempore quo celebrabatur festum in honorem S. Thomæ de Aquino, uti Patroni & Protectoris civitatis, cujus statua in uno ex loculamentis ejus templi sita erat, videns loculamentum, quod erat e conspectu, esse sine statua, prædixit fore, ut sua statua post obitum in eo reponeretur, quod inter Sanctos civitatis Protectores esset adscribendus; uti habetur apud Joannem Baptistam Castaldum in ejus vita, & apud Franciscum de Longobardis *in annot. ad epist. 69. S. Francisci de*

Paula num. 9. Sed, cum Joannes ille Mediceus ad Pontificatum evectus nomine Leonis X. Franciscum de Paula solemni ritu inter Sanctos retulerit, & Alfonsus ille Borgia, assumpto nomine Callisti III. Pontifex factus Vincentium Ferrerium tertio sui Pontificatus mense canonizaverit, quæ Canonizatio facta est sex annis post eam S. Bernardini Senensis, licet Vincentius triginta annis ante S. Bernardinum decessisset, & S. Andreas Avellinus inter Sanctos Protectores civitatis Neapolitanæ fuerit repositus, unusquisque facili negotio comprehendere poterit, prædictis in rebus fuisse digitum Dei, & ea non ad vitium jactantiæ, sed ad spiritum propheticum esse referenda.

11. Accidit aliquando, ut quædam egregia opera a Dei Servis palam & coram populo facta fuerint: & hinc statim quæstio excitatur desumpta ex illo *Matth. cap. 6. vers. 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi: & v. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Opponitur enim jactantiæ aut vanæ gloriæ vitium, ne dicam hypocrisis, quam execratur Jeremias *c. 9. & c. 11.* & Christus Dominus damnat *Matth. 23. v. 13. Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ.*

12. Verum, ut in judicio ferendo æqua lance procedatur, operæ pretium est adnotare, Christum Dominum *Matth. 5. v. 14.* ita dixisse: *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Monentur hic a Christo Apostoli, & omnes eorum asseclæ, ut satagant tam verbo, quam exemplo virtutis aliis prælucere: quocirca, ut hoc *caput quintum* conciliemus cum *capite sexto*, dicendum est, bona opera coram hominibus fieri debere, ut ex eis homines Deum glorificent, non autem ut operantes ab hominibus glorificentur, & sic captent vanam hominum laudem, quo *caput sextum v. 1.* spectare videtur: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus.* Id recte explicatur a S. Gregorio *3. part. Pastor.* (*cap. 35. col. 96. tom. 2.*) *Quid est ergo, quod opus nostrum & ita faciendum est, ne videatur, & tamen, ut debeat videri, præcipitur, nisi quod ea quæ agimus, & occultanda sunt, ne ipsi laudemur, & tamen ostendenda sunt, ut laudem cælestis Patris augeamus? Nam, cum nos justitiam nostram coram hominibus facere, Dominus prohiberet, illico adjunxit:* Ut videamini ab eis: *Et, cum rursus videnda ab hominibus bona opera nostra præciperet, protinus subdit:* Ut glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. *Qualiter igitur videnda essent, vel qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstravit, quatenus operantis mens opus suum & propter se videri non quæreret, & tamen hoc propter cælestis Patris gloriam non celaret.* Quod confirmat S Antoninus in *Summa part. 2. tit. 4. de inani gloria cap. 1. §. 4. Non prohibet simpliciter Dominus, opera bona fieri in manifesto coram hominibus, sed ne fiant illa in tentatione, ut laudentur, id est propter vanam gloriam.*

13. Ideoque non statim ac ex Actis causæ habebitur, aut aliqua, aut multa opera bona & egregia a Dei Servis palam & coram hominibus facta fuisse, judicium ferri, aut legitima suspicio ingeri poterit de ostentatione seu vana gloria; sed quantum fas est homini, investigari debebit agentis intentio, quæ si ad propriam laudem fuerit directa, de vitio non erit dubitandum; secus autem, si fuerit ad Dei glorificationem relata; tunc quippe certum erit, opus fuisse Deo acceptum. Cumque cor hominum Deo pateat, sed hominibus absconditum sit, in nostro rerum themate non poterit intentio desumi, nisi ex reliquo vitæ cursu ejus, qui opera bona palam exhibuit & coram hominibus; ita ut, si ex reliquo vitæ cursu constet de ejus sanctitate, præsumendum jure sit, nihil aliud ipsum quæsivisse sic agendo, quam Dei gloriam; quæ præsumptio haberi non poterit, si ex reliquo vitæ cursu veræ sanctitatis indicia colligi non possunt. Optime res explicatur a Sancto Gregorio *lib. 8. moralium* (*cap. 48. num. 83. col. 283. tom. 1.*): *Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Et tamen Veritas dicit:* Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. *Sed aliud est profecto, cum in ostensione operis gloria quæritur largitoris, aliud, cum laus privata concupiscitur de dono largientis. Unde & rursum in Evangelio hæc eadem Veritas dicit:* Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. *Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examinatione pensandum est, per ejusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publicata nostra opera in conspectu illius occulta servamus. Si vero per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi a multis ignorentur. Sed valde perfectorum est, sic, ostenso opere, auctoris gloriam quærere, ut de illata laude privata nesciant exultatione gaudere. Tunc solum namque innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur. Quam quia infirmi quique perfecto contemnendo non superant, restat necesse est, ut bonum, quod operantur, abscondant. Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio propriam laudem quærunt, sæpe vero in ostensione operis auctoris patefacere gloriam cupiunt, sed excepti favoribus in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur; cumque semetipsos dijudicare interius negligunt, sparsi exterius ignorant quod agunt, eorumque opus suæ elationi militat, atque hoc se impendere obsequio largitoris putant.* Sequitur S. Antoninus *loc. cit. Et, quia illi, qui sunt imperfecti, sunt satis inclinati ad laudem hominum procurandam, ideo, ut docet Gregorius in moralibus, tales, si qua bona faciunt singularia extra communia & necessaria ad salutem, occulte facere debent, ne inanis gloria inficiat intentionem; sicut fecit Beatus Nicolaus, cum providit necessitati convicini tribus vicibus occulte projiciens per fenestram in domum illius non modicum auri, ut nuptui traderet tres filias nubiles, quas præ paupertate intendebat prostituere, ut inde cum ipsis viveret. Sed viri perfecti, & qui sunt positi in exemplum aliorum, debent in publico bona facere etiam singularia, ut inde populi ædificentur, & ad similia provocentur; sicut fecit Beatus Pater Dominicus, qui in domo quarumdam matronarum hospitatus, quæ Hæreticis adhæserant, qui sub pelle ovium austeritatis, ut lupi, animas earum devorabant, dormivit per totam Quadragesimam super tabulam, manifeste portavit cilicium, jejunavit in pane & aqua, ut vel sic exemplo suæ pœnitentiæ veræ, non simulatæ illas de errore reduceret, quod & factum est.*

14. A controversiis & disputationibus propositis non longe abest alia controversia, quæ aliquando etiam excitata est in examine virtutum Servorum Dei, de suæ familiæ stemmatibus, aut de suis nominibus appositis in templis, Capellis, hospitalibus, publicis ædificiis, aut etiam sacris supellectilibus, ipsorum auctoritate, aut ære constructis & elaboratis; an hæc videlicet jactantiæ, aut vanæ gloriæ indicia sint. Si hæc contingant, insciis ipsis Dei Servis (nec enim novum est, id accidere posse) nulla superest occasio dubitandi de vana gloria. Carolus a Basilicapetri Episcopus Novariensis *in historia S. Caroli Borromæi lib. 7. pag. 472.* hæc refert: *Cum in summis porticibus ædium Canonicalium insculpta inspexisset insignia Borromæia, facta jussit excidi, & in posterum facienda prohibuit; quæ tamen, curante nemine, Caroloque amplius non advertente, in ipso operis principio remanserunt.* Fieri ergo potest, ut insciis Dei Servis, ipsorum stemmata apponantur, vel ut, ipsis etiam reluctantibus, persistant; & ex modo relatis desumi potest, sic rem se habuisse in candelabris quoque argenteis ab eodem S. Carolo Borromæo dono datis basilicæ Liberianæ, cujus erat Archipresbyter, in quibus etiam hodie apparent Insignia familiæ Borromææ, ac in publicis ædificiis, & signanter in scholis publicis Bononiæ constructis, dum Legati de latere munere fungebatur; idque eo magis, cum toto fere tempore, quo dictum munus exercuit, Romæ apud summum Pontificem Pium IV. moratus sit, & civitatis Comitatusque gubernatio esset apud ejus Prolegatum Cæsium Episcopum Narniensem. At, si stemmata & nomen, scientibus & volentibus Dei Servis, apposita sint, Thaulerus *sermone 1. in Dominica octava post Trinitatem* sine ulla dubitatione damnat eos, qui sua Insignia vel vestibus sacris, vel aliis rebus ad templorum usum destinatis appingunt. Mitius judicium fertur a Nicolao Alemanno *de Lateranensibus parietinis cap. 3. pag. 13. & cap. 7. pag. 39.* ubi, allata antiquitate usus nomen & stemmata apponendi subjicit: *Scio, hanc nonnullorum censoriam esse severitatem, qui omni titulorum, imaginum, & inscriptionum*

usui

usui interdictum modestiæ legibus volunt, & de Majorum sanctitate gravitateque probe ac digne sentire se putant, cum suas illos imagines vel pictas vel fictas poni minime passos fuisse contendunt; memoriæ vero clarorum virorum ad posteros derivandæ unum satis esse arbitrantur recto factorum testimonium. Verum enim vero Majores nostri probitate & modestia insignes, eam consuetudinem, ut parce, ita citra vituperationem usurpasse illos etiam censoribus videri possunt. Exstant ad hanc diem imagines ad vivum expressæ, quas sibi posuerunt Innocentius II. in basilica Callistiana sub Janiculo; Paschalis I. trans Tiberim ad Sanctæ Ceciliæ, & ad Sanctæ Praxedis in Exquiliis. Idem Nicolaus Alemannus alia subdit exempla; quibus addi posset exemplum S. Pii V. Familiæ quippe Ghisleriæ insculpta Insignia apparent una cum inscriptionibus in angulis ædium ab eo in Urbe assignatarum tribunali sanctissimæ Inquisitionis. Apud Cardinalem Baronium *in annal. ad an.* 324. *n.* 117. eximiis laudibus exornatur modestia Constantini Imperatoris, qui, licet ecclesias innumeris beneficijs cumulasset, noluit tamen in eis inscriptiones apponi, quibus beneficiorum a se collatorum memoria ad posteros transmitteretur: *Illud memoria dignum est, quod, cum tam celebres & insignes memorias in honorem Dei atque Sanctorum tum Romæ, tum in aliis plurimis orbis Romani locis Constantinus erexerit, in nulla ipsarum modestissimus Imperator reperitur sui nominis memoria titulum insculpsisse, contempsisseque Christianissimum Principem, quod alii ante eum Imperatores magno studio affectassent, quorum, qui omnium optimus a Gentilibus habebatur, Trajanus, quod in operibus singulis a se erectis affixisset titulum sui nominis, idem noster Constantinus (ut auctor est Aurelius Victor) illum eo dicterio lepide quidem & urbane derisit dicens, Trajanum esse herbam parietinam, nimirum, quod, sicut illa, passim reperiretur muris inhærens.* Concludendum est itaque, laudabilius esse, & magis perfectum ab hujusmodi appositione stemmatum & Insignium abstinere, quemadmodum post longam disputationem concludit Gabriel Cardinalis Palæotus *de Imaginibus sacris & profanis lib.* 2. *cap.* 50. §. *Existimamus*; & late prosequuntur Marescallus *in lib. de juribus honorificis pag.* 157. *sub tit. de zonis funereis*, Merbes. *in summa Christiana par.* 1. *qu.* 22. *pag.* 283. §. *Decentius*, Theophilus Raynaudus *tom.* 15. *in heteroclit. spiritual. pag.* 134. *lib.* 1. *sect.* 2. *punct.* 3. *n.* 57. ubi ait: *Non est igitur semper & ubique anomalum, & ad pietatem heteroclitam referendum, quod quis sacro donario affigat sua Insignia; quamvis, per se loquendo, sit minus perfectum, quam si absque positione nominis sui in terris suis uni gloriæ Dei formaliter & explicite serviretur.* Minus laudabile est, sed honestum & commendatione etiam dignum esse potest, propria stemmata & Insignia, & inscriptiones ponere, si id fiat absque ulla superbiæ aut ostentationis intentione; si sobrie fiat; si ut ceteri excitentur ad opera similia facienda; si ut perenne exstet monumentum patrocinii, quod quis implorat, Sanctorum, in quorum honorem ædificium construxit. *Itaque, si quis est* (prosequitur Cardinalis Palæotus *l. c. pag.* 370.) *qui hæc signa ponere in ecclesiis, & rebus sacris adjungere cogitet, illud in primis est illi curandum, ut se ipsum colligat, & diligenter finem excutiat; utrum alios exemplo suo in exornandis ecclesiis incitari velit; utrum se Sancto illi commendet, illumque sibi Patronum adsciscat; an vero se & alios vocet ad imitandum sancti Martyris fortitudinem, patientiam, & alia præclara facta; an ut Auctoris desiderium appareat, cupientis ceterorum animos ad Dei observantiam his picturis & ornamentis excitare; an ab hominibus petat, ut Deum pro salute ipsius, qui opus illud curavit faciendum, precentur; an vero communem mundi errorem sequatur, & popularem ac levem vanitatis auram captet.* Cui adhæret Theophilus Raynaudus *tom.* 4. *de virtutibus & vitiis lib.* 6. *sect.* 2. *cap.* 16. & *tom.* 8. *in Sancto Joanne Benedicto punct.* 11. Demum vanum est & vitiosum prædicta facere ad hominum gloriam captandam, ut recte ait S. Antoninus *in Summa par.* 2. *tit.* 4. *cap.* 1. *sub* §. 4. *Ad hoc vitium* (scilicet inanis gloriæ) *pertinet, quod aliqui faciunt ecclesias, hospitalia, Capellas, Calices, Paramenta cum Armis suis, quando hoc faciunt, ut laudentur. Psalm.* 5. Gloriabuntur in te, Domine, omnes qui diligunt nomen tuum. *In te inquit, non in se.*

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM.

De nonnullis aliis rebus, de quibus in examine causarum Servorum Dei frequens se offert occasio disputandi; de nonnullis regulis adhibendis, ut tutum de gestis a Dei Servis feratur judicium; & de quibusdam extraordinariis actionibus, quæ a speciali Dei impulsu factæ asseruntur.

1. QUANDO Episcopus sacrum Presbyteratus Ordinem confert, annuntiat Clero & populo, se Diaconibus velle prædictum sacrum Ordinem conferre, & utitur his verbis: *Sed, ne unum fortasse, vel paucos aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque, quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis, & his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat: Verumtamen memor sit conditionis suæ.*

2. Dum agitur de virtutibus Servorum Dei, Beatificationis & Canonizationis gratia, requiritur sententia multorum, hoc est illorum, qui sunt adscripti Congregationi sacrorum rituum, qui invitantur, ut libera voce pandant, quid de eorum actibus, & moribus ex Actis & processibus noverint. Non admonentur, ut memores sint conditionis suæ, hoc est abstineant a levibus, & gravioribus tantum insistant: quinimmo ad ipsorum officium pertinet omnia exponere; ut in re adeo sublimi tutum feratur judicium, & ut perspicue constare possit, an Beatificandus fuerit Heros. Hinc fit, ut in eodem judicio plura proponantur, quæ Nobis animus non est in præsenti singillatim prosequi, nonnulla tantum attingemus, quorum frequentior occasio in causarum examine se offert.

3. In Actis Servorum Dei testes sæpe referunt, peccatores fuisse ab illis reprehensos. Si suaviter id factum sit, dubitatur de inertia Servi Dei, & videtur opus Dei fecisse negligenter; si fortiter actum sit, dubitatur, ne modum reprehensioni præfixum excesserit, de quo *in can. Tam Sacerdotes* 24. *quæst.* 3. & *in can. Non putes* 22. *quæst.* 25. Vulgata est distinctio inter peccatorem occultum, & peccatorem publicum: si enim peccator occultus est, secreta debet præcedere admonitio, antequam annuntietur Ecclesiæ, juxta præceptum Christi *Matth.* 18. *v.* 15. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Quod si peccator publicus sit, nulla tunc privata admonitio est denuntiationi præmittenda, juxta illud Pauli Apostoli *ad Timotheum* 1. *c.* 5. *v.* 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant:* & *ad Titum c.* 1. *v.* 13. *Increpa illos dure, ut sani sint.* Itaque peccata publica, ait Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. *in corpore*, publice esse redarguenda. De aliquibus Sanctis legitur, eos occulta peccata publica admonitione aliquando reprehendisse: sed, cum occulta peccata non humano modo, sed ope revelationis Divinæ cognoverint, legi præcedentis privatæ admonitionis in eo rerum eventu non erant adstricti. Passim in vitis Sanctorum similia gesta leguntur; &, ut a recentioribus abstineamus, Palladius *in hist. Lausiaca* publicam narrat reprehensionem factam a S. Ammone, a Macario Alexandrino, ab Eulogio Presbytero ob occulta peccata, quæ ipsi supernaturali modo noverunt. Sive autem reprehensio privata sit, sive publica, nova instituitur quæstio de verbis adhibitis, utrum nimis lenia, an nimis severa fuerint; cujus quæstionis resolutio a qualitate personarum, quæ reprehenduntur, pendere videtur. S. Augustinus *serm.* 83. *de verbis Domini n.* 8. *col.* 451. *to.* 5. postquam dixit, *Si peccatum in secreto est, in secreto corripe; si peccatum publicum est & apertum, publice corripe, ut ille emendetur, & ceteri timeant*; & in expositione *epist. ad Galatas cap.* 6. comitatem & benignitatem in reprehendendo commendavit; *tractatu* tandem 10. *in Joannem n.* 9. *col.* 372. *tom.* 3. ait: *Unumquemque Christianum zelus domus Dei comedat . . . . . Vides fratrem currere ad theatrum? Probibe, mone, contristare, si zelus domus Dei*

comedit

comedit te. Vides alias currere, & inebriari velle?.. Prohibe quas potes, terne quos potes, terre quas potes, quibus potes, blandire: noli tamen quiescere. Amicus est, admoneatur leniter; uxor est, severissime refrenetur; ancilla est, etiam verberibus compescatur. Quoad personas in dignitate constitutas S. Franciscus Xaverius *epistolarum lib. 4. epist.* 4. prudenter monet, ne privatas quidem admonitiones esse adhibendas, nisi aliquis usus & aliqua prævia familiaritas aditum ad eas muniesint; & cum adhibentur, ait eas semper frontis serenitate ac risu oris, & multo magis humanitate verborum, amorisque declaratione mitigari debere. At hæc moderatio locum habet apud eos, qui neque cum pertinacia, neque cum scandalo peccant; si enim pertinaces essent, licet occulti, & multo magis si publici peccatores essent, & ex asperitate verborum fructus sperari posset, absonum profecto esset, Dei Servum redarguere, qui ea in reprehendendo usus esset. Ideoque idem ipse Sanctus Franciscus Xaverius hoc modo se gessit, cum res postularet, teste Tursellino in ejus vita *lib. 4. cap. 2. Sentiebat, turbulentos, arrogantes, immodicosque sui æstimatores acriter de suis arguendos erroribus, & severitate, ac, si opus foret, animadversione coercendos, ut virga disciplinæ ingeniorum pervicaciam domet.* Huc respiciunt, quæ in sacris Litteris habentur: Christus enim Dominus Pharisæos publicis, continuis, & acerbis objurgationibus exagitavit; S. Joannes Baptista superbo Regi incestum publice exprobravit, Judæosque coercuit his verbis *Matth. cap. 3. v. 7. Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* S. Paulus dixit Galatis *ad Galat. cap. 3. v. 1. Insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* & Elymæ publico seductori *Actor. 13. v. 10. O plene omni dolo & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas;* & S. Stephanus fortiter in Judæos insurrexit *Actor. 7. vers. 51. Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Quocirca apte S. Gregorius *in 2. part. Pastor. cap. 10. col. 30. tom. 2.* scribit: *Nonnulla autem sunt vehementer increpanda, ut, cum culpa ab auctore non cognoscitur quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiatur. Et cum sibi quis malum, quod perpetravit, levigat, hoc contra se graviter ex corripientis asperitate pertimescat.* Quæ tamen omnia sibi locum vindicare dici debent, donec peccatores remanent in sua pertinacia. Quod si resipuerint, & suam culpam agnoverint, paterno tunc affectu sunt recipiendi. Decanus Bracarensis nescio quid commiserat, propter quod gravem indignationem sui Archiepiscopi Batholomæi de Martyribus offenderat. S. Carolus Borromæus nomine etiam summi Pontificis Pii IV. enixe Archiepiscopo Decanum commendavit in sua epistola eidem scripta *die 3. Aprilis anni* 1565. & impressa *tom. 1. oper.* prædicti Bartholomæi *edit. Rom. pag.* 108. En verba: *Facere non possum, quin Reverendissimæ Dominationi tuæ Decanum suum separatim commendem, quem ego, quantum ex ipsius sermone potui perspicere, cognovi ipsius percupidum. Non enim Reverendissimæ Dominationi tuæ resistere, sed in illius veterem gratiam per Sanctissimum Dominum reduci voluit, & quamvis apud eam suboffenderis, ut humanæ naturæ est imbecillitas quædam, interdum vitia mitius est corrigere, quam acrius emendare, vel ne peccantibus acerbitas supplicii reditum ad virtutem intercludat, vel ne propensiores ad iracundiam, quam ad levitatem esse videamur, vel ut sit apud nos non justitiæ solum, sed aliquis etiam misericordia locus. Nunc habet Reverendissima Dominatio tua, in quo ejus se humanitas, & virtus exerceat. Huic igitur si se placabilem præbuerit, & quem olim filii loco dilexerat, ad eam reversum paterna item charitate fuerit complexa, edet præclarum exemplum sapientiæ suæ; quemque a recta officii culpa deflexerat, gravissimis & monitis & præceptis in cursum harum laudum revocabit, quod erit Sanctissimo Domino gratum, ac mihi gratissimum.*

4. Consimilis est huic quæstioni alia quæstio, quæ aliquando excitatur, cum agitur de Dei Servis, qui Hæreticorum conversioni operam dederunt: si enim in spiritu lenitatis eos exceperint, de fortitudinis defectu; si increpando, de imprudentia redarguuntur. Monet Apostolus, hæreticum hominem esse corripiendum, & post unam & alteram correctionem devitandum; uti habetur *in epistola ad Titum cap. 3. v. 10. Hæreticum hominem post unam, & secundam correctionem devita*: quod S. Joannes Chrysostomus *homil. 6. in dictum c. 3. pag. 76. tom. 11.* intelligit de eis Hæreticis, de quibus nulla resipiscentiæ spes est: *Contentiones autem contra Hæreticos dicis esse vitandas, ut ne frustra laboremus cum nihil hinc lucri proveniat, Finis enim in nihilum vertitur. Cum enim quis ita perversus est, ut quidquid evenerit, sententiam non mutare decreverit, cur frustra laboras in petra semen jacens?* Idem Sanctus Joannes Chrysostomus *homil. 3. in cap. 1. Gen. pag. 18. oper. tom. 4.* diligentiam omnem pro conversione Hæreticorum esse adhibendam, statuit: *Ne omittamus proponere eis doctrinam Scripturarum, sed omne impendamus studium, ut ab errore liberati, ad veritatem reducantur. Nam licet adhuc præoccupati erroribus sint, ejusdem tamen cujus nos generis sunt, & par est ut magnam eorum curam habeamus, nunquam torpescentes, sed diligentia summa facientes ea, quæ in nobis sunt, utilem illis medicinam adhibeamus, ut saltem tandem aliquando ad veram sanitatem redeant:* Alanus Episcopus Antisiodorensis *in vita*, quam scripsit, *S. Bernardi cap. 26. col. 1284. vol. 2.* narrat, quomodo S. Bernardus Abaelardum, cujus scripta non erant Fidei consona, exceperit: *Solita bonitate desiderans, errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione convenit. Cum quo etiam tam modeste tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret universa.* Summus Pontifex Leo X. suæ mansuetudinis erga Martinum Lutherum meminit in bulla 44. §. *6. pag. 491. Bullar. nov. t. 3. par. 3.* in qua ipsum & ejus errores condemnavit: *Quod vero ad ipsum Martinum attinet, (bone Deus!) quid non fecimus, quid paternæ charitatis omisimus, ut eum ab hujusmodi erroribus revocaremus? Postquam enim ipsum citavimus, mitius cum eo procedere volentes, illum invitavimus* &c. Et Carolus Augustus Salesius *in vita S. Francisci Salesii sui patrui lib. 3. pag. 107. & pag. 124.* magna refert humanitatis signa, quibus ille Theodorum Bezam allocutus est: *& pag. 136.* hæc subjicit de eodem S. Francisco: *Non deerant quidem & hi Religiosi viri, qui eum minus reputarent ad Hæreticorum conversionem idoneum, eo quod non satis acriter, inquiebant, in eos inveheret, sed velut aliquid ab iis metueret, lento procederet gressu. Verum his de judiciis ipse certior per amicos suos factus, ajebat se experientia jamdudum comprobasse, ex lenitate majorem semper emergere utilitatem, & viam hanc meliorem facilioremque esse. Hæreticos, ut sunt superbissimi, non facile verbis atrocibus cogi.* Nonnulli pro lenitate, nonnulli pro severitate in redarguendis Hæreticis S. Augustini textus collecti legi possunt apud Cardinalem Baronium *in annal. ad an.* 420. ubi observat S. Doctoris modum agendi in spiritu lenitatis, mansuetudine, & animi demissione cum Hæretico recens prodeunte, & adhuc non obdurato, severitate interim non omissa cum inveteratis, obstinatis, & penitus refractariis Hæreticis. Et juxta has regulas videtur judicium esse ferendum de lenitate, aut severitate, qua Dei Servi usi sunt in corrigendis Hæreticis; hoc addito, ut videatur, an eos Tribunalibus Ecclesiasticis denuntiaverint, si res sit de Hæreticis, qui versantur in Regionibus, in quibus Hæreses impune non grassantur, & in quibus potissimum Sanctissimæ Inquisitionis edicta suum obtinent robur, juxta quæ Hæretici sunt denuntiandi. Hæresis enim gravissimum malum est, & contagione gliscens veluti cancer: idcirco medelam specialissimam exposcit, quæ ut plurimum a solo Judice Ecclesiastico haberi potest, ad quem confugiendum est, etiamsi fraterna correctio non præcesserit, ut in criminibus occultis, quæ vergunt in damnum gravissimum Communitatis. Ita docet D. Thomas *2. 2. quæst. 33. artic. 7. & quodlibet. 11. quæst. 10. art. 12.*

5. Sancti Patres, qui scripserunt adversus Hæreticos, aliquando id præstiterunt severo & acri modo, aliquando in quodam spiritu lenitatis errores ipsorum detegendo & reprobando, non dissimulatis iis rebus, quas in ipsorum operibus approbatione dignas invenerunt. S. Epiphanius *in epist. ad Acacium, & Paulum num. 1. oper. tom. 1.* quam Sanctus adhibet *pro præfat. ad Panarium*, rationes affert, ob quas acriter adversus Hæreticos scripsit: *Ad hæc vehementer a vobis postulo, ut si quid forte reperiatis (quanquam non illud adeo moris est nobis vellicare quempiam, aut in eum dicta jacere) verum si pro ardentissimo nostro adversus hæreses studio, & ut lectores ab iis deterreamus, concitatius aliquid diximus: ut puta si impostores, circulatores, aut miseros appellemus, id velitis ignoscere. Nam & ipsa certaminis, ac disputationis necessitas ejusmodi laborem nobis imposuit, quo ab illis lectores avocarentur; utique illorum functiones, mysteria, ac dogmata ab instituto nostro aliena esse, atque interdicta constaret.* Et in fine Panarii *in compend. Fid. expos. num. 19. pag. 1102. Necesse habuimus istiusmodi illas appellare verbis, ut ab ea suspicione quorumdam revocaremus animos, quod in illorum dictis factisque divulgandis, apertam nullam animi nostri significationem dedissemus, nos ab impia cujusque hæresis* opi-

opinione non abhorrere. S. Basilius *oper. tom. 2. pag. 189. & seqq. hom. 24.* scribens contra Sabellianos, & Arium, & Anomæos, *pag. 195. num. 7.* adversus eos exclamat his verbis: *Sed ne sinamus, stultitiam eorum, qui se omnia mente sua comprehendisse putant, confutatione carere. Nobis igitur respondeant &c.* & in fine homiliæ: *Adeo insipiens es, ut ne ab ipsa quidem voce ad dignas spiritu notiones deducare.* S. Bernardus epist. 90. *ad Innocentium II.* scribens de Petro Abaelardo, ait, eum ab ineunte ætate in arte dialectica lusisse, & subinde insanire cœpisse in explicatione sanctarum Scripturarum. Alia similia prostant eorumdem Patrum exempla. Contra vero S. Hieronymus de Origene, & Tertulliano mitius loquitur. Etenim *in apolog. 3. contra Rufinum (num. 27. col. 556. tom. 2.)* ait: *In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresim; in Origene miramur scientiam Scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falsitatem:* & *in epist. ad Tranquillinum* nedum Origenis & Tertulliani, sed etiam Novati, Arnobii, & Apollinaris consimili modo meminit (*n. 2. col. 350. tom. 1.*): *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium &c. ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria &c. Nec enim propter doctrinam ejus prava suscipienda sunt dogmata; nec propter dogmatum pravitatem, si quos commentarios in Scripturas sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt:* & *in epist. 84. n. 2. col. 519.* pronuntiat se in variis libris jam editis sæpius impugnasse Origenem: *Legant in Ecclesiasten commentarios, replicent in epistolam ad Ephesios tria volumina, & intelligent, me semper ejus dogmatibus contraisse;* & num. 3. *in lectione Isaiæ, in qua duo Seraphim clamantia describuntur, illo interpretante Filium, & Spiritum Sanctum, nonne ego detestandam expositionem in duo Testamenta mutavi? Habetur liber in manibus ante viginti annos editus;* & num. 7. *Apollinarius contra Porphyrium egregia scripsit volumina, probo laborem viri, licet fatuum in plerisque dogma contemnam. Confitemini & vos, in quibusdam errare Origenem, & vim ultra non faciam &c. Cum hæc rejeceritis, & quasi censoria virgula separaveritis a Fide Ecclesiæ, tuto legam cetera, nec venena jam timebo, cum antidotum præbibero.* Extat apud Baronium *ad an. 878. n. 62.* epistola Nicolai Papæ ad Carolum Regem Franciæ, in qua mandat, ad se deferri quoddam opus Joannis Scoti, quem nonnulli Gallorum, & præsertim Florus quorumdam eorum reum accusaverat; cujus epistolæ hæc sunt verba: *Cum idem Joannes licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere a quibusdam frequenti rumore dicatur.* Porro hæc a Nobis dicta sunt, non animo asserendi, fas nunc esse Hæreticos laudare, etiamsi quid boni in eorum operibus reperiatur, obstat enim oraculum Clementis VIII. in instructione addita ad regulas Indicis *tit. de correctione librorum* §. 2. ubi sic legitur: *Epitheta honorifica, & omnia in laudem Hæreticorum dicta deleantur:* quocirca Basilius Pontius *lib. 7. de matrimonio cap. 1. num. 6.* nonnullos reprobat Catholicos Erasmi argutias laudibus prosequentes: *Pudet me, dum Catholicos ita Erasmi amore affectos video: nos enim illius argutas ineptias admirantes, reddidimus illustrem dignum qui lateret, & Cimmeriis oblivionis tenebris cum omni sua prole sepeliretur.* Dicta sunt igitur dumtaxat, ut confirmetur, quod in præcedenti paragrapho constituimus, a rerum circumstantiis potissimum pendere, utrum Hæretici reprehendendi sint severitate, an lenitate: cum ab eadem causa manasse dicendum sit, ut Patres nunc uno, nunc altero modo, reprobato tamen semper errore, scripserint adversus illos.

6. Aliquando etiam accidit, ut a malevolis & peccatoribus calumniæ Dei Servis, dum viverent, oppositæ sint. Itaque, si calumnias repellere, & famam suam tueri curarunt, exempla apponuntur Sanctorum, qui calumniis impetiti tacuerunt, & calumniantibus non esse respondendum, docuerunt; si vero curam sui nominis & bonæ famæ negligentes, tacuerunt, traducuntur uti proditores propriæ famæ, pro qua pugnare debebant. Eccles. *cap. 41. v. 15.* legitur: *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni;* & in can. *Nolo, 12. quæst. 1. Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est.* Quam ad rem subjicitur in can. *Non sunt 56. 11. quæst. 3. Non sunt audiendi, sive viri sancti, sive feminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit ut in malam veniant suspitionem, unde suam vitam longe abesse sciunt, dicunt, sibi coram Deo sufficere conscientiam &c. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit, quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est; nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* Contra S. Ambrosius *serm. 17. in Ps. 118. (col. 1190. oper. tom. 1.)* ad illud, *Libera me a calumnia hominum*, post calumniæ gravitatem amplificatam, ait, Christum Dominum tacendo gloriose de calumnia triumphasse; & de eo Christi silentio *lib. 10. in Lucam n. 97. col. 1525. tom. cit.* sic prosequitur: *Sequitur admirabilis locus, quo subeundæ æquanimiter injuriæ, moralis infunditur patientia pectoribus humanis. Accusatur Dominus, & tacet; & bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem, timendo confirmat, sed despicit, non refellendo &c. Sed quid de Deo loquar? Susanna tacuit, & vicit; melior enim causa, quæ non defenditur, & probatur.* Hujus autem quæstionis resolutio, collatis utrinque Patrum auctoritatibus, habetur apud Theophilum Raynaudum *tom. 11. in hoplotheca contra ictum calumniæ sect. 3. cap. 1. in fine pag. 688.* Ibi enim late ostendit, fas esse unicuique calumniam sibi irrogatam depellere, nec ea in re ullum esse peccatum, eximiam autem perfectionem, & majorem cum Christo Domino, & insignioribus Sanctis congruentiam esse in eo, qui a repulsu abstinet, & calumniis gravatus silet: quod tamen sic explicat, ut sibi vindicet locum in eorum eventu, in quo quis ratione muneris, aut alieni boni, calumniam repellere non teneatur; si enim tunc taceret, & calumniam repellere non curaret, officio deesset: quod ipsum late prosequitur Rosignolius *de action. virtut. lib. 2. cap. 14. §. Quod multo magis*. S. Thomas *quodlibet. 5. art. 26.* quærit, utrum Religiosi debeant tolerare suos oppugnatores; & respondet, decere, perfectos viros æquo animo ferre suas injurias, sed pati non debere, ut ipsorum status impugnetur, cum impugnatio hæc vergat in Dei injuriam.

7. Inter gesta Servorum Dei aliquando legitur, eos pro delinquentibus, & ad exilium vel ad mortem damnatis preces suas libenter exhibuisse, ut ab impactis pœnis liberarentur; & statim dubium excitatur, an a via perfectionis declinaverint, quandoquidem dicuntur voluisse impedire cursum justitiæ. Celebris est super hoc argumento *epistola* S. Augustini 153. *alias 54. ad Macedonium c. 1. num. 3. col. 525. oper. tom. 2.* Quærenti enim, quomodo ad officium Sacerdotale pertineret intervenire pro reis, & quomodo culpæ socius non sit habendus, qui eum velit impunitum, quem scit esse obnoxium culpæ, sic respondet: *Nullo modo ergo culpas, quas corrigi volumus, approbamus, nec, quod perperam committitur, ideo volumus impunitum esse, quia placet; sed hominem miserantes, facinus autem seu flagitium detestantes, quanto magis nobis displicet vitium, tanto minus volumus, inemendatum interire vitiosum &c. Non est igitur iniquitatis, sed potius humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator. Morum porro corrigendorum nullus alius, quam in hac vita, locus est; nam post hanc quisque id habebit, quod in hac sibimet conquisierit. Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut, ea finita, non possint finire supplicium.* Eodem pertinent ea, quæ habentur in ejus *vita* a Possidio scripta *cap. 20.* & notis illustrata a Joanne Salinas Canonico Regulari Lateranensi, ut ex ejus *cap. 20.* desumitur. Exempla quoque SS. Ambrosii, Flaviani, Gregorii Nazianzeni, Martini, Hieronymi, qui supplicibus precibus pro reis sub Præsidum gladio periclitantibus apud Imperatores egerunt, memorantur a Cardinali Baronio *in annal. ad an. 398. n. 92. & seq.* S. Bernardus famosum latronem ab imminenti morte liberavit, ipsum in suum monasterium recipiendo, & Comiti Theobaldo acriter de hac re conquerenti respondit: *Tu illum decreveras brevi supplicio, & momentaneo interitu consummari: sed ego eum faciam diuturno cruciatu, & morte longissima mori. Tu furcis appensum per unum, aut per plurimos dies mortuum in patibulo manere permitteres: ego crucifixum per annos plurimos faciam in pœnis jugiter vivere & pendere.* Ipsum quippe induit habitu monastico, & spatio multorum annorum detinuit, & gravibus afflixit pœnitentiis in monasterio Claravallensi, uti legitur *lib. 7. vitæ S. Bernardi cap. 15. inter opera ejusdem Sancti vol. 2. col. 1219.*

8. De Dei Servis, qui alicui Instituto Regulari nomen dederunt, dubitari solet, an aliquo defectu notari possint, si ab una Religione ad aliam transitum fecerunt, si aliquando promptam Superiorum mandatis obedientiam non præstiterunt, demum si Institutum, quod professi sunt, adeo laudibus extulerunt, ut ceteris dixerint præferendum. In eo autem, quod attinet ad transitum ab una

Reli-

Religione ad aliam, S. Bernardus *in apolog. ad Guillelmum Ab.* eum improbat, etiamsi a laxiori transitus fiat ad strictiorem & perfectiorem; & *lib. de precep. & dispensat. col.* 524. *vol.* 1. hoc ipsum confirmat: *Forte vult aliquis de Cluniacensibus Institutis ad Cisterciensium sese stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis regulæ puritatem. Si me consulit, non consulo*: & has affert rationes; *Primo propter scandalum ipsorum, quos deserit: deinde quia, certa pro dubiis relinquere, tutum non est; forsitan enim hæc tenere potest, illud non poterit: tertio suspectam habeo levitatem, qua id sæpe quod facile volumus, antequam probemus, experti jam nolumus, uno prope momento id ipsum & cupientes, & respuentes tam leviter, quam & irrationabiliter, quales utique non paucos frequenter experimur, semper, quod non habent, cupientes, & quod habent fastidientes.* Si magna utilitas, aut necessitas cogat, transitus ab una ad aliam Religionem laudabilis esse poterit, teste D. Thoma 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. at transitus ille a S. Bernardo reprobatur, qui ab animi levitate procedit. S. Nicolaus de Tolentino fuerat Canonicus Regularis, antequam Ordini Eremitarum S. Augustini nomen daret, uti referunt S. Antoninus *in chronicis* 3. *part. tit.* 24. *cap.* 10. *in princip.* Pennott. *in histor. tripart. lib.* 2. *cap.* 73. *num.* 4. S. Hugo Lincolniensis Episcopus Institutum Canonicorum Regularium deseruit, & Carthusianam subivit asperitatem. Obvia sunt aliorum Sanctorum consimilia exempla, quæ plene congerit Thomas de Herrer *in respons. pacific. ad apolog. de prætenso Monachatu Augustiniano S. Francisci respons.* 3. *a num.* 63. *ad* 70. & *num.* 83. *pag.* 44. & *seqq.* & *pag.* 51. S. Thomas de Aquino, ut nuper a nonnullis dictum est, antequam Religionem Fratrum Prædicatorum ingressus esset, Monachus fuerat sub Regula S. Benedicti in monasterio Cassinensi; sed id fundamento caret, cum Cassinum quinquennis ductus fuerit educandus in aliorum nobilium puerorum consortio, juxta morem jam receptum pueros educandi in Scholis Monachorum, quemadmodum scite animadvertit Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus *in cod. Canoniz.* in notis ad Bullam Canonizationis S. Thomæ Aquinatis. S. Joannes Gualbertus, ut narrat Cardinalis Baronius *ad annum* 1051. *n.* 1. Monasticum Institutum antecedenter susceptum dereliquit, ut esset auctor & Institutor novi Ordinis Monachorum Vallisumbrosæ. Similiter Sancti Dominicus, & Franciscus de Paola, alter ab Ordine Canonicorum Regularium, alter ab Ordine Minorum, in quos se receperant, exierunt, ut novo Ordini initium darent. Et Petrus Sutor *de vita Carthusiana lib.* 1. *cap.* 6. strenue vindicat eos Canonicos Regulares, qui a suo Instituto recedentes fuerunt comites Sancti Brunonis in fundatione novi Ordinis Carthusiani: *Non transitus generaliter prohibetur, sed transeundi temeritas. Transit autem temere non tantum qui levitatis causa, seu primario subitoque impetu, sed etiam qui indignatione, vanitate, aut alia quavis passione superatus alio se transfert. At vero, si quis discreto fervore, majorisque sanctitatis zelo vere concitatus suam velit carnem diutius affligere, vivere devotius, contemplationi magis incumbere, Deo firmius adhærere, & denum majora Religionis exercitia sectari, potest ille arctius propositum arripere.* Nec ab una ad aliam Religionem transire dicendi sunt, qui ab una Familia ad aliam strictiorem ejusdem Ordinis transeunt; uti bene consideratum fuit in causa Venerabilis Servi Dei Fratris Michaelis a Sanctis, qui a Familia Calceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum transitum fecit ad Ordinem Discalceatorum ejusdem Religionis: cujus Servi Dei virtutes in gradu heroico anno 1742. a Nobis fuerunt approbatæ.

9. In eo, quod spectat ad promptam Superiorum mandatis obedientiam, multa sunt Patrum dicta de cæca obedientia Superiorum mandatis exhibenda: *In contractu enim obedientiæ* (verba sunt Petri Blesensis *epist.* 131. *pag.* 1043. *tom.* 24. *Bibl. PP.*) *non habet disputatio, aut disceptatio locum; nam, si in discussionem seu suspicionem ea quæ tibi sunt mandata, deduxeris, ad lignum scientiæ boni & mali manum prævaricationis extendis. Nimis delicata est hæc obedientia transiens in deliberativum genus causæ: non est hæc in auditu auris obedire, non est hæc Regularis obedientia sine mora, sed astutia tergiversatrix, & aperta superbia*; & apud Cassianum *lib.* 4. *cap.* 41. habetur: *Stultum te secundum Apostoli sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens, nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata; sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicat, quidquid tibi vel Lex Dei, vel Senioris examen indicaverit: tali enim institutione fundatus sub hac disciplina poteris durare perpetuo, & de cœnobio nullis tentationibus Inimici, nullis factionibus devolveris.* Exempla suppetunt, quæ suadere videntur etiam in rebus aperte illicitis esse superioribus obediendum. Simeon Metaphrastes apud Surium *ad diem* 11. *Septembris tom.* 5. narrat, Theodoram, quæ sub specie viri inter Monachos vitam agebat, a Prælato missam fuisse ad hauriendam aquam ex lacu cum evidenti vitæ periculo propter Crocodilum in eo lacu degentem, & omnes eo accedentes dilaniantem: apud eumdem Surium *ad diem* 1. *Augusti tom.* 4. legitur, Elstanum Monachum jussum ab Abbate manum injecisse in bullientem aquam, ut ex imo cacabi nescio quid extraheret: & *in vita S. Benedicti* scripta a S. Gregorio *cap.* 7. refertur, lapso Placido Monacho in lacum, S. Maurum jussu S. Benedicti ad ei præstandum auxilium super aquas cucurrisse, & Placidum liberasse: exortaque subinde contentione inter Benedictum, & Maurum, asserente videlicet illo id esse obedientiæ adscribendum, hoc autem affirmante id esse meritis S. Benedicti attribuendum, in hac humilitatis amica contentione Placidum liberatum dixisse, cum ex aqua traheretur, super caput suum se vidisse Abbatis Melotem (Monasticam videlicet Cucullam, uti interpretatur Helstenus *in disquisitionibus*; aut Pallium, uti interpretatur Mabillonius) &, Abbatem se ex aquis reducere, existimasse. Ceterum Superiori aliquid mandanti contra Legem Divinam non est obediendum, quemadmodum sancitur *in can. Si is qui præest*, 11. *quæst.* 3. *Si is qui præest fecerit, aut cuiquam, quod a Domino prohibitum est, facere jusserit* . . . *Sancti Pauli Apostoli sententia ei ingerenda est dicentis: Etiamsi nos, aut Angelus de cælo evangelizaverit vobis, præterquamquod vobis evangelizavimus, anathema sit*: nec Abbati Monachus obedientiam præstare debet, si aliquid contra Regulam præcipiat, juxta celebrem epistolam S. Bernardi *ad Adam Monachum*; cæca autem obedientia excludit prudentiam carnis, non prudentiam spiritus, quemadmodum late prosequitur Suarez *de relig. t.* 4. *lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 27. Juxta D. Thomam 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. *ad tertium*, obedientia trifariam distinguitur, ut una sit sufficiens ad salutem, qua quis scilicet obedit in iis, ad quæ obligatur, alia perfecta, qua obedit in omnibus licitis; alia indiscreta, qua obedit etiam in illicitis; & juxta eumdem S. Doctorem *quodlibet.* 10. *art.* 10. Superiori obediendum est in his, quæ sunt juxta regulam Religionis, & in iis, quæ ad regulam reducuntur; at quoad alia, quæ ad regulam nullatenus reducuntur, obedire non est de necessitate obedientiæ, sed de perfectione. Nemo est proinde qui non videat, non esse statim judicandum, Dei Servum, qui Superioris præcepto non obtemperavit, in virtute obedientiæ, aut in obedientiæ perfectione defecisse; sed præceptum Superioris ponderandum esse atque discutiendum, antequam aut favorabile, aut contrarium de actione Servi Dei judicium proferatur.

10. Optime Pater Rodericus *in exercit. perfect. & virtut. religiosar. par.* 2. *tr.* 5. *c.* 6. ubi agit de obedientia, quam Regulares suis debent exhibere Superioribus, ait: *Non si chiama cieca, perchè abbiamo da obbedire in qualsisia cosa, che ci venga comandata, sia, o non sia peccato, che questo sarebbe errore, e lo dichiara il nostro Padre* (loquitur de S. Ignatio) *nelle Costituzioni: ma si chiama cieca, perchè in tutte le cose, nelle quali non si vede peccato, abbiamo da obbedire semplicemente e sebitamente senza investigare, nè cercare cagioni di quello che ci è comandato, presupponendo, che quello, che ci si comanda, è santo e conforme alla Divina volontà, e contentandoci di questa sola ragione, che è obbedienza, e che ce lo comanda il Superiore.* Et cap. 7. *S. Gregorio e S. Bernardo dicono molto bene, Non ti ha da comandare mai cosa cattiva; ed in cosa, che sia peccato, è chiaro che il Suddito non ha da obbedire: ma il lasciare di fare qualche cosa buona, perchè l' obbedienza te lo proibisce, si deve fare ec. I Superiori vietano alle volte certe cose, le quali di natura loro sono buone, o perchè non convengono al Suddito per allora, o per provare la sua virtù ed obbedienza.* Nec vero urgent exempla supra recensita: proposita enim sunt, ut per ea intelligamus, quantum Deo placeat obedientiæ virtus & simplicitas; & ut nobis imitanda non quoad singulas circumstantias, sed solum quoad perfectionem & simplicitatem juxta communes & ordinarias leges obedientiæ. Constat enim, aliquando Spiritum Sanctum movere homines justos, ut supra communem & ordinarium cursum virtutum mirabilius operentur; qui modus operandi in exemplum etiam nobis proponitur, non

ut il-

ut illum eumdem modum operandi imitemur, sed ut illius admiratione moti saltem perfectionem virtutis assequi contendamus; quemadmodum late explicat Suarez *loc. cit. num.* 33.

51. Demum aliquando Dei Servorum simplicitati ignoscendum est, si laudibus suam Religionem extulerunt supra alias Religiones; aut eorum verba benignam aliquam interpretationem recipere debent; aut adscribi possunt flagrantissimæ charitati, qua Ordinem suum prosequebantur. De sua Religione Fratrum Minorum sic locutus est S. Bonaventura *in opusc. de mystica Theologia cap.* 1. *partic.* 2. (*pag.* 702. *oper. tom.* 7.): *Tertio illud, ad quod vocatus, recolas; quia eum non ad Regulam Beati Augustini, vel Benedicti, Redemptoris gratia revocavit, sed ad illam sacratissimam, quam ipsemet elegit, quando ductus est in deserto, ubi quadraginta diebus & noctibus continuis jejunavit, & in maxima paupertate per mundum prædicavit, & saluti animarum ardentissime intendit, & Præcursor suus proprie instituit, & ipsam in se ipso servans, & nobis servandam monstravit. In tantum aliis regiminibus hæc Regula est sublimior, in quantum doctrinam humanam Divinum eloquium præcellit*. De unoquoque sancto Confessore canit Ecclesia: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi*. Et ad rem bene subjicit Cardinalis Pallavicinus *in vindic. Societ. Jesu, cap.* 48. *Superbum erit, tuam aliquam interiorem, tibique cum paucis communem dotem conditionemve suscipere, veluti cognationem ac sanguinem. Laus enim illa in paucos divisa magnam partem pertingit ad te. At, si Ordinem tuum aliquot hominum millia complexum magni æstimaveris, quota pars tua erit?*

52. Gravior profecto est difficultas, quæ aliquando adversus votum paupertatis proponitur, & a me proposita sæpe fuit in Causis Servorum Dei Regularium, ob non observatam vitam communem, & possessionem peculii aut ipsi a consanguineis assignati, aut suis laboribus quæsiti adversus Constitutiones sacrorum Canonum, & sacri potissimum Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regular. & Monial. cap.* 2. Editum fuit Romæ anno 1695. opusculum, cui titulus *Trattato della vita comune*, quod a celebrioribus Theologis fuit approbatum. In ejus *cap.* 20. circumstantiæ & conditiones enarrantur, in quibus usus peculii, non obstante Concilio Tridentino, potest esse Religiosis permissus. Prima est, ne illud habeant titulo dominii, sed simplicis usus. Secunda, ut accedat tacita, aut expressa Superiorum licentia. Tertia, ut sit moderatum, & non superfluum. Quarta, ut sit immixtum ceteris Bonis monasterii. Quinta, ut peculii concessio sit revocabilis ad Superioris mandatum. Sexta, ut Regularis eo non utatur, nisi pro rebus licitis & necessariis. Septima, ut peculium non habeat penes se, sed sit in manibus publici Officialis a Superioribus deputati. Octava, ut si Religiosus aliquid petat a dicto Officiali, rem exprimat, quam sibi dicit necessariam. Nona, ut hic vivendi modus sine scandalo non possit immutari. Decima, ut concessio tacita, aut expressa facta sit ob justam & rationabilem causam. Paucioribus verbis res absolvi posset, asserendo, licitum esse posse usum peculii, si ab Ordinis Constitutionibus a summo Pontifice approbatis permissus sit, si Regularis eo utatur in causas licitas, aut necessarias a Superiore approbatas; si ejus usum ita habeat, ut paratus sit illud resignare apud Superiorem, statim ac ei id fuerit præceptum. B. Petrus Damiani, qui S. Leonem IX. summum Pontificem insimulavit ob bellum gestum adversus Normannos, his verbis usus est (*lib.* 4. *epist.* 9. *circa fin.*): *Ad hæc si quis objiciat, bellicis usibus Leonem se frequenter implicuisse Pontificem, veruntamen sanctum esse? Dico, quod sentio, quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet principatum, quia negavit; nec David idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia torum alieni viri invasit; cum mala, vel bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debeant qualitatibus judicari*. In re, de qua nunc agitur, si meus sensus exquireretur, non in omnibus, sed in aliquibus uterer memorata sententia B. Petri Damiani: dicerem enim, sanctitatis argumentum in Dei Servo Regulari non esse desumendum a peculio, & ejus usu; non quia ejus usum censeam improbandum, quoties debitæ adsunt circumstantiæ, sed quia sanctitatis argumenta ab actibus heroicis sunt desumenda. Uno verbo, censuit Damiani, Leonem non fuisse sanctum, quod bellum gesserit; & ipse censerem, Dei Servum Regularem non esse Sanctis adscribendum ratione peculii. Censuit idem Damiani, licet fortasse minus recte, Leonem bellando peccasse, & hoc minime obstante, esse sanctum propter alia egregia quæ præstitit opera; censerem & ipse, Dei Servum Regularem virtutibus heroicis præditum posse canonizari, etiamsi peculio usus sit, non quia peccatum usus peculii ceterarum fulgore virtutum obrutum fuerit, sed quia excellentia & major perfectio, quæ ex peculio desumi non potest, a serie aliarum actionum derivatur.

53. Transitum facientes ad regulas, quarum ope tutum ferri potest judicium de gestis Servorum Dei, præmittimus doctrinam Theologorum, qui docent primo, actus humanos bonitatem ab objecto, a circumstantiis, & a fine operantis desumere: secundo, actum ex objecto bonum, sed ex fine, aut ex circumstantiis malum, totum esse malum: tertio, missa quæstione, an dari possit actus humanus indifferens in individuo, communiorem tamen esse sententiam, dari actus humanos ex objecto & specie sua indifferentes, hoc est nec definite bonos, nec definite malos, quique consequenter bonitatem habent, aut malitiam ex bono, aut ex malo fine; quarto, bonam intentionem, boni videlicet finis, ex prava medii electione vitiari; si quis enim ex intentione efficaci dandi eleemosynam statueret furari, ut eleemosynam daret, intentio illa ex electione talis medii, nempe furti, fieret mala, & vitiaretur: quinto, boni finis intentionem non auferre a prava electione malitiam; ex quo fit, ut ea, quæ sunt intrinsecus & per se mala, ex nullo bono fine cohonestari possint, teste Sancto Augustino *in libro contra mendacium cap.* 7. *num.* 18. *col.* 456. *tom.* 6. ubi ait: *Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat; sed ea quæ constat esse peccata, nulla bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt &c. Cum vero jam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphemiæ, vel cetera talia, quis est qui dicat, causis bonis esse facienda, ut vel peccata non sint, vel quod est absurdius, justa peccata sint? Quis est qui dicat, ut habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus, aut testimonia falsa vendamus, maxime, si non inde innocentes læduntur, sed nocentes potius damnaturis Judicibus eruuntur?* Quod ipsum late prosequitur D. Thomas 2. 2. *qu.* 110. *ar.* 3. Ultimo docent Theologi, intentionem boni finis minuere malitiam pravæ electionis, ut idem docet S. Augustinus *l. c. cap.* 8. his verbis: *Dicet aliquis, ergo æquandus est fur quilibet ei furi, qui misericordia voluntate furatur? Quis hoc dixerit? Sed horum duorum non ideo est quisquam bonus, quia pejor est unus. Pejor est enim, qui concupiscendo, quam qui miserando furatur. Sed, si furtum omne peccatum est, ab omni furto est abstinendum*. Concordat D. Thomas 2. 2. *quæst. supra cit. art.* 2. ubi de mendacio ait: *Quanto bonum intentum est melius, tanto magis minuitur culpa mendacii*.

14. Hæ sunt regulæ a Theologis præscriptæ de bonitate & malitia actuum humanorum, eædemque per consequens regulæ erunt adhibendæ, cum de gestis Servorum Dei quæstio instituitur in sacrorum rituum Congregatione: objectum quippe gestorum, circumstantiæ, finis, & cetera supra exposita sedulo ponderanda sunt, cum dubium oritur de bonitate, aut malitia. Præclare id explicat Sanctus Joannes Chrysostomus *homil.* 56. *in epist. ad Romanos num.* 5. *pag.* 604. *tom.* 9. *Quemadmodum ergo dum vides illum* (scilicet S. Paulum) *circumcidentem, & sacrificantem, non ideo ipsum damnas ut judaizantem; sed ideo illum magis coronas ut alienum a judaismo; sic & cum vides illum optantem anathema esse, ne ideo turberis; sed ideo maxime illum celebrato cum causam optandi didiceris. Nisi enim causas examinemus, Heliam homicidam dicemus, Abrahamum autem non homicidam modo sed etiam filii interfectorem. Itemque Phinees & Petrum cædis rursum accusabimus, nec de ipsis solum Sanctis, sed de Deo etiam, qui hanc non servat regulam, absurda multa suspicabimur. Ne igitur hoc accidat in similibus omnibus, & causam, & mentem, & tempus, & omnia ad rem defendendum apta colligentes, si res examinemus*. Maximus Imperator S. Martinum sæpius evocavit, receptumque in palatium valde honoravit. Regina ab ejus pedibus avelli non poterat, a quo post multas reluctationes, consentiente etiam & rogante ejusdem viro, obtinuit, ut, remotis omnibus ministris, sola præberet convivium. *In secundo dialogo* Severi Sulpicii *de virtutibus B. Martini cap.* 7. Posthumianus sic interrogat Gallum: *Illud ubi est, quod nulla umquam femina ferebatur propius adstitisse Martino? Ecce ista Regina non solum adstitit, sed etiam ministravit. Et vereor, ne isto aliquantulum se tueantur exemplo, qui libenter feminis inferuntur*. Ad hæc Gallus respondet, locum, tempus, & personam consideranda esse; item, Martinum Imperatoris & Reginæ precibus invitum obsecundasse, & debuisse id facere, ut clausos carcere liberaret, & exilii damnatos restitueret, post quæ ita subjicit:

Vacant enim, quia Martino semel tantum in vita jam septuagenaria, non Vidua libera, non Virgo lasciviens, sed sub viro vivens, ipso viro pariter supplicante, Regina servivit & ministravit. Hac edenti adstitit, non cum epulante discubuit, nec ausa est participare convivium, sed deserebat obsequio. Disce igitur disciplinam: serviat tibi matrona, non imperet; & serviat, non recumbat; sicut Martha illa ministravit Domino, nec tamen est adscita convivio, immo prælata est ministranti, quæ verbum potius audiebat. Sed in Martino ista Regina utrumque complevit, & ministravit ut Martha, & audivit ut Maria. Quod si quis hoc uti voluerit exemplo, per omnia teneat exemplum; talis causa sit, talisque persona, tale obsequium, tale convivium, & in omni vita semel tantum.

15. Pro eorum, quæ hactenus diximus, confirmatione resumi possunt, quæ superius scripta sunt de relatione & manifestatione suorum bonorum operum, & Divinorum charismatum sibi a Deo collatorum, quæ a Dei Servis facta aliquando est. Rursus resumi possunt, quæ dicta sunt de suavi, aut acri peccatorum, aut hæreticorum reprehensione a Dei Servis facta; & de qua præter alibi relata legi potest Rodericus *in exercit. perfection. & virtut. religiosar. par. 3. tr. 8. c. 19.* Addi potest, nonnullos Sanctos sua corpora afflixisse, citra tamen ullam immunditiam, nonnullos alios immunditiem ipsam quæsivisse. De S. Ignatio scribit Maffejus *lib. 3. vitæ cap. 12. Munditias in victu cultuque dilexit; sed faciles, & nequaquam exquisitas; cujusmodi & viatorem, & Christi famulum decent.* S. Hieronymus *epist. 22. ad Eustochium (lib. 2. num. 27. col. 209. tom. 1.): Vestis nec satis munda, nec sordida;* & num. 29. *Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christiano.* Gaufridus Monachus *in vita S. Bernardi cap. 2. (num. 5. col. 1124. vol. 2.): In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes numquam. Nimirum, animi fore indices, ajebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut gloriolam foris affectantis humanam.* Cui exemplo adhæsit etiam S. Philippus Nerius, quemadmodum colligitur ex Petro Jacobo Baccio *in ejus vita lib. 2. cap. 14. n. 8. Amava la politezza, e gli dispiaceva sommamente la sordidezza, ed in particolare ne' vestimenti; onde spesso diceva quel detto di S. Bernardo: Paupertas mihi semper placuit, sordes vero numquam.* Contra de S. Job Tertullianus *de Patientia cap. 24. pag. 203.* scribit: *Dissecabatur malus, cum Job immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distingueret, cum erumpentes bestiolas inde in eosdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludenda revocaret.* Rem similem de S. Francisco Assisinate narrat Jacobus Pamelius Tertulliani Scholiastes *num. 75.* De S. Hilarione scriptum est, eum nec saccum, quo semel amictus est, umquam lavisse, nec mutasse, cum supervacaneum esse diceret, munditias in cilicio quærere. Odeardus denique *in vita S. Thomæ Cantuariensis cap. 25.* hæc habet: *Cilicium post mortem martyrio obitam scatere tot pediculis est deprehensum, ut martyrium illo tolerabilius videretur.* Omnia enim hæc, licet inter se diversa, bona, & meritoria esse possunt, si a bono fine processerint, & congruæ accesserint circumstantiæ, quemadmodum bene observat Cardinalis Bona *de discret. spirituum cap. 7. num. 5. Actiones item & verba non in se ipsis consideranda sunt, nec referenda ad Sanctorum exempla, sed ad principium sive motivum, propter quod sic operatur & loquitur. Nam Sanctus Martinus morti proximus dixit:* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. *At hæc eadem verba proferre noluerunt Sancti viri Philippus Nerius, & Franciscus Salesius, ille motus charitate, iste humilitate. Sanctus Franciscus stultum aliquando se finxit, ut sperneretur; aliquando vestem osculandam porrexit, ut honoraretur, non ipse quidem, sed Deus in ipso. Sanctus Hilarion munditiem in cilicio non requirebat, quam Sanctus Bernardus optavit & commendavit. Ut rectum igitur judicium feratur, disquirere oportet, quo spiritu quisque ducatur, quo principia initatur, quodnam verborum, & actionum proximum ac proprium motivum sit.* Sordes, si ad carnis mortificationem adhibeantur, laudandas censet Cardinalis de Laurea *in 3. lib. sent. tom. 2. disput. 31. artic. 10. num. 306.*

16. Cum his concordant cetera, quæ passim occurrunt in gestis Sanctorum. S. Ambrosius Optimates aliquando ad prandium invitavit. Comes enim Arbogastes jactavit, sæpius se mensæ ab eo adhibitum fuisse: *Nosse se virum, & diligi ab eo, atque frequenter cum illo convivari solitum.* Ita Paulinus *in vita Sancti Ambrosii num. 30. col. 8. append. ad tom. 2. operum ejusdem Sancti.* Contra, S. Martinus exemplo S. Ambrosii interpellatus a Vincentio Galliarum Præfecto, ut in monasterio prandio ab eo adhiberetur, recusavit id facere, teste Severo Sulpicio *dialog. 1. cap. 25. Memini, Vincentium Præfectum, virum egregium, & quo nullus sit intra Gallias omni virtutum genere præstantior, dum Turonos præteriret, a Martino sæpius poposcisse, ut ei convivium in suo monasterio daret; in quo quidem exemplum Beati Ambrosii Episcopi præferebat, qui eo tempore Consules, & Præfectos subinde pascere ferebatur: sed virum altioris ingenii, ne qua ex hoc vanitas, atque inflatio obreperet, noluisse.* Ab una Charitatis radice mores hi specie diversissimi effloruerunt; & quod Ambrosius bono fine ductus præstitit, Martinus a bono fine ductus agere noluit, concurrentibus potissimum diversis omnino circumstantiis; sicuti bene explicat Thomassinus *de vet. & nov. Eccl. discipl. par. 3. lib. 3. cap. 34. n. 8. Si vero non acquievit Martinus, cum ultro obvius prodiret Ambrosius Optimatibus secum pransuris, nihilo magis id stupendum est, quam quod Joannes nec manducans nec bibens, & Christus mensæ cum Publicanis accumbens, eodem tamen utrobique collimabant, ut omnibus omnia fierent, quo omnes Deo lucrarentur. Ambrosius civilem & humaniorem vivendi rationem, monasticam Martinus profitebatur. Mores in speciem diversissimi, ab una Charitatis cælesti radice efflorescunt.* Pæsius & Esaias fratres, facultates diviserunt sibi a patre divite mercatore relictas. Alter ex eis omnia dispergens dedit monasteriis & ecclesiis, & cum artem didicisset, ex qua sibi panem pararet, exercitationi operam dabat & orationi. Alter nihil dispersit; sed facto sibi monasterio, & paucis assumptis Fratribus, quemlibet excipiebat hospitem, quemlibet curabat ægrotum, cuivis pauperi dabat. Ambobus mortuis, propter diversum vitæ institutum inter Fratres incidit contentio, quænam ex prædictis fuisset melior ratio vitæ; eaque delata ad Pambonem, ut super ea responsum daret, respondit ille, utrosque esse perfectos apud Deum, cum alter functus esset munere Abrahæ, qui omnes excipiebat, alter suscepisset firmissimum zelum Eliæ Prophetæ, ut Deo placeret. Responsum Fratribus non satisfecit. Cumque Pambo, ut eos sedaret, expectare jussisset, ut de eis haberet revelationem, quam ipsis postmodum aperiret, post nonnullorum dierum lapsum tandem dixit, se utrumque simul vidisse in Paradiso, licet diversum vitæ genus, dum viverent, exercuissent, cum ab una radice utrumque vitæ genus manasset. Ita legitur in vita Pæsii & Esaiæ a Palladio scripta *in histor. Lausiaca.*

17. De S. Martino ad Episcopatum Turonicæ Ecclesiæ evocato & expetito refert Sulpicius Severus *in ejus vita cap. 9.* nonnullos Episcopos, aliosque, licet paucos, ejus ad Episcopatum assumptioni repugnasse, quod sordida veste indutus esset, & crine deformis: *Pauci tamen, & nonnulli ex Episcopis, qui ad constituendum Antistitem fuerant evocati, impie repugnabant dicentes scilicet contemptibilem esse personam, dignum esse Episcopatu hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem.* Non sine Divino prodigio tandem ejus electio suum habuit effectum; & de ipso post adeptum Episcopatum ita prosequitur Sulpicius *cap. 10. Jam vero, sumpto Episcopatu, qualem se quantumque præstiterit, non est nostræ facultatis evolvere. Idem enim constantissime perseverabat, qui prius fuerat. Eadem in corde humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat; atque ita plenus auctoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum Monachi virtutemque desereret.* De S. Malachia Archiepiscopo Armacano in Hibernia S. Bernardus *in ejus vita cap. 19. num. 44. col. 682. vol. 1.* hoc illustre profert testimonium: *Cum exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes & ipso ibat, Episcopus & Legatus;* & mox de Episcopis sui ævi subjicit: *Equos ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, & non suum. Malachias septus sanctorum Fratrum collegio pedes circuit portans panes Angelorum, quibus satiet animas esurientes ..... O virum Apostolicum!* Beatus Petrus Damiani *in vita S. Romualdi c. 27. oper. t. 2.* testatur, S. Bonifacium Martyrem, qui Othoni III. Imperatori sanguine conjunctus erat, iter Romanum nudis pedibus confecisse, Domesticis comitantibus, quibus semper præibat, Psalmisque decantandis vacabat, licet Romam peteret, ut Episcopus ordinaretur: *Toto illo itinere vir venerabilis cum omnibus quidem, qui eum sequebantur, pedester ibat; sed ipse jugiter psallens, & ceteros longe præcedens nudis semper pedibus incedebat.* Decere nonnulli existimant, ut qui publicam sustinet personam, exteriori quodam cultu niteat, qui a vanitate quidem remotus sit, sed tamen conferat ad vindicandam a contemptu dignitatem. De hac re plura collecta legi pos-

gi possunt apud Sperellum *in tract. de Episcopo part. 2. cap. 33. sub §. 3.* Fere omnes posterioris ævi Episcopi, qui sanctitatis fama illustres fuerunt, decenti, non sordida veste usi sunt, & aliqua, sed modesta supellectili. Et quamvis a sanctis prioris ævi Episcopis hac in re recesserint, non ob id aut hi, aut illi sunt improbandi, sed & hi & illi maxima commendatione digni sunt, cum omnes pro suarum actionum fine, & primario, uti dicunt, objecto felix habuerint regimen populi sibi commissi; & nonnulli quidem pene dixerim sordidam elegerint in vestibus & reliquo apparatu humilitatem, utpote populi ædificationi tunc magis accommodatam; alii vero modestum quemdam cultum extrinsecus assumpserint, tanquam, mutatis rerum circumstantiis, magis aptum ad vindicandam a contemptu dignitatem. Alii e thesauro suo proferentes nova & vetera, decentem in vestibus ornatum, modestamque supellectilem hominum oculis obtulerunt, & ab eorum conspectu remoti, interiori lacera veste usi sunt, & a quacumque, licet modesta, supellectili abhorruerunt. Ex Actis SS. Thomæ de Villanova, & Caroli Borromæi exempla facile desumi possent. Assumpto ad Archiepiscopatum Toletanum Ximenio, narrat Gomesius, eum asello, quo solebat, vehi voluisse, aut pedibus ivisse medium inter sui Ordinis Religiosos, nullis aulæis parietes ornasse, uno verbo, quemcumque exteriorem cultum abhorruisse, ita ut summus Pontifex Alexander VI. per suas litteras Apostolicas in forma Brevis eum sic admonendum esse censuerit: *Hortamur te, ut, postquam te sancta Sedes Apostolica de inferiori statu ad Archiepiscopalem dignitatem evexit, quemadmodum te interiori conscientia secundum Deum vivere intelligimus, de qua plurimam gaudemus, ita extrinsecus juxta condecentiam status tui, habitu scilicet, familia, & ceteris ad dignitatis decorem convenientibus te habere & conservare coneris.* Post hæc mutata est facies rerum, & quæstio adhuc resolvenda superest, an in hanc mutationem damnabilis excessus irrepserit. Fidei Promotores in examine causæ prædicti Servi Dei excessum opposuerunt, cum vestes assumpserit pretiosis pellibus, quas *Zebellinas* vocant, suffultas, ita ut Concionator e publico suggestu verba faciens ei exprobraverit, quod tunicam ferret tanti pretii, ut alendæ dimidiæ egenorum parti totius Toletanæ Ecclesiæ sufficeret. Responderunt Postulatores, hinc moderationis & humilitatis Ximenii argumenta esse desumenda, cum Concionatorem humanissime ad mensam invitaverit, inter epulas illius orationem laudaverit, & de animadversione in se facta gratias egerit; ostensoque cilicio, quod cuti appositum pro interiori tunica gestabat, satis apte patefecerit, se quidem hominum oculis Pontificium splendorem & ornatum ostendere, at intus Franciscanam paupertatem & humilitatem custodire. Tota rei series fuse narratur a Donin *histor. Cardinal. tom. 3. pag. 29. n. 78.* Additque Gomesius, eam pretiosam vestam Ximenio dono datam a Beltrano Metinensi Regio apud novum orbem Senatore, tribusque ducatorum aureorum millibus æstimatam, fuisse per aliquot dies ab eo retentam, ne videretur offerentem contemnere, sed paulo post ad eum remissam morbi prætextu, quo laborabat, quasi sibi parum commodus eo tempore ejusmodi cultus esset.

18. In superioribus dictum est, malitiam actus, & sic pravæ electionis a bono fine minui. Hæc eadem regula retinenda esse videtur in examine causarum Servorum Dei, si aliquis actus occurrat a canonicis regulis dissitus, modo tamen bono fine fuerit cohonestatus. Pontifices & Concilia aliquando probarunt, ab Episcopis & Abbatibus milites subministrari ad regni defensionem. Sancti præterea nonnulli Episcopi in castris permanserunt, ut Sacramenta administrarent. Nonnulli Episcopi hos limites prætergressi sunt, cum ipsi agmina duxerint, armis tamen non præcincti, nec acie pugnantes. Id factum fuisse a S. Uldarico Augustano Episcopo, refert Surius in ejus vita; nec alia similia desunt sanctorum Episcoporum exempla. De hisce factis loquitur Thomassinus *de vet. & nov. Eccles. discipl. par. 3. lib. 1. cap. 40. num. 14. Sed nec illud abhorret a vero, sanctissimos nonnumquam viros potuisse tantisper ab orbita recta deflectere, & canonicarum regularum observantia accurata, sive per incogitantiam, sive torrente abreptos consuetudinis, sive at, nescio quo charitatis blandimento, accommodarent se Principis voluntati, ex quo uberiores postea fructus sperarent ad Ecclesiæ dignitatem & salutem redituros.* Et si non ad hanc eamdem, saltem ad similem classem referri possunt nonnulli excessus, de quibus Guillelmus *in vita S. Bernardi (lib. 1. cap. 8. num. 41. col. 1094. oper. vol. 2.) Porro, si nimietas in eo reprehenditur sancti ferroris, habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam; quia quicumque spiritu Dei aguntur, multum verentur in Servo Dei reprehendere nimium istam nimietatem. Habet & facile apud homines excusationem, cum vix audeat quisquam eum condemnare, quem Deus justificat, tam multa, tam sublimia cum eo & per eum operando. Felix, cui solum reputatur ad culpam, quod ceteri præsumere sibi solent ad gloriam &c. In quo Servus Dei, etsi nimietate forsitan excessit, piis certe mentibus non de nimietate, sed de fervore exemplum reliquit.*

19. Quid autem dicendum erit, cum, pensatis omnibus pensandis, & animadversis omnibus animadvertendis, adhuc dubium supreest de bonitate, aut malitia actus? Eritne in judicio Canonizationis sumenda interpretatio, quæ faveat, an quæ adversetur bonitati actus? S. Bernardus *ser. 40. super Cantica num. 5. col. 1415. vol. 1.* ait: *Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices Proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum.* Porro auctoritas hæc S. Bernardi, si rei, de qua nunc agitur, accommodaretur, quodlibet de virtutibus Dei Servorum examen, quod assumitur Canonizationis gratia, infringeret atque subverteret. Ea prodesse potest Beatificandis & Canonizandis, si, dum viverent, eo modo se gesserunt in judicio ferendo de gestis aliorum. Non sic autem res se habere potest, cum agitur de gestis ab ipsis, & dum eorum examen assumitur. Si enim constiterit mala fuisse, de eorum malitia ferendum erit judicium, seduloque investigandum, an ceterarum virtutum fulgorem obtenebraverint. Additur, S. Bernardum loqui de iis, quæ perperam acta deprehenduntur; præsens autem quæstio est de iis, de quibus dubitatur, utrum bona, an mala fuerint: de quibus S. Thomas 2. 2. *quæst. 60. ar. 4.* scribit: *Ideo, ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Nonnullos aliquando audivi sacrorum rituum Congregationis Consultores asserentes, id sibi vindicare locum, cum in examen vocantur opera Servorum Dei jam canonizatorum, secus autem, quando res est de scrutinio gestorum a Dei Servis canonizandis. Hæc autem distinctio inter Canonizatos, & Canonizandos mihi nunquam probata fuit: actiones siquidem & opera Canonizatorum, non post, sed ante Canonizationem edita sunt, & eorum examen Canonizationi præcessit; ex quo fas est arguere, latum fuisse ante Canonizationem judicium de eorum bonitate, & sic dubium in meliorem partem fuisse explicatum. Quocirca, in praxi, si aliquod dubium occurrat, resolutio petenda videtur a reliquo cursu vitæ, & ab aliis a Dei Servo gestis. Utque res fiat clarior exemplo; ponamus, ab aliquo Dei Servo verba fuisse prolata, de quibus dubitari possit, an ad jactantiam debeant referri. In hoc rerum eventu (uti etiam supra dictum est) videndum erit, an ex reliquis actibus desumatur, eum habuisse virtutem humilitatis in gradu heroico. Quod si ex aliis actibus id constet, dubii interpretatio stabit pro actus bonitate. In quodam suffragio jam typis edito & prolato in causa cujusdam Dei Servi sic argumentatus est Pater Miroballus Clericus Regularis Theatinorum sacræ Congregationis Consultor: *Hujusmodi actiones ex se indifferentes sunt, solumque corrumpi ac infici possunt ex fine, quatenus non fiant factæ ad Dei gloriam, sed ad propriam. Hinc, cum duos fines potuerit Servus Dei habere in his actionibus, unum bonum, scilicet ut manifestentur opera Dei in ipso; & alterum malum, scilicet propriam excellentiam supra omne id quod dicitur Deus; considerandum erit, qualem intentionem, qualemque ex his finem habuerit. Certe, Servum Dei habuisse pravam intentionem pravumque finem, nec præsumitur, nec probatur. Immo præsumitur & probatur aperte, ipsum intendisse tamquam finem, majorem Dei gloriam. Nam, cum in reliquis actionibus per totum vitæ cursum hujusmodi finem habuerit, præsumitur etiam, illum eumdem finem in his actionibus habuisse.* Simili modo in eadem causa suum protulit suffragium Pater Ildefonsus Mier Benedictinus ejusdem sacræ Congregationis Consultor: *Laus propria secundum Theologos est actio indifferens, cujus malitia, seu honestas ex fine pensatur. Unde, cum Servus Dei, sit in possessione profundissimæ humilitatis concludenter in summario probatæ, rogarem oculatissimum Promotorem, quare eam casu, quo adsit, adscribat vanitati? Hæc, & similia in Servo Dei ad majorem Dei gloriam, & utile animarum debemus referre, aliter temerarie judicabimus.* Cohærenter ad hæc multum proderit animadvertere, utrum in Dei Servo, de quo dubitatur, an aliquo vitio fuerit irretitus, adfuerit ea, quæ vitium illud solent

comitari. Exempli gratia, filiæ inanis gloriæ sunt inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, & novitatum præsumptio, juxta D. Thomam 2. 2. *qu.* 132. *ar.* 5. Si enim hæc in Dei Servo defuerint, & opposita in eo inventa sint, valebit interpretatio, quæ excludat vitium inanis gloriæ. Facit ad rem id, quod legitur de S. Francisco de Assisio apud Pisanum *in lib. Conformitatum*, & apud Waddingum *in annal. Minor. ad an.* 1212. *num.* 7. ubi hæc habentur: *Turmatim omnes ad eum* (scilicet ad S. Franciscum) *confluebant, quidam vestimenta tangebant, alii etiam pedum vestigia venerabantur; & qui ipsum attrectare, vel manus aut pedes ejus osculari poterant, felicissimos se reputabant, omnemque sibi possibilem honorem exhibebant. Unde factum est, ut Socius admiraretur valde, sed inde validius, quod vir sanctus honorificantes non repellebat. Simplici proinde audacia admonere voluit, fugiendos hominum honores, dicens: Pater, non animadvertis, quæ circa te fiunt? Non attendis ad istos applausus humanos? Tantum abest, ut hos pro Christiana humilitate repellas, ut potius ex affectu humano videaris in eisdem complacere. Quænam hæc, Pater, complacentia tam aliena a Dei Servis? Cui vir sanctus majorem admirationem incussit hac sua responsione: Licet plurimus tibi videatur mihi honor impensus; attamen scias me reputare hos parum, aut nihil mihi exhibere illius honoris, quem deberent impendere. Ad hos sermones infirmi Socii pene moti sunt pedes &c. Cujus ut subveniret infirmitati, humilis Pater subjunxit: Vide, Frater, & intellige: omnem hanc reverentiam ad Deum remitto, nihil illius mihi tribuo, nec approprio; sed me ipsum conservo, & confirmo magis in fæce mea humilitatis & vilitatis. Veluti lapideæ statuæ, aut ligneæ effigies quibus debitus offertur cultus, nec tamen hinc extolluntur, aut tument, sed sub eadem permanentes materia, omnem honorem transmittunt ad suos prototypos, propter quos adorantur.* Nemo quippe est qui non videat, rationabile dubium de bonitate, vel malitia actus in hominum mentes irrepere potuisse, sed pro bonitate latum fuisse, & ferri debuisse judicium, considerato reliquo vitæ cursu S. Francisci, habitaque ratione tot illustrium exemplorum ab eo editorum heroicæ humilitatis, necnon exclusionis ceterorum vitiorum, quæ superbiam comitari solent.

20. Major itaque difficultas reduci potest ad quasdam res singulares & insolitas, quæ aliquando occurrunt in examine causarum Servorum Dei. Suspectus est ille impulsus, quo quis movetur ad actiones insolitas & inusitatas. Divina quippe providentia, quæ viam communem instituit pro omnium salute, quos servare decrevit, ducit omnes ut plurimum per iter planum, rectum, & usitatum. Sed, cum ex sacris Litteris constet, Spiritum Dei movere nonnunquam ad hujusmodi res mirabiles, quæ communem operandi modum excedunt, non statim talis instinctus damnandus est. Cardinalis Bona *de discr. spirit. cap.* 7. *num.* 6. id confirmat exemplo Abrahæ, cui Deus præcepit, ut filium immolaret; exemplo Isaiæ, cui mandavit, ut nudus per vicos & plateas civitatis ambularet; exemplo Eliæ, cui inspiravit, ut ignem e cælo peteret, quo quinquaginta viri consumpti sunt; exemplo Danielis & Simeonis, quos incitavit ad vitam in columna degendam. Addi possunt exempla sanctarum feminarum, quas sexum occultasse legimus, Athanasiam, Apollinariam, Marinam, Eugeniam, Euphrosinam, Theodoram, Margaritam, de quibus apud Cardinalem Federicum Borromæum *lib.* 3. *de vera & occulta sanctitate cap.* 12. Cum de martyrio ageremus, diximus, nonnullos Martyres instinctu Divino pro Fide tuenda se in rogum ardentem injecisse; & in eodem capite res periculo plenas narravimus demandatas nonnullis Monachis a suis Abbatibus, & Superioribus a Divino Spiritu sic incitatis. Alia plura facile cumulari possent, de quibus sermonem habet S. Franciscus de Sales *in tract. de amore Dei part.* 2. *tom.* 3. *cap.* 12. Sed hic satis erit indicasse, cognosci posse, talem impulsum ad opera mirabilia & non consueta esse a Deo ex iis, quæ sequuntur, & quæ ex eodem Cardinali Bona *loc. cit.* sumuntur. Primum est, si ex reliquo vitæ cursu constet, Dei Servum excellenti prorsus Sanctitate fuisse illustrem: item, si ex eodem vitæ cursu habeatur, omnia adversa, quæ sibi contigerunt, patientissime tolerasse: item, si ex conjecturis & externis circumstantiis hauriri possit, impulsum fuisse adeo vehementem & efficacem, ut cor & mentem valide traxerit & rapuerit; cujus rei luculentum extat exemplum in Conversione Apostoli Pauli: denique, si pacem & tranquillitatem post actionem insolitam & inusitatam Dei Servus habuerit. Proderit præterea, si aliquid supra naturæ vires contigerit, & insolitæ actioni fuerit superadditum: unde Suarez *loco allato* argumentatus est, præceptum S. Benedicti injunctum S. Mauro, ut accederet ad præstandam opem S. Placido, qui in flumen lapsus submersionis periculo erat expositus, ab impulsu Divino profectum fuisse; quandoquidem S. Maurus non modo Placidum a morte liberavit, sed miro prorsus modo per aquas, tamquam per terram, ambulavit. *In chronicis Ordinis Seraphici* collectis ex S. Bonaventura, & aliis Auctoribus probatissimis per Patrem Damianum Cornejum *part.* 1. *vitæ S. Francisci lib.* 5. *cap.* 20. narratur, Sanctum Patriarcham Franciscum in Civitate Assisiensi ultima infirmitate detentum dictasse epistolam, quam transmitti volebat ad nobilem Matronam Jacobam Settesoli tunc temporis Romæ degentem, in qua eam rogabat, ut ante ultimam hebdomadæ diem Assisium peteret, si ipsum adhuc vivum videre cupiebat, & nonnulla pro sua sepultura necessaria secum deferret; Sanctum deinde a dictanda epistola repente cessasse, & asseruisse, Matronam non longe a conventu suo distare, & secum, quæ requirebantur, deferre: cumque rem probasset eventus (Matrona enim statim advenit, & necessaria secum detulit) ipsam, nulla habita ratione Clausuræ, in Conventum admissam, suisque pedibus provolutam, editis grati animi & lætitiæ signis, Franciscum consolatum esse. Porro, si quis totam rei gestæ seriem perpendat, nonnulla insolita absque dubio reprehendet, sed cum & vicinum Matronæ adventum Sanctus superno lumine cognoverit, & materna simili modo vicinæ mortis S. Francisci admonita sit, quidquid insolitum, & inusitatum excogitari potest, non uti suspectum habendum erit, sed ad Spiritum & impulsum Dei tuto poterit referri. Nonnulla hic addenda essent de iis, quæ a Deo præcipi possunt, etiamsi præceptis Decalogi, & legi naturæ adversentur. Mandavit Deus Prophetæ Osee: *cap.* 1. *v.* 2. *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino.* S. Thomas 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. *ad tertium* docet, Osee accedentem ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non esse mœchatum, aut fornicatum, cum accesserit ad eam, quæ sua erat, juxta mandatum Dei, qui est auctor institutionis matrimonii; & 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 2. *ad secundum* ait, sicut Abraham non peccavit, cum vellet filium occidere, quia obedivit Deo, ita nec Osee peccavisse, fornicando ex præcepto Divino; neque talem concubitum fornicationem proprie dici debere, licet fornicationis nomen sumpserit. Alii Interpretes sacræ Scripturæ mandatum Dei ita explicant, ut Osee fuerit imperatum, ut in uxorem acciperet mulierem, quæ ante nuptias corpus vulgasset, ita ut matrimonio copulata a turpibus deinde abstineret, cujus propterea filii essent legitimi, quamvis propter pristinam matris prostitutionem prostitutionis filii deinde fuerint nuncupati. In scholis nonnulli ex Theologis docent, Deum posse cujuslibet præcepti gratiam facere, & (ut ipsi loquuntur) Deum in omni præcepto Decalogi, & legis naturæ posse dispensare: alii docent, posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ, non vero primæ, in his videlicet, quæ tangunt Proximum; non vero in iis, quæ tangunt Deum: alii demum docent, Deum posse dispensare in præceptis affirmativis secundæ tabulæ, non vero in negativis. Sed, utcumque sit de his, quæ ad scholasticas disputationes libenter amandamus, in eo quod attinet ad rem nostram, quæstio reduci potest ad res insolitas, & a communi usu remotas, quæ aliquando occurrunt in examine virtutum Servorum Dei; & quoad eas sufficere posse videntur regulæ supra allatæ, quæ etiam aliorum auctoritate confirmari possunt. Reliquum etenim vitæ cursum sanctitate illustrem, & præsertim virtute humilitatis præclarum, pro re de qua nunc agitur, ponderat Castellinus *de inquisit. mirac. in Canonizat. Martyrum pag.* 34. & prosequitur S. Franciscus de Sales *loc. cit. cap.* 13. Vehementiam & efficaciam impulsus acute explicat Ven. Servus Ludovicus a Ponte in suo opere, cui titulus, *Guida spirituale, part.* 1. *tract.* 5. *c.* 23. §. 5. De pace denique & tranquillitate, quæ post actionem insolitam & inusitatam in Servo Dei remaneat, loquitur S. Gertrudes *Insinuat. Divin. pietat. l.* 4. *c.* 13. *p.* 509. *ad medium*, remque eamdem bene exornat S. Franciscus de Sales *all. c.* 12. *Uno de' migliori contrassegni della bontà di tutte le ispirazioni, e particolarmente delle straordinarie, è la pace e tranquillità del cuore, che le riceve, perchè lo Spirito Divino è veramente violento, ma di una violenza dolce, e soave, e piacevole.* Quibus addi potest ipsa operis insoliti felicitas, uti prosequitur Cardinalis Borromæus *cit. cap.* 12. ubi post relata exempla Sanctarum, quæ sexum occul-

tave-

taverunt, & periculum, cui aliæ feminæ essent expositæ, si prædictarum exemplum imitari vellent, subjicit: *Cum autem talia fieri Divina Majestas voluit, scit eadem ita disponere omnia, & præparare absque ullo damno & impedimento, ut facile appareat, opus illud Divinum esse, non humanum.*

CAPUT QUADRAGESIMUMSECUNDUM.

De Gratia gratis data.

1. CELEBRIS est apud Theologos Gratiæ divisio, ut alia sit gratum faciens, alia gratis data. Gratia gratum faciens est donum supra naturam gratis a Deo concessum, ad propriam & spiritualem uniuscujusque salutem primario & per se relatum, quo quis Deo gratus & acceptus redditur, sive formaliter, ut scholæ loquuntur, si sit gratia habitualis sanctificans, sive dispositive ac præparatorie, si sit gratia actualis. Gratia vero gratis data est ipsa quoque donum supra naturam gratis a Deo concessum, quod non facit per se gratum habentem illud, sed quod principaliter refertur ad aliorum utilitatem. Primus inter Theologos, qui de hac Gratiæ divisione locutus sit, fuit Alexander de Ales *in 2. part. quæst.* 73. quem secutus est D. Thomas 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 1. *Duplex est Gratia: una quidem, per quam ipse homo Deo conjungitur, quæ vocatur Gratia gratum faciens. Alia vero, per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur. Hujusmodi autem donum vocatur Gratia gratis data, quia supra facultatem naturæ, & supra meritum personæ homini conceditur. Sed, quia non datur ad hoc, ut homo ipse per eam justificetur, sed potius, ut ad justificationem alterius cooperetur, ideo non vocatur gratum faciens.* Idem recte prosequitur Viguer *in instit. Theolog. tit. de Gratia Divina cap.* 9. §. 1.

2. S. Doctor *art.* 5. quærit, an Gratia gratis data sit dignior, quam Gratia gratum faciens, & quæstioni sic respondet: *Respondeo, dicendum, quod unaquæque virtus tanto excellentior est, quanto ad altius bonum ordinatur. Semper autem finis potior est his, quæ sunt ad finem. Gratia enim gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis. Gratiæ autem gratis datæ ordinant hominem ad quædam præparatoria finis ultimi, sicut per prophetiam, & miracula, & alia hujusmodi homines inducuntur ad hoc, quod ultimo fini conjungantur: & ideo Gratia gratum faciens est multo excellentior, quam Gratia gratis data.*

3. Gratiæ gratis datæ enumerantur ab Apostolo *in* 1. *ad Corinth. cap.* 12. *vers.* 4. *Divisiones vero Gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum; alteri Fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Et *v.*27. subjicit: *Vos autem estis corpus Christi & membra de membro.* Deinde numerans ministeria & operationes membrorum Ecclesiæ ait: *vers.* 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia: primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.*

4. Postrema hæc concordant cum primis, excepto Apostolatu. Ideo quærendum hic esse videtur, cur Apostolatus inter Gratias gratis datas non enumeretur, quod ipsum quæri potest de Sacerdotio, & aliis Sacris Ordinibus; sunt enim hæc omnia a Deo, & dantur in aliorum utilitatem. At respondetur, omnia prædicta esse dona Dei, & conferri ad aliorum utilitatem, sed Gratias gratis datas dici non posse, cum ad essentiam Gratiæ gratis datæ pertineat, ut sit sensibilis & evidens in suis effectibus. Quocirca Theodoretus ad ea verba Pauli *loc. supra cit. v.* 7. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem,* ait: *Non dixit gratia, sed manifestatio. Gratia enim datur etiam nunc iis, qui sanctissimo Baptismo digni habentur, sed non evidenter. Tunc autem protinus & variis linguis loquebantur, & miracula faciebant, ut per ipsa confirmabantur, & doctrina veritatem edocebantur.* Concordat S. Joannes Chrysostomus *hom.* 29. *in epist.* 1. *ad Corinth.* (*pag.* 258. *tom.* 10. *oper.*) *Charismata seu dona vocans manifestationem Spiritus. Quia enim Apostoli hoc primum signum acceperunt, Fideles quoque acceperunt linguarum donum; neque hoc solum, sed & alia plurima. Nam & mortuos multi suscitabant, & Dæmones pellebant.* Materia hæc fuse explicatur a Cardinali de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disput.* 19. *art.* 1. & 2. ubi Gratiam gratis datam sic definit: *Est donum Dei supernaturale sine meritis homini datum, non faciens per se gratum habentem illud, principaliter ordinatum ad Ecclesiæ utilitatem, externo aliquo signo manifestativum, quod Spiritus Sanctus operatur per illud.*

5. Gratiæ gratis datæ communes sunt peccatoribus, & Justis, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 13. *v.* 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum &c. si habuero prophetiam ... si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum:* quod ipsum habetur *in Evang. Matth. cap.* 7. *v.* 22. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Quorum omnium ratio est, quia opera spectantia ad Gratias gratis datas non pertinent per se ad voluntatem, nec illius rectitudinem postulant: cumque idcirco nec ex se pendeant a Gratia gratum faciente, possunt ab illa separari, & a peccatoribus fieri, si Deus velit. Neque enim hoc aut in re ipsa repugnat, aut ullo modo dedecet, quemadmodum recte ratiocinatur Suarez *tom.* 5. *de Gratia, prolegom.* 3. *cap.* 4. *num.* 50. & prosequitur Viguer *loc. supra cit. Gratia gratis data differt a Gratia gratum faciente, primo quia hæc potest stare cum peccato mortali, & sine Charitate &c. Gratia autem gratum faciens non potest stare cum peccato mortali aut originali, neque sine Charitate; quia implicat contradictionem, quod aliquis gratus sit, & habeatur odio, quod fit per peccatum mortale.* Ex quibus via aperitur duplici controversiæ, quarum prima est, an in judicio Beatificationis, & Canonizationis habenda sit ratio harum Gratiarum gratis datarum, si inveniatur, aliquem Dei Servum eas a Deo recepisse; altera est, an si deficiant, ad ulteriora progrediendum sit in causa Servi Dei, in qua deficiunt.

6. Initioque ducto a prima controversia, prima facie respondendum esse videretur, Gratiæ gratis datæ nullam habendam esse rationem in causis Servorum Dei, de quorum agitur Beatificatione & Canonizatione; licet ea Servi Dei, dum viverent, præditi fuerunt. Judicium quippe Beatificationis & Canonizationis est judicium sanctitatis, innocentiæ morum, & virtutum heroicarum, cum quibus ex dictis Gratia gratis data nihil habet commune. Quare *ad textum Matthæi supra allatum* SS. Gregorius & Hieronymus ita prosequuntur; ille quidem *moral.* 20. *cap.* 7. *Qua nimirum sententia quid datur intelligi, nisi ut in hominibus charitatis humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari? Unde nunc sancta Ecclesia, etiam si qua fiant, Hæreticorum miracula despicit, quia hæc sanctitatis specimen non esse cognoscit. Probatio quippe sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque, ut se, diligere, de Deo autem vera, de Proximo vero meliora, quam de semetipso, sentire; nam quia vera virtus in amore est, non autem in ostensione miraculi:* Hieronymus vero *col.* 41. *tom.* 7. *Prophetare, & virtutes facere, & Dæmonia ejicere, interdum non ejus meriti est, qui operatur; sed vel invocatio nominis Christi hoc agit ... ut licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cujus invocationem fiant tanta miracula.*

7. At, hisce minime refragantibus, dicendum est, Gratiarum, quæ gratis dantur, habendam esse rationem in judicio Beatificationis & Canonizationis, si in eo præter illas constet de virtutibus in gradu heroico, & de innocentia vitæ Servi Dei. Comitatus quippe virtutum patefacit, eas non fuisse tantum collatas in utilitatem aliorum, sed in testimonium etiam sanctitatis prædicti Servi Dei, qui illis præditus fuit; & eo magis, cum, licet Gratiæ gratis datæ per se non faciant gratum, per accidens tamen & dispositive, (ut loqui solemus) id efficere possint, juxta illud *ad Romanos* 8. *vers.* 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* & juxta aliud *Prov.* 16. *v.* 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Communis hæc est Scriben-

bentium opinio. Salmanticenses *t. 3. curs. Theolog. in arbore prædicamentali §. 17. num. 164. Quia negari non potest, virtutes valde disponere & juvare collationem prædictarum Gratiarum; & ideo ut plurimum non peccatoribus, sed Justis conferuntur, & in Sanctorum Canonizatione habent secundum locum post virtutes.* Matta *de Canonizatione SS. part. 3. cap. 24. num. 5.* docet, illarum habendam esse rationem in judicio Canonizationis: *Quotiescumque plene constat de operibus pietatis, & de virtutibus in gradu heroico, atque innocentia vitæ illius Servi Dei, de quo talia prædicantur.* Matthæuce. *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tit. 6. cap. 6 num. 9.* postquam docuit, nullum Gratiarum gratis datarum donum esse aptum ad præbendum testimonium de sanctitate vitæ, & meritis alicujus Dei Servi, ita concludit: *Sed tunc verum signum erit singularis favoris, & Divinæ dilectionis, datumque intuitu illius vitæ, & ad ejus sanctitatem evulgandam, si de eo probentur virtutes morales, & Theologicæ in gradu heroico.* Scacchus *de not. & sign. Sanctit. sect. 8. cap. 3. pag. 609.* de Gratiis gratis datis ait: *Licet non directe, indirecte tamen aliquod sanctitatis argumentum educi poterit, si virtutes in gradu heroico adfuerint.* Optime Lezana *in Summ. Theolog. sacr. tom. 3. sive tractatu de Fide, Spe, Charitate, Prudentia, Fortitudine, & Gratiis gratis datis, tract. 4. disp. 4. quæst. 1. v. Quo tamen p. 356.* docet, de eis disquiri in sacrorum rituum Congregatione, cum agitur de Beatificatione, & Canonizatione Servorum Dei, *& sequenti quæst. 2. dub. 3. vers. Nihilominus dico pag. 360.* quod conferant ad probandam sanctitatem, & sic ad Canonizationem, si eis præditi fuerint Dei Servi virtutibus heroicis illustres. Meminit quoque Lezana praxis Apostolicæ Sedis desumptæ ex bullis Canonizationum, & relationibus Rotæ Auditorum; quod ipsum etiam a Nobis infra demonstrabitur, cum singillatim de unaquaque Gratia gratis data sermo instituetur: & id ipsum pariter infra comprobabitur, cum agetur de Prophetia, de Ecstasibus, & Raptibus.

8. De his, quæ hactenus locuti sumus, non est magna controversia inter Fidei Promotorem, & Postulatores causarum. Licet enim Fidei Promotores sæpe in suis animadversionibus (quod etiam a Nobis factum est, dum prædicto munere fungebamur) opposuerint, quærendum esse de virtutibus heroicis, nec ullam statuendum esse momentum in Gratiis gratis datis, respondentibus nihilominus Postulatoribus, prædictas Gratias non solas & sejunctas, sed conjunctas cum virtutibus in gradu heroico illustrandæ profuisse sanctitati, Fidei Promotores non inviti assumpserunt examen Gratiarum gratis datarum, & in sacra Congregatione de eis latum judicium est, non quidem per dubium separatum a dubio virtutum, sed sub eodem dubio, nulla quidem vel in dubio, vel in responsione facta mentione Gratiarum gratis datarum, sed habita in discussione causæ earum consideratione tanquam signorum manifestantium præsumptionem virtutum in gradu heroico, virtutum, inquam, Theologalium, & Cardinalium, de quibus in causis Confessorum ex alibi dictis pressum & exactum assumitur examen.

9. Controversia ergo, quæ remanet inter Fidei Promotores, & Postulatores causarum, ad secundum ex propositis capitibus pertinet, quando videlicet in aliqua causa alicujus Servi Dei deficiunt Gratiæ gratis datæ, an in eo ad ulteriora progrediendum sit. Utque res fiat clarior exemplo, ponamus, Dei Servum fuisse præditum virtutibus heroicis, & aptas non deficere earum probationes: ponamus præterea, nullum in processibus extare vestigium alicujus Gratiæ gratis datæ; nec enim prophetavit, non habuit donum linguarum, non interpretationem sermonum, caruit ecstasibus, & raptibus, uno verbo, nullam habuit Gratiam gratis datam: in hoc rerum statu quæritur, an tutum de ejus virtutibus heroicis ferri possit judicium, ita ut, eo absoluto, transitus fieri possit ad discussionem miraculorum post ejus obitum secutorum, quorum approbatione secuta, ad Beatificationem, & subinde ad Canonizationem deveniendum sit; an potius suspendenda sit resolutio dubii virtutum, imposito silentio causæ, nullaque data facultate proponendi subsequens dubium de miraculis post obitum ejus intercessione a Deo patratis; nec enim ex alibi dictis fas est suspendere resolutionem dubii super virtutibus, ut interim de miraculis videatur; sed dubium de virtutibus est resolvendum, antequam miraculorum examen assumatur, quemadmodum videri potest *lib. 1. hujus Operis cap. 27.*

10. Salmanticenses *loc. supra cit.* postquam docuerunt, habendam esse post virtutes rationem Gratiarum gratis datarum, subjecerunt: *Sed, quia ad beatitudinem consequendam necessaria non sunt, idcirco neque illarum defectus defectum sanctitatis ostendit.* Matthæuccius *in opere pariter citato num. 20.* ait, Fidei Promotores, præter virtutum heroicitatem, majoris cautelæ causa aliquam Gratiam gratis datam consuevisse requirere. Fateor, me, dum prædictum officium exercerem, memoratam non omisisse animadversionem. Id a me præstitum fuit in causa S. Vincentii de Paulis, providique Postulatores responderunt, Gratias gratis datas non esse necessarias ad statuendum tutum de virtutibus judicium, nonnullas tamen ex eis in dicto Dei Servo non defuisse. En verba ipsorum: *Quamvis Gratiæ gratis datæ non sint necessariæ ad probationem heroicitatis virtutum, ideoque non sit necesse, iis dotatum fuisse Vincentium a Paulo, ut intelligatur, eum heroicitatis gradum attigisse, attamen plura referemus momenta, ex quibus colligere erit, Servum Dei decoratum donis, de quibus hic agitur.* Eodem modo res se habuit in causa B. Alexandri Saulii, in qua Postulatores provinciam assumpserunt demonstrandi, eum fuisse præditum nonnullis Gratiis gratis datis, sed addiderunt, se non admittere earum necessitatem, postquam constitit de virtutibus heroicis: *Verum non acquiescimus* (ajebant) *quod, si non extarent, deficerent necessaria ad decernendum de virtutibus Servi Dei.* Item in causa S. Camilli de Lellis, cum a me tunc Fidei Promotore dictum fuisset, deficere Gratias gratis datas, quæ in dubio virtutum secundario requiruntur a sacrorum rituum Congregatione, ab ejus causæ Postulatoribus ita responsum fuit: *Omittimus certare, an in Canonizandis existentia præfatorum donorum, saltem secundario, sit necessaria. De hoc videant illi, in quorum causis promovendis hæc forte dona desiderantur. Nos libenter accipimus conditionem, & in sententiam R. P. D. Promotoris descendimus; quia in facto nihil magis certum habemus, quam Venerabilem Camillum non in uno tantum gratiarum genere, ut vult Apostolus, sed in pluribus refulsisse.*

11. Ex his autem, quæ hucusque adducta sunt, nemo est qui non videat, propositam quæstionem non posse dici definitam. Si in ea vero meus qualiscumque sensus exquireretur, dicerem, tuto pede ad ulteriora procedi posse in causa Servi Dei, hoc est ad discussionem miraculorum post obitum, si in ea adessent legitimæ probationes heroicitatis virtutum, quamvis nullæ adessent probationes alicujus Gratiæ gratis datæ, cum ex alibi dictis virtutes & miracula post obitum sint duo tantum requisita substantialia in judicio Beatificationis & Canonizationis, quemadmodum colligitur *ex cap. Venerabili, 52. de testib. & attest.* ubi Honorius III. ita loquitur: *Discretioni vestræ mandamus, quatenus testes, quos Abbas, & Monachi Sancti Martini Cisterciensis Ordinis super vita & miraculis piæ memoriæ M. Abbatis monasterii supradicti duxerint producendos, examinare singillatim curetis.* Idem Honorius in bulla Canonizationis S. Willelmi Bituricensis Archiepiscopi sic inquit (*pag. 50. cod. Canonizat.*): *Dedimus in mandatis, ut, cum opera pietatis in vita, & miraculorum signa post mortem ad hoc, ut quis reputetur sanctus in militanti Ecclesia, requirantur, licet ad sanctitatem animæ opera sola sufficiant in Ecclesia triumphanti; diligentissime inquirerent de utroque, & quæ invenirent, fideliter redigentes inscripta, ea Nobis transmitterent sub suorum munimine sigillorum, quatenus per eorum relationem instructi in negotio ipso securius, Domino inspirante, procedere valeremus.* Per eadem vestigia processit summus Pontifex Gregorius IX. in bulla Canonizationis S. Antonii Patavini *pag. 65. cod. Canonz.* in qua sic locutus est: *Licet ad hoc ut aliquis sanctus sit apud Deum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, juxta illud,* Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ; *ad hoc tamen ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet & miracula, ut hæc & illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitati. Sed cum merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula, certum præbent indicium sanctitatis, ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & signis subsequentibus exhibet venerandum.* Quocirca Auctor Tractatus de Canonizatione Sanctorum ad Cardinalem Montis Regalis *cap. 3.* in quo agit de examine faciendo per Judices delegatos, post allegatos antiquiores juris Canonici Professores *in comment. ad cit. cap. Venerabili, de testib. & attestat.* Ancharanum videlicet, Felinum, Bellameram, Imolam, Zabarellam, Butrium, ita concludit: *Examen ad duo capita revocari debet, ad vitam, & miracula.*

12. Ad-

12. Addit Suarez, Gratias gratis datas etiam Juſtis conferri, licet non omnibus, cum ad communem Eccleſiæ utilitatem neceſſe non ſit, ut Juſti omnes miniſtrent aliis, vel ut per ſpecialem gratiam ad operandam aliorum utilitatem ſubleventur, quemadmodum videri poteſt *loc. ſupra cit. num.* 8. ubi etiam præclaram affert S. Auguſtini auctoritatem *lib.* 8. *quæſt.* 79. ſic dicentis: *Immo non omnibus Sanctis iſta tribuuntur, ne pernicioſiſſimo errore decipiantur infirmi exiſtimantes, in talibus factis majora dona eſſe, quam in operibus juſtitiæ, quibus æterna vita comparatur.* Ex quibus proinde bene inferri poſſe videtur, non eſſe cauſæ Servi Dei ſilentium imponendum, ſi in ea deſint Gratiæ gratis datæ, dummodo non deſit probatio virtutum in gradu heroico. Quapropter S. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 24. *in cap.* 7. *Matthæi*, poſtquam dixit, earum elargitionem in prædicationis Evangelicæ exordio fuiſſe neceſſariam, ſubjicit, *pag.* 301. *tom.* 7. *Timeamus itaque, dilecti, & multam inſtituendæ vitæ curam impendamus, neque putemus minus nos habere, quia ſigna nunc non facimus. Nihil enim umquam amplius ex ſignis nobis redderetur, ſicut nihil minus, eo quod ſigna non edamus, ſi virtutibus omnibus demus operam. Signorum quippe debitores non ſumus; pro bona autem vita & operibus Deum habemus debitorem.* Idque multo magis, cum in nulla Canonizationis bulla, aut relatione Rotæ Auditorum omittatur narratio virtutum & miraculorum poſt obitum, in pleraſque infertæ ſint Gratiæ gratis datæ, ſed in aliis magnum ſit earum ſilentium: ex quo argui poteſt, nonnullas fuiſſe peractas Canonizationes, licet Dei Servi, atque Beati, dum viverent, Gratias gratis datas a Deo non habuerint.

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM.

De Sermone Sapientiæ, & de Sermone Scientiæ, Gratiis gratis datis.

1. SERMO ſapientiæ differt a ſermone ſcientiæ, quemadmodum colligitur ex verbis ſupra recitatis Apoſtoli 1. *ad Corinth. cap.* 12. *v.* 8. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum* Quocirca S. Auguſtinus *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 14. *num.* 22. *col.* 923. *tom.* 8. ſcribit: *Tamen ubi* (Paulus) *dicit*, Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum, *hæc utique duo ſine dubitatione diſtinguit, licet non ibi explicet, quid interſit, & unde poſſit utrumque dignoſci:* quod ipſum repetit *lib.* 13. *cap.* 19. & *lib.* 14. *cap.* 1.

2. S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 111. *art.* 4. *in reſponſ. ad quartum* docet, ſapientiam & ſcientiam non cenſeri inter Gratias gratis datas, qua ratione enumerantur inter dona Spiritus Sancti, prout ſcilicet mens hominis bene movatur per Spiritum Sanctum ad ea, quæ ſunt ſapientiæ & ſcientiæ, ſed cenſeri inter Gratias gratis datas, qua ratione ſignificant quamdam abundantiam ſapientiæ & ſcientiæ, ut homo poſſit non ſolum in ſe ipſo recte ſapere de Divinis, ſed etiam alios inſtruere, & contradicentes convincere. Et 2. 2. *quæſt.* 177. *art.* 1. poſtquam repetiit quod alibi docuerat, Gratias videlicet gratis datas dari ad utilitatem aliorum, ſubjicit: *Cognitio autem, quam aliquis a Deo accipit, in utilitatem alterius converti non poſſet, niſi mediante locutione; & quia Spiritus Sanctus non deficit in aliquo, quod pertineat ad Eccleſiæ utilitatem, etiam providet membris Eccleſiæ in locutione &c. quod efficaciter loquatur, quod pertinet ad Gratiam ſermonis.* Idem proſequitur Viguer *loc. ſupra cit. verſ.* 1. ubi bene animadvertit, Apoſtolum ſupra citatis verbis non comprehendere ſapientiam & ſcientiam, quæ ſunt dona Spiritus Sancti: *Non dixit Apoſtolus, Alii datur ſapientia, alii ſcientiæ, alii Fides; ſed ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, & ſermo Fidei. Debet ergo ſic Apoſtolus intelligi: Alii datur ſermo ſapientiæ, hoc eſt, ſpecialiter movetur, & datur ei facultas utendi dono ſapientiæ, ſi ſit in Gratia; &, ſi non ſit, datur facultas, ut abundet ſermone, & perſuadere poſſit per cauſas altiſſimas ea quæ pertinent ad manifeſtationem Divinorum. Alii datur ſermo ſcientiæ, hoc eſt movetur, & datur ei facultas manifeſtandi ea quæ ſunt Dei, per creaturas.*

3. Sermo ergo ſapientiæ eſt externus ſermo Divinorum, quo quis ſine humano ſtudio & labore ita de myſteriis Divinis differit, ut appareat, Spiritum Sanctum in eo loqui, & nemo valeat illi contradicere, & per quem increduli convertuntur ad Fidem, credentes in Fide firmantur. Et ſermo ſcientiæ nihil aliud eſt, niſi ſermo ſeu locutio de rebus moralibus relatis ad ſalutem æternam prompta ſine humano ſtudio & labore prodiens ſcripto, aut verbo, ex quo audientes conjiciunt, eum non eſſe ex humana virtute, ſed Divina. Thomas Bozius *de ſignis Eccleſiæ lib.* 6. *ſign.* 20. *cap.* 3. ſcribit: *An vero ſermo ſcientiæ ſit a Spiritu Divino, an ab induſtria humana, dignoſcitur ex efficacitate & virtute, qua fit, ut auditores accendantur ad officia maximarum virtutum & Chriſtianarum, non ex elegantia & arte orationis.*

4. Deſumitur id ex doctrina S. Auguſtini *lib.* 14. *de Trin. c.* 1. *n.* 3. *col.* 948. *t. cit.* ubi, poſtquam recitavit definitionem ſapientiæ a Cicerone traditam, ut ſit videlicet humanarum & Divinarum rerum ſcientia, conſiderans poſtea, Apoſtolum diſtinguere ſapientiam a ſcientia, ait: *Verum ſecundum hanc diſtinctionem, qua dixit Apoſtolus*, Alii datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, *iſta definitio dividenda eſt, ut rerum Divinarum ſcientia proprie ſapientia nuncupetur, humanarum autem proprie ſcientiæ nomen obtineat; de qua vol.* 13. *diſputavi.* Et porro progrediens, ut explicet videlicet, quarum rerum humanarum ſit ſcientia, ait, *Non utique quidquid ſciri ab homine poteſt in rebus humanis, ubi plurimum ſupervacaneæ vanitatis, & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ tribuens, ſed illud tantummodo, quo Fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qua ſcientia non pollent Fideles plurimi, quamvis polleant ipſa Fide plurimum. Aliud eſt enim ſcire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ nonniſi æterna eſt; aliud autem ſcire, quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo Scientiam videtur Apoſtolus.* Quocirca Scacchus *de not. & ſign. ſanct. ſect.* 8. *cap.* 5. *pag.* 632. hæc habet: *Per ſermonem ſapientiæ in verbis allatis ex Apoſtolo Cornelius a Lapide intelligit facultatem explicandi myſteria Fidei, Trinitatis videlicet, Incarnationis, Prædeſtinationis, & alia &c. Per ſermonem autem ſcientiæ intelligit facultatem explicandi ea, quæ ad mores, & ad agenda pertinent, nimirum ad Philoſophiam moralem, & ſacram Theologiam practicam. Hac enim ratione ſcientiam a ſapientia diſtinxit S. Auguſtinus.*

5. Cetera, quæ ſuperius dicta ſunt quoad facilitatem loquendi de myſteriis Divinis, & ceteris rebus moralibus, quæ ad actionem pertinent, ita ut appareat, Spiritum Sanctum in eo, qui differit, loqui; cui nemo valet contradicere, per quem increduli convertuntur, & credentes in Fide firmantur, & peccatores ad bonam frugem reducuntur; deſumuntur ex verbis Chriſti Domini *Matth. cap.* 10. *v.* 17. *Tradent enim vos in Conciliis . . . & ad Præſides & ad Reges ducemini propter me . . . . Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini . . . . Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*; & alibi *Luc. cap.* 21. *v.* 14. *Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari, quemadmodum reſpondeatis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Hinc Auctor comment. *in epiſt. S. Pauli, inter opera S. Hieronymi tom.* 11. ad illa verba Apoſtoli ſæpe memorata, *Alii per Spiritum datur ſermo ſapientiæ*, hæc habet *col.* 930. *Sapientia ſermo eſt, ſapienter & apte ac rationabiliter loqui: & poſſe differere, vel docere quod verit ſane. Qui ex dono habet ſapientiæ, ſine ſuo conatu loquitur & labore: & nemo illi, ſicut Beato Stephano, prævalet contraire; ad utilitatem & incredulorum, ut credant, & credentium, ut firmentur.*

6. Sermonem ſapientiæ ſibi a Domino datum deſcribit Apoſtolus in 1. *ad Corinth. cap.* 2. *v.* 1. *& ſeq. Ego, cum veniſſem ad vos Fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti; non enim judicavi, me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore & tremore multo fui apud vos. Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis, ut Fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Item in Actis Apoſtolorum *cap.* 6. *v.* 10. legimus, Stephanum electum in Diaconum cœpiſſe tali ſpiritus vehementia de Chriſto concionari, ut Rabbini, Cyrenenſes Libertini, Alexandrini, & Aſiatici diſputantes

cum

cum eo non possent *resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur*. Huc etiam referri potest sublimis illa concio in die Pentecostes habita ex tempore a S. Petro piscatore illitterato, de veritate missionis & Divinitatis Christi desumptis argumentis ex Psalmis & Joele, quos nunquam viderat, tanta verborum affluentia & vehementia, ut ad veram Fidem tria hominum millia perduxerit. Theodoretus ad citatum locum Apostoli, *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ*, sic loquitur: *Sermonem sapientiæ vocat non eloquentiam, sed veram doctrinam, cujus ipse etiam Divinus Apostolus gratiam acceperat, & Divinus Joannes Evangelista, & Divinissimus Petrus Apostolorum summus, & Martyrum primus Beatus Stephanus. Neque enim potuissent homines piscatores, & manu sibi victum parantes, & litterarum plane ignari & conciones habere, & scribere, & quæ dicebant, & scriptis mandabant, vi maxima implere, nisi a Divino Spiritu veram sapientiam accepissent.*

7. Addi possunt pro confirmatione hucusque dictorum, differentiæ videlicet inter sermonem sapientiæ & scientiæ, & eorum qualitates, ea quæ fuse habentur apud Suarez *tom. 1. de Gratia, prolegom. 3. cap. 5. num. 1. & seqq.* & apud Cardinalem de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 4. disput. 19. artic. 4. & 5.* ubi etiam animadvertunt, has Gratias gratis datas sermonis sapientiæ, & sermonis scientiæ non conferri per habitus, sed per actualem Spiritus Sancti motionem. Verum, ut nonnulla pro re, de qua nunc agitur, ex Actis Canonizationis exempla promantur, de S. Vincentio Ferrerio in bulla Canonizationis *pag. 177. cod. Canonizat.* hæc scripta sunt: *Tantus in eo Gratiæ fulgor apparuit, tanta Spiritus Sancti abundantia in eo fuit, tot de ore prædicantis speciosissima veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis Judæos, in Lege etiam peritissimos, qui Christum pertinaciter venisse negabant, ad Fidem Catholicam converteret; & efficacissimos multo ex eis Prædicatores adventus Christi Passionis, ac Resurrectionis, & pro Christi nomine mori paratos fecit. Tanta in ipso viro Divino fuit auctoritas dicendi, tantaque gravitas, ut terrenis rebus luxuique deditos homines adeo Judicii futuri timore concuteret, ut terrena despicerent, & amarent cælestia, ac levitates & luxus omnium in Dei provocaret affectum.* In bulla Canonizationis S. Ludovici Bertrandi (*pag. 435. cod. Canonizat.*): *Rapiebat audientium mentes; neque enim hominis, sed Angeli spiritum verba ejus redolebant &c. Sub Monte Sanctæ Marthæ Indorum accolarum circiter quindecim millia suis prædicationibus ad Fidem conversa baptizavit &c. In Insula Sancti Thomæ, dum furentes Pagani, arreptis lapidibus, viro sancto necem intentant, monitus ut fugeret, constantissime renuit, solaque Divini verbi efficacia ducentos ex aggressoribus jugo Christi subjecit*, Gaufridus Monachus *in vita S. Bernardi Ab. lib. 3. cap. 3. num. 7. col. 1135. vol. 2.* hæc de ejus sermone profert: *Quam vero placabilem, & persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem, & quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio, vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret, vel increpatio, nosse poterunt aliquatenus, qui ipsius legerint scripta, etsi longe minus ab eis, qui verba ejus sæpius audierant. Siquidem diffusa erat Gratia in labiis ejus, & ignitum eloquium ejus vehementer, ut non posset ne ipsius quidem stylus, licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel & lac sub lingua ejus nihilominus in ore ejus ignea lex, juxta illud Cantici Canticorum, Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* De his Gratiis gratis datis Rotæ Auditores in relatione causæ Ven. Servi Dei Nicolai Factor *tit. de donis & gratiis*, ita locuti sunt: *Sermo sapientiæ illi concessus dignoscitur in eo, quod sine humano studio, Divina operante Gratia, vi orationis res Divinas & sempiternas, quæ sunt supra omnem captum, ad aliorum utilitatem doctissime & eruditissime explicabat. Sermo scientiæ ex eo deprehenditur, quod omnes ad se venientes optimis instruebat consiliis, ignorantes illuminabat, & plura documenta serviendi Deo præbebat, ac suis verbis & colloquiis mores hominum componebat.* Hoc ipsum argumentum latius prosecuti sunt in alia relatione causæ B. Juliani a S. Augustino *cap. 12.* Quærit S. Thomas 2. 2. *quæst. 177. art. 2.* an Gratia sermonis sapientiæ & scientiæ pertineat etiam ad mulieres; & respondet, pertinere ad unum privatim, vel paucos familiariter alloquendos, non autem ad totam Ecclesiam alloquendam; ita ut, si mulieres Gratiam sapientiæ, aut scientiæ habeant, eam administrare valeant secundum privatam doctrinam, non autem secundum publicam, Juxta Dei ordinationem conditio sexus feminei est, ut sit subditus viro, atque mulieres in ecclesiis taceant, ut habetur *Genesis 3. & 1. ad Corinth. 14.* Quare 1. *ad Timotheum 2. v. 11.* legitur: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione: docere autem mulieri non permitto.* Ex quibus bene infertur, Gratiam sermonis sapientiæ & scientiæ non convenire mulieribus ad utendum ea publice, totamque Fidelium multitudinem de rebus Fidei & salutis alloquendam. Mater Salomonis, ut est *Proverb. 4. & ult.* Salomonem puerum docuit. Similia habentur de Anna matre Samuelis 1. *Regum* 2. de Abigail 1. *Regum* 25. de muliere Thecuitide 2. *Regum* 14. Judith & Esther, atque aliæ quædam mulieres non vulgarem habuerunt Gratiam sermonis. *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu Leonis*, oratio est Esther *cap. 14. v. 13.* Ex quibus omnibus deducitur, Gratiam sermonis sapientiæ & scientiæ pertinere ad mulieres, ut familiariter alloquendo unum vel plures erudiant: atque ita Gratiis gratis datis sermonis sapientiæ & scientiæ S. Teresiam a Deo fuisse illustratam, late demonstrarunt iidem Rotæ Auditores in relatione causæ ipsius *super virtutibus art. 22. §. 2.* De sermone sapientiæ & scientiæ multa ordine collecta legi possunt apud Thomam Bozium *de signis Ecclesiæ Dei lib. 6. sign. 20. & sign. 21.* ubi innumera affert harum Gratiarum gratis datarum exempla; & *num. 12.* sic scribit: *Sed, ut aliquid aliud speciatim dicamus hic, o quo fiat illustrissimum, scientiæ sermonem fuisse efficacissimum; producamus in medium exempla aliquorum, ac satis sint tres ex diversis provinciis, & quorum fuere Instituta diversa. Franciscus Assisias Italus, Franciscus Xaverius Hispanus, Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Anglus; primus Diaconus, secundus Sacerdos, tertius Episcopus. Cujuslibet istorum, quæso, legantur Acta, & videbimus ab eo innumera hominum millia a fœdissimis vitiis, a luxu, & vita perditissima revocatos ad vitam sanctissimam, ad Christianæ Legis puritatem, innocentiamque admirandam, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in efficaci, quamvis non eleganti, sermone scientiæ cælestis.*

8. Salmanticenses *tom. 3. curs. Theolog. in arbore prædicamentali §. 17.* ad Gratiam gratis datam sermonis sapientiæ, & sermonis scientiæ referunt, & quidem merito, scientiam infusam, ut ex eorum verbis *num. 166.* plane colligitur. *Ad hanc etiam Gratiam spectare videtur, cum Deus aliquibus scientiam sive naturalem, sive supernaturalem, distinctam tamen a donis Spiritus Sancti, ad erudiendos alios infundit; quia talis scientia non est per se connexa cum Gratia gratum faciente, & sic referenda est ad Gratias gratis datas.* In libro 2. hujus Operis *cap. 25. num. 8. & seqq.* multa dicta sunt de scientia infusa, & de Sanctis, qui eam habuerunt. Ceterum ex illa efficax argumentum pro sanctitate probanda sumi non potest, sed tamen ejus habetur ratio in judicio Beatificationis & Canonizationis, si probatio non desit virtutum in gradu heroico. Abstinendo autem ab inutili repetitione eorum, quæ *loc. cit.* dicta sunt, nonnulla hic superaddentur. Theologi, scientiam infusam duplicem esse, dicunt, aliam per se infusam, aliam infusam solum per accidens. Per se infusa ea est, quæ virtute naturali acquiri non potest a creatura, sed a solo Deo in creatura imprimi & causari debet; & hæc absolute, & simpliciter dicitur ordinis Divini, & naturam excedit. Scientia vero infusa per accidens illa est, quæ viribus humani ingenii acquiri potest, sed re ipsa non acquiritur; & hæc aliquo modo supra naturam esse dicitur ex parte principii, & modi, quo causatur. Thomas a Jesu *oper. tom. 2. lib. 6. cap. 3.* ait, scientiam per se infusam posse a Deo hominibus in hac vita communicari, & communicatam fuisse Beatissimæ Virgini probabiliter existimat, licet non per modum habitus; & probabile quoque putat, fuisse aliquando sanctissimis viris concessam per modum actus. Scientia itaque infusa ea est, quæ non per proprium laborem ac ingenium acquiritur, sed sola imploratione Divini auxilii infunditur in hominem, qui antea nihil sciebat; quemadmodum docet S. Thomas 1. 2. *quæst. 113. art. 10. ad tertium*, ubi addit, infusionem hanc scientiæ esse miraculo adscribendam: *Dicendum, quod sapientiam & scientiam homo natus est acquirere a Deo per proprium ingenium & studium; & ideo, quando præter hunc modum homo sapiens vel sciens efficitur, est miraculosum.* Hoc explicat S. Antoninus *in Summa Theolog. tom. 3. tit. 5. cap. 1. §. 1.* exemplo sumpto a sanitate corporum ægrotantium, & animarum, quæ in peccata lapsæ sunt. En ejus verba: *Sicut enim Deus secundum communem legem corpora sanat, mediantibus naturalibus medicinis, & con-*

& consiliis Medicorum, & animas peccatis languidas curat, mediantibus medicinis spiritualibus Sacramentorum, & Sacerdotibus ea conferentibus; ideo ista debet procurare sibi, qui vult sanari, quamvis aliquando præter communem legem Deus sanet aliquos in corpore sine medicinis miraculose, & in anima sine Sacramentis: Ita secundum cursum solitum, docet hominem scientiam Deus, mediantibus Magistris, & laboribus, & exercitiis discipulorum his vacantium, quamvis Apostolos docuerit omnem veritatem seu omnem scientiam sine humana industria; unde Hieronymus dicit: Quod illis, scilicet Apostolis, suggerebat Spiritus Sanctus, hoc aliis confert quotidiana in Lege Domini meditatio. Quemadmodum enim potest homo ministerio sensuum, phantasiæ, & intellectus agentis producere in se species objectorum omnium, quæ cognoscere voluerit, multo melius id poterit facere sine operatione phantasiæ & sensuum. Quocirca *lib. 3. Regum cap. 3. v. 11.* ita Deus Salomonem allocutus est: *Postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium; ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.*

9. Porro, licet Dæmon infundere non possit in humanam mentem novas rerum species, vel habitus scientiarum, intellectum tamen humanum reddere valet subtiliorem & meliorem quoad functiones ingenii & judicii per commodiores organi dispositiones, ita ut extet scientiæ, seu artis nullo præcedenti studio acquisitæ, sed tempore brevissimo receptæ opera Dæmonis exemplum. Itaque *in vita Sancti Norberti*, apud Surium *cap. 20.* atque *in magno Chronico Belgico* Francofurti edito inter Scriptores Germanicos Pistorii *tom. 3. pag.* 149. ita scribitur: *Apud Nivigellam puella per annum vexata adducitur coram Norberto, & ipse super eam Evangelia multiplicat. Dæmon vero Cantica Canticorum a principio usque ad finem per os puellæ recitat, & post a verbo ad verbum interpretatur Romana lingua, & deinde in Teutonica totum exprimit.* Alia cumulantur apud Majolum *in diebus canicularibus Tom.* 1. ubi agit de Sagis *pag.* 596. & apud Scacchum *de not. & sign. sanctit. sect.* 8. *cap.* 5. ubi narrat, Venetiis quemdam Scotum fuisse, qui, Dæmone adjuvante, publice conclusiones ex omnibus scientiis summo cum audientium omnium stupore defendebat; & similia Barcinone contigisse in puella quindecim annos nata: quibus de rebus Martinus del Rio *lib. 2. disquisit. magic. quæst.* 24. *pag.* 108. ita scribit: *Petes forte, an ergo queat Dæmon artes, atque scientias aliquas docere? Nihil dubitandum, posse, si velit, & sinatur a Deo, per locutionem nempe & manifestationem sui conceptus, non tantum si in forma visibili appareat & homini loquatur, quod non negat Divus Thomas, sed etiam interna locutione & suggestione intellectu illustrato; non enim video, cur hæc illuminatio, quæ in malum finem tendit, Dæmoni sit adimenda, cum hæc cognitio non referatur in Deum, nec ulla mentis vera fiat purgatione: quare, utrum dicenda sit illuminatio, an illusio, an quo alio indigitanda nomine, ut, verbi gratia, nuda veritatis manifestatio, sane quæstio de nomine futura est.* Hinc fit, ut, nedum opportunum, sed quodammodo necessarium sit, notas explicare, quibus dignosci potest, utrum qui scientiam aliquam sine labore & humana industria acquisivit, acquisiverit auxilio Dei, an ope Dæmonis.

10. Ex moribus itaque & vitæ instituto ejus, qui scientia potitur, primo dignosci potest, a quo spiritu illa peritia & cognitio profecta sit: secundo ex qualitate ipsius habitus; si enim scientiæ ad Dei cultum, Fidei Christianæ amplificationem, aut Proximorum utilitatem directæ non fiant, suspicari licebit, earum habitus a Dæmone generatos: tertio ex earum usu; si enim dirigantur ad Dei contumeliam, Proximorum damnum, temporale lucrum, auram populorum, gratiam Principum, omnia ad Diabolum, tamquam auctorem, erunt referenda: ultimo demum, si qui scientiam profitetur, non eam prorsus in sua habeat potestate, sed statis solum diebus, vel horis, præmissisque certis cæremoniis & ritibus superstitiosis, & etiam, si extra tempus, quo loquitur de aliqua scientia, ut alios doceat, nequaquam recordatur eorum, quæ dixerat, aut docuerat. Hæc nequitiæ signa sunt: *Atque hæ notæ sunt præcipue* (verba sunt Scacchi *loc. cit. pag.* 639.) *ex quibus colligi queat, an aliqui habitus scientiarum infusi a Deo sint, an a Dæmone provenerint.* Nec mirum, cum teste Tertulliano *in apolog. cap.* 22. operatio Dæmonum sit *hominis eversio*, & teste S. Petro Chrysologo *serm.* 11. Diabolus sit *mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus.*

11. Diximus in superioribus, opportunum esse, & quodammodo necessarium modo indicatas subjicere notas; id enim materiæ integritas postulare videbatur. Non autem diximus absolute necessarium, cum moraliter impossibilis sit casus, quo in sacrorum rituum Congregatione de prædictis notis agendum sit. De Gratiis siquidem gratis datis tractatur, cum dubium proponitur de virtutibus heroicis, nec earum disputationi locus esse potest, nisi fama sanctitatis legitime probata præcesserit, cum qua stare nequit, ut scientia Servi Dei fuerit ope Dæmonis acquisita. In eadem sacrorum rituum Congregatione controversia de scientia infusa ad sequentia capita reducitur, an videlicet de eximia constet scientia; an ars humana pro ea ediscenda præcesserit; demum, an ejus habenda sit ratio in judicio Beatificationis & Canonizationis, uti supra dictum est.

12. In citato libro 2. hujus Operis *cap.* 25. *n.* 9. mentio facta est nonnullorum Sanctorum, Bernardi videlicet, Ludovici Tolosani, Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ, Thomæ de Villanova, & Sanctarum Catharinæ Senensis, Teresiæ, & Rosæ de Lima, qui omnes scientia infusa a Deo donati sunt. Nunc alia ex Actis præteritarum Canonizationum superaddenda sunt. In bulla Canonizationis S. Didaci *pag.* 235. *cod. Canoniz.* hæc habentur: *In ea igitur Schola* (videlicet Spiritus Sancti) *divinitus eruditus vir, alioqui plane rudis, & litterarum minime sciens, admirandum in modum de rebus Divinis loquebatur, sensusque mirificos proferebat, ita ut viri eruditissimi, qui in sacra Theologiæ studiis ætatem contriverant, summopere obstupescerent; illudque memoriæ traditum est, & gravi testimonio comprobatum, doctos & pios viros, cum abstrusas & perdifficiles quæstiones ad res Divinas, animarumque salutem pertinentes cum eo familiariter communicarent, id ab homine litterarum experte cumulate didicisse, quod in celeberrimis Academiis a magnis Doctoribus addiscere nequiverant.* In causa Canonizationis S. Ignatii de scientia infusa actum est, quemadmodum colligitur ex relatione Rotæ Auditorum *tit. de temperantia*, ubi ita scripserunt: *Magna rerum spiritualium cognitio, quam habuit in faciendis suis Exercitiis spiritualibus &c. ex lectione dictorum Exercitiorum satis apparet. Et, cum dicta Exercitia sint pietate & sanctitate plena, & ad spiritualem profectum utilia & salubria, ut ex sententia Inquisitoris Vicarii Urbis, & sacri palatii Magistri attestatur Julius III. in suis litteris Apostolicis confirmationis dictorum Exercitiorum, factaque fuerint eo tempore, quo dictus Beatus Pater erat idiota & litterarum expers, utique cogimur fateri, dictam cognitionem & lumen supernaturaliter infusa potius, quam acquisita fuisse*: posthabitis nimium severis animadversionibus, quibus nonnulli suadere conati sunt, S. Ignatium libri Exercitiorum auctorem non fuisse; qua de re Bollandiani *tom. 7. Julii die* 31. §. 6. *pag.* 419. *n.* 55. sapienter scripserunt: *In parvo illo quidem, sed nervoso Exercitiorum spiritualium elogio, quod in horis sanctis canonicis, postquam esset dictum de iis, quæ Sancto Manresæ patefecerat Dominus; mox ita recitat Ecclesia: Quo tempore homo litterarum plane rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum: ex illo, inquam, elogio constituo, quid ex communi Ecclesiæ sensu sit tenendum circa tria ista quæsita, nimirum a Sancto Ignatio Manresæ degente anno 1522. librum istum fuisse compositum.* De prædicto libro Exercitiorum spiritualium S. Ignatii fuse agit Suarez *tom. 4. de religione lib. 9. cap.* 5. ubi narrat, S. Franciscum Borgiam, singularem S. Ignatii discipulum, & illustre sanctitatis exemplum non Julio III. uti forte per errorem Amanuensis dictum est in citata relatione Auditorum Rotæ, sed Paulo III. supplicasse, ut eum examinari curaret; postea, commisso examine Cardinali Burgensi, & Episcopo Salutii suo Vicario Generali, & Ægidio Foscarario sacri palatii Magistro, iisdemque referentibus, librum esse pietate ac sanctitate plenum, & valde utilem ad ædificationem & spiritualem profectum Fidelium, litteris Apostolicis fuisse approbatum & confirmatum, & Apostolici scripti patrocinio communitum. Pendet adhuc in sacrorum rituum Congregatione causa Canonizationis Beati Juliani a S. Augustino. Exarata fuit a Rotæ Auditoribus ejus relatio; & *in cap.* 12. narratur, eum fuisse in Religionem receptum tamquam Fratrem Laicum, & latinum sermonem numquam didicisse, sed idiotam prorsus & litterarum expertem fuisse, tum explicatur, quomodo factus obviam cuidam peregrino loqui cœperit de rebus Divinis, & hæreses improbare adeo docte & subtiliter, ut Litterati

Doctoresque valde graves melius loqui non possent; & quomodo Theologis disputantibus de quæstionibus Gratiæ, & peccati originalis, ita eas expediverit, ut nullus insignis Cathedraticus respondere aptius posset: atque hinc scite concluditur, de scientia infusa non esse dubitandum.

13. Si quis plura quærit, de aliis videlicet Sanctis; qui scientia infusa præditi fuerint, manum admovere posset ad opus Bagattæ *de admirandis orbis Christiani tom. 1. pag.* 170. *&* 172. ubi congesta sunt multa exempla Sanctorum tum virorum, tum mulierum. De S. Catharina Vergine Alexandrina legitur, Maximini jussu accersitos undique fuisse doctissimos homines, & magna eis proposita præmia, si convictam a Christi Fide ad idolorum cultum perduxissent: quod contra accidit; nam plures Philosophi, qui ad eam coarguendam convenerant, vi ac subtilitate ejus disputationis tanto Jesu Christi amore sunt incensi, ut pro illo mori non dubitaverint; cumque Maximinus blanditiis ac promissis eam de sententia deducere frustra conatus fuisset, post varia tormentorum genera securi percuti imperavit. Cardinalis Baronius *in annal. ad an.* 307. *num.* 32. id refert non modo ad scientiam acquisitam, sed etiam ad scientiam infusam: *Dignum plane est emistimare, eam, quam disertissimam sciret, per Gentiles Philosophos, quibus urbs Alexandrina abundare solebat, Maximinum conatum esse a Christiana religione divellere, ipsamque eos omnes tum scientia, qua egregie imbuta erat, tum etiam divinitus inspirata sibi sapientia superasse.* Scimus, magnam esse controversiam de Actis hujus S. Catharinæ: dicebatur enim martyrium passa sub Maxentio, uti perpendit Galesinius *in Martyrologio, in notat. pag.* 186. & loco Maxentii Maximinum substitutum fuisse, quemadmodum prosequitur Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrol. Rom. ad diem* 25. *Novembris*. Scimus, eumdem Cardinalem Baronium certamen S. Catharinæ Virginis & Martyris desumpsisse ab Eusebio *lib.* 8. *cap.* 27. juxta versionem Christophorsonii; at id non placere Papebrochio *in ephemeridibus Græco-Moschis*, quas priori tomo *Maji* præfixit, *ad diem* 25. *Novembris*, nec Pagi seniori *ad an.* 307. *num.* 16. Scimus præterea, universam controversiam resumptam fuisse ab eodem Papebrochio *in respons. ad exhibitionem errorum sibi oppositorum a P. Sebastiano a S. Paulo, in respons. ad art.* 11. Sed, cum propositum Nobis non sit de hac quæstione judicium ferre, rem exposuimus, prout est exposita in Breviario Romano; ut ex ea videlicet colligatur, posse in Dei Servo scientiam reperiri una cum scientia acquisita, & tunc quidem scientiæ infusæ probationem ex eo desumi posse, quod scientia fines excesserit scientiæ acquisitæ; uno verbo, quod ea præstiterit, quæ per scientiam acquisitam præstari non potuissent.

14. Ars quædam reperitur, quæ *Notoria* dicitur, in qua, præmissis nonnullis orationibus, aliisque, quæ ad pietatem spectare videntur, jactatur, omnes disciplinas liberales illico disci. De hac agit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 1. ubi ostendit, artem prædictam esse illicitam & inefficacem. Inter *colloquia* Erasmi unum est, cui titulus, *Ars notoria*. De ea autem sic loquitur (*col.* 849. *oper. tom.* 1.) *Audio, artem esse quamdam notoriam, quæ hoc præstet, ut homo minimo negotio perdiscat omnes disciplinas liberales. Quod audio, vidisti codicem? Vidi, sed vidi tantum, quod non esset Doctoris copia. Quid continebat liber? Varias animantium formas, draconum, leonum, leopardorum, variosque circulos, & in his descriptas voces partim græcas, partim latinas, partim hebraicas, aliasque barbaricarum linguarum. Intra quot dies pollicebatur titulus disciplinarum cognitionem? Intra quatuordecim.... Nosti ne, quemquam per istam artem notoriam evasisse doctum? Nequaquam, neque quisquam alius vidit unquam, aut visurus est, nisi posteaquam viderimus, aliquem per Alchimisticam evasisse divitem*; & in fine: *Ego aliam artem notoriam non novi, quam curam, amorem, & assiduitatem*: quo Erasmi testimonio recitato, concludit Thiers *in tract. de superstitione tom.* 1. *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. actum esse de arte notoria ex sola experientia, præter ea, quæ ex sacra Theologia adversus eam desumi possunt.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM.

De Gratiis gratis datis, Fidei, sanitatum, & operationis virtutum.

1. FIDES numerata inter Gratias gratis datas ab Apostolo, juxta nonnullos, est certissimus assensus principiis Catholicæ Fidei, qui in Evangelico Doctore est præsumendus. Sententia hæc esse videtur D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 4. ubi de Fide, prout est Gratia gratis data, ait: *Oportet enim, quod ille, qui debet alium instruere in aliqua scientia, primo quidem ut principia illius scientiæ sint ei certissima; & quantum ad hoc ponitur Fides, quæ est certitudo de rebus invisibilibus, quæ supponuntur ut principia in Catholica doctrina.* Tum sibi secundo loco opponit, Fidem numerari non posse inter Gratias gratis datas, quandoquidem est Gratia gratum faciens: *Gratia gratis data distinguitur contra Gratiam gratum facientem; sed Fides pertinet ad Gratiam gratum facientem, quia per ipsam justificamur, secundum illud Rom.* 5. Justificati igitur ex Fide; *ergo inconvenienter ponitur Fides inter gratias gratis datas, præsertim cum aliæ virtutes ibi non ponantur, ut Spes, & Charitas.* Sic autem respondet oppositioni: *Fides non numeratur inter Gratias gratis datas, secundum quod est quædam virtus justificans hominem in se ipso; sed secundum hoc, quod importat quamdam supereminentem certitudinem Fidei, ex qua homo fit idoneus ad instruendum alios de his, quæ ad Fidem pertinent. Spes autem & Charitas pertinent ad vim appetitivam, secundum quod per eam homo in Deum ordinatur.*

2. Alii putant, Fidem, prout est Gratia gratis data, esse Fidem miraculorum, de qua idem Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 13. *v.* 2. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam*: cum enim hæc Fides miraculorum esse non possit Gratia gratum faciens, dicenda erit per consequens Gratia gratis data. Sententia hæc quoque innititur doctrinæ D. Thomæ 2. 2. *qu.* 178. ubi, proposita quæstione, *Utrum sit aliqua Gratia gratis data ad miracula facienda*; ipsaque affirmando resoluta, hoc sibi quinto loco proponit argumentum: *Operatio miraculorum consequitur Fidem vel facientis, secundum illud ad Corinth.* 13. Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, *sive etiam aliorum, propter quos miracula fiunt; unde dicitur Matthæi* 13. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum. *Si ergo Fides ponitur Gratia gratis data, superfluum est, præter hoc ponere aliam Gratiam gratis datam, operationem signorum.* Sic autem oppositioni respondet: *Ad quintum dicendum, quod operatio miraculorum attribuitur Fidei propter duo; primo quidem, quia ordinatur ad Fidei confirmationem; secundo, quia procedit ex Dei omnipotentia, cui Fides innititur: & tamen, sicut præter Gratiam Fidei necessaria est Gratia sermonis ad Fidei instructionem, ita etiam necessaria est operatio miraculorum ad Fidei confirmationem.*

3. Alii per Fidem intelligunt constantiam in Fide. Alii per hanc Fidei Gratiam intelligunt, non simplicem Fidei assensum, vel aliquam internam, & (ut loquuntur) intensivam certitudinem ejus, sed quasi extensivam perfectionem cognitionis Fidei quoad modum concipiendi, persuadendi, & defendendi doctrinam Fidei non solum coram Tyranno Fidem impugnante, sed quoties se offerat alia quælibet occasio confitendi, vel proponendi Fidem altiori modo ad aliorum potissimum utilitatem. Alii denique volunt, Fidem, prout est Gratia gratis data, esse explicandam de Fide particularium revelationum, quæ aliquibus sæpe fiunt ob aliquam communem Ecclesiæ utilitatem: pertinent quippe tales revelationes ad aliquam Fidem, saltem privatam, quæ non potest esse, nisi Gratia gratis data.

4. Fuse hæc legi possunt apud Suarez *tom.* 1. *de Gratia, prolegom.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. *& seqq.* Cardinalis autem de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disput.* 19. *art.* 6. docet primo, Fidem, prout est Gratia gratis data, non esse habitum scientificum, seu peritiam, per quam quis potest alios Fidem docere; quia vel hæc acquiritur labore & studio, & Gratia gratis data esse non potest; vel sine labore & studio acquiritur, & tunc erit quidem Gratia gratis data, non tamen Fidei, sed sermonis scientiæ, vel sapientiæ, juxta ea quæ superius dicta sunt. Docet secundo, Fidem, prout est Gratia gratis data, non esse firmum assensum, qui habetur circa res Fidei; hic enim non respicit bonum aliorum, sed bonum habentis. Docet tertio, Fidem, quæ inter Gratias gratis datas

ab

ab Apostolo reponitur, non consistere in peculiaribus revelationibus, quas Deus alicui communicat; revelationes siquidem istæ non sunt manifestatio Spiritus pro aliorum bono, quemadmodum requiritur in Gratia gratis data. Docet quarto, valde probabile esse, ut Fides, prout est Gratia gratis data, sit fervor & constantia illa Fidei, quam Martyres exhibent coram Tyranno, juxta illud *Actor.* 5. *v.* 41. *Ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Ex hac etenim constantia provenit utilitas Ecclesiæ, cum innumeri, Apostolorum & aliorum Martyrum visa constantia, ad Fidem conversi sint, ipsique Milites, carcerum Custodes, & Judices exemplo commoti martyrium pari confessionis constantia subierint. Docet denique quinto, probabilius esse, ut Fides Gratia gratis data sit ea, cujus virtute patrantur quædam miracula, fiducia videlicet in Deum ad impetrandum, quæque idcirco dicitur patrativa miraculorum. Probat autem Eminentissimus Auctor assertionem auctoritate S. Joannis Chrysostomi *homil.* 29. *in cap.* 12. *epist.* 1. *ad Corinth.* (*pag.* 263. *oper. tom.* 10.) ubi scribit explicans illud Pauli supra citatum: *Fidem non hanc dicens, quæ dogmata spectat; sed Fidem signorum, de qua Christus dicit:* Si habueritis Fidem, ut granum sinapis, dicetis huic monti, transi hinc, & transibit. *Et hanc petebant Apostoli dicentes:* Adde nobis Fidem. *Hæc enim mater signorum est*. Probat etiam auctoritate Theodoreti *in eumdem locum* ita loquentis: *Fidem hic non hanc dicit communem, sed illam, de qua paulo post dicit:* Etsi habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam. *Propter eam enim quæ tunc erat Infidelitatem, multa ejusmodi miracula faciebant ad admirationem, per hæc illos deducentes ad veritatem.* Explicat deinde, quomodo Fides hæc sit Gratia gratis data, cum sit manifestatio Spiritus, & Ecclesiæ afferat utilitatem; multi siquidem ad Fidem ejus intuitu convertuntur, aliique in Fide confirmantur: concluditque, Gratiam hanc esse actualem quamdam Dei motionem, cum per actuale Dei auxilium, etiam secluso habitu, omnia prædicta possint haberi.

5. Juxta hanc explicationem, Gratia Fidei fere unum & idem est cum Gratia sanitatum, & operationis virtutum. Suarez *loc. cit. num.* 16. ait, Gratiam sanitatum solum significare, quod verbi proprietas præsefert, hoc est curationes mirificas a morbis corporis, & operationem virtutum omnia alia opera mirifica comprehendere, quæ supra naturam sunt, & fiunt vel circa homines, vel circa alias res sensibiles. Eodem fere modo rem explicant Salmanticenses *in arbore prædicamentali virtutum* §. 17. *sub num.* 166. *tom.* 3. ubi, loquentes de Gratia miraculorum, hæc habent: *Dividitur autem in gratiam sanitatum, ut cum miracula fiunt ad remedium nostræ corporalis salutis & vitæ: & in operationem virtutum, ut cum solum manifestant Divinam omnipotentiam, eaque manifestatione Fidem confirmant*. Doctrina hæc est etiam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 178. *ar.* 1. ubi, proposita jam supra indicata quæstione, *Utrum sit aliqua Gratia gratis data ad miracula facienda*, eaque (uti diximus) affirmando resoluta, hoc sibi quarto loco proponit argumentum: *Miraculosa reparatio sanitatis per Divinam virtutem fit; ergo non debet distingui Gratia sanitatum ab operatione virtutum*. Oppositioni autem ita respondet: *Ad quartum dicendum, quod Gratia sanitatum commemoratur seorsum, quia per eam confertur homini aliquod beneficium, scilicet corporalis sanitatis, præter beneficium commune, quod exhibetur in omnibus miraculis, ut scilicet homines adducantur in Dei notitiam*. Fuse & optime Cardinalis de Laurea *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disput.* 19. *art.* 7. & 8. ubi ait, licet aliquando in sacra Scriptura promiscue sumatur Gratia sanitatum cum operatione virtutum, juxta illud *Actor.* 19. *vers.* 11. *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur;* Gratiam nihilominus sanitatum proprie esse facultatem, qua quis ante oculos Dei virtute curat morbos corporum; & operationem virtutum esse facultatem, per quam quis potest evidenter & sensibiliter operari magna miracula, quæ ad sanationes corporum non pertinent.

6. Atque ex his ad alia transeuntes dicimus, dari in Ecclesia Gratiam miraculorum: Spiritus enim Sanctus Ecclesiæ suæ providit in his, quæ sunt utilia ad salutem: quocirca, sicuti notitia, quam quis divinitus accepit, in notitiam aliorum perducit per donum linguarum, & per Gratiam sermonis; ita per operationem miraculorum sermonem prolatum confirmat, ut fiat credibilis, juxta illud Marci *cap. ult. v.* 20. *Et sermonem confirmante sequentibus signis*. Ita D. Thomas *loc. cit.* quod ipsum bene prosequitur Silvius *in* 2. 2. *D. Thomæ quæst.* 178. *art.* 1. *Deus sufficienter providet Ecclesiæ in iis quæ sunt utilia ad salutem suorum; atqui ad Electorum salutem non illud solum pertinet, quod salutaris doctrina eis proponatur sive per donum linguarum, sive per Gratiam sermonis, sed etiam quod illa sic confirmetur, ut fiat credibilis. Confirmatur autem convenienter per miracula: cum enim illi, coram quibus fiunt, vident ea fieri a solo Deo supra omnem naturæ creatæ facultatem, Divino munere adjuti, inducuntur ad supernaturalem veritatem, pro cujus confirmatione patrantur, amplectendam, & solidantur ad eam, quam sunt amplexi, firmiter retinendam. Igitur sicut ad Fidem infidelibus proponendam opus est Gratia sermonis, ita ad Fidei recens annuntiatæ confirmationem opus est miraculorum exhibitione.*

7. Gratia hæc miraculorum non est quippiam manens in anima per modum habitus: principium siquidem operandi miracula extendit se ad omnia quæ supra naturam fieri possunt; ideoque non aliud est, quam Divina omnipotentia, quæ nulli creaturæ, nullive puro homini communicari potest. Si enim virtus faciendi miracula semper adesset habentibus Gratiam miraculorum, ipsi semper facere possent miracula, quando vellent, quod utique falsum est. *Matthæi* 17. *v.* 18. Apostoli interrogant: *Quare nos non potuimus ejicere illum?* Christus autem respondet *v.* 20. *Hoc autem genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem & jejunium*. Rursus Eliseus non potuit suscitare filium Viduæ per sui baculi applicationem, uti habetur 4. *Regum* 4. Legi potest D. Thomas *quæst.* 6. *de potentia art.* 4. Quare Gratia miraculorum in hoc consistit, quod cum Deus alicui ipsam tribuit, interdum movet ejus mentem ad faciendum aliquid, quod consequitur opus mirificum; interdum vero contactu alicujus rei ad ipsum pertinentis, interdum oratione, pia nominis ejus invocatione, locutione, aut aliquo ipsius externo actu utitur tanquam instrumento. Ita conceptis verbis Silvius *loc. cit.* Dictum est, miraculorum Gratiam per modum habitus nulli puro homini communicari: Christo quippe ut homini, seu humanitati ejus data est perpetua & constans operatio virtutum & miraculorum, quia libera sua voluntate poterat miracula operari, quoties opportunum judicabat; & ad hoc semper paratum habebat necessarium Divinitatis concursum, etiamsi humanitati nulla esset qualitas permanens indita, quæ physicum principium esset miraculorum; uti optime adnotavit Suarez *tom.* 1. *de Gratia, prolegom.* 3. *cap.* 5. *num.* 17. & *seqq.*

8. Addit Suarez, permanentem Gratiam, & frequentiam miraculorum in principio Ecclesiæ fuisse necessariam; juxta illud *Actor.* 5. *v.* 12. & 14. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe .... Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum &c.* & Marci *cap.* 16. *v.* 20. *Prædicaverunt ubique* (Apostoli) *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Itaque ait S. Gregorius *homil.* 29. *in Evangelia* (*col.* 1571. *t.* 1.) *Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt; ut enim Fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda:* item, eamdem Gratiam etiam hodie permanere in corpore Ecclesiæ, non quidem in certis ac definitis personis, sed in iis, quibus talis actualis Gratia conceditur, quando & quomodo vult Spiritus Sanctus. D. Augustinus *de civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. postquam meminit miraculorum a Christo factorum, subjicit (*col.* 663. *tom.* 7.): *Nam etiam nunc fiunt miracula in ejus nomine sive per Sacramenta ejus, sive per orationes vel memorias Sanctorum ejus*. Et Thomas Bozius *de signis Ecclesiæ lib.* 5. *cap.* 1. & *seqq. sign.* 11. magna & infinita propemodum recenset miracula nostris hisce temporibus edita in propaganda sancta religione; ut interim silentio prætereantur cetera antiquiora, de quibus sancti Patres testes oculati fidem fecerunt, Irenæus videlicet *lib.* 2. *de hæres. cap.* 66. Chrysostomus *serm.* 67. Hilarius *lib. in Constantium Imperatorem*, Gregorius Nazianzanus *orat.* 18. Theodoretus *orat.* 8. *adversus Græcos*, Hieronymus *in libro contra Vigilantium*.

9. Vulgatum est apud Theologos, Gratiam miraculorum esse Gratiam gratis datam, eamque idcirco nedum Justis, sed etiam peccatoribus aliquando conferri: Duvallius *de suprema Romani Pontificis potestate in Biblioth. Max. Pontif. tom.* 3. *pag.* 421. Gonzal. *in cap. Audivimus, num.* 9. *de Reliq. & venerat. Sanctorum*, Majolus *in diebus canicularibus ad tit. Vaticinia pag.* 534. Theophilus Raynaudus *oper. tom.* 15. *in heteroclit. spiritual. num.* 12. & *seqq. pag.* 265. Contelorius *de Canoniz. SS.*

cap. 20. *num.* 5. *& seqq.* Rocca *eod. tract. cap.* 9. aliique passim. In superiori *cap.* 42. *n.* 5. relata sunt verba Christi Domini *cap.* 7. *Matth.* dicentis, se non nosse eos, qui iniquitates operati sunt, licet in nomine suo prophetassent, & Dæmonia ejecissent, & virtutes multas fecissent; necnon Apostoli 1. *ad Corinth.* 13. dicentis, se nihil esse sine Charitate, etiamsi Fidem habuisset, per quam montes transferret. Additur modo explicatio Estii *in comment. ad dictum locum v.* 2. ita loquentis: *Nam sane sicut Apostolo nulla repugnantia est, aliquem linguarum, aut prophetiæ dono, aut notitia mysteriorum, atque scientia excellere, quæ superius nominata sunt, aut in egenos esse profusum, aut corpus suum flammis tradere pro Christi nomine, quæ postea nominantur, & Charitatem non habere; ita nihil repugnat, ex ejusdem Apostoli mente, ut quis habeat Fidem, qua montes transferat, & Charitatem non habeat.*

10. Dices: Si etiam a peccatoribus fieri possunt miracula, miracula non erunt necessaria in judicio Beatificationis Servorum Dei, & in judicio Canonizationis Beatorum. At facilis est responsio: tum quia licet Gratia miraculorum aliquando peccatoribus collata sit, & possit conferri; plerumque tamen Justis tantum, & Sanctis communicatur, uti animadvertit Suarez *de Gratia tom.* 1. *prolegom.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. tum quia in judicio tum Beatificationis, tum Canonizationis non assumitur examen miraculorum, nisi prius de virtutibus in gradu heroico constiterit, aut de martyrio; quemadmodum adnotavit Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 8. *cap.* 1. *pag.* 569. & bene explicat Arauxo *in decis. moral. tract.* 3. *quæst.* 23. *num.* 14. ubi hæc habet: *Igitur præcipue ex virtutibus heroicis, concomitanter vero & secundario ex privatis visionibus & miraculis ad nominis invocationem patratis, sumitur efficax testimonium sanctitatis illius, qui albo Canonizandorum est adscribendus, ut hic verum habeat tritum axioma; Singula quæ non prosunt, simul collecta juvant.*

11. In prima hujus nostri Operis editione *in hoc cap.* 44. *lib.* 3. multa alia exposuimus de miraculis, quæ fieri possunt etiam a peccatoribus. In secunda autem, & in hac tertia ejusdem nostri Operis editione opportunius esse existimavimus ea ad quartum tomum transferre, ubi agitur de miraculis, quæ facta esse dicuntur ab Infidelibus, & Hæreticis; cum materiæ series & ordo id exposcere videantur.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM.

De Gratia gratis data Prophetiæ.

1. PROPHETIA est futurorum præcognitio: at aliquando extenditur ad præterita, quorum nec memoria, nec certa signa extabant, & ad præsentia loco distantia & occulta, & ad internas cordium cogitationes, ita ut Propheta sit, qui divinitus cognoscit ea, quæ longe distant a sensu & naturali cognitione hominum, & ea potest manifestare. Quocirca Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad causas Beatific. & Canonizat. tract.* 3. *cap.* 3. *art.* 2. §. 4. *num.* 45. ita Gratiam gratis datam prophetiæ describit: *Prophetia est Gratia, qua mediante quis potest certo cognoscere & manifestare ea, quæ cognoscere alias non posset absque actuali revelatione particulari Dei in illis circumstantiis, in quibus illa cognoscit, sive sint futura, sive præterita, sive absentia, & occulta præsentia, aut secreta cordium, & internæ cogitationes.* Quod recte prosequitur Scacchus *de not. & sign. sanct. sect.* 8. *cap.* 2. & adhærent Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib.* 4. *c.* 1. *quæst.* 1. *per tot.* & *signanter in* §. *Dixi tertio*, Philomarinus *in tract. de revelationibus tract.* 1. *cap.* 1. *sect.* 5. Torreblanca *de magia lib.* 1. *cap.* 3. *de prophetia a num.* 34. *usque ad num.* 52. Cardinalis Bona *de discretione spirituum cap.* 17. *num.* 2. & Cardinalis Gottus *tertio libro de veritate religionis Christianæ cap.* 13. §. 1. Prophetiam autem esse futurorum præcognitionem, desumitur *ex* 1. *epist.* Petri *cap.* 1. *v.* 10. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis Gratia prophetaverunt, scrutantes, in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias, quibus revelatum est.* Item, prophetiam aliquando extendi ad præterita, quorum nec memoria, nec certa signa extabant, comprobatur ex illo *Joan.* 4. *v.* 18. ubi Salvator dicit Samaritanæ: *Quinque enim viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir.* Respondit quippe mulier *v.* 19. *Domine, video, quia Propheta es tu.* Et pergens ad civitatem clamat *v.* 29. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Denique, prophetiam extendi ad præsentia loco distantia & occulta, & ad internas cordium cogitationes, demonstratur ex illo Pharisæi *Luc.* 7. *v.* 39. Cum enim Mulier peccatrix ad Jesum accessisset comedentem in domo Pharisæi, & stans retro lacrymis cœpisset rigare ejus pedes, Pharisæus intra se dixit: *Hic, si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Dictum est etiam, Prophetam divinitus cognoscere; Isaiæ quippe 41. *vers.* 23. legitur: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Et *epist.* 2. S. Petri *cap.* 1. *vers.* 21. *Non enim voluntate humana, allata est aliquando prophetia, sed, Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Quo pertinet illud Cassiodori *in præfat. ad Ps. cap.* 1. (*oper. tom.* 2. *pag.* 3.) ubi sic describit prophetiam: *Prophetia est aspiratio Divina, quæ eventus rerum aut per facta, aut per dicta quorumdam, immobili veritate pronuntiat.*

2. Propheta ergo est, qui aut futura prænuntiat, aut præterita, vel præsentia patefacit ceteris abscondita, quamvis communiter, & ut plurimum prophetia ad futurorum prænuntiationem restringatur. S. Thomas 2. 2. *quæstion.* 171. *artic.* 3. docet, propheticam cognitionem ea omnia comprehendere, quæ in superioribus dicta sunt, triplicemque eorum esse gradum: unum eorum, quæ sunt procul a cognitione unius hominis, sed non a cognitione omnium hominum; aliquis enim homo sensu cognoscit quæ sunt sibi præsentia secundum locum, quæ tamen alius humano sensu, utpote sibi absentia, non cognoscit; secundum gradum esse eorum, quæ excedunt universe cognitionem omnium, non quia natura sua cognosci non possint, sed propter defectum cognitionis humanæ, sicut ex. gr. mysterium Sanctissimæ Trinitatis: ultimum demum gradum esse eorum, quæ sunt procul ab omnium hominum cognitione, quia in se ipsis non possunt cognosci, ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata: concluditque, quia quod est universe & per se, potius est eo, quod est peculiariter & per accidens, ad prophetiam maxime proprie pertinere revelationem eventuum futurorum, & affert illud S. Gregorii *super Ezechielem* (*lib.* 1. *hom.* 1. *tom.* 1. *col.* 1173.): *Quia cum ideo prophetia dicta sit, quod futura prædicat; quando de præterito, vel præsenti loquitur, rationem sui nominis amittit.* Quod late prosequitur Dominicus Gravina Divi Thomæ discipulus in opera, cui titulus, *Lapis Lydius, lib.* 2. *de visione prophetica cap.* 25. Pater Nicolaus Baldellus Cortonensis Societatis Jesu Theologus, qui in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu appellatur *Vir egregie doctus*, duosque edidit Theologiæ moralis libros, editurus tertium quoque jam paratum, nisi fato præreptus fuisset; dum erat in humanis, fuit magister spiritalis cujusdam *Arsiliæ Altissimi viduæ Tiburtinæ*, quæ anno 1643. mortua est non sine fama sanctitatis. Post ejus obitum Baldellus notitiam virtutum ipsius, & Gratiarum gratis ei a Deo datarum narrationem scripto exposuit Patri Mutio Vitellesco tunc Societatis Jesu Præposito Generali. Narratio prædicta Romæ inter manuscripta Patrum Societatis Jesu servatur: cumque ejus exemplar ab ipsis Patribus magna cum humanitate Nobis dono datum sit, dum Romæ morabamur, pleraque ex eo in rem præsenti desumemus, allatis ipsis Auctoris verbis: *Devesi dunque sapere, che sebbene la profezia si stende a tutte quelle che può manifestarsi col lume Divino, in che s'appoggia, e questo sia qualche misterio sopranaturale, o cosa già passata, o presente, o da avvenire, ma occulta a chi profeta, come insegna S. Tommaso nella 2. 2. quæstion. 171. artic. 3. e sebbene il vocabolo di profetare, che vien derivato dal veder di lontano, si può accomodare a tutte quelle, che si vede, e per se stesse dovrebbe non esser veduto, come lontano da chi lo vede, come insegna il medesimo al luogo citato artic. 1. contuttociò particolarmente si dice esser Profeta, chi intende e predice le cose future, e che son lontane in quanto al tempo. E la profezia, come soggiugne il medesimo, e S. Gregorio nell' omel. 1. in Ezech. quando parla di cose passa-*

te,

te, o presensi, benchè occulte, perchè non sono lontane di tempo, perde il nome di profezia.

3. Prophetia consistit in cognitione, & in cognitorum manifestatione. Et cognitio quidem suapte natura præmittitur; nemo enim potest de aliqua re loqui, nisi eam agnoscat: sed, cum Gratiæ gratis datæ sint manifestationes Spiritus in aliorum utilitatem, hinc fit, ut in prophetia cognitioni superaddatur manifestatio, juxta Divum Thomam 2. 2. *cit. quæst.* 171. *art.* 1. quinimmo in ratione Gratiæ gratis datæ manifestatio præcellere dicenda est cognitioni, veluti late ostendit Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 4. disp. 19. art. 9.* §. 1. Juxta eumdem S. Thomam *loc. cit. art.* 2. cum prophetia pertineat ad cognitionem, quæ supra naturalem rationem est, consequens est, ut ad prophetiam requiratur quoddam lumen intellectuale excedens lumen naturale rationis, juxta illud Michææ 7. *v.* 8. *Cum sedero in tenebris, Dominus mea lux est*. Quapropter Prophetarum cognitio, si consideretur ex parte Dei, continet quodammodo Divinam & increatam actionem, quæ *revelatio*, seu *locutio Dei* appellatur: si vero eadem prophetia consideretur ex parte Prophetæ, hoc est quatenus ab ejus intellectu, medio prædicto lumine, vitaliter elicitur, ibique manet, dicitur *visio*, & *auditio*, juxta varios respectus ad Deum ut revelantem, & ut loquentem, quod recte explicant Salmanticenses *tom. 3. curs. Theolog. in arbore prædicamentali* §. 17. *sub num.* 170.

4. Porro, ut Propheta cognoscat, opus est, ut ejus intellectui ea repræsententur, quæ debet cognoscere, & aliis manifestare: hæc autem repræsentatio triplici modo fieri potest. Primo secundum exteriorem sensus perceptionem, ut si oculis corporeis aliqua spectacula appareant, vel auribus voces percipiantur, & inde species transeant ad imaginationem & intellectum. Exemplum est in Daniele, qui vidit scripturam parietis, uti legitur *Daniel.* 5. Secundo modo per sensum internum, quando etsi foris nihil apparuerit, aliqua imaginationi repræsentantur, & inde transeunt ad intellectum, sive hoc contingat, infundente Deo imaginationi novas omnino species, quarum objecta neque oculus vidit, neque auris audivit; sive novo modo ordinando, quæ in ea per habitum existunt a sensibus acceptæ. Exemplum est in Jeremia, qui vidit ollam succensam a facie Aquilonis, uti habetur 1. *Jeremiæ*. Tertio modo secundum repræsentationem omnino intellectualem, cum Deus sine motu & ope sensuum internorum vel externorum novas species intelligibiles in intellectu producit, vel antiquas a sensibus acceptas ita modificatur atque disponit, ut sine opera phantasmatum veritatem intelligibilem repræsentent; uti late ostendit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 173. *art.* 2. Cumque cognitio eo sit perfectior, quo magis a sensibus abstrahitur, hinc fit, ut perfectissimus gradus prophetiæ sit tertius, in quo cum sensu nulla est communicatio; medius sit, de quo secundo loco habita est mentio; & infimus, de quo primo loco locuti sumus; ut idem S. Doctor prosequitur 2. 2. *quæst.* 174. *art.* 2. *&* 3. Addunt Salmanticenses *loc. cit. num.* 171. non esse hujusmodi gradus ita distinguendos, quasi secundum aliquem eorum ipsa Prophetæ cognitio consistat in sola sensatione externa, vel interna; semper enim pertingere debet usque ad judicium intellectus; sed distinguendos eatenus, quatenus in supremo cognitio intellectualis non ducit originem a sensibus, neque ab illis dependet, sed magis ab intellectu ad sensus redundat; quando in aliis duobus cognitio & repræsentatio originem trahunt a sensibus vel simul internis, vel simul externis, a quibus proinde dependent & denominantur. Concordat Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 4. disp.* 19. *art.* 9. §. 2. ubi ait, frequentius Deum revelare Prophetis per Angelos, quæ manifestare debent, non forma sensibili sensui externo, sed per speciem sensibilem sensui interno, seu phantasiæ ac imaginationi, vel per speciem intelligibilem intellectui tantum, & non sensui; additque, si locutio sit pure intellectualis, ita ut phantasia nihil operetur, objecta debere fieri præsentia per species intelligibiles, alioquin nec intelligi, nec cognosci possent; seque ignorare, an id umquam acciderit, ut scilicet per solas species intelligibiles, & per solam locutionem intellectualem Deus per se immediate, vel per Angelos Prophetis locutus sit, ea revelando quæ manifestare debebant: subjicitque Cardinalis Bona *in cit. tract. de discr. spirit. cap.* 17. *num.* 3. adhuc disceptari inter Scholasticos & Mysticos, an detur, vel dari possit in hac vita mortali pura visio intellectualis absque interventu phantasmatum.

5. Prophetica revelatio fit per Angelos, cum, juxta illud ad Romanos 13. v. 1. *Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt*, Divinitatis ordo habeat, ut infima per media disponat, Angeli autem medii sint inter Deum, & homines. Quapropter illuminationes & revelationes Divinæ, & sic prophetica cognitio, quæ fit per illuminationem & Divinam revelationem, ad homines deferuntur per Angelos, quibus agentibus ut Dei ministris, prophetica revelatio, licet eorum ministerio fiat, Divina dicenda est, juxta eumdem S. Doctorem 2. 2. *quæst.* 172. *art.* 2. Hinc *Genes.* 16. Angelus loquitur ad Agar; *Genes.* 19. Angeli Lot alloquuntur; & *Genes.* 22. *vers.* 16. Angelus loquitur ad Abraham: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*; & *Luc.* 1. *v.* 19. Angelus apparuit Zachariæ inquiens: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare*; idemque Gabriel ad Beatissimam Virginem missus, ei altissima Incarnationis & Redemptionis mysteria revelavit. Multa alia similia exempla collecta legi possunt a Petro Joanne Olivario in suo tractatu de prophetia, & spiritu prophetico *tit. de Angelica prophetia*; ubi post plura ait: *Nemo est igitur qui neget prophetiam esse Angelicam, & illam quidem verissimam. Immo sunt qui existimant, universam prophetiam, medio Angelo, esse inspiratam.* Alibi facta est mentio Hieronymi Savonarolæ Ordinis Prædicatorum. Assertas ejus virtutes, & sanctitatis opinionem, nullo a Nobis prolato judicio, reliquimus in eo statu, in quo sunt; & justitiam sententiæ, qua morte multatus est, admisimus. Longe post ejus obitum controversia excitata est de operibus ab eo conscriptis. Damnatus fuit ejus liber *de veritate prophetica*; sed perstat adhuc aliud opus ipsius minime condemnatum, videlicet *Compendium revelationum*; ut in præfatione vitæ ipsius *auctore Jo. Francisco Pico*, Parisiis edita anno 1674. legitur; in citato *autem compendio revelationum to.* 1. *pag.* 224. ita scripsit: *Notandum est autem, quod has exteriores apparitiones necnon imaginarias, Deus Angelico ministerio efficit, ut inquit Sanctus Dionysius in libro de cælesti hierarchia, quia quicquid a Deo est, ordinate procedit, juxta illud Apostoli*: Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. *Ordo autem Divinæ sapientiæ est, disponere infima per media, & media per suprema. Cum igitur inter Deum & hominem Angeli medii fiant, ab ipso Deo illuminationes propheticæ per Angelicos Spiritus subministrantur, qui non tantum ad diversas apparitiones interius phantasiam illustrant & commovent, sed etiam intrinsecus Prophetas alloquuntur. Quibus etiam sæpenumero exterius se in humana figura exhibent, futura prænuntiantes, & de multis peragendis eos instruentes.* Cardinalis de Lauræa *loc. cit.* §. 2. ait, non repugnare, ut Deus ipse per se loquatur Prophetæ, docens eum illa quæ debet manifestare, Prophetam scilicet alloquendo, sicut alius homo cum Propheta loqueretur, vel ei apparendo sub forma hominis, juxta illud Isaiæ *cap.* 6. *v.* 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum .. Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri &c. Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua &c. Et audivi vocem Domini dicentis: Vade, & dices populo huic.* Idemque Eminentissimus Auctor admittit, Deum regulariter Prophetas allocutum, & nunc etiam alios alloqui per Angelos, ea revelando quæ debent prædicere, seu manifestare: quod recte exornat Martinus del Rio *disquisit. magicar. cit. lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 1. §. *Solet ut plurimum*; idemque allegato S. Gregorio *in lib.* 28. *moral. cap.* 2. docet Cardinalis de Turrecremata *in prologo ad revelationes S. Birgittæ cap.* 4. *Sciendum, inquit, quod duobus modis loquutio Divina dicitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur; aut per creaturam Angelicam, ejus ad nos verba formantur &c. Nisi enim Angeli quædam interna nunciantes ad tempus ex aere corpora sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent*; & sequitur Torreblanca *de magia lib.* 2. *cap.* 1. *de prophetia num.* 40. *Solet Deus hanc virtutem, mediante Angelo, hominibus inspirare, in assumpto scilicet corpore, vel apparitione tantum spirituali &c. Sed ex eo negandum non est, posse Deum, si velit, ipsum immediate hominis mentes illustrare.*

6. Dividitur prophetia multipliciter; vel ex parte luminis; vel ex parte objecti, sive rei cognitæ; vel ex parte medii, scilicet specierum, quibus fit repræsentatio; vel ex parte modi cognitionis. Ex parte luminis dividi potest in perfectam, & in imperfectam. Prima est, per quam certo cognoscitur non modo res revelata, sed ipsa revelatio; & cognoscitur, Deum esse qui revelat; & hæc sola dicitur absolute & simpliciter *Prophetia*: per secundam vero,

so, quamvis aliqua veritas nota fiat, non tamen ita certo, neque satis percipitur, a quo fiat revelatio, & utrum spiritus propheticus, an proprius loquatur; & hæc vocatur *Instinctus propheticus*, cui ex modo, quo fit, non repugnat, falsum subesse. Ex parte objecti cogniti dividitur in prophetiam comminationis, præscientiæ, & prædestinationis. Prima est, per quam Deus revelat aliqua future, quæ cognoscit non in se ipsis, vel in aliquo decreto absoluto, sed in ordina suarum causarum, & in decretis conditionalibus, quæ possunt per alia decreta absoluta impediri: quare sensus revelationis non est, talia absolute futura esse, sed solum fore ax vi causarum ad eam determinatarum, in qua clauditur hæc conditionalis, *Nisi desuper impediantur*: quamvis Prophetæ sæpe prædictam conditionalem non explicent, sed videantur loqui absolute. Secunda est, per quam Deus revelat futura dependentia a libero arbitrio creato, quæ videt præsentia in æternitate. Tertia est, cum revelat, quæ ipse duntaxat facturus est, cernitque præsentia in æternitate, & in decretis absolutis. Ex parte medii, seu specierum, quibus revelata repræsentantur, dividitur prophetia in intellectualem, imaginariam, & corporalem, juxta ea quæ supra dicta sum. Ex parte denique modi cognitionis, dividitur in eam, quæ fit absque alienatione a sensibus, quæ retinet commune nomen prophetiæ, & in eam, quæ fit cum tali alienatione a sensibus, quæ vocatur *Raptus*, de quo infra.

7. Adducta in paragrepho præcedenti conceptis, verbis legi possunt apud Salmanticenses *loc. supra cit. num.* 173. *& seqq.* quorum assertiones in omnibus & per omnia sunt uniformes doctrinæ D. Thomæ *in* 2. 2. *Quæst.* enim 173. *art.* 4. quærit, utrum Prophetæ semper cognoscant ea, quæ prophetant; & respondet, veros Prophetas, quorum mens divinitus illustratur, non solum cognoscere, quæ sibi revelantur, sed etiam cognoscere, ea a Deo sibi revelari, juxta illud 2. *Regum* 23. *vers.* 2. *Spiritus Domini locutus est per me &c.* Item S. Doctor *quæst.* 174. *art.* 1. explicat divisionem prophetiæ in prophetiam prædistinationis Dei, præscientiæ, & comminationis: *& cit. quæstion.* 173. *art.* 3. proposita quæstione, utrum visio prophetica semper fiat cum abstractione a sensibus, docet non fieri abstractionem a sensibus, quando aliquid repræsentatur menti Prophetæ per species sensibiles; nec opus esse, ut fiat alienatio a sensibus exterioribus, cum mens Prophetæ illustratur intelligibili lumine, aut formatur intelligibilibus speciebus, sed abstractionem a sensibus necessariam esse, quando fit revelatio prophetica secundum formas imaginarias. Suarez *in tract. de Fide disp.* 8. *sect.* 4. late ostendit, actum prophetiæ debere esse certam cognitionem non tantum rerum revelatarum, sed etiam ipsius revelantis, ita ut eam recipiens possit certum judicium ferre, Deum esse qui sibi revelat, & per consequens possit discernere, quid spirito Divino, quid vero humano ipse loquatur, cum non possit esse judicium certum & firmum rei revelatæ, nisi eadem firmitate & evidentia judicetur, Deum esse revelantem. Quare, cum prophetæ affirmabant res sibi revelatas, affirmabant etiam, Deum sibi revelare, juxta illud, *Hæc dicit Dominus*; aut, *Sermo Domini factus est*, aut, *In veritate misit me Dominus ad vos*: additque, hæc procedere in cognitione vere prophetica, non autem in illa, quæ dicitur esse ex instinctu prophetico, cum possit Spisitus Sanctus movere hominem interdum ad aliquid judicandum, ita tamen ut certo nequeat cognoscere, an instinctus ille sit a Spiritu Sancto; & tunc, cum judicium certum non sit, neque vera erit prophetia. Item de cognitione vere prophetica scribit Savonarola (*in cit. compend. revelation. pag.* 223.) Deus *quoddam lumen supernaturale Prophetæ infundit, quod est quædam participatio suæ æternitatis. Ex quo in revelationibus idem Propheta duo discernit, id est & quod ipsa revelata vera sunt, & quod a Deo proveniunt. Tantæ vero efficacia est hoc lumen, quod de duobus prædictis ita certum facit Prophetam, sicut lumen naturale certos reddit Philosophos de veritate primorum principiorum, & quemlibet hominem, quod bis duo sunt quatuor.* Cui adhæret Torreblanca *cit. oper. de magia lib.* 1. *cap.* 1. *de prophetia num.* 54.

8. Subjectum prophetiæ sunt Angeli boni, dæmones, viri, mulieres, pueri, Ethnici, seu Gentiles; nec in homine, ut fit subjectum prophetiæ, aliqua naturelis dispositio requiritur, dummodo intellectu & sensu polleat aptis ad manifestandum ea, quæ Deus sibi revelavit; bonitas autem morum quamvis multum conferat ipsi prophetæ, tamen non est ei absolute necessaria, ut habeat donum prophetiæ. De Angelo res est manifesta: Angeli enim sua naturali perspicacitate, futura libera & contingentia prænoscere non possunt, nec cognoscere valent præterita, quorum non perceperunt præsentiam, quæque nullum sui reliquere vestigium, uti contra Durandum communiter docent Theologi, neque secreta cordis alterius sive hominis, sive Angeli. Quando ergo Deus Angelo revelat futura, præterita, aut præsentia, ut homini ex. gr. manifestet, juxta ea quæ supre dicta sunt, Angelus Propheta fit. Plura ex Divino Textu collecta sunt testimonia a Petro Joanne Olivario *in tract. de prophetia, & spiritu prophetico*, ubi de hujusmodi prophetia ait: *Quare hoc genus prophetiæ sublimius est, atque excelsius omnibus aliis; nobilior enim prophetia est nobilioris creaturæ.* Ad Dæmonem quod attinet, licet ille certo non possit futura prædicere, nihil tamen obstat, quin Deus eo uti possit, ut manifestet future, præterire, & præsentia, licet occulta. Idcirco *Luc.* 8. *v.* 28. Dæmon ille, ut vidit Jesum, procidit ante illum, & exclamans voce magna dixit: *Quid mihi, & tibi est, Jesu Fili Dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine.* De mulieribus, & pueris exempla extant in sacro Textu: Maria quippe soror Moysi appellatur Prophetissa, Anna Samuelis mater prophetiæ dono prædita fuit, Elisabetha Joannis Baptistæ mater ex Dei revelatione Mariam Dei genitricem agnovit & confessa est, & quatuor Virgines Philippi Diaconi filiæ prophetabant. Et quod attinet ad pueros, Samuel puer a Domino vocatus audivit ab eo, quæ erat prædicturus in perniciem Heli Sacerdotis, & filiorum, & totius domus ejus; proindeque dicitur 1. *Reg.* 3. v. 20. *Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini*: & Daniel, qui erat unus de tribus pueris, quos pro suo famulatu Nabuch delegerat, intelligentiam visionum & somniorum a Deo recepit, & Regi declaravit somnium & visionem, uti habetur *in ejus lib. cap.* 1. *cap.* 3. *& c.* 4. Demum Balaam, qui erat Gentilis, rogatus a Balac Rege, ut malediceret populo Israelitico, noluit id facere, sed ei benedixit; Rege autem conquerente, cur benedixisset, dixit (*Numer.* 24. *v.* 13.): *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei.* Et post hæc prædixit adventum Messiæ *v.* 17. *Orietur Stella ex Jacob, & consurget Virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*; & *v.* 19. *De Jacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias civitatis*: & tandem prædixit vastationem Assyriæ, & Palæstinæ per Romanos futuram; quemadmodum legitur *in lib. Num.* 24. Ex D. Thoma hæc fere omnia desumpta sunt 2. 2. *qu.* 171. *ar.* 6. & late prosequuntur Suarez *in cit. tr. de Fide disp.* 8. *sect.* 7. Cardinalis de Lauræa *in cit. disp.* 19. *ar.* 9. §. 3. & Cardinalis Gottus *de vera religione tom.* 3. *cap.* 11. §. 2. *num.* 6. S. Thomas *l. c.* ut suadeat, Gentiles esse prophetiæ capaces, Sibyllarum utitur exemplo, quæ diserte mysteria Trinitatis, Incarnationis Verbi, Vitæ, Passionis, & Resurrectionis Christi, & ejus miracula memorarunt; quibusque, licet Gentilibus, & feminis, prophetiæ donum a Deo datum fuisse in præmium virginitatis, autumat S. Hieronymus *lib.* 1. *adversus Jovinianum num.* 41. *col.* 306. *tom.* 2. ubi ait: *Quid referam Sibyllas, Erythræam, atque Cumanam, & octo reliquas? Nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virginitas est, & virginitatis præmium divinatio.* Eodem utitur exemplo Cardinalis de Lauræa *loc. cit. num.* 248. Suarez autem illud rejicere videtur, cum satis sibi non constare dicat, quales fuerint Sibyllæ. At, cum Sibyllarum oracula ab antiquis Patribus, & Auctoribus Ecclesiasticis laudentur, licet non omnia, quæ octo libris Sibyllinis, qui extant *tom.* 8. *Biblioth. Patrum*, continentur, tanquam genuina habenda sint, absonum esset ea quæ a sanctis Patribus & Auctoribus Ecclesiasticis priorum sæculorum laudantur, & in quibus ponum firmissimum præsidium Christianæ religionis adversus Ethnicos, inter apocrypha amandare, uti late ostendunt Natalis Alexander *in hist. Eccles. sæculi* 1. *cap.* 12. *art.* 17. & *in dissert.* 1. *ejusdem sæculi*, & Cardinalis de Aguirre *in Theolog. S. Anselmi tom.* 2. *disputation.* 53. *sect.* 1. *& seqq.* Casaubonus veritati horum oraculorum Sibyllinorum refragatus est. Blondellus hoc ipsum latissime præstare conatus est. At Eudemon Joannes *lib.* 1. *pro Baronio cap.* 5. opposita strenue confutavit; & contra Blondellum Joannes Caserius laudatus a Daniele Huetio *in demonstrat. Evang.* 9. §. 10. feliciter pugnavit, & ex ipsis Sectariis Isaacus Vossius *lib. de Sibyllinis oraculis* in hac parte recessit a parente suo Gerardo Vossio, qui in oper. *de Poetis Græcis cap.* 2. prædicta oracula contendit esse supposititia: quod quidem ex parte tanquam verum admittitur, prout carmina Sibyllarum

extant

extant a multis jam sæculis interpolata: sed id tamen non impedit, ne plurima illorum, & præsertim a primis Patribus laudata, germana sint, & nullatenus apocrypha.

9. Jam vero, ut reliqua persequamur, de quibus supra sermo habitus est, S. Thomas 2. 2. *quæst.* 172. *art.* 3. quærit, utrum ad prophetiam requiratur dispositio naturalis; item *ar.* 4. utrum bonitas morum requiratur ad prophetiam. Porro quod attinet ad primam quæstionem, docet, sicuti prophetia est ex inspiratione Divina, & Deus, qui est causa universalis in agendo, non præsumit materiam, nec aliquam materiæ dispositionem, sed potest simul & materiam & dispositionem & formam inducere, ita eum posse simul animam creare, & in ipsa creatione eam disponere ad prophetiam, & dare ei gratiam prophetandi. Quocirca Gravina in opere, cui titulus *Lapis Lydius*, (*lib. 2. de visione prophetica pag.* 236.) *Loquendo vero de supernaturali prophetia, non requiritur ulla dispositio, nisi quantum ad usum. Quod non requiratur dispositio in introductione prophetiæ, probatur, quia auctor & causa efficiens prophetiæ est Deus. Deus autem in productione cujuscumque formæ non exigit materiam dispositam, nec indispositam impedit, cum possit simul & semel dispositionem causare, & formæ introductionem, ut patet in suscitatione mortui.* Pro quo etiam facit illud S. Gregorii M. *hom.* 30. *in Evangelia n.* 8. *col.* 1580. *tom.* 1. ubi scribit: *Implet namque* (Spiritus Sanctus) *citharœdum puerum, & Psalmistam facit, Implet pastorem armentarium, sycomoros vellicantem, & Prophetam facit.* Quod si superaddatur, Deum dignatum esse communicare donum prophetiæ hominibus omnis ætatis & sexus, ducto argumento a posteriori, unusquisque facile cognoscere poterit, nullam requiri dispositionem naturalem, ut quis sit capax prophetiæ; quemadmodum infert Cardinalis de Lauræa *loc. cit.* §. 3. *num.* 260. Gravina *loc. supra cit.* prophetiam ab usu prophetiæ distinxit, & merito: pro usu quippe prophetiæ requiruntur intellectus, & sensus interni, vel aliquis externus; cum prophetiæ donum sit manifestatio Spiritus in utilitatem aliorum. Quocirca licet semel Deus usus sit animali irrationali, asina videlicet, ut corriperet Balaam *Num.* 22. & 28. nunquam tamen est usus irrationali, vel mortua creatura, ad manifestandum futura, vel præsentia occulta. S. Hieronymus *super Matthæum* indicat, aliquid interdum forte superveniens impedire speculationem prophetiæ: *Tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præsentia Spiritus Sancti non dabitur, etiamsi Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur.* Perpensa autem hac Divi Hieronymi auctoritate, S. Thomas *cit. art.* 3. *ad tertium* ait, propheticam revelationem, & sic usum prophetiæ impediri posse per naturalem indispositionem, sed eam a virtute Divina removeri, quæ est prophetiæ causa. Suarez illud quoque animadvertit *de Fide disp.* 8. *cit. sect.* 7. *num.* 2. Deum prophetiæ auctorem quamcumque indispositionem naturalem vincere, aut removere posse, quatenus in homine reperiretur. In eo vero, quod spectat ad bonitatem morum, sæpe memoratus S. Doctor *art.* 4. ait, prophetiæ donum non requirere per se conjunctionem cum Deo per Charitatem, & sic aliquando non modo non sanctis, sed etiam peccatoribus communicari. Addit, prophetiam pertinere ad intellectum, & (uti sæpe dictum est) dari ad utilitatem Ecclesiæ, sicuti dantur aliæ Gratiæ gratis datæ; & aliquem per morum malitiam impediri posse, ne prophetet, secundum passiones animæ, & actiones exteriores: cum enim ad prophetiam requiratur maxima mentis elevatio ad spiritalium contemplationem, hæc impediri potest per vehementiam passionum, & per inordinatam in rebus exterioribus occupationem. Quæ a D. Thoma dicta sunt, malos videlicet homines habere posse Gratiam gratis datam prophetiæ, confirmantur ex jure Canonico *in can. Multæ autem*, ubi: *Prophetia, quæ in multis hominibus etiam fieri solet:* & in can. *Prophetavit* 1, *qu.* 1. *Prophetavit & Saul malus Rex, & tunc prophetavit, cum David sanctum persequeretur. Non ergo se jactent, qui forte sine Charitate habuerint hoc munus Dei sanctum, sed videant, qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur.* Quapropter in oratione, quam coram Cardinalibus sanctissimæ Inquisitionis Pater Bernardinus Paulini Lucensis Ordinis Prædicatorum habuit anno 1558. tempore Pontificatus san. mem. Pauli Papæ IV. quæ oratio Typis Paris. edita est *in* 2. *tom. vitæ Patris Hieronymi Savonarolæ pag.* 572. dum ageretur de proscribendis ejusdem Savonarolæ libris, ita subdit: *Ora adunque, se Fra Girolamo fu santo, o tristo, io non ne parlo; basta, che non è impossibile, ch'egli fosse Profeta, essendo, come si fu, date e concesse le profezie ancora ai tristi.* Scite Calmet *in prolegomenis ad Prophetas ar.* 3. narrat Rabbinos in ea fuisse sententia, ut spiritus prophetiæ nunquam resederit nisi super homines sapientia, divitiis, & potentia præstantes; eosdemque gratiam prophetiæ retulisse ad indolem, studium, & varias exteriores rerum causas: quos idcirco strenue redarguit, cum maxima Prophetarum pars fuerit tenuissimi census; cum exemplis constet, aliquando Deum locutum fuisse per scelestissimos homines; cum prophetiæ donum gratis omnino a Deo concedatur citra humanæ industriæ meritum; quamquam alioquin nec studium, nec indefessam mentis intentionem excludat, vehementesque animæ agitationes aliquando prohibuerint Sancti Spiritus impressionem. Celebre est in historia sæculi xv. factum Joannæ Darciæ, puellæ Aurelianensis vulgo dictæ ob liberatam obsidione Aureliam. Quid ea porro gesserit, ut rebus afflictis Caroli VII. Francorum Regis subsidium ferret adversus Anglos, notum est; ejus quippe ductu Aureliæ soluta est obsidio; ejus armis tota regio subacta est inter Bituriges, ac Parisios; ejus consilio Remenses in potestatem recepti sunt, & Carolus Rex apud eos coronatus est; ejus impetu Talbotes fugatus, & ejus cæsus est exercitus; ejus audacia Parisiensis porta cremata; ejus solertia atque industria res Francorum in tuto positæ sunt; uti pluribus refertur *in commentar. Pii II. lib.* 6. Quomodo autem factum sit, ut Virgini rusticæ, & quæ greges patris sui ducebat, ducendi exercitus cura commissa sit, non aliter explicari potest, quam si ad spiritum profeticum referatur; quo fuisse præditam, deprehensum est judicio Theologorum, & Doctorum Parisiensium. Viderunt enim, occultas cordium cogitationes illam introspexisse, eique Gallorum cladem illo ipso die, eaque hora qua contigit, non obstante locorum distantia, fuisse revelatam. De Catholica puellæ religione, ejus inter castra virginitate, & bonis ejusdem moribus nulla est dubitatio; cum sententia Petri Chauconii Bellovacorum Episcopi, qui eam magiæ, hæresis, & proditæ virginitatis insimulaverat, tanquam injusta rescissa fuerit auctoritate Callisti III. summi Pontificis; ut plene refertur apud Spondanum *in continuat. annal. Card. Baronii ad an.* 1430. *n.* 3. *& seqq.* apud Bzovium *ad eumdem annum tom.* 15. *annal.* & apud Martinum del Rio *disquisit. magic. lib.* 4. *cap.* 1. *qu.* 3. *sect.* 6. §. *Septima regula.* Cum tamen de puellæ sanctitate, & heroicis virtutibus nunquam factus sit sermo, nedum judicium de eis prolatum, hinc inferre licet, prophetiæ donum posse a sanctitate esse sejunctum.

10. Dictis addendum est, nullum purum hominem habuisse cognitionem propheticam in habitu, vel potestate sua, priusquam actualem revelationem, aut motionem a Spiritu Sancto acciperet per inspirationem ac locutionem Divinam. Dictum est, nullum purum hominem cognitionem propheticam modo prædicto habuisse, ut Christus Dominus exciperetur, qui ex vi unionis hypostaticæ habuit etiam in via scientiam beatam & inditam, per quam cognovit omnes veritates, quæ revelari possunt hominibus per prophetiam; & ita potuit ex propria & habituali, seu permanente scientia prophetare, nulla expectata revelatione vel locutione Divina. Rursus certum est, nullum Prophetam, excepto semper Christo, licet insignem, & qui plures acceperit propheticas revelationes, ita recepisse ex habitu donum prophetiæ, ut quamcumque rem occultam cognoscere, aut de illa pro suo arbitrio prophetare posset. Eliseus 4. *Reg.* 4. *v.* 27. dixit: *Dominus celavit a me, & non indicavit mihi.* Cum autem prius ignoraret, quid Regibus responderet, jussit adduci Psaltem; cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: *Hæc dicit Dominus.* Antea ergo Eliseus ignorabat, quod Dominus ei locutus non esset. Sunamitis afflicta ob mortem filii, ut 4. *Reg.* 4. confugit ad Eliseum, at ille casum nesciebat: *Dominus celavit me, & non indicavit mihi.* (*I. Reg.* 16.) cum Samuel missus esset a Deo ad ungendum aliquem ex filiis Isai, non indicavit, quis esset ex septem: quare, introducto Eliab, Samuel conjectans ex vultu & statura, eum esse electum, ait Domino *v.* 6. *Num coram Domino est Christus ejus? & dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus*; cumque subinde ceteros intellexisset non fuisse a Deo electos, quod nihil de illis a Deo audivisset, adducto tandem Davide parvulo, hæc verba habuit *v.* 12. *Ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim.* Item *Daniel*, 2. cum Nabuch sententiam protulisset de nece omnium Sapientum Babyloniæ, nisi somnium suum interpretaretur, Daniel omnia declaravit, quæ per somnium Regis prænuntiabantur. Cumque alterius somnii interpretationem Nabuch a Daniele quæsivisset, hic cœpit intra semetipsum tacitus quasi hora integra cogitare, & cogitationes ejus conturbabant eum, & deinde a

de a Deo illuminatus illud explicavit uti babetur cap. 4. Hisce exemplis utuntur passim Theologi, ut allatam firment ac statuant assertionem, quam etiam per sua principia roborat D. Thomas 2. 2. qu. 171. art. 2. ubi ait, lumen propheticum inesse animæ Prophetæ per modum cujusdam passionis, vel impressionis transeuntis, & sic mentem Prophetæ semper indigere nova revelatione ad instar discipuli, qui nondum adeptus principia artis, indiget ut de singulis instruatur. Legi etiam potest Scacchus de not. & sign. sanctit. sect. 8. cap. 2. n. 585. Ad rem subjicit Calmet. (cit. art. 3. pag. 509. tom. 1.); Tandem, si Dei Spiritus præsto semper Prophetis fuisset, ut quid phrases illæ in eorum scriptis familiarissimæ Spiritus Domini, sive, Manus super me? Hæc sane argumenta sunt apertissima, ait S. Hieronymus in Ezech. 11, ob humanam fragilitatem, & vitæ hujus necessitates interdum (Spiritum Sanctum) recessisse ab eis.

11. Ex his, quæ hucusque dicta sunt, colligitur, ad essentiam veræ prophetiæ pertinere, ut Propheta non solum cognoscat quæ sibi revelantur, sed etiam, Deum esse, qui revelat; nullam in Divina prophetia naturalem dispositionem requiri; prophetiæ donum non requirere per se conjunctionem cum Deo per Charitatem, & sic aliquando fuisse etiam peccatoribus communicatum; prophetiam demum nulli puro homini fuisse per modum habitus datam: quæ omnia docte explicat citatus Pater Baldellus in cit. MS. sequentibus verbis: Iddio, come causa onnipotente, non richiede alli suoi effetti particolar disposizione nella materia, che li riceve; ma con ugual facilità insieme coll' effetto produce ancor, quando vuole, la disposizione e materia. Quindi è, che per il lume di profezia non si richiede disposizione particolare, o complessione determinata nel soggetto, a cui si concede, ma può profetare, come a Dio piace, chiunque si sia, conforme soggiunge S. Tommaso nella 2. 2. quest. 172. art. 3. purchè abbia per altro natura capace d' intendimento, e siano da lui lontano quelle passioni dell' animo, che assorbiscono intorno ad altro oggetto tutte le forze apprensive, come sono particolarmente i diletti dell' atto carnale, de' quali si dice ne' sacri Canoni da S. Girolamo nel cap. Connubia 32. qu. 2. che non si dà in quel tempo lo Spirito Santo nè anche ai Profeti. Nè questo solamente s' intende di qualche disposizione quasi abituale o permanente, che debba supporsi nel Profeta: ma anche dell' attuale, o transeunte, qual forse potrebbe parere l' essere alienato ed astratto da' sensi: poichè nè anche questa è necessaria o per ricevere l' influsso del lume profetico, o per l' intendimento formale della cosa, che per quel lume si manifesta, come ben nota S. Tommaso nella 2. 2. quest. 173. art. 3. e perchè il lume profetico, secondo il medesimo nella quest. 171. art. 2. non si concede come abito o forma permanente nell' anima, come è la luce nel corpo solare, ma come passione transeunte, come è il lume nell' aria. Quindi è, che non sempre i Profeti hanno lo spirito di profezia a suo talento; & aliquando, come dice S. Gregorio nell' omel. 1. in Ezech. prophetiæ spiritus deest Prophetis, nec semper eorum mentibus præsto est. Nel qual modo ancor Eliseo nel 4. lib. dei Regi cap. 4. di quella donna Sunamite, Anima ejus in amaritudine est, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi. E lo stesso nel cit. 4. lib. dei Regi cap. 3. essendo da Giosafatte Re di Giudea interrogato, non altrimenti ottenne lo spirito per profetare dal Signore, se non con farsi condurre un Cantore, e Sonatore di salterio, cioè con cantare e sentire le lodi di Dio, e per mezzo di quelle impetrarlo, come S. Gregorio avverte nel luogo citato. E questo stesso assai si dichiara ancor col modo comune di parlare, che usa la Scrittura, parlando de' Profeti: Locutus est Dominus ad Prophetam &c. Factum est verbum Domini ad Prophetam &c. che solo esprime manifestazione e lume attuale, ed impressione transeunte, e non abituale e permanente. In oltre di qua nasce, che non per questo, che uno è Profeta, conosce tutto il futuro, nè può di tutto profetare, ma solo di quello, che attualmente gli manifesta il lume profetico, come nota S. Gregorio nel luogo citato, e S. Tommaso nel luogo parimente citato. Anzi talvolta per l' uso grande, che ha qualcuno di profetare, dice qualche cosa, o pensa dirla col lume profetico, e solamente la dice con il proprio spirito, e s' inganna. Aliquando Prophetæ, dum consulunt, dice S. Gregorio, ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt, & se ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur. Sed, ne error possit accidere, per Spiritum Sanctum citius correcti, ab eo, quæ vera sunt, audiunt, & semetipsos, qui falsa dixerunt, reprehendunt. E come insegna S. Tommaso al luogo citato art. 5. se bene il lume profetico, quando è perfetto, tira seco certezza grandissima, che è da Dio, e senza pericolo d' errore, o d' inganno; contuttociò, se è imperfetto, o solamente un certo istinto, che il Profeta si sente a profetare, può facilmente mancare di tal certezza. E in tal caso può occorrere, che il Profeta pensi parlare per istinto di Dio, e parli di proprio istinto, e dall' evento riprenda se stesso di falsità, come abbiamo detto. E forse in questo modo può esser' occorso tal volta, che da diverse persone siano state pubblicate rivelazioni di cose contrarie, come per esempio, che la Beatissima Vergine sia stata, o non sia stata conceputa senza peccato originale, o pure una sola di loro abbia avuta vera rivelazione, e l' altra abbia creduto d' averla, e veramente abbia parlato di proprio sentimento, e non per istinto di Dio. Nel medesimo modo, quando il lume di profezia è imperfetto, può il Profeta esser mosso ad apprendere internamente, e a parlare, o a far qualche cosa, che Iddio voglia sia simbolo e segno di cosa futura, senza che egli intenda il vero significato della cosa, che apprende, pronunzia, o fa, come apparisce in Caifa, del quale si dice in S. Giovanni al cap. 11. che per esser Pontefice di quell' anno, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. E questo lume profetico non fu in lui, se non un istinto a dir materialmente quelle parole: Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. E queste, come si nota da S. Giovanni nel luogo citato, a semetipso non dixit. E come insegna S. Tommaso al luogo citato art. 4. nè anche inteso quel, che ei disse, nè pretese in verun modo di profetare, come nota S. Agostino de cur. pro mort. cap. 12. &c. Ma, quando costi, la profezia e rivelazione essre da Dio, non per questo arguisce di certo gran santità nel Profeta, in quanto la santità consiste nell' essere amico di Dio, e nella Grazia, che si chiama santificante. Anzi secondo S. Tommaso al luogo citato, può anche star senza essa, o in anima peccatrice; poichè nè l' atto stesso d' intendere per il lume profetico richiede di sua natura l' essere congiunto con Dio per Carità, o il fine, perchè si concede, cioè l' altrui utilità, conforme a quello di S. Paolo nella prima lettera ai Corinti cap. 12. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, può conseguirsi senza essere in grazia lo stesso Profeta. Onde sappiamo, che profetò anche Caifa Pontefice iniquo e scellerato. E appresso S. Matteo al cap. 7. a quelli, che sono per dire al Signore, Nonne in nomine tuo prophetavimus? è egli chiaramente per rispondere: Nunquam novi vos. Sopra il qual luogo ancor S. Girolamo nota, che prophetare, & virtutes facere, & Dæmonia ejicere, interdum non est meriti ejus qui operatur, sed vel invocatione nominis Christi hoc agitur, vel ob condemnationem eorum qui invocant, vel ob utilitatem eorum qui vident & audiunt. Contuttociò ancor la profezia, che si ordina all' utile altrui, secondo il medesimo S. Tommaso al luogo citato, può arguire nel Profeta molta moderazione di passioni interne, e di esterne operazioni, poichè richiede l' elevazione della mente alle cose Divine, e questa vien impedita dalla veemenza delle passioni, e dalla disordinata attenzione alle cose esterne. E siccome si legge nel 4. lib. dei Regi al cap. 4. che i figliuoli de' Profeti abitavano con Eliseo quasi al deserto, acciò le distrazioni ed occupazioni della città non impedissero il dono della profezia, così è necessario per il medesimo dono che almanco si goda l' interna solitudine, e il deserto dell' anima.

12. Concordat Silvius in 2. 2. D. Thomæ t. 3. quæst. enim 171. art. 5. docet, mentem Prophetæ dupliciter a Deo instrui: uno modo per expressam revelationem; altero per occultum instinctum: & quantum ad ea quæ priori modo Propheta cognoscit, semper discernere posse, quid per spiritum propheticum dicat, quid per spiritum proprium; quia certissime illa cognoscit, quæ ipsi expresse revelata sunt, & omnino certus est, se illorum revelationem habere a Deo: quantum vero ad ea quæ Propheta non cognoscit nisi per occultum instinctum, non semper discernere posse, quid ex spiritu prophetico loquatur, quid ex proprio; & sic interdum contingere, humani esse tantum cordis suggestionem, quam Propheta putabat esse suggestionem a Deo venientem. Et quæst. 172. art. 3. statuit, non requiri dispositionem naturalem ad prophetiam, cum prophetiæ donum, facultatem hominis excedens, detur a Deo, non ex virtute alicujus causæ creatæ, sed prorsus independenter ab illa: & explicans doctrinam D. Th. docet, ab eo non negari, posse aliquam spiritalem dispositionem præcedere luminis prophetici susceptionem, puta elevationem mentis in Deum, orationem, jejunium, & similia, quibus aliquando legitur sanctos viros usos fuisse, Danielem videlicet, ut in suæ prophetiæ c. 2.

& E-

& Elisaum, uti habetur 4. *Regum* 3. Item *art.* 4. demonstrat, bonitatem morum non requiri ad prophetiam, & sic eam posse in aliquo esse sine Gratia gratum faciente, ac per consequens sine Charitate; additque, licet prophetia per se recta non referatur ad utilitatem ejus qui illam recipit, si tamen quandoque detur a Deo, ut sit in spiritualem salutem Prophetæ, tunc vel prius, vel simul cum dono prophetiæ Deum illi dare Gratiam gratum facientem. Et *qu.* 171. *art.* 2. probat, prophetiam, seu lumen propheticum, per se, & ex sui ratione, non esse habitum; posse tamen ex Divina virtute perpetuo in aliquo conservari, uti factum est in Christo Domino.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEXTUM.

In quo dicta in capite præcedenti confirmantur; & nonnullis, quæ proponi possunt, difficultatibus respondetur.

1. NONNULLI ex Philosophis divinandi munus animæ adscripserunt, quasi illa ex suis principiis vim quamdam adjunctam haberet præsciendi futura. Alii ex illis docuerunt, animum a sensibus expeditum, ut in somno præsertim, & in fine vitæ, mirabilia sentire, & non raro loqui futura, quæ vera esse eventus subsequens comprobavit. Extendunt id etiam ad melancholicos. Quod si superaddantur oracula Pythii, & Delphici Apollinis, Dodonæi, & Ammonii Jovis, Trophonii Antri, Borysthenis, Herculis Columnarum, & similium, ex prædictis omnibus inferri posse videtur, tum actuum internorum, tum futurorum contingentium cognitionem & præscientiam non esse soli Deo reservatam, sed naturaliter ab homine haberi posse, & etiam ab Angelo sive bono, sive malo. Adversus hæc autem tum Divina testimonia, tum Theologorum assertiones, tum demum placita Philosophorum sunt Nobis exponenda.

2. Quoad testimonia Divina, repetimus illud *Isaiæ* 41. *v.* 23. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Addimus illud *Isaiæ* 46. *v.* 9. *Recordamini* (inquit Deus) *prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ necdum facta sunt*; item illud *Danielis* 2. ubi, postquam dixit, nec Magos, nec Aruspices posse indicare quid futurum portenderet somnium a Rege Babylonio visum, subjicit *v.* 28. *Sed est Deus in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi, Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus*; rursus aliud 2. *Paralip.* 6. *v.* 30. ubi Salomon fundens ad Deum preces, ait: *Redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo; tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* Jeremiæ quoque 17. *v.* 9. dicitur: *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Demum de Christo *Joan.* 2. *v.* 25. dicitur: *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine:* & Matthæi 9. *v.* 4. *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum.* Quare S. Hieronymus *ad dictum cap.* 17. *Jerem. col.* 960. *oper. tom.* 4. subjicit: *Simpliciter accipiamus, quod nullus cogitationum secreta cognoscat, nisi solus Deus.* Et ex cognitione cogitationum hominum arguit, Christum non purum hominem esse, sed Deum: *Si autem de Salvatore dicitur*, Videns autem cogitationes eorum Jesus, *nullusque potest videre cogitationes eorum, nisi solus Deus; ergo Christus Deus est, qui scrutatur corda, & probat renes.*

3. Quoad Theologorum assertiones, Thomas *quæst.* 16. *de malo ar.* 8. docet, aliquando cogitationes hominum dignosci ex corporalibus signis; timentes quippe pallescunt, verecundi erubescunt, & passio a Medicis deprehenditur per cordis immutationem, quæ ex pulsu percipitur; quo præmisso, ait, multo magis Dæmonem eo modo cognoscere cogitationes hominum, quam cognoscat homo; tum addit, quia id, quod cadit sub ordine superioris causæ, non potest causa inferior cognoscere, sed solum causa superior movens, & illa quæ movetur; & voluntas interius non potuit ab alio, quam a Deo moveri, cujus ordini immediate subest; voluntarias idcirco cogitationes non posse vere cognosci a Dæmone, neque a quovis alio, sed a solo Deo, & ab homine volente atque cogitante. Repetit hæc eadem S. Doctor *quæst.* 8. *de veritate ar.* 13. ubi postquam iterum dixit, cogitationes cordis ex corporalibus signis dignosci posse, subjicit, hoc ipsum contingere posse, si ex actuali cogitatione, in qua aliquis meretur, vel demeretur, mutatus quodammodo status agentis; hanc quippe, ait, mutationem ab Angelis cognosci, absque eo quod tamen cognoscatur cogitatio ipsa particularis, sed tantum in toto genere; cum ex multis & diversis cogitationibus eodem modo quis mereatur, vel demereatur, gaudeat, vel tristetur: & 1. *part. quæst.* 14. *ar.* 13. ostendit, contingentia duplici modo considerari posse, in se ipsis videlicet, qua ratione jam actu sunt, & in suis causis, & sic prout non sunt determinata ad unum; neminem autem posse habere nisi conjecturalem cognitionem contingentium effectuum in suis causis, & solum Deum cognoscere omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso; itaut, licet contingentia fiant in actu successive, a Deo tamen non successive cognoscantur, cum subdantur Divino conspectui secundum suam præsentialitatem, uti loquitur S. Doctor, quamvis futura sint contingentia suis causis comparata: & *quæst.* 57. *ar.* 3. proposita disputatione, utrum Angeli cognoscant futura: respondet, futura, quæ necessario ex suis causis proveniunt, puta, solem oriri cras, certa scientia cognosci, & cognosci ea quoque, quæ ex suis causis plerumque proveniunt, sed per conjecturas; hunc autem modum cognoscendi futura, esse in Angelis multo magis, quam in hominibus, cum rerum causas universalius & perfectius cognoscant; tum subjicit, ignota iis penitus esse, quæ ex causis suis proveniunt raro, sicuti fortuita: futura vero in se ipsis a solo Deo cognosci, sive futura sint, quæ necessario proveniunt, vel ut plurimum, sive sint fortuita: cum Deus omnia videat in sua æternitate, quæ simplex est, & toti tempori adest, & ipsum concludit; quæ cognitio intellectui Angelico convenire non potest, cum intellectus creatus deficiat ab æternitate Divina. Cohærenter ad hæc iidem Theologi docent, non posse Dæmonem certo prædicere ea, quæ sunt omnino libere futura; posse ex his, quæ certo novit, multa probabiliter & per conjecturam prædicere; posse certo prædicere quæcumque dependent a causis necessariis, quæ ab aliis causis naturalibus impediri non possunt; posse Dæmonem præterita omnia memoria retinere, quæ vel aliena relatione accepit, vel coram ipso gesta fuere; posse scire res præsentes obscuras, quæ exteriore actu proditæ sunt, puta secreta furta, & similia, quæ hominum cognitionem fugiunt; spontaneas hominum cogitationes cognoscere non posse, nisi signo aliquo extrinseco manifestatæ sint; & demum posse incredibili celeritate ea, quæ in remotis regionibus gerunt, tam cito denuntiare, ut diu ante prædicta ab ignaris, putentur, quemadmodum late prosequitur Anastasius Episcopus Nicænus *quæst.* 23. *in sacram Scripturam*, & fuse explicant Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib.* 4. *cap.* 2. Matta *de Canoniz. SS. par.* 3. *cap.* 1. *num.* 45. *& seqq.* Raphael de la Torre *in* 2. 2. *D. Thomæ quæst.* 95. *art.* 2. *disp.* 1. *pag.* 114. *edit. Colonien. anno* 1630. Arauxo *decis. moral. tract.* 3. *quæst.* 23. *num.* 93. *& seqq.* & Thyræus *de apparitione intellectuali lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 14. S. Augustinus *de civit. Dei lib.* 2. *cap.* 32. narrat, Dæmonem prævidisse pestis cessationem; & Coquæus *in notis* ait, Dæmonem prædicere posse, quæ facturus est, & forte prævidisse cessationem pestis, quam ipse, Deo permittente, immiserat, & sic facile avertere poterat: & *lib.* 12. *de Genesi ad litteram cap.* 17. *col.* 308. *tom.* 3. *part.* 1. arguit fore, ut Dæmon hominem non tentaret, si non conjecturalem, sed certam haberet ejus animi cognitionem: *Certissimis tamen indiciis apud nos constitis, enuntiatas a Dæmonibus cogitationes hominum; qui tamen, si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent, sicut illam in Job nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio si posset Diabolus cernere, nollet a tentato utique superari.* Et S. Thomas 2. 2. *quæst.* 172. *art.* 5. *&* 6. admittit, Prophetas Dæmonum aliquando loqui posse, & prædicere ex inspiratione Divina, Deo utente malis ad utilitatem bonorum, & fieri posse, ut Dæmones ex bonorum Spirituum revelatione, Deo permittente, aliqua futura revelent. Legatus Silvius *in* 2. 2. *D. Thomæ tom.* 3. *ad dictam quæst.* 172. *art.* 6. ubi ad D. Thomæ doctrinam illustrandam ait, Balaam, cujus ampla fit mentio *in libro Numerorum*,

fuisse Dæmonum Prophetam, sed prophetias, quas enuntiavit in dicto libro, fuisse a Deo; qui sicuti interdum revelat futura hominibus Fidelibus quidem, sed impiis, ita quædam revelare potest Infidelibus, Dæmonumque cultoribus, prout ad aliorum ædificationem expedire judicaverit. Optime hæc omnia explicantur a Tertulliano *in apolog. c. 22. pag. 55. Omnis* (inquit) *Spiritus ales est: hoc Angeli, & Dæmones. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est. Quid ubique geratur, tam facile sciunt, quam enuntiant, Velocitas Divinitas creditur, quia substantia ignoratur ... Dispositiones etiam Dei & nunc Prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus resonantibus carpunt; ita & hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur Divinitatem, dum furantur divinationem.* Ad id quod supra dictum est, Dæmonem videlicet posse, quæ in remotissimis regionibus geruntur, cognoscere, & tam celeriter nuntiare, ut diu ante præcognita esse ab ignaris putentur, referri potest illud Apollonii, qui, teste Philostrato in ejus vita, Ephesi exclamavit, eo tempore Domitianum Romæ interfici, unde magnam sibi opininuem Divinitatis apud homines comparavit, quatenus futura cognosceret & prædiceret. Simile quid refert de quodam Cornelio Gellius *lib. 15. noct. Attic. cap.* 18. & de quodam alio Ammonius *lib. 3. annal. cap.* 22.

4. Demum quoad Philosophos, ipsi bene docent, hominis animæ nullam inditam fuisse facultatem futura cognoscendi. Cum enim homo res cognoscere non possit, nisi vel per se existant, vel per suas causas; quæ autem futura sunt, adhuc nec in se, nec in suis causis existant, sed a voluntate Divina solum pendeant; cumque nullum objectum cognosci possit, nisi per illius species, & non existentis nullæ sint species; inferunt, futura a solo Deo, & non ab homine cognosci posse. Quapropter recte Philostratus subdit: *Omnis divinandi ars naturæ metas excedit, & humanæ menti nulla modo pervia, cum ad hujusmodi ascensum impossibile sit ut feratur, nisi dictante Deo, aut Dæmone plerumque falsa suggerente, licet aliquando vera, ut stultos arctius irretiat.* Iidemque Philosophi admittunt, facile dari posse, ut prudens & solertissimus aliquis, & rerum usu expertus aliquid assequatur, & de iis, quæ ventura sunt, judicium proferat, dummodo ea a causis vel aliquo modo manifestis, vel non ita occultis deduci possint; & bene explicant, quomodo a melancholicis, aut morti proximis aliqua eventura prædicta sint, quæ re vera contigerunt, absque eo quod hinc inferatur, ullam animæ insitam esse facultatem futura prædicendi, aut quod soli Deo futurorum cognitio non sit servata. Legi possunt Vallesius *de sacra Philosophia cap.* 30. & Gaspar Rejes *in jucundarum quæstionum Elysio campo quæst.* 27. & Zacchias *quæst. Medico-legal. lib. 4. quæst. 5. art.* 1. Apud S. Gregorium *lib. 4. dialog. cap. 26. col. 409. tom.* 2. legitur quidem: *Ipsa aliquando animarum vis subtilitate sua aliquid prævidet:* Et *in eod. cap. & cap. seq.* quosdam casus proponit, quibus ostendit, morti proximos aliquando futura prænovisse & prædixisse; quod ipsum ante docuerat Plato *in apologia*, ubi Socratem ita inducit loquentem: *In illud tempus incidi, quo homines solent maxime ventura prædicere, cum jam morituri sunt;* & concordat Tullius *lib. 1. cap.* 30. *de divinatione*, ubi hæc habet: *Divinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert, Rhodium quemdam morientem sex æquales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus esset;* & tam Plato, quam Aristoteles dixerunt, majorem dispositionem divinandi in fatuis, & stupidis, & in melancholicis reperiri, quam in ceteris, qui sunt sanæ mentis. At hæc bene explicantur non de vera prophetia, sed de divinatione connexionem quamdam habente cum suis causis naturalibus. Quocirca Raphael de la Torre *loc. supra cit. quæst. 95. art. 1. disp. 2. in respons. ad tertium* scribit: *Non abnuimus, esse quosdam homines magis dispositos ad divinandum, id est, ad prædicendos eventus quosdam naturales ex agnitione suarum causarum naturalium, cum quibus habent naturalem commistionem. Hujusmodi sunt homines in argumento commemorati. Nam sicut bruta divinatione naturali magis pollent, quam homines, utpote a quibus solent homines signa eventuum naturalia desumere; pisces quidem solent nautis incautis tempestates præmonstrare, aves agricolis, armenta bubulcis, pecora pastoribus; nam datus est brutis instinctus quidam naturæ pro prudentia: sic inter homines fatuis, & rudibus, ac amentibus data est divinatio naturalis, pro prudentia. Causa hujus est, quia sicut bruta majorem habent affinitatem cum causis corporalibus; sic inter homines ii, qui fatui, & stupidi sunt, parum dissident a brutis in suis actionibus. De moribundis dicimus, si divinant quæ per naturam sciri non possunt, ea prænoscunt & prænuntiant, Deo illustrante eorum mentes divinitus; & hoc est, quod loc. cit. probat Gregorius adductis tribus, aut quatuor exemplis. Sic legitur Jacob egisse Genes. 48. jam morti appropinquans, sicut & Moyses Deuteronom. 33. At vero, si morituri prædicunt futura, quæ certas causas naturales habent, id faciunt, quia alignando ea hora, impeditis sensuum motibus, mens ad intra colligitur, ac melius & exactius contemplatur, quia variis & multiplicibus motibus sensuum neque perturbatur, neque distrahitur.*

5. Apud Ivonem Carnotensem, in opere, cui titulus, *Decretum*, quod ad exemplar manuscriptum bibliothecæ S. Victoris Parisiensis castigatum Fronto Canonicus Regularis S. Genovefæ Parisiensis adidit, *part. 11. tit. de incantationibus Haruspicum cap. 71. & seqq.* ex doctrina S. Augustini multa desumpta sunt de prædictinnibus Dæmonis, quibus minime obstantibus, demonstratur, eum nec intimas hominum cogitationes certo cognoscere posse, nec futura contingentia tuto posse prædicere: *Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt. Neque enim, quia prævidet Medicus, quod providere nescit hujus artis ignarus, ideo jam divinus habendus est. Quid autem mirum, si, quemadmodum ille in corporis humani vel perturbata vel modificata temperie, seu bonas seu malas futuras prævidet valetudines, sic Dæmon in aeris affectione atque ordinatione sibi nota, nobis ignota, futuras prævidet tempestates? Aliquando & hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitationes conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænuntiant aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscatur quod intrinsecus agitur; ita non debet esse incredibile, si etiam leniores cogitationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtusa sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem Dæmonum possunt. Hac, atque hujusmodi facultate multa Dæmones futura prænuntiant, cum tamen ab eis longe sit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per sanctos Angelos suos, & Prophetas operatur.*

6. Pater quoque Baldellus *in cit. manuscripto* eamnia, quæ superius tradita sunt, clarissime explicat his verbis: *Contuttociò, oltre questa profezia Divina, che si occupa intorno a tutte le cose, che possono manifestarsi da Dio, e debbono di sua ragione esser occulte al Profeta, e particolarmente intorno ai futuri contingenti, e liberi, ne riconosce San Tommaso nella 2. 2. quest. 173. artic. 2. ancor un'altra meno perfetta, che è dalla natura, e un'altra peggior, che è dal Demonio; e a quella possono appartenere tutti i futuri, che hanno determinazione nelle sue cause, ed a questa tutte le cose, che possono esser sapute dal Demonio. E solo di questi effetti debbonsi intendere alcuni Filosofi, che ammettono assolutamente la profezia dalla natura, e principalmente dall' influsso de' cieli, ed aggiungono, che richiede una certa disposizione e temperamento d'umori, per meglio apprendere le impressioni celesti, come dichiara Alberto Magno nel lib. 3.* de anima tr. 1. cap. 1. *ed Aristotele* in probl. sect. 30. num. 1. *da certa temperie d'umore malinconica, che per sorte si riscalda intorno all'organo della immaginazione, ed alla sedia della mente, dice avvenire: che molti sono guidati da istinto linfatico, e dal medesimo essere state mosse le Sibille, e le Bacche, e tutti quelli, che si credono esser mossi da ispirazione Divina; non già perchè l'amor malinconica da per solo abbia potenza d'illuminare l'intendimento intorno alle cose future, o nascoste, ma perchè ha virtù di tener le forze dell'animo ben raccolte dagli altri oggetti, e di disporre a meglio ricevere le mozioni ed impressioni, che vengono dalle cause di fuori, come chiarissimamente insegna il medesimo Aristotele nel lib. 2. ad* Eudem. cap. 9. *dove dice, che i fanatici per l'apparenza che hanno di varie cose, e quelli che predicono le cose future, non hanno da per se stessi il fare e il dire quel che fanno e dicono, ma sola da cause superiori e più potenti. E per queste ragioni medesime si può dire, che avvenga, che questa sorta di profezia più si partecipi nel tempo del sonno, che del vegliare, più dagli uomini semmi, stupidi, o rozzi che da quelli di mente sana ed erudita, e più da quelli, che sono vicini alla morte, dai matti furiosi, e simiglianti, come nota Aristotele* de divin. per somni. ad cap. 1. & 2. *perchè, mentre l'anime si riposa dagli oggetti sensibili, come*

me nel sonno, e mentre son poche le immagini e somiglianze dell'altre cose distraggono l'animo, come negli scemi, stupidi, o rozzi, che per questo molto s'accostano alle bestie; e finalmente mentre si gode o per gli umori, o per la cessazione dalle altre cure miglior disposizione alle impressioni di fuori, non può non essere, che queste non si prendano o non si apprendano meglio. Anzi per le stesse ragioni ancor' Iddio, quantunque non abbia bisogno (come abbiamo detto) per il lume profetico, di astrazione ed alienazione da' sensi; contuttociò bene spesso questa cagiona, e massime quando il lume è molto perfetto e intenso. E non è dubbio, che così viene ad operare molto più conformemente alla nostra natura, la quale, quanto più s'occupa in un affare, tanto è forza che sia disoccupata dagli altri. E forse ancor per questa il Profeta Eliseo nel lib. 4. dei Regi al cap. 3. fecesi condurre il cantore, e sonatore delle lodi di Dio, acciò in quel modo più raccogliesse la mente, e meglio si disponesse alle impressioni e manifestazioni profetiche. Devesi però intorno a questa natural profezia ben' avvertire con S. Tommaso al luogo citato, che non si possono a lei riferire, se non quegli effetti, che sono determinati nelle sue cause naturali, e tutti indifferentemente, o siano necessarj, o contingenti; e, o se debbano porre per cause naturali, o solamente per la potenza o volontà di Dio, non si possono riferire in altra profezia, che in quella, che assolutamente chiamasi Profezia, ed è Divina. Questa sola contiene verità certa ed infallibile per il lume di Dio, in cui s'appoggia; e l'altra, che è naturale, nè anche gli effetti naturali che predice, può predir come veri, se non per la più o sotto la condizione, che le loro cause non s'impediscano. Se bene appresso S. Agostino nel lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 13. tom. 3. *non è mancato chi abbia detto, che si ritrova nell'anima per se stessa una certa virtù d'indovinare e prevedere tutte le cose: e questo, secondo S. Tommaso al luogo citato par che abbia detto Platone in conseguenza de' suoi principj, secondo i quali riceve l'anima la cognizione di tutte le cose, non perchè ella stessa l'acquisti per mezzo de' sensi, ma perchè la partecipa dall'idee; e questa per la congiunzione del corpo, più e meno s'oscura e s'annuvola, secondo la diversa impurità del corpo. Questo però nè da Sant' Agostino, nè da San Tommaso vien' approvato, e dalla stessa esperienza è convinto di falsità; secondo la quale ognun prova, che non solo le cose future, ma nè anche le presenti cognosce, se per i sensi non gli vengano proposte: e se fosse nell'anima virtù naturale d'indovinare, sarebbe ancor' ella soggetta alla volontà di ciascheduno, come sono le altre potenze d'intendere, e potrebbe ognuno a suo volere indovinare; il che similmente l'esperienza convince per falso. Non è però da negarsi in alcuni una particolar abilità dalla natura a indovinare per conghietture le cose avvenire, anche libere. E questa da S. Tommaso al luogo citato si dice perfezionarsi ed acquistarsi per la via sperimentale, ed esser grandemente principiata dalla perfetta immaginazione, e chiara intelligenza. E Aristotele nel lib.* de memor. & reminisc. *chiaramente ammette una certa scienza, che egli chiama sperativa e indovinatrice del futuro, e vuole, che a proporzione risponda a quella facoltà, che si scopre in alcuni più, che in altri, di ricordarsi delle cose passate, e di sentir le presenti. Quanto poi all'ultima sorta di profezia, che è dal Demonio, lo stesso a proporzione devesi intendere, che già si è detto della naturale, cioè, che non si stende, se non a quello che al Demonio può esser noto; e questo stesso non può mostrare senza continua temenza d'inganno, poichè s'appoggia solamente nell'opra o virtù del Demonio. E se bene a questo non è permesso, che egli operi immediatamente nell'intelletto, assai però gli è permesso, ch'ei manifesti formando visioni immaginarie, o ancor parlando sensibilmente, come nota S. Tommaso al luogo citato. E in questo modo pur troppo è grande il numero de' suoi Profeti, come apparisce nel lib. 3. dei Regi cap. 18. dove i Profeti di Baal sono numerati 350. e i Profeti delle selve 400. quando Elia disse ad Acaz:* Congrega mihi Prophetas Baal trecentos quinquaginta, Prophetasque lucorum quadringentos &c.

7. Denique Dæmon, Divinæ gloriæ æmulator, eamque studens imitari, petentibus responsa vel ex antris, vel ex statuis dedit; quemadmodum pluribus ostendit Villalpandus *tom. 1. part. 1. in Ezechielem cap. 2. & part. 2. cap. 27. tom. 2. & de extrema visione Ezechielis lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 10. & tom. 3. de urbe ac templis lib. 3. cap. 29.* Iis porro responsis si aliquando internas hominum cogitationes revelavit, aut futura prædixit quæ evenerunt, id præstitit modis jam supra explicatis, & præcipue per scientiam conjecturalem, juxta ea quæ plene etiam habentur apud Majolum *in tract. de vaticiniis tom. 1. colloquior. pag. 517. & seqq.* Et quidem quod ea ad summum ad scientiam conjecturalem sint referenda, ex duobus dignoscitur: alterum est, quod prædictiones falsæ ut plurimum fuerunt; unde S. Joannes Chrysostomus *homil. 19. in Joan. pag. 112. tom. 8.* ait: *Futura vero accurate prædicere unius immortalis natura est. Quod si id Dæmones aliquando fecerint, insipientes fallendo, fecerunt: unde & vaticinia eorum semper falsa deprehenduntur:* alterum est, quod callide & ambigue futurorum vaticinia ab eo prodita sunt. Quare Cicero *de divinat. cap. 54. lib. 2.* ait: *Callide enim qui illa composuit* (oracula), *perfecit, ut quodcumque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis &c.* Optime Tertullianus post verba recitata subdit: *In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus* (loquitur de Dæmonibus) *sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi.* Crœsus enim, cum oraculum Apollinis consuluisset, num arma adversus Persas moveret, Oraculum respondit, ut refert Eusebius *lib. 5. cap. 10. de præparat. Evang.* juxta versionem Trapezuntii:

Intrepidus si Crœsus Halim transmiserit amnem,
Imperium perdet magnum, Regnumque superbum:

qua ambiguitate verbi *perdet* deceptus Crœsus bellum Persis indixit, arbitratus, Regnum Persarum suis armis devastandum, sed ipsemet suum Lydiæ Regnum infelici belli eventu perdidit. Simile quid contigit Pyrrho Epirotarum Regi, qui cum idem oraculum consuluisset, utrum adversus Romanos pugnans victor futurus esset, ambiguum hoc audivit responsum, quod apud Tullium *loc. cit.* legitur:

Ajo, te Æacida Romanos vincere posse:

quo factum est, ut victoriæ spe excitatus, adversus Romanos pugnaverit; sed ab illis victus ambigui oraculi sensum sua didicit jactura. Hinc proinde factum est, ut apud sanæ mentis homines, etsi Gentiles, oraculorum fides esset adeo prolapsa, ut nihil inter eos esset contemptius. Porphyrius, qui librum scripserat de philosophia ex oraculis petita, vanitatem oraculorum confessus est, uti videri potest apud Eusebium *præp. lib. 6. cap. 4.* & hujus quoque rei testis est Origenes *lib. 7. contra Celsum*, ubi ita scribit: *Dico igitur de modo enumeratis oraculis posse nos ex auctoritate Aristotelis & Peripateticorum multa proferre Pythiæ, cæterisque fidem abrogantia: posse item ex Epicuro, ejusque sectatoribus transcribere, quid de his sentiant, ostendereque, quod ipsi Græci nihili pendant Græciæ Oracula, vel celebratissima.* Præclarum quoque est Lactantii testimonium *lib. 2. Divinarum institut. cap. 17. In Oraculis autem vel maxime fallunt, quorum præstigias profani a veritate intelligere non possunt; ideoque ab illis attribui putant & imperia, & victorias, & opes, & eventus prosperos rerum.*

8. Cessasse hæc Dæmonum oracula in adventu Christi, & signanter celebre Oraculum Delphicum, narrat Suidas *in verb. Augustus*, & Cedrenus *in compendio Niceph. lib. 1. cap. 17.* Referunt quippe, sic a Dæmone, qui apud Delphos oracula reddebat, responsum fuisse Augusto Imperatori:

Me Puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Adduntque, Augustum Romam reversum aram in Capitolio erexisse hac inscriptione: *ARA PRIMOGENITI DEI.* Idem putatur esse locus in Capitolio, ubi nunc basilica Beatæ Dei Genitricis Mariæ dicta hac de causa *ARA CÆLI.* An autem id ad regulas severioris Criticæ sit admittendum, non est loci hujus inquirere. Legi potest Antonius Vandale *dissert. 2. de oraculorum ethnicorum duratione atque interitu.* Casaubonus *exercit. 1. ad apparat. annal. Card. Baronii* ex Plutarcho, qui duos de cessatione oraculorum libros edidit, luculenter probare conatur, post nativitatem Christi oracula Delphis petita fuisse, neque desiisse eo in loco reddi, sed tantum desiisse versibus reddi. Silentium quoque Justini Martyris, Tertulliani, Lactantii, Minutii Felicis, Origenis, qui pro Fidei Christianæ defensione apologias exararunt, horum (inquam) omnium silentium de ara in Capitolio consecrata Unigenito Dei prodigii prædicti minuit fidem, quemadmodum animadvertit Pater Gravesuo *in tract. de mysteriis & annis Christi dissert.* 8. Denique qui plura scire velit de antiquis oraculis, & de interdicta tum Angelo, tum homini futurorum contingentium cognitione, manum admovere potest ad novissimas *consultationes Canonicas, & controversias ad Fidem potissimum, & tribunal sancti Officii pertinentes* Jacobi Pignatelli, & signanter *ad consult. 81. 83. 84. & 85 s. 1. Cosmopoli apud Dominicum Puteanum editas an.* 1711.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEPTIMUM.

De Gratia gratis data Prophetiæ, quod attinet ad causas Beatificationis & Canonizationis.

1. OPUS fuit ea præmittere, quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt, ut via aperiretur dicendis in capite præsenti ad nostram materiam Beatificationis & Canonizationis pertinentibus. Fuisse semper a temporibus Apostolorum in Ecclesia, ac perseverasse in posterum spiritum prophetiæ, absque controversia apud omnes est: de quo & Justinus Martyr *in dialogo cum Tryphone pag.* 308. hæc ait: *Apud nos enim hucusque etiam prophetica extant dona, unde & vos intelligere debetis, quæ olim in genere vestro* (de Judæis intelligit) *fuere, ea esse in nos translata. At, quemadmodum apud vos sanctorum Prophetarum tempore etiam Pseudoprophetæ erant: ita & apud nos permulti sunt falsi Doctores, quos cavendos esse nos Dominus noster præmonuit.* Et *pag.* 315. (inquit) *apud nos videre & feminas, & masculos dona a Spiritu Dei habentes.* Extant plura Sanctorum firma vaticinia Spiritu Dei prolata. Sanctus enim Gregorius *lib.* 10. *epist.* 36. *indict.* 3. postquam deploravit res Italiæ, & mala quæ Italia patiebatur ab amicis & defensoribus, nempe Ministris Imperatoris, & signanter Juliano Scribone, ait (*col.* 1066. *tom.* 2.) *Sed nolite de talibus omnino contristari, quia qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt; ita ut in comparatione sui temporis, felices nos æstiment dies habuisse.* Veridicus autem Propheta inventus est S. Gregorius: sub hæreticis enim Imperatoribus infelicius Ecclesia vexata est, additumque est malum omnium maximum, ortus nempe nefandissimæ sectæ Mahumetanæ, ejusque grassatio atque dominium in universum pene Christianum orbem. In historia quoque Ecclesiastica celebres sunt prædictiones S. Columbani de Regno intra triennium ad Clotharium deferendo; S. Gerardi de vita & Regno intra triennium auferendis Uvoni Tyranno, qui adversus Petrum Hungariæ Regem insurrexerat, quemque Henricus Germaniæ Rex intra tempus prænuntiatum debellavit, & morte affecit, Petro restituto; S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis, qui libere Henricum II. Imperatorem arguens, ejus obitum anno sequenti futurum significavit; S. Gregorii VII. quem Hugo Abbas Cluniacensis testatus est suas internas cognovisse cogitationes; S. Arnulphi Abbatis & postea Episcopi Suessionensis, qui Bertam Reginam seu Bertradam potius pellicem Philippi Regis Francorum serio monens, ne Gerardum Abbatem a monasterio S. Medardi expelleret, & Pontium contra fas in sancti loci administrationem introduceret, prophetico spiritu ei dixit, si prædicta fecisset, ante obitum e Regno esse extrudendam, necnon morituram in contemptu & ærumnis: quod sane factum est, cum fuerit a Regni consortio amota, & in pagum Pontinum translata, ubi post diuturnam calamitatem plebejo more mortua est, atque sepulta. Alia non superaddimus exempla, quæ tamen si quis requirat, manum admovere poterit *ad lib.* 6. Thomæ Bozii *de signis Ecclesiæ cap.* 2. *& ad lib.* 4. Bagattæ *de admirandis Orbis Christiani cap.* 2. §. 1. Nonnulla duntaxat ex Actis Canonizationum desumpta indicabimus. *In bulla Canonizationis Sancti Petri de Alcantara* ita legitur: *Prophetico lumine remotissima locorum & temporum spatia prædixit. In bulla Canonizationis Sancti Francisci Xaverii: Prophetico etiam Spiritu Deus Servum suum, quem in lucem gentium dederat, illuminaverat. In bulla Canonizationis Sancti Paschalis de Baylon: Prophetico etiam Spiritu afflatus nonnulla futura, & præsertim ægrotis integram valetudinem, sanis infirmitatem, sibique & aliis mortem prædixit. In bulla Canonizationis Sanctæ Franciscæ Romanæ: Potens etiam fuit Cælestis Gratiæ dono secreta cordium cognoscere. In bulla Canonizationis Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis: Pariter Spiritu Prophetico dotata ex Divina revelatione futuros rerum eventus prænuntiavit, & quædam in locis remotis facta, & dicta, tanquam præsens, vidit, & audivit. In bulla Canonizationis Sanctæ Rosæ Limanæ: Joannes Villalobos Societatis Jesu jurata fide testatus est, suo se experimento Spiritum Propheticum in ea deprehendisse, aperiente illi Virgine arcanum negotium, quod aliter ac cælitus innotuisse non poterat &c.* Et post relata alia plurima vaticinia subjicitur: *Plurima aliæ hujusmodi, ac etiam nobiliora, commemorantur hujus Sponsæ Christi vaticinia. In bulla* demum *Canonizationis Sanctæ Margaritæ de Cortona: Tanto præterea, & tam miro lumine illustrari meruit, ut cordium secreta, quod unius Dei est, rimaretur, & conscientias hominum apertius inspiceret, peccata in remotis etiam partibus offendentium cum dolore, & lacrymis vetegeret.* Omitti non possunt binæ aliæ propheticæ prædictiones, de quibus habita est ratio in causis Canonizationis, quæ ad exitum perductæ sunt tempore, quo munere fungebar Fidei Promotoris, Sancti videlicet Pii V. & Sanctæ Catharinæ de Bononia. In causa siquidem S. Pii V. rite probatum est, Divinam illi immissam fuisse cognitionem, per quam clarissime rescivit diem atque horam, qua navalis victoria a Christianis adversus Selimum Turcarum Tyrannum ad Æchinadas insulas fuerat reportata, eamque iis, qui secum aderant, patefecit; qui, cum mensem, diem, horamque notassent, ubi postea certus de victoria nuntius advenit, illam, uti Pius ipsis prædixerat, evenisse, apertissima cognoverunt. In causa autem S. Catharinæ de Bononia eodem modo probatum est, ab ea prædictum fuisse, Hannibalem Bentivolum pugnaturum adversus Philippum Ducem Mediolanensium victorem fore, & quidem eo prorsus modo, quo postea veridicum ejus vaticinium monstravit eventus; rursus, regiam urbem Constantinopolim casuram esse, prout cecidit, in manus Mahumetis II. post bimestrem obsidionem ipso pervigilio Pentecostes anni 1453. ut neminem lateret, ruinam Græcorum propter ipsorum adversus Spiritum Sanctum blasphemias justo Dei judicio fuisse permissam. Dicitur *Matth.* 11. *v.* 13. *Omnes enim Prophetæ, & Lex usque ad Joannem prophetaverunt:* non quia prophetiæ donum non esset etiam futurum tempore Legis Gratiæ; constat enim, Apocalypsim post Joannem Baptistam fuisse Joanni Evangelistæ revelatam; constat *ex Act. Apostol. cap.* 11. *& cap.* 21. Agabum, & quatuor filias Philippi prophetasse; & *ex* 1. *ad Corinth.* 14. & *ad Ephes.* 4. multos fuisse in primitiva Ecclesia Prophetas; sed dicitur, omnes Prophetas & Legem usque ad Joannem prophetasse, quia usque ad Joannem prophetaverunt & promiserunt Christum, ejusque regnum; at Joannes primus clare & diserte cœpit prædicare regnum cælorum, & Christum Judæis digito demonstravit: uno verbo, Legis & Prophetarum ordo cessavit in Joanne per adimpletionem, non per destructionem. Ex quo infertur, fuisse, & esse, & futuros esse in Ecclesia veros Prophetas, etiamsi modo prædicto Prophetarum ordo in Joanne cessaverit, uti adnotarunt *in cit. cap.* 11. *Matth.* Cornelius a Lapide *vers.* 13. Natalis Alexander *num.* 10. Thomas a Jesu *oper. tom.* 2. *par.* 1. *enucleationis Theologiæ mysticæ S. Dionysii quæst.* 24. Torreblanca *de magia lib.* 1. *cap.* 1. *de prophetia num.* 59. *& seqq.* Et est doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 174. *ar.* 6. *ad tertium*, ubi, facta sibi oppositione citati textus Matthæi, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt*, ita respondet: *Dicendum, quod Prophetæ prænuntiantes Christi adventum, non potuerunt durare, nisi usque ad Joannem, qui præsentialiter Christum digito demonstravit: & tamen, ut Hieronymus ibidem dicit, non hoc dicitur, ut post Joannem excludat Prophetas.* Quod latissime prosequitur Consalvus Durantus Episcopus Feretranus *in tract. de visionibus cap.* 1. *pag.* 18. *&* 19. *tom.* 1. *ante revelationes S. Birgittæ.*

2. Gratia prophetiæ ex alibi dictis est Gratia gratis data ex genere suo. Nulla ergo in Beatificationis & Canonizationis causis habenda erit ratio prophetiæ, si probatio virtutum heroicarum non præcesserit. Præmissis autem probationibus virtutum heroicarum, prophetia a Deo data censetur homini tum propter utilitatem aliorum, tum propter propriæ mentis illustrationem, & de ea maxima habenda erit ratio pro sanctitate arguenda, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 172. *ar.* 4. *ad primum*, a Silvio illustratam, & a Nobis relatam *superiori cap.* 45. *num.* 12. & sic in judicio Beatificationis & Canonizationis; ut & bene adnotarunt Augustinus Triumphus *de potestate Ecclesiæ quæst.* 15. *ar.* 4. Cardinalis Bona *loc. cit.* Scacch. *de not. & sign. sanctit. sect.* 8. *cap.* 2. *per tot.* Lezana *de Fide, Spe, & Charitate tom.* 3. *tract.* 4. *disput.* 4. *de Gratia Dei quæst.* 7. §. *Ex quo etiam*, Pignatellus *consult.* 193. *num.* 7. *& seqq. tom.* 10. Cardinalis Gottus *de vera religione tom.* 3. *cap.*

11. §.

11. §. 3. *num.* 10. Auditores Rotæ in relatione causæ S. Pii V. *tit. De aliis judiciis sanctitatis*, in relatione causæ S. Teresiæ *super virtutibus ar.* 22. §. 4. in relatione causæ S. Philippi Nerii *tit. de prophetia*, in relatione causæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *tit. de dono prophetiæ*, in relatione causæ S. Ludovici Bertrandi, & in relatione causæ S. Paschalis de Baylon *tit. prædicta*. Nec enim absurdum est, prophetiam, quippe Gratiam gratis datam, aliquando dari peccatoribus, & sæpius Justis indulgeri; quemadmodum perpendit Calmet *in prolegom. ad Prophetas ar. 4. pag. 511. Ultro quidem fatemur, vitæ frugi atque modestiæ characterem non necessarium esse sinceræ prophetiæ argumentum: cum nota sint virorum quorumdam scelestissimorum exempla, quibus Deus, in promendis oraculis suis, instrumentis est usus, ut cum Balaam, & Caipha factum scimus: sed hæc rara sunt exempla*. Quem sequitur Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 17. num. 7. Ideo hoc donum a Deo ut plurimum hominibus sanctis tribuitur*.

3. Si ergo de vitæ pietate, sanctis moribus, & virtutum heroicitate Servi Dei, quantum homini fas est, non dubitetur, & Postulatores provinciam assumant demonstrandi, eum fuisse etiam a Deo illustratum dono prophetiæ, ipsa prophetica dicta erunt ad examen revocanda; & primo quidem perpendendum erit, an ea veritati & pietati Christianæ fuerint conformia; si enim aliquis occultum, seu futurum aliquid prædixisset, eventusque prædictioni respondisset, sed veritas pietasque a prædictione abfuissent, tantum abest, ut ille posset haberi pro vero Propheta, ut potius de ejus probitate dubitandum, & adversus ejus assertam sanctitatem ceteris innixam probationibus judicium ferendum esset. Tradidit hanc regulam Dominus *in Deuter. 13. vers. 1. Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in tota corde & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete ... Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur*. Et quæ dicta sunt de prædictionibus veritati & pietati Christianæ contrariis, sibi quoque locum vindicare debent, si facta sit vanitatum & inutilium rerum prædictio: quapropter *Isaiæ 48. vers. 17.* legitur: *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus Sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas*. Et 1. *Corinth. 14. vers. 3.* Apostolus ait: *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem*. Cardinalis Cajetanus 2. 2. *quæst.* 174. *ar.* 6. quærit, an omnes qui creduntur Prophetæ, audiendi sint in iis, quæ dicunt se ex spiritu Prophetiæ habere, Respondet autem, duplicis generis esse actus humanos, quorum nonnulli spectant ad publica officia, & præsertim Ecclesiastica, ut prædicare, celebrare, sententias ferre in judicio, & similia; & quoad hos ait quæstionem esse resolutam *in cap. ex injuncto, de Hæreticis*, ubi dicenti, se invisibili missione a Deo missum, publica fides negatur, nisi miraculo, vel speciali Scripturæ testimonio id confirmet. Alii actus humani dicuntur privatarum personarum; & de his loquendo distinguit inter Prophetam qui eos præcipiat aut suadeat juxta universales Ecclesiæ regulas, & Prophetam qui eas dirigat præter Ecclesiasticos mores: & quoad primam hypothesim ait, quemlibet in sensu suo abundare posse, ut actus suos dirigat juxta arbitrium Prophetæ; quoad secundam hypothesim concludit, & Prophetam non esse audiendum, cum bonum, & malum in actibus humanis secundum congruentiam, & incongruentiam ad Divinas, humanasque, & præcipue Ecclesiasticas leges attendatur; quo facit illud Apostoli *in epist. 1. ad Thessalonic. v. 19. Spiritum nolite extinguere; prophetias nolite spernere: omnia autem probate; quod bonum est, tenete*. Doctrinam Cajetani illustrat Araujo *in decis. moral. tr. 3. quæst. 23. num. 63. & seqq.* Adhæret Hurtado *in resol. moral. par. 1. tract. 5. cap. 6. §. 6.* Allatoque supra memorato Deuteronomii textu Calmet *in prolegom. ad Prophetas loc. cit.* ita loquitur: *Cautiores etiam contra Pseudoprophetarum, & Confictorum miraculorum astus nos reddens Jesus Christus Matth. 7. 15. & 24. judicium de illis ex eorum operibus inspectis & doctrina capiendum præcipit. Si Angelus de cœlo aliter ac doctrinam ab Apostolis traditam docuerit, hunc diris devovendum Apostolus ad Galat. 1. 8. mandat. Nihil igitur habenda sunt miracula, nihil impleta oraculorum fides, si rectæ sanæque doctrinæ traditæ a priscis Prophetis conformis non fuerit*.

4. Secundo, si absit quælibet suspicio, & quæ a Propheta prædicta sunt, consentanea sint doctrinæ Christi, Apostolorum, & Ecclesiasticæ disciplinæ, & legibus Ecclesiæ, examinandum erit, an ea, quæ prædicta sunt, humanam latuerint cognitionem, quemadmodum sunt internæ hominum cogitationes, & quemadmodum sunt futura contingentia, juxta ea, quæ superius dicta sunt. Item an prædicens, ex signis, conjecturis, experientia conjecturalem quamdam scientiam habere potuerit eorum, quæ prædicit. Rursus an dubitando, puta adhibitis verbis *forte*, *forsitan*, *esse poterit*, futura revelaverit; an etiam in revelando & prædicendo, pro dictorum confirmatione humanis ratiociniis usus sit; an, hæc peragendo, aliquid humani passus sit, puta spem aliquam temporalis commodi habuerit, vel habere potuerit, aut mente commota locutus sit; & demum an vere, si non omnia, saltem aliqua cognoverit eorum, quæ prophetavit. Hæc omnia quippe subtili indagine quærenda esse videntur, antequam de vera prophetia judicium feratur.

5. Constant hæc luculentis Scribentium assertionibus. Calmet etenim *in cit. dissert. ar. 4. pag. 509.* ait: *Ad prophetiam spectat res prorsus latentes aperta quadam certaque fide revelare, quamquam alioquin nullam habeant cum causis secundis atque naturalibus conjunctionem. Nihil enim contra naturæ leges audet Astronomus, si futuram solis eclipsim; nihil Philosophus, si pendentem a causis sibi exploratis effectum prædixerit. Verum si Vatem prædicentem audiamus fortuitum quemdam effectum, ex causis liberis, & in utramque partem dispositis pendentem; id autem pluribus ante sæculis ab illo revelatum constet; si ortum hominis, cujus ipse nomen, victorias, res gerendas, obitumque prænuntiaverit; si prodigium aliquod præsentis temporis circumstantiis prorsus repugnans; nihil ego tunc humani suspicor, sed omnia ad Deum duxerim referenda*. Scacchus *in tract. de not. & sign. sanct. sect. 8. cap. 2. pag. 593. & seq.* ad rem, de qua nunc agitur, multas ex relatis notat circumstantias: *Ac propterea, quoties inter Acta alicujus aliqua talis prædictio considerandа occurrit, circumstantias attendendas arbitror; nimirum, si præsumptus Dei Servus aliquid prædixerit comminatorie &c. præsertim si prædictioni additæ fuerint particulæ forte, forsitan, fortasse, fieri potest, & aliæ hujusmodi, quæ formidinem de opposito subindicant &c. verba temere, ac nullo consilio prolata manifeste commonstrant. Quæ vere conjecturaliter prædicuntur ex antecedentibus, vel similibus &c. vel rationibus formatis per aliquem discursum ex antecedentibus, & consequentibus &c. cuncta conjecturalem prædictionem fuisse subindicabunt, non autem spiritum propheticum &c. Hujus propheticæ prædictionis in Actis Servorum Dei ex parte personæ prædicentis notæ & signa sunt pietas, & sanctitatis fama certa, saltem ex moribus. Inter quæ signa præcipuum locum tenet terrenorum Bonorum & divitiarum contemptus, honorum & dignitatum fuga*. In Hebræorum certe republica nihil augustius, quam Prophetarum dignitas: *Ipsi eis erant Philosophi ... ipsi Sapientes, ipsi Theologi, ipsi Prophetæ, ipsi Doctores probitatis atque pietatis*, ait S. Augustinus *de civ. Dei lib. 18. cap. 41. n. 3. col. 524. tom. 7. oper.* Inest in eorum sententiis gravitas, periodorum majestas, vis & efficacia talis emicat, qualem numquam fraus & impostura assequetur. Procul ab eorum dictis est ambiguitas ac dolus. Raro argumentis, & aliis ad persuadendum artificiis usi sunt, sed tanquam legatione Dei fungentes, imperiosa quadam gravitate ad Principes, & populos locuti sunt. Lucri amor, & sacra auri fames eos absque dubio non invasit; cum a cogendis divitiis animum adeo habuerint alienum, ut amore muneris sui obeundi quandoque necessariorum pro vitæ sustentatione obliti fuerint. Et si aliqui secus se gesserunt, non Prophetis, sed Pseudoprophetis adscripti sunt, de quibus Michæas *cap. 3. v. 3. Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt*; & *vers. 5. Qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem; &, si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium?* id est indicant ei prælium. Ceterarum, quas indicavimus, qualitatum testimonia non desunt Auctorum. Cardinalis enim Bona *de discr. spir. cap. 17. num. 5.* hæc habet: *Falsi Prophetæ mente commota loquuntur, quia Dæmonis impetum, a quo impelluntur, ferre non possunt. At qui a Deo aguntur, placide, humiliter, & modeste proferunt*. Idque confirmat auctoritate S. Joannis Chrysostomi *hom. 29. in 1. ad Corint.* dicentis: *Proprium est falsi Prophetæ emotæ esse mentis, vim pati ac necessitatem, pelli, trahi, raptari, tanquam furentem. Verus autem Propheta non sic, sed cum mente sobria, & cum modesta ac tempe-*

rantç

rante constitutione, & sciens, quæ loquitur, dicit omnia. Mentis & sensuum impotes erant Sacerdotes, & feminæ Sacris Deorum initiatæ, nec loquendi liberam habebant facultatem, sed tanquam mera automata agebantur. Veri autem in Lege Dei Prophetæ quietum & placidum Spiritus Sancti illapsum recipiebant, sui compotes erant, tranquillitate ac serenitate mentis gaudebant, debita in Deum observantia inducti loquebantur, & superni Spiritus ductum sequebantur, quemadmodum pluribus exponis Calmet, *in cit. dissert. ar. 3.* Denique loquendo de vera cognitione eorum, quæ prædicuntur, quærit S. Thomas 2. 2. *quæstion. 173. ar. 4.* utrum Prophetæ semper cognoscant ea quæ prophetant; & respondet, in revelatione prophetica mentem moveri a Spiritu Sancto, & moveri ad aliquid apprehendendum, ad aliquid loquendum, & ad aliquid faciendum, & quandoque ad unum, quandoque ad duo, quandoque ad tria prædicta; item aliquando mentem Prophetæ moveri ad aliquid loquendum, aut ad aliquid faciendum, cum, vel sine intelligentia eorum, quæ loquitur, vel facit; concluditque, quando aliquis se moveri cognoscit a Spiritu Sancto ad aliquid significandum verbo, vel facto, hoc proprie pertinere ad prophetiam; quando autem movetur, & non cognoscit, non esse veram prophetiam, sed instinctum propheticum, de quo aliquid supra dictum est, & aliquid mox dicetur.

6. Tertio, si omnia adsint, quæ in duobus antecedentibus paragraphis exposita fuerunt, ut tutum de vera prophetia feratur judicium, oportet demum ut videatur, an occultum id quod a Propheta revelatum est, tale sit, quale ab ipso revelatum fuit; & an futurum contingens ab ipso prædictum eo modo evenerit, quo ab ipso prædictum est. Regula hæc desumitur *ex Deuteronomio cap. 18. vers. 21.* ubi Deus ita loquitur: *Si tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.*

7. Nonnullæ hujus regulæ sunt limitationes. Prima est, si prophetia non fuerit absoluta, sed comminativa duntaxat, & conditione temperata, quæ videlicet aliquam conditionem expressam, aut tacitam conjunctam habet. Prophetia quippe hæc profertur a Prophetis juxta leges Divinæ justitiæ, positis præsentibus circumstantiis, & hominum demeritis, quibus postea commutatis, Deus avertit quod fuerat prædictum. In quo proinde rerum themate vera est & Divina prophetia, licet non acciderit, quod a Propheta prædictum erat futurum. Res bene explicatur a Valentia *in tract. de rebus Fidei, in analysi Fidei Catholicæ lib. 8. cap. 5. §. ad quartum, pag. 76.* Dicit enim, *Deum per prophetas solitum esse prænuntiare non modo id quod, omnibus consideratis, futurum est: sed etiam id quod, attendendo ad aliquas inferiores causas, ut ad merita hominum &c. vere judicari potest esse futurum, tametsi ex voluntate Divina, & spectatis omnibus causis, secus futurum sit.* Vasquez *in 1. 2. D. Thomæ tom. 5. quæst. 19. ar. 10. cap. 3. in fine* docet, hujusce generis esse revelationes de propria, vel de alterius damnatione, hoc est non semper esse absolutas, nec absolute intelligendas, sed ut plurimum esse comminativas, eoque fine a Deo factas, ut timore sententiæ peccatores convertantur. At si quis exempla prophetiarum quærit, quæ non fuerunt absolutæ, exemplum est in Jona Propheta *cap. 3. v. 4.* qui missus a Deo ad Ninivitas dixit eis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur:* & in Isaia *cap. 38. v. 1.* qui ait Ezechiæ Regi Juda lethali morbo in lecto decumbenti: *Morieris tu, & non vives.* Neutrum enim horum evenit, nec ob hoc illi Prophetæ falsa prædixerunt, cum illorum prophetiæ non essent absolutæ, sed conditione adstrictæ, pendentes a gravissimis circumstantiis morbi Regis Ezechiæ, & a culpis Ninivitarum; quibus circumstantiis, & culpis deinde commutatis, avertit Deus quod ab illis Prophetis fuerat prædictum, prout se facturum Deus aperte testatus est in istis prophetiis comminativis, dicens *Jerem. cap. 18. v. 7. Repente loquar adversum gentem, & adversus regnum, ut eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversum eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* De his prophetiis comminativis, & conditione adstrictis agit S. Thomas 2. 2. *quæstion. 171. ar. 6. ad secundum.* Agit quoque de iisdem Cardinalis Cajetanus 2. 2. *quæst. 173. ar. 4.* ubi docet, Prophetam, cui revelatur aliquid futurum in causis, evidenter cognoscere illud futurum in causis illis, sed non oportere ut sciat, an exire ex causis debeat, & existere, & ex vi illius propheticæ cognitionis, ambiguum remanere in ejus mente, an illud sit futurum, necne; ad veri autem Prophetæ nomen sufficere, ut cognoscat evidenter, se prophetare de illo, quod sibi est revelatum, licet cetera non cognoscat. Optime Silvius *in 2. 2. Divi Thomæ tom. 3. quæst. 171. ar. 6. ad secundum.* Addit Savonarola *in cit. compendio revelationum*, nec Jonam, nec Isaiam falsos Prophetas fuisse, cum hic Ezechiæ Regi (uti dictum est) mortem minatus est, ille Ninivitis eversionem prædixit post dies quadraginta, quamvis nec unum, nec alterum contigerit; quia peccata Ninive meruerant, ut post quadraginta dies destrueretur, & dispositio corporis Ezechiæ talis erat, ut eum ad mortem duceret, quam via naturali evadere non poterat; Propheta autem, qui a Deo instruitur, debet Deo simpliciter obedire, & futura prænuntiare eo modo, quo sibi a Deo præcipitur. Quod late prosequitur Viguer *loco supra citato cap. 9. §. 1. vers. 2. versus finem.*

8. Postquam D. Thomas 2. 2. *quæst. 173. ar. 4.* docuit, non esse perfectam prophetiam, sed instinctum propheticum, cum quis a Deo movetur, & non cognoscit se esse a Deo motum, subjicit hæc aurea verba: *Sciendum tamen, quod quia mens Prophetæ est instrumentum deficiens, ut dictum est, etiam veri Prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit.* Non repugnat enim, revelationem esse veram, & a Deo, & falsam ejus explicationem esse ab homine, qui eam aliter, ac Deus intelligit, interpretatur. Ludovicus junior Francorum Rex desiderium suum pergendi ad loca sacra Principibus Regni aperuit, & ipsorum consilium exquisivit, qui rem deferendam ad S. Bernardum Abbatem existimarunt. Accersitus Abbas tanti momenti negotium ad Romani Pontificis examen statuit referendum. Id magnopere laudavit & probavit Eugenius Pontifex, qui suam auctoritatem ei impertitus est, ut prædicaret, & animos cunctorum commoveret, cum tanquam Apostolus aut Propheta haberetur apud omnes Galliæ & Germaniæ populos. Quocirca non solum ex Romano Imperio, sed etiam ex vicinis Regnis, id est Occidentali Francia, Anglia, Pannonia excitati populi & nationes Crucem assumpserunt, & sacræ expeditioni nomen dederunt, uti plene habetur apud Othonem *lib. 1. de Fid. cap. 34. & seqq.* Expeditio pluribus signis & miraculis confirmata exitum habuit infelicem: vincentibus siquidem Infidelibus justo Dei judicio Christiani milites interierunt; & S. Bernardum, quem prius magno honore omnes prosequebantur, omnes damnarunt tanquam Pseudoprophetam & impostorem. Porro ipse *lib. 2. de considerat. cap. 1. (vol. 1. oper.)* hæc habet: *Si necesse sit, unum fieri e duobus, malo in nos murmur hominum, quam in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas &c. Diximus pax, & non est pax; promisimus bona, & ecce turbatio.* Tum ad sui defensionem subjicit: *Quasi vero temeritate in opere isto, aut levitate usi simus. Cucurrimus plane in eo, non quasi in incertum, sed jubente te* (scilicet Eugenio Pontifice) *immo per te Deo*; & objectis sibi hominum improperiis, *Unde scimus, quod a Domino sermo egressus sit? Quæ signa tu facis, ut credamus tibi?* ita respondet eumdem alloquens Eugenium: *Non est, quod ad ista ipse respondeam: parcendum verecundiæ meæ. Responde tu pro me, & pro te ipso, secundum ea quæ audisti & vidisti:* quibus verbis modeste designat miracula a se facta in prædicationis confirmationem. De veritate ergo revelationis, & prophetiæ dubitari non potuit, nec potest; sed summa & incommutabilis Divina veritas non fuit ab homine intellecta, & aliud hominum, aliud Dei consilium fuit; cum homines, qui terrena sapiunt, gloriam, divitias, & Regni Hierosolymitani receptionem sibi proposuissent, & Deus æternam eorum salutem, qui in illa expeditione pro Fide & Ecclesia mortui sunt. Rem hanc S. Bernardo aperuit Joannes Casemarii venerabilis Abbas *epist. 386. inter eas S. Bernardi*, in qua sic ad eum scribit (*num. 1. col. 346. vol. 1.*) *dictum est mihi, Pater carissime, quod de hac re, quæ non ita prospere, ut forsitan volebatis, contigit, (de via vero Hierosolymæ loquor) multum tristamini: eo quod Ecclesia Dei, vel gloria non, sicut desiderabatis, accrevit*; Et, postquam exposuit, rem prospere evenisse, non secundum hominum desiderium, sed secundum Dei propositum, hæc affert *num. 3. Sed ne in dubium veniat quod dico, quasi Patri meo spirituali in Confessione aperio, quod Patroni loci nostri Beatus Joannes & Paulus sæpius nos visitare dignati sunt, quos ego super hac re interrogari feci, & hujusmodi sen-*

tentiam responderunt, dicebantque, multitudinem Angelorum, qui ceciderant, de illis, qui ibi mortui sunt, esse restauratam; & hoc S. Bernardi exemplo utitur Cardinalis Bona *in cit. cap. 17. de discr. spir.* ut rem, de qua nunc agimus, confirmet. Sequitur Gravina *part. 2. in praxi, quomodo veræ a falsis visionibus & revelationibus discerni possint, lib. 2. c. 4. p. 191.* ubi etiam prædictionem seu prophetiam vindicat S. Vincentii Ferrerii de fine mundi jam imminente, & Antichristi adventu, de qua eadem prophetia S. Vincentii legi potest S. Antoninus *par. 4. histor. tit. 23. cap. 8. §. 3.*

9. Dictum fuit superius, prophetiam non dari per modum habitus: atque ex hoc tertiæ regulæ limitatio descendit, posse videlicet contingere, ut quæ a vero alioquin Propheta prædicta sunt, non vera reperiantur, quod videlicet ipse reputaverit, se ex revelatione Divina prædicere, licet instinctu duntaxat prophetaverit. Otho supra citatus non admodum favere solitus S. Bernardo *in lib. de gestis Friderici cap. 60.* ut infelicem exitum memoratæ expeditionis excuset, inter cetera ait, spiritum Prophetarum non semper subesse Prophetis. Aptius res explicatur a S. Gregorio *lib. 2. dialog. cap. 21.* ubi ita scribit (*col. 248. tom. 2.*): *Prophetiæ Spiritus, Petre, Prophetarum mentes non semper irradiat, quia sicut de Sancto Spiritu scriptum est*, Ubi vult, spirat; *ita sciendum est, quia & quando vult, aspirat ..... Quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis dispensatione disponit, quia, dum prophetiæ spiritum aliquando dat, & aliquando subtrahit, prophetantium mentes & elevat in celsitudine, & custodit in humilitate, ut & accipientes spiritum inveniant, quid de Deo sint, & rursum prophetiæ spiritum non habentes cognoscant, quid sint de semetipsis.* Confirmat hoc ipsum *hom. 1. in Ezechielem num. 15. col. 1180. tom. 1.* ubi ait: *Aliquando vero prophetiæ spiritus Prophetis deest, nec semper eorum mentibus præsto est; & num. 16. Sciendum quoque est, quod aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt, & se hæc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur.* Res autem Theologica trutina examinatur a D. Thoma 2. 2. *quæst. 171. art. 5.* ubi docet, mentes Prophetarum dupliciter a Deo instrui, uno modo per expressam revelationem, altero per instinctum occultissimum, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur; additque, Prophetam maximam evidentiam habere eorum, quæ sibi revelantur, & non aliorum, quæ per instinctum cognoscit: cum discernere non valeat, utrum hæc cogitaverit aliquo Divino instinctu, an per spiritum proprium, nec omnia, quæ cognoscit Divino instinctu, evidentia prophetica eidem manifestentur; talis enim instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiæ, uti etiam supra fuse dictum est.

10. Hæc vera sunt, & clare fuerunt explicata a Patre Baldello *verbis relatis in capite antecedenti*. Sed ne in discussione causarum Beatificationis & Canonizationis aliqua subrepat ambiguitatis occasio, nonnulla addenda esse videntur: & loquendo quidem de prophetiis comminativis atque conditionalibus, sciendum est, ab eis non respici res præteritas, aut præsentes, sed tantum futuras, & quæ ab hominum meritis, vel culpis pendent; uti late explicat Thyræus *in tractatu de apparitionibus lib. 4. cap. 14.* & bene prosequitur Suarez *de Fide disput. 8. sect. 4. num. 9.* Docet Melchior Canus *de loc. Theolog. lib. 2. cap. 4. in respons. ad tertium*, comminativas prophetias, uti tales, bene a Prophetis cognitas fuisse, simulque, mutatis rerum circumstantiis, suo potuisse effectu carere: *Responderi brevius potest, ejusmodi prophetias comminatorias esse; sic enim Scholastici vocant. Id quoniam Prophetæ intelligebant, (nam intelligentia opus est in prophetia), minime fallebantur. Quin potius fide quidem bona suo ministerio functi, existimabant tamen, comminationes mutatis posse moribus commutari: ob eam enim causam Jonas nolebat Niniveæ subversionem prænunciare, quod Divinam putabat misericordiam Ninivitis pœnitentibus esse flectendam.* Thyræus *loco citato* vult, non omnes Prophetas cognoscere in similibus rebus, quæ ab hominum pendent meritis, absolutam Dei voluntatem, & alios eam cognoscere, vel cognoscere potuisse unica, vel multiplici revelatione. At, utcumque sit de his, cum pendente Beatificationis & Canonizationis causa, incertum sit, num Dei Servus fuerit, an non fuerit verus Propheta, nec ullum prophetici doni eidem collati Divinum extet testimonium, non videtur haberi posse ratio prophetiæ comminativæ, nisi ostendatur, Dei Servum cognovisse indolem prophetiæ, & etiam ejus exitum. Quocirca, si afferatur prædictio eversionis civitatis, demonstrandum erit, prædicentem non modo cognovisse, civitatem posse subverti, aut non subverti, pro populi scilicet aut pœnitentia peccatorum, aut obstinatione, sed omnino esse eam re ipsa subvertendam, quod populus pœnitentiam minime erat acturus; aut e contrario non esse subvertendam, quod populus pœnitentiam utique acturus erat, & eventum prædictione plane respondisse: alioquin aperta errori via patere posset. Quocirca Gravina in suo opere, cui titulus *Lapis Lydius ad discernendas veras visiones, lib. 2. cap. 23.* egregie ad rem subjicit: *Circa autem has comminationes, nota, quod dupliciter Deus enuntiat per Prophetas prospera, vel adversa; uno modo revelando mutationem rerum, ad quos dirigitur prophetia, pro quibus, vel contra quos prophetatur; altero modo, nihil de hac mutatione revelando. Si fiat revelatio primo modo, erunt certi pariter Prophetæ, quod non mutabitur sententia &c. secundo vero modo, si nihil reveletur de mutatione sententiæ, remanebit incertitudo, an Deus sit mutaturus sententiam &c. Oportet ergo, ut signum prædictum sit efficax & certum, ut innotescat pariter, sententiam non esse mutaturum: alias, si fiat enuntiatio absque ista revelatione, apparebit falsitas, enuntiando id, de quo non est revelatio immutabilitatis, vel mutabilitatis ..... Unde, quando quidam, qui se faciunt Prophetas, annuntiant alicui mortem, & similia, quæ postea non eveniunt, debent esse certi pariter, quod illis fuit revelata sententiæ mutatio: & est notabilis advertentia.* Concordat Picus *lib. 9. cap. 5.* ubi ait, falsitatem prophetiæ deprehendi, si quis absoluta sub conditione proferat, aut si, quæ conditionem habent, absolute pronuntiet, nulla habita conditionis intelligentia, quæ ad comminativam prophetiam requiritur.

11. Post hæc, ut veniamus ad prophetias, in quibus Propheta rem non intelligit juxta Dei mentem, ex quo sequitur, eventum ab eo prædictum non respondere; crediderim, cum grano (uti dicitur) salis, tutoque pede esse procedendum. Licet enim ex supradictis non repugnet, revelationem esse veram, & a Deo, falsamque ejus explicationem esse ab homine, qui eam aliter, ac Deus intelligit, interpretatur, uti exemplo S. Bernardi demonstratum est; ne aliquid tamen erroris subrepat, crederem, similes prophetias in re & ad effectum, de quo agitur, non esse admittendas, nisi earum veram qualitatem Deus miraculis illustrare dignetur, miraculis (inquam) quæ propheticam prædictionem subsequantur; tunc quippe signa sunt Divini sermonis, uti bene explicat Thyræus *de apparitione intellectuali lib. 4. cap. 18. num. 13. & plurib. seqq.* Et ita quidem rem se habuisse in prophetia S. Bernardi, colligitur ex Gaufrido Monacho *in vita ipsius lib. 3. cap. 4. num. 9. & 10. vol. 2. operum*, ubi non modo antecedentia, sed etiam subsequentia miracula exponit. Postquam enim aperuit consilium Dei in ea expeditione consentaneæ ad ea, quæ supra retulimus ex epistola venerabilis Abbatis Casemarii (*Quod si placuit Deo tali occasione, plurimorum eripere, si non Orientalium corpora a Paganis, Occidentalium animas a peccatis, quis audeat dicere illi, Quid fecisti sic? Aut quis recte sapiens illorum magis non doleat, qui ad priora, vel pejora forte prioribus scelera redierunt, quam eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt?*) veritatem & divinitatem revelationis & prophetiæ pluribus miraculis dixit comprobatam: *Evidenter enim* (inquit de S. Bernardo) *verbum hoc prædicavit, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis, & quam multiplicibus signis! Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demum Scriptorem numerositas scribendorum, & materia superavit Auctorem; nimirum, cum aliquando una die viginti, seu etiam plures ab incommodis variis sanarentur, nec facile ab hujusmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Christus per Servi sui tactum & orationem ex ipsis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convalescere, surdos fecit audire, & mutos loqui, mirabilius restituente Gratia, quod minus præstitum fuerat a natura.* Addit Gaufridus *loco citato*, ea ipsa die, qua nuntius advenit dissipati exercitus Christianorum, Deum intercessione S. Bernardi miraculum edidisse: *Accidit autem, ubi primum de ejusdem exercitus dissipatione lamentabilis intra Galliam insonuerat rumor, ut illuminandum Dei Famulo filium cæcum offerens pater multis precibus vinceret excusantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus, si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicanti Spiritus ejus adfuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur,*

tur. Dum vero post orationem orationis præstolaretur effectum, Quid facturus sum? ait puer: video enim. Attollitur illico clamor astantium: plures enim non modo e fratribus, verum etiam e Sæcularibus aderant, qui, ut puerum videre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant.

12. Superest, ut aliquid indicetur de his, qui instinctu prophetico prophetant, & quorum proinde prophetiæ aliquando non respondent. Ut autem in his prophetiis Dei Servus, de cujus Beatificatione & Canonizatione agitur, non modo excusari possit, sed etiam haberi uti vere Prophetans, necesse est, ut de ejus correctione constet. S. Gregorius *super Ezechiel.* postquam dixit (uti supra vidimus) sanctus Prophetas ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu prædicere, & suspicari, hæc a spiritu prophetiæ procedere, subjicit *loc. cit. n.* 17. inter veros, & falsos Prophetas hanc esse differentiam, *quia Prophetæ veri, si quid aliquando per suum Spiritum dicunt, hoc ab auditorum mentibus per Spiritum Sanctum eruditi citius corrigunt. Prophetæ autem falsi, & falsa denuntiant, & alieni a Sancto Spiritu in sua falsitate perdurant.* Exemplum est in Nathan Propheta Domini notissimo, qui regnante Davide floruit in Israele, maxima Davidi junctus necessitudine. David de Templo Domini ædificando cogitabat, & Nathan, uti legitur *lib.* 2. *Reg. cap.* 7. *v.* 3. ait illi: *Omne, quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est.* Porro eadem nocte Dominus Prophetæ imperavit, ut ad Davidem regressus ei nuntiaret, Templi construendi gloriam non ipsi, sed ejus filio esse constitutam. Assumptionem hanc pluribus prosequitur Cajetanus 2. 2. *quæst.* 171. *ar.* 5. & etiam exornat Fucechius Ordinis Fratrum Minorum *in respons. ad Leonardum Ordinis S. Augustini in causa Hieronymi Savonarolæ, in ejus vita tom.* 2. *pag.* 58.

13. Aliqua hic dicenda essent de alienatione a sensibus, quæ contingit aliquando Prophetis, & quæ fit cum aliqua inordinatione naturæ; quæque idcirco ostendit, ipsorum prophetiam a Deo causam non habere, sed de hoc infra tractabitur, cum agetur de Ecstasi, & Raptu.

CAPUT QUADRAGESIMUMOCTAVUM.

De Gratiis gratis datis Discretionis Spirituum, Generum Linguarum, & Interpretationis Sermonum.

1. DISCRETIO spirituum duobus modis exponi potest: primus est, ut sit cognitio cogitationum cordis, veluti exponit D. Thomas 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 4. ubi docet, Gratiam prophetiæ, & Gratiam discretionis spirituum referri ad Fidei confirmationem, manifestando ea, quæ solius Dei est scire, qualia sunt contingentia futura, quæ respicit prophetia, & occulta cordium, quæ respicit discretio spirituum. Si discretio spirituum hoc primo modo intelligatur, erit unum & idem cum prophetia, hoc uno discrimine, quod prophetia per antonomasiam dicetur de cognitione futurorum, & discretio spirituum erit cognitio cogitationum cordis, quemadmodum bene animadvertit Suarez *to.* 1. *de Gratia, prolegom.* 3. *cap.* 5. *n.* 36.

2. Secundus modus est, ut discretio spirituum sit judicium quoddam, per quod homo recte discernit inter varios motus, de quibus dubitari potest, a quo spiritu proveniant, bono, an malo, quando vel ad mores, vel ad doctrinam excitamur sive interius & invisibili modo, sive exterius per homines docentes consulentesve, aut per Angelos sensibiliter loquentes vel apparentes; sive hæc contingant homini in se ipso, sive in aliis ad communem Ecclesiæ utilitatem: & hoc secundo modo S. Joannes Chrysostomus *homil.* 29. *in epist.* 1. *ad Corinth. tom.* 10. *pag.* 264. explicat donum discretionis spirituum: *Quid sibi vult discretiones spirituum? Scire quis sit spiritualis, quis non spiritualis; quis Propheta, quis deceptor.* Explicationem hanc amplectitur Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap.* 2. *num.* 2. ubi sic loquitur: *Alii rectius docent, discretionem spirituum in peculiari motione Spiritus Sancti consistere ad discernendum inter varios motus, a quo spiritu proveniant, bono, an malo, sive ad mores spectent, sive ad doctrinam, sive quis interius & invisibiliter moveatur & excitetur, sive exterius per homines docentes & consulentes, aut per Angelos sensibiliter loquentes vel apparentes: & hæc est Gratia discretionis, quam inter gratis datas septimo loco recenset Apostolus, quæ a Spiritu Sancto non omnibus datur, sed quibus, & quando vult, ad discernendos spiritus non solum in se ipsis, sed etiam in aliis ad communem Ecclesiæ utilitatem.* Sequitur Suarez *loc. cit. num.* 38. *& sequentibus.*

3. Difficultatem discernendi spiritum bonum a spiritu malo exponit Gersonius *de probat. spirituum col.* 42. *oper. tom.* 1. ubi sic ait: *Est enim Spiritus Deus, Spiritus Angelus bonus, Spiritus Angelus malus, Spiritus humanus tam rationalis, quam animalis. Potest autem similis visio spirari per quemlibet hunc Spiritum suo modo, longeque diverso. Sed, diversitatem faciliter percipi quædam similitudo non finit apud inexpertos talium, qui neque per se ipsos ex acumine ingenii, neque per eruditionem in Theologis vel Physicis disciplinis, neque per aliorum traditionem sciunt talia distinguere. Certe nec mirandum, cum paucissimos inveniamus, qui plene sciunt secernere cogitationes & affectiones sua rationalis animæ, ut rationalis est, ab illis, quæ sunt animales, videlicet in sensu communi, vel organo phantasiæ. Quem invenies, precor, ex timentibus Deum, peccataque fugientibus, qui semper & in omnibus ad liquidum prospiciat, dum tentationes vigent, si sensus eorum sit tantummodo in imaginatione, vel consensus in ratione? Adeo non facile est discernere sensum a consensu. Quanto plus habet difficultatis probatio quadruplicis prænominati Spiritus, dum videlicet instinctus unus vel inspiratio vehemens tangit mentem, si sit a Deo, vel ab Angelo bono, aut malo, vel a proprio spiritu humano. Rursus portio duplex, superior, & inferior, adscripta est. Cujus sentire divisionem perfecte dat illud verbum Dei, quod pertingit usque ad divisionem animæ ac spiritus Heb.* 4. 12. *Qualem in se divisionem passa erat, qua exclamavit:* Magnificat anima mea Dominum *Luc.* 1. 46. *dehinc secernens spiritum ab anima subjunxit:* Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

4. Duplex via est, per quam ad spirituum discretionem perveniri potest: aut per regulas videlicet, quæ a Patribus asceticis, & mysticis, seu contemplativis Theologis assignantur, quæ labore & industria humana discuntur; quod, proprie & stricte loquendo, non pertinet ad Gratiam gratis datam discretionis spirituum; aut per specialem instinctum & motionem Spiritus Sancti, qua homo absque humana industria spiritum a spiritu discernit, & hoc est, quod ad supradictam Gratiam refertur; uti bene animadvertit Cardinalis de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom.* 4. *disp.* 19. *ar.* 10. §. 2. *n.* 361. *Adverte, quod, præter Gratiam gratis datam discernendi spiritus a Deo infusam, datur etiam ars & modus cognoscendi eos per humanam prudentiam. Unde Patres ascetici, & mystici, seu contemplativi Theologi multas assignant regulas discernendi spiritus, seu cogitationes tam proprias, quam alienas. Ideo miror, quod aliqui confundunt utrumque modum discernendi spiritus, & putant, esse eamdem Gratiam gratis datam, de qua cum Paulo loquimur, quia hæc non acquiritur labore & industria humana, sed a Deo confertur homini de ea non cogitanti, & hæc infallibilis est, non vero humanus ille modus.* Quapropter discretionis spirituum nihil aliud erit, quam mentis illustratio, qua perfusus homo facile & sine errore dijudicat, a quo principio tum proprii, tum alieni motus & cogitationes ad electionem pertinentes excitentur, quid scilicet a bono, quidve a malo spiritu suggeratur. Gratia hæc autem, sicut & reliquæ gratis datæ, in Christo solo per modum habitus fuit, ut communiter docent Theologi; ceteris autem datur per modum actus, sive motionis transeuntis, aliis rarius, aliis frequentius, aspirante Divina gratia, quando & quomodo vult, uti late ostendit Cardinalis de Lauræa *loc. cit.* §. 1. eademque, utpote ex primario & interno fine, non ad propriam sanctificationem, sed ad aliorum ædificationem tributa: & sic Gratia gratis data etiam in malis reperiri potest; sed, cum infusio luminis supernaturalis ad eam necessaria requirat mentis tranquillitatem & pacem internam, quæ in animo terrenis affectionibus perturbato locum non habet, hinc fit, ut plerumque in solis Justis inveniatur, juxta ea quæ fuse legi possunt apud Cardinalem Bonam *de discret. spirit, cap.* 2. *n.* 4.

5. Apud

5. Apud eumdem Cardinalem Bonam *cit. cap. 2. n. 3.* exempla referuntur Sanctorum, qui Gratia gratis data discretionis spirituum fuerant a Deo donati. In relationibus Rotæ Auditorum, quas exararunt in causis SS. Petri de Alcantara, & Philippi Nerii mentio ejusdem habita est; &, dum munere fungebar Fidei Promotoris, in animadversionibus a me factis in causa Servi Dei Alfonsi de Orosco ingenue admisi, eum prædicta Gratia gratis data fuisse divinitus exornatum, allata auctoritate sæpe memorati Cardinalis Bonæ *in cit. tract. cap. 5. sub num. 2.* ubi de eo sic loquitur: *Eadem spiritu imbutus Ven. Alfonsus de Orosco Ordinis S. Augustini numquam induci potuit, ut Magdalenam a Cruce Cardubensem, cujus vita singularis fama totum repleverat orbem, alloqueretur; tandemque innotuit, eam spiritu superbiæ delusam fuisse. Idem ei accidit cum Moniali Lusitana, quæ stigmata in manibus, pedibus, & latere ficta ostentabat. Petrum quoque de Pedrola, quem tamquam Prophetam omnes colebant, ad suum colloquium admittere noluit, cum alioquin benignissimus esset: & hic postea a supremo Fidei tribunali extremo supplicio punitus est.* Et, quamvis in iisdem animadversionibus addiderim, non esse prædictæ Gratiæ gratis datæ habendam rationem, ut tutum ferri posset de virtutibus judicium, bene tamen a Postulatoribus responsum est, cui responsioni etiam sacra Congregatio adhæsit, ejus habendam esse rationem, cum aliunde de ipsius heroicis virtutibus constaret.

6. Gratia generum linguarum inferior est Gratia prophetiæ, juxta illud Apostoli *1. ad Corinth. 14. v. 5. Major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis.* Per eam Gratiam non assequitur homo, ut omnino eleganter & ornate loquatur idiomata peregrina, sed tantum juxta communem modum ipse loquens ab aliis intelligi possit, & ipse possit alios intelligere. Datur enim ad utilitatem aliorum, scilicet ad propagandam Fidei doctrinam: pro qua re necesse non est, ut loquens elegantiam calleat linguarum; sed satis est, ut cujusque gentis linguam vulgarem noscat. Sanctis Apostolis fuisse collatam Gratiam generum linguarum, colligitur *ex Actis Apostolorum cap. 2. v. 2. & seqq.* ubi S. Lucas sic scribit: *Et factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum; & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenem, & advenæ Romani, Judæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse?* Cumque Divinæ sapientiæ placuerit, per eos homines orbem terrarum Christi Fide imbuere, quorum cultus & victus, & scriptio & locutio simplex esset, ne in tanto opere sibi aliquid vindicare posset humana facundia, vel auctoritas; hinc infertur, Gratiam generum linguarum non conferre, ut eam habens eleganter & ornate loquatur idiomata peregrina. Unde Apostolus *1. ad Corinth. 1. v. 21. Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Et postea *v. 27. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus &c. ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus:* Et *cap. 2. v. 1. Veni, non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ.* Item *v. 4. Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.*

7. Quanam ratione, & quomodo factum sit, ut Apostoli loquentes ab omnibus intelligerentur, disputatur inter Doctores. Duobus etenim modis potuit hæc Gratia illis communicari; uno modo ex parte audientium, altero ex parte loquentium; vel enim prædicantibus Apostolis una tantum verborum prolatione & uno idiomate, simul ab omnibus hominibus diversarum linguarum, qui aderant, intellecti fuerunt; vel Apostolis ipsis infusæ sunt species & notitiæ diversarum linguarum, & data eis facultas loquendi omnibus illis, non simul & ejusdem vocis formatione, sed successive & juxta occasiones. Quæstionem hanc examinat S. Thomas *2. 2. quæst. 176. ar. 1.* ubi docet, necessarium fuisse, ut donum linguarum a Deo Apostolis daretur, cum mitterentur ad alios instruendos, & pauperes essent, quibus proinde difficile fuisset invenire, qui sua verba fideliter aliis interpretarentur, vel aliorum verba ipsis exponerent; deinde opposito sibi, Deum potuisse facere, ut una lingua loquentes ab omnibus intelligerentur, & sic eos non habuisse peritiam loquendi omnibus linguis; ita respondet: *Ad secundum dicendum, quod quamvis utrumque fieri potuisset, scilicet, quod, per unam linguam loquentes ab omnibus intelligerentur, aut quod omnibus linguis loquerentur: tamen convenientius fuit, quod ipsi omnibus linguis loquerentur, quia hoc pertinebat ad perfectionem scientiæ ipsorum, per quam non solum loqui, sed intelligere poterant, quæ ab aliis dicebantur. Si autem omnes unam eorum linguam intellexissent, hoc vel fuisset per scientiam illorum, qui eos loquentes intelligerent, vel fuisset quasi quædam illusio, dum aliorum verba aliter ad eorum aures proferrentur, quam ipsi ea proferrent.*

8. Facit pro explicatione S. Thomæ illud S. Pauli *1. ad Corinth. 14. v. 18. Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Facit etiam ratio ab eodem allata, quod hoc donum non tantum necessarium fuerit, ut auditores intelligerent Apostolos loquentes, sed etiam ut Apostoli intelligerent alios Infideles sibi loquentes, eorum interrogationibus responderent, & propositas solverent difficultates. Huic sancti Doctoris sententiæ suffragantur Suarez *tom. 1. de Gratia, prolegom. 3. cap. 5. a num. 47. usque ad n. 55.* Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 8. cap. 6.* Viguer *loco supra cit. cap. 9. vers. 8.* Salmanticenses *in cursu Theol. tom. 3. in arbore prædicamentali §. 17. n. 168. & seqq.* Thyræus *de apparitione vocali lib. 2. cap. 14.* omnesque fatentur, fieri potuisse, & fortasse etiam factum esse, ut juxta varias rerum circumstantias aliquando Apostoli unico idiomate loquentes, ab omnibus, licet variarum linguarum, auditoribus intelligerentur. Quos sequitur Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad causas Beatificat. & Canoniz. tit. 3. cap. 3. ar. 2. §. 5. a n. 55. usque ad 62.* Optime Silvius *in 2. 2. D. Thomæ qu. 176. art. 1. Non est negandum, quin aliquando acciderit, ut dum unus una lingua loqueretur, intelligeretur ab auditoribus diversæ ac peregrinæ linguæ, veluti cum Petrus elata voce concionatus est ad multitudinem miscellaneam .... Sed dicimus, hoc non solum Apostolis, similibusque Sanctis collatum; quin potius etiam hoc affirmandum existimamus, quod variis ipsimet linguis loquerentur, prout erant omnes, ad quos oportebat eos loqui.*

9. Habuit Christus Dominus absque dubio perfectissime scientiam omnium linguarum, sed non oportuit, ut omnibus linguis loqueretur, cum uni tantum genti prædicaturus esset, videlicet Judæis; uti animadvertit D. Thomas *loc. cit. ad tertium*, & perpendit Thomas Bozius *de signis Ecclesiæ lib. 6. sign. 22. cap. 5. n. 1.* Silvius *loc. cit.* explicat D. Thomam, & ait, verisimile admodum esse Christum Dominum publice & pro concione alia lingua usum non fuisse, quam quæ erat familiaris populo Judæorum, cum ad eos solos ipse per se ad prædicandum venisset; sed eumdem privatim, occasione ita requirente, fuisse usum variis linguis, dum in Ægypto Gentiles alloqueretur; ipsumque loquentem ad turbam ex diversis nationibus conflatam, uti habetur *Joan. 12.* vel alloquentem Tribunum, & cohortem militum Romanorum, junctis Sacerdotum Principibus, & Magistratibus Templi, & Senioribus, ut ibidem 18. & *Luc. 22.* etsi usus sit una lingua, nimirum Syra, Hebræis tunc familiari, ab omnibus præsentibus fuisse intellectum, etsi non omnes linguam Syram callerent. At non solum Apostolis, sed etiam aliis plerisque Gratia gratis data generum linguarum a Deo data est ad Fidelium utilitatem & ædificationem. Extant exempla collecta a Bagatta *in oper. de admirandis orbis Christiani tom. 2. pag. 153.* Nos autem hic nonnulla subjiciemus, ex quibus dignosci poterit, tam primo, quam secundo modo nonnullis suis Servis a Deo collatam fuisse Gratiam, de qua nunc agitur. In vita S. Sophiæ, sive Cadoci Episcopi Beneventani & Martyris edita a Bollando *die 24. Januarii tom. 2. cap. 1. pag. 604.* ita legitur: *Cadocus tandem Jerusalem perveniens, loca sancta visitavit, cui & Dominus gentium idioma, per quas transivit, contulit, variisque linguis loqui cœpit.* In vita S. Teliai Episcopi Landavensis apud eumdem Bollandum *ad diem 9. Februarii cap. 2. num. 8. pag. 309. tom. 2.* hæc habentur: *Videns amorem Divini verbi flagrare in cordibus eorum, cum linguæ eorum penitus expers fuit, miro modo sollicitudo & angustia premebat eum. Ut tamen populo supplicanti, &*

ti, & illorum voto satisfaceret, sacras Scripturas exponere cœpit, & unusquisque adstantium illum sua lingua loquentem audivit: idemque donum collatum ejus sociis, Sanctis videlicet David, & Paterno, testatur idem Auctor *loc. cit. Surrexerunt ergo David, & Paternus, & prædicaverunt populo omnibusque in sua lingua perfecte intelligentibus eos.* In Passione SS. viginti Martyrum Lauræ S. Sabæ *apud Bollandianos ad diem* 20. *Martii cap.* 7. *n.* 73. *pag.* 177. narratur, quomodo unus ex illis cupidus discendi Græcam linguam, ut Scripturarum lectioni vacaret, eam nullo modo discere potuerit: *Verum prolabens in somnum visitatus est ab uno sanctorum Patrum Anastasio Protodiacono, cujus supra meminimus, qui Patri huic fuerat familiaris, & mœstitiæ causam interrogavit. Ipse vero suam in discendo tarditatem exposuit, cui subridens Sanctus, Aperi os (inquit) tuamque mihi linguam extende: &, quem penes se habebat, pannum novum proferens, circumfricansque, & abstergens eam, expurgata pingui quadam atque limosa viscositate, disparuit; simulque evigilavit, qui dormiebat, Presbyter. Confirmavit autem, quod ex illa die tantam senserit in ea dialecto intelligendo facilitatem, tam expeditam sive in legendo, sive in addiscendo obsequentis ad nutum linguæ facundiam, ut ipse sibi admirationi esset, Deique ergo se curam, atque Sanctorum gratiam obstupesceret.* In paralipomenis ad vitas SS. Pacomii, & Theodori *ad diem* 14. *Maji*, apud citatos Bollandianos *cap.* 3. refertur S. Pacomium corrigere volentem quemdam hominem Romanum, quod Latino & Græco sermone uteretur, quem ipse ignorabat, linguæ tantum peritus Ægyptiacæ, per tres horas ad Deum fudisse preces, ut Fratri auxilio esse posset, & chartam e cælo conscriptam delatam fuisse, quam ut perlegit, omnium mox nationum linguas perdidicit; cumque subinde ad Fratrem accessisset, additur ab Auctore, eum absque ullo errore tam Romana, quam Græca lingua usum esse, Fratre obstupescente. De S. Vincentio Ferrerio testimonium hoc profertur a S. Antonino 3. *part. Sum. histor. tit.* 23. *cap.* 8. §. 4. *Hoc autem stupendum erat, & Apostolica Gratia, quod prædicans in idiomate vulgari Catalonico intelligebatur etiam ab aliis nationibus illud ignorantibus.* Concordat Henricus Spondanus *in continuat. annal. Card. Baronii ad an.* 1403. *num.* 7. *Hoc denique cunctis Evangelicis Prædicatoribus a temporibus Apostolorum præstans, quod patrio ac vulgari sermone Catalonico concionans intelligeretur ab exteris nationibus illum ignorantibus, audireturque non solum a loco proximis, verum etiam a remotissimis, a doctis, & indoctis, a nobilibus, & plebejis; &, quantumcumque prolixe sermocinarentur, nemo tædio afficeretur.* Et in relatione causæ S. Francisci Xaverii ita locuti sunt Rotæ Auditores *ad tit. de dono linguarum &c. Clarnit linguarum dono Xaverius, nam & linguis diversarum gentium, quas non didicerat, cum eas Evangelii causa adiret, eleganter atque ita expedite loquebatur, ac si ibi natus & educatus esset; & contigit non raro, ut concionantem eum diversarum nationum homines sua quisque lingua loquentem audiverit.* De S. Aloysio Bertrando hoc ipsum refert Thomas Bozius *loc. cit. n.* 3. Inter epistolas S. Francisci Xaverii (editas a P. Horatio Tursellino post vitam ejusdem Sancti) *epist.* 5. *lib.* 3. *pag.* 103. idem sic de se loquitur: *Faxit Deus, ut ad Divinarum explicationem rerum, Japonicam linguam condiscamus quamprimum: tum demum aliquam Christianæ rei navabimus operam. Nam nunc quidem inter eos, tanquam muta quædam statuæ, versamur. Multa enim illi de nobis & dicunt & agitant, ad quæ nos scilicet obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari. In præsentia in linguæ hujus percipiendis elementis repuerascimus.* Jacobus Piceninus ex his infert verbis, eum dono linguarum præditum non fuisse. At eum strenue refellit Cardinalis Gottus *tom.* 1. *de vera Ecclesia cap.* 2. §. 4. *n.* 44. cum Sanctus potuerit uno tempore linguas non callere, & tempore subsequenti a Deo dono linguarum insigniri, uti contigit in Apostolis, quibus linguarum donum divinitus collatum est non statim ab initio vocationis ipsorum ad Apostolatum, sed quando super eos Spiritus Sanctus descendit.

10. Non videtur esse dubitandum, posse, Deo permittente, similia a Dæmone fieri: potest enim, dum movet vocis instrumenta, ea sic movere, ut quam linguam voluerit, pronuntiet; & potest etiam ex aere formare diversas species repræsentantes auribus audientium verba, quæ loquens non profert: quocirca *in vita S. Hilarionis* refert S. Hieronymus, quemdam melancholicum, qui Syriaca verba loquebatur, antea, curatum ab eo fuisse, Dæmonem fugando; & tritum est, inter signa Dæmonis quempiam obsidentis, nullum certius dari, quam si mulier aliqua, aut rusticus, & indoctus de mysteriis Theologicis disputet, quæ, antequam obsideretur, ignorabat, aut Græce, Hebraice, Latine, Germanice, aut alio linguarum genere exotico loquatur; uti notat Gaspar a Rejes *in Elysio jucundar. quæst. campo quæst.* 27. *ar.* 4. Quocirca, si de hac Gratia gratis data generum linguarum disputatio occurrat in sacrorum rituum Congregatione occasione discussionis causæ alicujus Servi Dei, de cujus agatur Beatificatione & Canonizatione, & a Postulatoribus afferatur, eum fuisse præditum dono linguarum, hoc est plures linguas, divinitus calluisse, oportebit, ut virorum proborum testimonio ostendant, eum linguis, de quibus agitur, nunquam dedisse opera, & ex tempore peritum apparuisse, & expedite eis usum fuisse, cum occasio se obtulit, uti monet Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad causas Beatificat. & Canonizat. tit.* 3. *cap.* 3. *ar.* 2. §. 3. *num.* 68. & prosequuntur Rotæ Auditores in citata relatione causæ S. Francisci Xaverii *tit. de dono linguarum*. Si vero a Postulatoribus afferitur, Dei Servum unica lingua loquentem fuisse a pluribus diversarum linguarum, tanquam propria ipsorum lingua loquentem, auditum, necesse est, ut testes afferantur asserentes, se eum audivisse suo idiomate loquentem, puta Latino, aut Italico &c. & alii insuper testes afferantur diversarum Nationum, qui referant, se eumdem tunc loquentem, & sua lingua utentem audivisse, Germanos videlicet Germanica, Hispanos Hispana, Gallos Gallica, Anglos Anglica lingua, & sic de ceteris; & præterea ut omnes concordens in re, de qua Dei Servus locutus est, juxta ea, quæ habentur apud Auditores Rotæ *loc. cit.* Præter hæc animadvertendum erit, an in usum harum linguarum vanitas aliqua irrepserit, puta, si id factum sit ad captandam populorum, seu Principum auram, aut ad colligendas pecunias, vel honores, an loquens vana locutus sit; hæc enim ostenderent a Deo variarum linguarum usum non processisse. Quod si loquens magnalia Dei locutus est, si linguis usus fuit, ut peccatores, vel infideles converteret, signa hæc erunt certissima, eum fuisse dono linguarum a Deo donatum, & rei hujus habenda erit maxima ratio in causis Beatificationis, & Canonizationis, præsumptis potissimum probationibus virtutum in gradu heroico, uti animadvertit Matta *de Canonizat. SS. part.* 3. *cap.* 4. *n.* 18. & 19. Matthæuccius *loc. cit. num.* 68. Scacchus *de Notis, & sign. sanctit. sect.* 8. *cap.* 6. *pag.* 649.

11. Ultima Gratia gratis data, de qua loquitur Apostolus, est Interpretatio Sermonum, quæ duobus modis explicari potest; unus est, ut Interpretatio Sermonis ad significationem verborum referatur; alter est, ut de sensibus & mysteriis in verbis inclusis intelligatur. Priori modo interpretari sermonem est verba unius idiomatis per alterius verba exponere, quod fieri potest scripto, vel voce. Secundo modo interpretari sermonem non est verba unius idiomatis per alterius verba exponere, sed mysteria docere, quæ in verbis latent, & sæpe non intelliguntur ab iis, qui significationem verborum non ignorant; quemadmodum bene docet Suarez *tom.* 1. *de Gratia, prolegom.* 3. *cap.* 5. *num.* 55. & *seqq.* Ad primum modum referri debet versio septuaginta Interpretum sacræ Scripturæ, qui sub Ptolemæo Philadelpho juxta communiorem opinionem, non ex turbidis rivulorum lacunis, seu ex vulgatis & popularibus libris Chaldaicis, Syriacis, & Samaritanis codicibus, sed ex puris Hebraicis fontibus versionem suam concinnarunt, quemadmodum solidis rationibus evincit Joannes Morinus adversus Rabbinum Azarium; sive hanc versionem fecerint seorsim, & totidem in cellulis inclusi, veluti autumarunt Justinus, Irenæus, Cyrillus Hierosolymitanus, sive congregati in publico quodam loco, seu in magna basilica, ab omni tumultu & strepitu remota, veluti probabilius censet S. Hieronymus. Ad secundum modum spectant, quæ habentur de SS. Apostolorum Interpretibus; Petrus enim Marco Interprete usus est, & Paulus Tito Interprete, de quo in 2. *epist. ad Corinth. cap.* 2. *v.* 12. inquit: *Cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum.* Interpretes siquidem isti operam suam Apostolis, & sic Titus Paulo, præstabant, vel cum, ipsis alicui genti loquentibus, puta Romanis, in auditorio essent alii qui Latinum sermonem penitus ignorarent; tunc enim officium Interpretum desiderari videbatur, vel cum captu difficilia iidem Apostoli loquebantur, quia tunc Interpretum erat ea explanare; veluti post longam disputationem concludit Cardinalis Baronius *in annal. ad an.* 45. *n.* 37.

12. Car-

17. Cardinali Baronio adhæret Suarez *loc. cit. n. 61. & seqq.* sed Estius *in comment. ad cap. 2. epist. 2. ad Corinth.* putat, percipi non posse, quomodo munus Interpretis uno vel altero ex dictis modis fuerit a Tito exercitum, & quomodo Paulus potuerit magno affici mœrore, cum Titum Troade non invenit, & sic ejus opera modo explicato uti non potuit. Ait enim, Paulum tunc prædicasse in regionibus Asiæ, Achajæ, & Macedoniæ, in quibus lingua Græca communis erat; item, Paulum linguarum scientiam Divino miraculo assecutum, pari facilitate Græcam linguam, qua Hebraam, pronuntiasse, & propterea improbabile esse, eum propter absentiam Interpretis, quo forte non egebat, adeo animo discruciatum fuisse, ut Troade relicta, abiret in Macedoniam illic suum Interpretem quæsiturus. Addit, Apostolos apud multitudinem prædicantes, sermonem suum captui multorum accommodasse, & secretiora mysteria in tempus reservasse, quo traderent ea capacioribus & Fide provectioribus. Quare idem Apostolus in 1. *ad Corinth. cap. 2. v. 6.* ait: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos:* & cap. 3. v. 1. *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus: sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.* Atque ex his infert idem Estius, Paulum Tito non indiguisse pro explicatione mysteriorum, & rerum obscurarum; concluditque, spiritum Pauli requiem non habuisse, quando Titum non invenit, quod eum Corinthum miserat, ut sibi nuntiaret, an Corinthii jam se correxissent. Adhæret Cornelius a Lapide *ad cap. 2. epist. 2. ad Corinth.* ubi hæc habet: *Fuit & alia causa, cur Paulus Troade perrexerit in Macedoniam ad occurrendum Tito, quod scilicet a Tito, quem Corinthum submiserat, avebat cognoscere statum Corinthiorum, antequam Corinthum, uti promiserat, rediret. Unde cap. 7. vers. 6. dicit, se in Macedonia consolatum fuisse in adventu Titi referentis Corinthiorum fletum, & desiderium Pauli. Videtur autem Titus renuntiasse Paulo, necdum esse maturum tempus redeundi Corinthum. Unde Paulus iter suum ad Corinthios distulit, & hanc ad eos præmisit epistolam, qua viam sibi ad eos sterneret, defectusque Corinthiorum corrigeret.* Hæc autem retulisse satis sit: in eo enim, quod attinet ad causas Beatificationis, & Canonizationis, difficile admodum mihi esse videtur, ut se offerat occasio disserendi de hac Gratia Interpretationis Sermonum. Licet enim contingere possit, & sæpe contigerit, ut absque humano studio fuerint ab aliquo Dei Servo explicata abdita Scripturarum Mysteria, id non ad Gratiam Interpretationis Sermonum, sed ad Scientiam infusam, de (qua supra) pertinebit.

CAPUT QUADRAGESIMUMNONUM.

De mentis Excessu, Ecstasi, & Raptu.

1. POST Gratias gratis datas agendum est de Excessu mentis, Ecstasi, & Raptu. Ecstasis enim ad aliquam ex Gratiis gratis datis reducitur, tamquam aliquid eis annexum, uti animadvertit Matthæuccius in *Practica Theologo-Canonica ad causas Beatificat. & Canoniz. tit. 6. cap. 6. n. 10.* Agitur autem prius de mentis Excessu, Ecstasi, & Raptu, quam de Visionibus, Apparitionibus, & Revelationibus, vel quia non semper Ecstasi, & Raptui Visiones, Apparitiones, Divinæque Revelationes debent esse conjunctæ, cum hæ a Deo concedantur, quibus ipse vult, uti bene advertit Cardinalis de Lauræa *Opusc. 5. de Oratione, cap. 8. §. Dico primo*, vel quia, quando Visiones, & Apparitiones a Deo suis Servis indulgentur, ut plurimum eis indulgentur in Ecstasi & Raptu constitutis, uti sapienter prosequitur Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 14. num. 1. Quia vero ut plurimum nihil homini revelatur, nisi prius extra sensus raptus fuerit, & visio sive apparitio aliqua præcesserit, ideo prius de ecstasi & raptu, deinde de visionibus, & apparitionibus, demum de revelationibus tractabo.* De Ecstasi & raptu fuse agunt Theologi in 2. 2. *D. Thomæ*, & fusius Mystici. Nos autem hic nonnulla de natura & indole ecstasis, nonnulla de ejus speciebus, & de ejusdem signis afferemus: deinde, quæ ad causas Beatificationis & Canonizationis pertinent, breviter exponemus.

2. Sunt, qui ecstasim vocant mentis excessum. Sic S. Isidorus *lib. 7. etymol. cap. 8.* sic S. Augustinus *de Genesi ad litteram lib. 8. cap. 25. col. 241. tom. 3. part. 1.* quo loco de Dei locutione scribens ait: *Intus ei quippe loquitur Deus miro & ineffabili modo, neque per scripturam corporalibus instrumentis affixam, nec per voces corporalibus auribus insonantes, neque per corporum similitudines, quales, in spiritu imaginaliter fiunt, sicut in somnis, vel in aliquo excessu spiritus, quod Græce dicitur Ecstasis, & nos eo verbo jam utimur pro Latino.* De ecstasi quoque loquitur S. Augustinus *lib. 2. ad Simplic. quæst. 1. col. 104. n. 1. tom. 6.* ubi describens ecstasim ait: Ecstasis *cum sit mentis alienatio a sensibus corporis.* Et rursus *in Psalm. 67. num. 36. col. 683. tom. 4.* subjicit: *Ecstasis namque est mentis excessus: quod aliquando pavore contingit, nonnumquam vero per aliquam revelationem, alienatione mentis a sensibus corporis, ut spiritui, quod demonstrandum est, demonstretur.* Ecstasim ergo quis pati dicitur, cum extra se ponitur; quod dupliciter modo contingit, & secundum vim apprehensivam, & secundum vim appetitivam, uti paulo post ex D. Thomæ doctrina demonstrabitur. Ecstasis in facultate, quæ cognitioni deservit, dicitur esse formaliter (ut loquuntur), quia ex interna unius rei meditatione abstrahitur intellectus ab aliis; in potentia appetitiva causaliter, affectus enim vehementia absorbet animam, neq; sinit sui juris esse. Ita D. Thomas 1. 2. *quæst. 28. art. 3. Respondeo dicendum, quod, ecstasim pati aliquis dicitur, cum extra se ponitur: quod quidem contingit & secundum vim apprehensivam, & secundum vim appetitivam. Secundum quidem vim apprehensivam aliquis dicitur extra se poni, quando ponitur extra cognitionem sibi propriam, vel quia ad superiorem sublimatur, sicut homo, dum elevatur ad comprehendenda aliqua, quæ sunt supra sensum & rationem, dicitur ecstasim pati, in quantum ponitur extra connaturalem apprehensionem rationis & sensus; vel quia ad inferiora deprimitur, puta, cum aliquis in furiam, vel amentiam cadit, dicitur ecstasim passus. Secundum appetitivam vero partem dicitur aliquis ecstasim pati, quando appetitus alicujus in alterum fertur, exiens quodammodo extra se ipsum. Primam quidem ecstasim facit amor dispositive, in quantum scilicet facit meditari de amato; intensa autem meditatio unius abstrahit ab aliis: sed secundam ecstasim facit amor directe.* Illustratur doctrina hæc a Jacobo Alvarez *de gradibus Contemplationis lib. 5. part. 3. cap. 8.* Anima autem in ecstasi, cum sit virtutis finitæ, aliquando omni sensuum usu destituitur, nec præsentia cernens, nec voces loquentium percipiens, veluti explicat Henricus Harphius *lib. 2. Theologiæ mysticæ par. 3. cap. 37.* & in ea potentia dumtaxat vegetativa ab actibus suis non cessat, cum non sit cognoscitiva: nam, cessantibus ejus operationibus, cessaret nutritio, quæ semper animali est necessaria, uti docet citatus D. Thomas 2. 2. *qu. 175. ar. 5. ad tertium: Dicendum, quod vires animæ vegetabilis non operantur ex intentione animæ, sicut vires sensitivæ, sed per modum naturæ; & ideo non requiritur ad Raptum ab eis abstractio, sicut a potentiis sensitivis, per quarum operationes minueretur intentio animæ circa intellectivam cognitionem.* Hoc ipsum ab eodem S. Doctore traditur *de veritate qu. 13. ar. 4.* & late exornant Suarez *de religione tom. 2. lib. 2. cap. 18. n. 6. & seqq.* Raphael de la Torre *in 2. 2. D. Thomæ tom. 1. qu. 95. ar. 6. disp. 14. vers. Dico quinto*, Gravina in *Lydio lapide lib. 2. de ecstasi & raptu cap. 30.* Thyræus *de apparitione intellectuali lib. 4. cap. 4.* & præsertim *num. 6. & seqq.* Nec in ecstasi sive naturali, sive dæmoniaca (de quibus infra) anima separatur a corpore, utcumque existimaverit Plato *lib. 10. de republica*, ubi refert, Herum Armenium pro mortuo habitum, anima redeunte, revixisse, & præmia & pœnas alterius vitæ enarrasse; & utcumque asseruerit Plinius *lib. 7. histor. natural. cap. 52.* ubi testatur, Hermotimi Clazomenii animam, relicto corpore, errare solitam multa annuntiasse, quæ, nisi a præsente, nosci non poterant; & alii apud Bodinum *lib. 2. Dæmonom. cap. 3.* Hæ quippe fabulæ sunt, & ludibria Dæmonum, cum solius Dei sit mortuos suscitare, & sola virtute Divina anima ad corpus, quod reliquit, redire possit, juxta illud Apostoli 2. *ad Corinth. cap. 1. v. 9. Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos.* Gaspar a Rejes *jucundar. quæstion. Elysio campo quæst. 81. num. 4.* docet, nulla naturæ, aut Dæmonis potestate fieri posse, ut anima a corpore separata ad illud redeat;

&, si aliquando id contigisse visum est, ad virtutem Diabolicæ superstitionis referri debere, per quam, sensibus ligatis, hoc est obstructis semitis, per quas spiritus animalis a cerebro ad partes sensiferas permeat, retractoque eodem spiritu ad sensum communem, ibique retento, ne ad exteriora migrare posset, & sic sensuum externorum actionibus impeditis, corpus cadaveris speciem præsetulit; ut de *Lappiorum, & Finorum ecstasi* scribit Olaus Magnus, qui, dum certo loco manerent modo prædicto soporati, varia tamen loca se peragrasse, falso arbitrabantur, ac multa a Dæmone Magistro enarrabant, quæ eodem tempore longinquioribus in locis contingebant, stupentibus interea indoctis, & attomantibus, animam a corpore separatam ad corpus rediisse. Anima ne in ecstasi quidem Divina a corpore separatur: licet enim certum sit, in ea posse virtute Divina animam a corpore separari, & iterum ad corpus redire, quod an in se contigerit, cum ecstasim & Raptum passus est, Apostolus se ignorasse fassus est in 2. *epist. ad Corinth. cap.* 12. *v.* 2. *Scio, hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cælum, & scio, hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) &c.* necesse tamen non est, ut separatio animæ a corpore ecstasi Divinæ conjuncta sit, cum Deus ratione immensitatis sit præsens omni animæ, & sic ipsi revelare possit, quæ vult in ecstasi revelare, absque eo quod eam separet a corpore; & cum de tot Prophetis ecstasim passis, & de tot aliis Dei Servis hac alienatione sæpe donatis nunquam legamus, eorum animas ab ipsorum corporibus fuisse separatas; uti late ostendunt Suarez *loc. cit. num.* 7. *in fine*, Cornelius a Lapide *ad cap.* 12. *epist.* 2. *ad Corinth.* Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib.* 2. *quæst.* 29. §. *Consio quarta*, Zacchias *quæst. Medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 6. *num.* 16. *& seqq.* Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap.* 14. *num.* 1. Gravina *loc. cit. lib.* 2. *num.* 30. *assert.* 3. Consalvus Durantus in *tract. de visionibus cap.* 3. *pag.* 57. *ante revelationes S. Brigittæ*, Cardinalis de Laurea in 3. *lib. sent. tom.* 4. *disput.* 20. *art.* 23. *num.* 972. *& seqq.* Loquendo de ecstasi & raptu S. Pauli Apostoli S. Augustinus *de peccato originali cap.* 23. ait, imprudentem esse inquisitionem, an in raptu, qui ipsi contigit, anima ejus fuerit a corpore separata; cum ipse Apostolus se nescire testetur. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 5. docet, non fuisse necessarium, ut in statu Raptus anima Pauli fuerit omnino separata a corpore, sed categorice non respondet, an ita factum sit. At Silvius *super eodem art.* 5. interpretans tum S. Augustini, tum S. Thomæ auctoritatem, dicit, illam esse intelligendam de inquisitione, qua quæritur certa cognitio, non de ea, qua solum probabilis; & hanc potius favere opinantibus animam Pauli non fuisse a corpore separatam, cum S. Doctor tum in hoc, tum in sequenti articulo doceat, probabilius esse, animam in corpore mansisse, quod separatio non esset necessaria.

3. Juxta D. Thomam Raptus aliquid addit supra ecstasim; addit enim violentiam, ut ipse docet 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 2. *ad primum*: *Dicendum, quod Raptus addit aliquid supra ecstasim: nam ecstasis importat simpliciter excessum a se ipso, secundum quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur; sed Raptus super hoc addit violentiam quamdam.* Indolem Raptus, prout differt ab ecstasi, juxta mentem D. Thomæ late explicant Araujo *decis. moral. tract.* 3. *quæst.* 23. *num.* 60. Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect.* 8. *cap.* 3. Consalvus Durantus *in cit. tract. de visionibus cap.* 3. *pag.* 52. Castellinus *de inquisit. miraculor. in addidamento universali de ecstasi num.* 8. Antonius ab Annuntiatione *in disceptatione mystica de oratione & contemplatione quæst.* 2. *art.* 8. Silvius in 2. 2. *D. Thomæ tom.* 3. *quæst.* 175. *art.* 2. ubi docet ad Raptum non requiri violentiam, sed sufficere, ut aliquid reperiatur simile violentiæ. Melius res exponitur a Cardinali Bona *de discret. spirit. cap.* 14. *num.* 2. *in fine* his verbis: *Hoc est autem discrimen, quo inter se distinguuntur Raptus, & ecstasis: nam hæc suavius mentem a sensibus abstrahit, ille fortius & cum quadam violentia, ita quod Raptus hoc ecstasi addit, quod vim quodammodo affert animæ, eamque celerrime ac potentissime a sensibilibus avellit, & ad invisibilium intellectualem inspectionem & amorem impellit, ac sursum tollit.* Apud Mysticos violentia explicatur de violento corporis motu, cum alienati videlicet in altum elevantur, & interdum sic a terra elevati per aliquod tempus manent; cui explicationi adhæret Cardinalis de Laurea *opusc.* 5. *de oratione cap.* 6. *in principio*. Hæc autem indicasse satis sit, cum juxta eumdem Cardinalem de Laurea, ecstasis & Raptus passim promiscue sumantur: quod ipsum quoque fuit animadversum a Consalvo Duranto in *allat. tract. de visionibus cap.* 3. *Supponendum hic, tanquam certum, Doctores Theologos ecstasim, mentis excessum, & Raptum in eodem sensu interdum usurpasse, ac etiam in sacris Litteris pro eodem quandoque accipi*; & a Patre Baldello in citato opere manuscripto his verbis: *Dell' estasi così dichiarata non differisce nelle sacre Scritture l' eccesso di mente, ed il ratto, ma tutte queste cose si prendono per le medesime, come ben nota S. Tommaso. Se bene il nome di ratto pare, che esprima un non so che di forza e violenza, come nota il medesimo. E pertanto più propriamente si attribuisce all' intelletto, che alla volontà. Siccome anche il patire forza e violenza più è di quello, che di questa, secondo lo stesso santo Dottore.*

4. Aliquid superius dictum est de ecstasi & raptu, naturali videlicet, dæmoniaco, & Divino. Porro divisio hæc desumitur ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 1. *Hujusmodi autem abstractio, ad quæcunque fiat, potest ex triplici causa contingere. Uno modo ex causa corporali, sicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Secundo modo ex virtute Dæmonum, sicut patet in arreptitiis. Tertio modo ex virtute Divina, & sic loquimur nunc de raptu, prout scilicet aliquis Spiritu Divino elevatur ad aliqua supernaturalia cum abstractione a sensibus, secundum illud Ezechielis* 8. *Spiritus elevavit me inter cælum, & terram, & adduxit me in Jerusalem in visione Dei.* Naturalis autem ecstasis est, quæ a causis naturalibus causam habet, exge. ex morbo, quem Medici *Catochen* seu *Catalepsim* vocant; nam eo correpti, omni sensu & motu destituuntur, ac in eo situ, quo deprehensi fuerint, rigidi & immobiles manent, apertis & immotis oculis, vigilantis figuram retinentes, licet omnis sensuum functio sopita sit. Ex vehementi quoque imaginatione ecstasis naturalis oriri potest; tunc enim confluunt spiritus animales in cerebrum, proindeque sensuum exteriorum functiones cessant, & quo intensior imaginatio est, eo majore spirituum copia cerebrum obsidet, & sic fortior fit & longior abstractio. Hinc Platonem legimus Philosophicis speculationibus ita quandoque fuisse intentum, ut sensuum usu careret; & nota est etiam S. Thomæ Aquinatis abstractio, qui Regiæ mensæ accumbens, conclusum esse adversus Manichæos, exclamavit. In hac naturali ecstasi non fit, ut corpus a terra sublevetur. Quocirca Zacchias *quæst. Medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *de miraculis quæst.* 6. *num.* 10. scribit: *Sed alii graviores sunt Ecstatici, qui a terra in ecstasi elevantur, ut quasi in aere librati permaneant. Hoc autem (quidquid conati fuerint nonnulli affirmare) in naturali ecstasi est ab omni veritate alienum: contra naturæ enim propensionem omnino est, corpus grave a centro propria virtute sublevari, & in aere sustineri.* Dæmoniaca ecstasis est, cum Dæmon ligat sensus, & vias obstruit, per quas spiritus a cerebro in ipsos sensus exteriores diffunduntur, excitatque in phantasia & in facultate cogitante alicujus objecti, sive negotii vehementem cogitationem. In hac ecstasi contingere potest corporis a terra elevatio; nec enim id ejus efficaciam & potestatem excedit. Jamblicus *de vita Pythag. cap.* 28. interprete Ludolpho Kuster *edita Amstelod. anno* 1707. *pag.* 112. tamquam factum notorium refert, Pythagoram una eademque die e remotis regionibus in Italiam, & ab Italia in Siciliam ope utique Dæmonis translatum suos discipulos iis in locis existentes allocutum fuisse; quod ipsum habetur apud Origenem *lib.* 6. *contra Celsum*. Angelus bonus, ut legitur *Daniel.* 14. Prophetam Habacuch capillo capitis apprehensum ex Judæa Babylonem usque asportavit, Deo jubente: Deoque permittente, Simon Magus a Dæmone in aera evectus est, ita ut volare videretur: quem tamen, ad Beati Petri Apostoli preces a Dæmonibus destitutum, in terram statim præcipitem corruisse; atque exitialium debitas scimus pœnas persolvisse. Legi potest Cardinalis Baronius *in annal. ad an.* 68. *num.* 13. *& seqq.* cum aliis ad rem fuse collectis a Rocca *de Canoniz. SS. cap.* 14. Henricus Valesius *in annotat. ad cap.* 15. *lib.* 2. *histor. Ecclesi. Eusebii Cæsariensis* subdubitare videtur de volatu Simonis Magi, & de tota historia certaminis cum Apostolo Petro: quippe qui asserat, Eusebium eo loci de certamine ipso, de volatu, & de interitu nullum verbum fecisse, Irenæum etiam, ac Justinum ea de re silere. At Tillemontius *tom.* 1. *part.* 2. *in vita S. Petri art.* 34. ejusdem historiæ veritatem innumeris tum Patrum, tum Historicorum testimoniis docte ac erudite confirmat; asseritque sine solido fundamento nonnullos de ea re dubitare; tum addit, se malle cum Arnobio, Cyrillo Hierosolymitano,

tano, Legatis Liberii, Ambrosio, Augustino, Isidoro Pelusiota, Theodoreto, ceterisque Patribus decipi, quam eosdem fatuæ credulitatis insimulare: idque etiam prosequitur Calmet *in dissert. de Simone Mago §. Certamen illud*. Addit Torreblanca, alibi recensitam Magdalenam de la Crux e terra per Dæmonem, spectantibus omnibus, fuisse elevatam, ut videri potest *lib. 2. de magia cap. 10. num. 37.* Divina demum ecstasis est, cum Deus per se, vel per Angelum bonum aliquando rapit hominem, & a sensibus alienat, ut liberius Divina contempletur: & in hac virtute Divina corporis a terra elevatio dari potest, non quia hæc habeat necessariam connexionem cum ecstasi aut raptu a vehementi Divina contemplatione manante, sed quia, cum hæc ecstatica contemplatio Divinorum assimiletur, & quasi sit inchoatio ejus, quæ futura est in beatitudine animarum, Deus, ut id doceat, hoc speciale donum aliquando concedit raptis; quod donum est quædam imperfecta participatio dotis agilitatis, quam corpora gloriosa obtinebunt. Hæc eadem Divina ecstasis a Deo immitti potest, nulla præcedente hominis meditatione seu consideratione, qualis fuit illa, de qua *Genes. 2. v. 21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam*: & potest etiam a Deo dari, ipso videlicet hominem movente & illuminante ad considerandum ex. gr. aliquod Fidei mysterium, ita ut, auxilio Divino perseverante, & homine attentius & vehementius considerante, idem a sensibus alienetur: nec solum primus modus, sed etiam secundus ad Divinam ecstasim est referendus; cum suspensio & alienatio a sensibus ex efficacia Gratiæ descendat, quamvis naturaliter ex priori Gratia proveniat, & una ab alia naturaliter profluat. Theologi, Mystici, Philosophi, & quotquot de materia Canonizationis scripserunt, confirmant ea quæ hactenus dicta sunt. Inter Theologos Suarez *de religione tom. 2. lib. 2. cap. 15. per tot.* Arauxo *dec. moral. tract. 3. quæst. 23. §. 3. n. 60.* Raphael de la Torre *2. 2. quæst. 95. art. 5. disp. 13. & disp. 14. §. Quarto argumenta*, Consalvus Durantus *de visionibus cap. 3. pag. 55. & pag. 59. ante revelationes S. Birgittæ*, Gravina *in lapide Lydia lib. 2. cap. 28. pag. 253.* Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 14. sub num. 4.* Cardinalis de Lauræa *opusc. 5. de oratione cap. 6. advert. 3. & seq.* Inter Mysticos S. Franciscus de Sales *in tract. de amore Dei l. 2. tom. 7. cap. 5. & cap. 6.* Inter Philosophos Zacchias *quæst. Medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæst. 6. n. 7. & seqq.* Gaspar a Rejes *in jucundar. quæst. Elysio campo quæst. 81. num. 3. & seqq.* & inter eos, qui de Canonizatione scripserunt, citatus Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 4. disp. 20. de miraculis ar. 23. num. 942. & plurib. seqq.* Matta *de Canoniz. SS. par. 3. cap. 4. n. 3. & plurib. seqq.* Matthæucc. *in pract. Theologo-Canon. ad causas Beatific. & Canoniz. tit. 3. cap. 3. ar. 1. n. 2. & seqq.*

5. Addimus, quæ Pater Baldellus scripta reliquit in opere alias citato, & numquam typis edito, ubi clare triplicem ecstasis speciem, naturalem videlicet, dæmoniacam, & Divinam explicat. Aliqua profert de splendore vultus, quo aliquando Ecstatici illustrantur, de longa a cibo abstinentia, quam nonnulli Ecstatici servarunt; sed de his a Nobis fiet sermo, cum de miraculis tractabitur. Idem Auctor in loco mox referendo aliqua tangit de historia Septem Dormientium, Maximiani videlicet, Malchi, Martiani, Dionysii, Joannis, Serapionis, & Constantini, quorum festum commemoratur in Martyrologio Romano *ad diem 27. Julii*, quos nonnulli dicunt, *Dormientes* fuisse appellatos, quod temporibus Decii usque ad ultima tempora Theodosii junioris intra speluncam clausi, somno capti ad ducentos fere annos re vera dormierint: at alii volunt, *Dormientes* fuisse appellatos, quod temporibus Decii martyrium consummarint intra speluncam clausi, ac demum, specus ostio reserato, inventis eorum corporibus, velut redivivi apparuerint; vel ea de causa, quod juxta consuetum Divinæ Scripturæ loquendi modum *Dormientes* appellentur, qui pie & religiose vita functi sunt. Utramque sententiam Cardinalis Baronius exponit *in not. ad Martyrol.* & in posteriorem proclivior est; sed primam, congesta undique eruditione, tuetur & fate propugnat vir Nobis singulari amicitia junctus, & fama inter Litteratos clarissimus Joseph Simonius Assemanus *in Biblioth. Orient. tom. 1. pag. 335. & seqq.* Post primam hujus nostri Operis editionem, Romæ anno 1741. publici juris facta est *Sanctorum Septem Dormientium Historia ex Ectypis Musei Victorii expressa*, quæ secundam tuetur opinionem. Hæc autem indicasse satis sit. Verba autem Patris Baldelli sunt hæc: *Quanto alle cause dell' estasi e ratto, tre ne vengono assegnate da S. Tommaso nella 2. 2. alla quest. 175. art. 1. cioè, Dio, il Demonio o qualche disposizione corporale. Perchè, se bene una intensa attenzione alle cose Divine con astrazione dai sensi e dalle potenze animali non può essere se non da Dio, siccome solo da lui è ogni altro pensiero di bene, che giovi alla salute; contuttociò l' essere talvolta astratto dai sensi, o ciò sia, perchè l' animo tutto si occupi in altro oggetto, o perchè senza altro intendimento semplicemente si privi dell' uso de' sensi, può venire ancora dal Demonio, e dalle cause corporali. E non è dubbio, che dal Demonio sono le estasi e i ratti de' superbi Contemplativi, come avvertisce il Gaetano nella 2. 2. alla qu. 95. ar. 2. e delle streghe, e de' maghi, quando in un luogo rimangono come morti, ed ingannati dalle finte apparenze, che il Demonio ha loro composte e fabbricate nella immaginazione, e si pensano d' essere stati in varj luoghi, e d' aver fatto a suo gusto varie cose. Così deve intendersi quel, che d' un certo si narra nelle istorie Settentrionali di Olao Magno al lib. 3. cap. 17. che, essendo richiesto da chi bramava saper di lontano, che cosa fosse de' suoi amici, o nemici, messo sopra l' incudine un certo serpe, o una ranocchia di bronzo, che appunto teneva come instrumento, o segno delle sue arti e malefizj, poi percossala col martello a numero certo di colpi, o con certe parole di qua e di là rivoltatala, cadeva egli in terra, o come senz' anima restava in estasi; e ritornato in se narrava, quanto altri gli dimandava, come se di persona a tutto fosse stato presente. E al medesimo modo si hanno da intendere, esser occorsi que' casi, ne' quali si dice appresso i Gentili, esser tornato taluno da morte a vita, e come di vista aver palesato varie cose d' orrore e di stupore: come di quello appresso Platone nel lib. 10. de Rep. che, essendo stato ben dieci giorni fra' cadaveri morti nella guerra, e portato a casa da' suoi per essere più degnamente seppellito, mentre stava per esser bruciato e ridotto in cenere, conforme al costume, tornò in vita, e raccontò d' aver vedute varie cose; e di quell' altro per nome Ermotimo appresso Plinio al lib. 7. cap. 52. che, lasciando esanime il corpo, dicevasi andar errando con l' anima in varie parti, e poi tornando, manifestava quel che da altri non potea sapersi, che da chi fosse stato presente in luoghi lontani; ed a suo gusto più volte così vagando, fu alla fine trovato da' nemici il suo corpo, e bruciato, fu tolto all' anima per sempre l' albergo per il ritorno; e di molti altri appresso il medesimo Plinio, ed altri Istorici. Ed in quei modi, che la natura talvolta impedisce l' uso de' sensi, può impedirlo ancora il Demonio nelle sue estasi, cioè, serrando le vie, per le quali dal cuore e dal celabro passano gli spiriti animali ai sensorj, e da questi le specie al senso comune, come avviene nel tempo del sonno; o pure, raccogliendo e ritirando al di dentro i medesimi spiriti, occupando i sensi e le potenze interne in qualche altra operazione, e lasciando l' esterne abbandonate, come avviene, quando attendiamo intensamente a qualche pensiero, che non vediamo, nè sentiamo chi ci passa davanti, o chi ci parla. E se bene all' estasi e ratto non si richiede al medesimo modo, che s' impediscano e leghino le potenze vegetative e vitali, come si legano le sensitive e animali, conforme avverte S. Tommaso nella 2. 2. alla qu. 175. a. 5.* ad tertium, *perchè le vitali non richiedono attenzione o dell' anima, o di qualche potenza comune, come la richiedono le animali; contuttociò per l' accidente di ritirarsi e richiamarsi gli spiriti al di dentro per quella operazione tanto intensa, che si fa nella estasi, vengono impedite non poco ancora le operazioni vitali, cioè, la concozione e nutrizione, come chiaramente apparisce in chi dopo il cibo subito attende allo studio, o ad altro esercizio di mente. E questo tanto è comune alle estasi diaboliche, quanto alle Divine, se Dio in questo con modo particolare non supplisce. Ma che somigliante astrazione ed alienazione dai sensi possa avvenire ancor da cagioni corporali, il che dicevamo potersi assegnare secondo S. Tommaso come terzo principio dell' estasi, chiaramente s' intende da quel che insegna il Filosofo nel libro del sonno e del vegliare al cap. 2. dove dice, non ogni legatura o impotenza de' sensi esterni esser sonno, ma sol quella che vien cagionata nel primo sensitivo, cioè nell' organo del senso comune dai vapori del nutrimento. Ed aggiugne, oltre questa ancor molte altre esser le maniere di legare ed impedire le potenze, e renderle impotenti alle sensazioni, cioè il deliquio e mancazione, la pazzia ed il furore, che, come avvertono gl' Interpetri, e particolarmente Temistocle nel lib.* de som. & vig. *al cap. 8. qualche volta è di tal sorta, che non lascia nè vedere nè udire, anzi nè anche sentire i dolori de' morsi, co' quali lacera le sue carni medesime il furioso. E finalmente lo stringere o comprendere certe vene del collo. Ed è certo, secondo i Medici, che dalla ostruzione o oppilazione dei ventricoli del cerebro, o di quelle vie, per dove corrono gli spiriti, che servono al senso e al moto, si cagiona l' apoplessia, secondo la quale si cade in terra senza l' uso de' sensi o di que' moti, che si chiamano volontarj. E siccome*

l' espe-

esperienza nelle donne bene spesso avviene per varie indisposizioni dell' utero, che restino come morte e senza spirito, come avverte Plinio nel lib. 7. al cap. 52. e secondo la medesima esperienza, se qualche nervo, istrumento del senso, vien legato nel mezzo, solo la parte di sopra e più vicina al cervello è partecipe di sentire, perchè sola è partecipe dell' influsso degli spiriti, e non la parte inferiore e più lontana, per la ragione contraria d' esser tolta la comunicazione degli spiriti. E per tanto ragionevolmente dee credersi, che ancora in ogni altro modo, che impedisca il concorso degli spiriti, cagionerassi naturalmente da cause corporee la privazione del senso e del moto, che vediamo nell' estasi. E forse in questo modo può dichiararsi quel, che di se racconta Cardano nel lib. 8. de variet. al cap. 43. che a suo talento e a sua voglia andava in estasi, e talmente restava fuor de' sensi, che appena udiva leggiermente le voci di chi parlava, senza però capire quel che dicesse, nè punto sentire, se veniva tirato da chi si fosse, ancor forte e gagliardamente, nè il dolor della podagra, quantunque intenso. E spiegando egli stesso come ciò gli avvenisse, soggiunse, che sentiva il principio di tale effetto dalla parte di dietro del cerebro, che si chiama cerebello, e diffondevasi per la spina del dorso, e gli pareva vicino al cuore di sentire una separazione, come se l' anima si partisse, e quasi una particella si aprisse alle forze e alla vita; nè potrva così fermarsi, se non poco tempo, e con gran forza, ch' ei si faceva. E non è dubbio, che siccome in alcuni si trovano talvolta muscoli e nervi particolari, che non si trovano comunemente negli altri, e per tanto a lor si concedono muovimenti di certe parti del corpo, che ad altri sono impossibili, come quelli appresso S. Agostino nel lib. 14. de civitate Dei al cap. 23. che muovono le orecchie a sua voglia, o ciascuna, o ambedue, e quelli che stendono e sporgono dinanzi alla fronte i capelli della testa, ed altri simili, così in Cardano potè trovarsi qualche particolar disposizione di nervetti e di membrane; per mezzo delle quali strignesse i meati degli spiriti animali, o impedisse loro il corso, dal che poi seguiva la mancanza de' sensi e quasi della vita. Lo stesso avvenne a quel Prete per nome Restituto, di cui racconta S. Agostino al luogo citato, che a suo piacere, e a richiesta di chi desiderava veder cogli occhi proprj un tale stupore, al semplice suono di finte voci, come di chi si dolesse e lamentasse, talmente s' alienava da' sensi, che senza anelito, e come morto, non solo non sentiva chi lo tirasse o pugnesse, ma nè anche chi col fuoco l' abbruciasse, se non dopo per la piaga, che restava, e le voci più chiare di chi parlava, solo diceva d' aver sentito come di lontano. E forse que' finti suoni di lamenti non ad altro servivano, che a svegliar l' umore malinconico, il quale non poco giovava allo stringere le vie e i meati degli spiriti: e siccome l' apoplessia secondo i Medici impedisce ancor l' anelito, e quando è men forte e lascia men' occupati i sensi e i nervi d' alcuni sensi, ancor lascia, che debolmente per quelli si senta; così potè a Restituto impedirsi l' anelito, e non affatto impedirsi l' udito, che non sentisse le voci, se non come lontane. E come tutto questo si sperimenta bene spesso ancor nel sonno da quelli, che a lungo rispondono in proposito, e fanno molte opere, come se fossero desti, solo perchè dai vapori non sono ben impediti e legati tutti i sensi, così può avvenire ancora nell' estasi, che più si leghi un senso, che un altro. Ma non è dubbio, che questo modo d' andare in estasi, che chiude le strade agli spiriti animali con modo volontario di nervetti e membrane, solo è di pochi, siccome a pochi, e fuori dell' ordine della natura si concedono simili nervi ed istrumenti. Quell' altro può esser più facile e più comune, che quantunque restino aperti i meati per il corso degli spiriti, siano però richiamati e raccolti i medesimi spiriti al di dentro, e le potenze comuni interiori tutte si occupino per qualche intesa operazione della mente, ed in tal modo gli organi esteriori restino abbandonati ed impotenti. Nè v' è alcuno, che in se stesso non provi, almanco in parte, ciò esser vero, quando per qualche attenzione che abbia molto intesa e profonda, non vede nè sente chi è presente e gli parla. Dal vedere in tal caso per poco tempo e leggiermente impediti i suoi sensi può ciascuno facilmente comprendere, come in altri naturalmente accada il medesimo per maggior tempo, e più fortemente, quando sono più attuati e più posti in qualche pensiero. Così di Socrate racconta Platone nel Simposio appresso Marsilio Ficino nel lib. 13. della Teol. Platon. al cap. 2. che talvolta, dal nascer d' un giorno fino al nascere d' un altro, in piedi ed immobile se ne stava con gli occhi fissi in un medesimo luogo, e senza battor palpebra, sempre pensoso ed astratto. Così d' Archimede racconta Livio nel lib. 25. ab Urb. condit. che essendo intento e non so che figure Matematiche da lui descritte nella polvere, non sentì il tumulto de' soldati, che saccheggiavano la patria, ed a lui stesso vennero addosso e l' ammazzarono. E, per non distendermi in questo cogli esempj de' Gentili, i quali si posson veder appresso Ficino nel luogo citato, e appresso i Conimbricensi nel 3. de anima al cap. 8. qu. 8. art. 3. così leggiamo di S. Tommaso d' Aquino nella sua vita, che ancor' alla mensa di S. Lodovico Re di Francia, dimenticatosi del luogo e della maestà del personaggio, battendo con la mano sopra la mensa, fuori di se, e fuor di proposito disse, ch' era conchiuso contro de' Manichei. Un' altra volta, dovendo per consiglio de' Medici farsi un cauterio in una gamba, la porse con generosità, e insieme tanto attuossi in altri pensieri, che niente si avvide del fuoco. In altro tempo, stando in cella scrivendo, talmente fu rapito in quella contemplazione, che non s' avvide, che la candela accesa, la qual teneva, essendo già consumata, gli abbruciava la mano. Parimente alcuni vogliono, che Scoto per un' estasi, stando un giorno e più astratto da' sensi e come morto, diede occasione ai poco pratici di pensare, che veramente ei fosse morto, e di seppellirlo, come si legge nella sua vita ultimamente stampata in Venezia avanti le sue opere nell' anno 1617. Ma quello, che aggiugne il medesimo Marsilio Ficino nel luogo citato, che estasi ancora fu quel sonno lunghissimo di 50. anni, che dormì Epimenide Cretense Filosofo, e pur (come vuole Apulejo, e con esso il Baronio ai 27. di Luglio) d' anni 57. per questo principalmente non pare da credersi, perchè l' estasi solo impedisce le potenze animali, e non le vitali, e come non estingue il calor naturale, così non distrugge la nutrizione, nè toglie il bisogno del nutrimento; onde non può tanto tempo in tal estasi conservarsi la vita. E in questo modo, come cosa sopranaturale, si racconta nell' Esodo al cap. 34. che Mosè 40. giorni parlando con Dio, panem non comedit, & aquam non bibit. E di Gesù Cristo dice S. Luca al cap. 4. che, stando nel deserto 40. giorni, nihil manducavit illis diebus. Or se il sonno di Epimenide potesse salvarsi per estasi, ancor per la stessa dovrebbe salvarsi quella di quel putto appresso Plinio nel lib. 7. cap. 52. che stracco dal caldo e dal viaggio dicasi aver in una spelonca dormito 57. anni, e poi destatosi, come se fosse il giorno seguente, essersi maravigliato della mutazion delle cose, che trovava. E pur in questo, per esser putto, e non Filosofo, non pare ragionevole porre l' estasi o le astrazioni dai sensi per l' attenzione della mente al suo intendere. Dei santi Sette Dormienti, dei quali si celebra la festa ai 27. di Luglio, per aver molto patito sotto Decio per la santa Fede, ed essersi veramente riposati nel Signore, ancora il Baronio nelle annotazioni al Martirologio di quel giorno resta dubbioso, se veramente si debba dire aver dormito in una spelonca da 200. anni, cioè dai tempi di Decio fin' agli ultimi tempi di Teodosio il giovane, come vuole il Metafraste, Niceforo, Cedreno, Gregorio Turonese, e altri; o pur' aver trovato il nome de' Dormienti solo perchè avendo sotto Decio consumato il martirio, con essere chiusi in una spelonca, si trovarono i loro corpi, e come risuscitati di nuovo comparvero, e furono detti Dormienti secondo l' uso della Scrittura, che la morte de' Santi chiama sonno. Ma, se ammettiamo in qualcheduno tal complessione, che dalle flemme, che ha nello stomaco, e per le vene in gran copia, si nutrisca, nè abbia per molto tempo bisogno o appetenza d' altro cibo, come avviene agli orsi, ai ghiri, ai nibbj, e a molti altri degli animali appresso Alberto Magno nel lib. 7. de animal. cap. 3. pag. 87. che buona parte del verno si stanno addormentati nelle grotte, e secondo Avicenna appresso Rodigino al lib. 13. cap. 24. può avvenire ancora agli uomini: facilmente in questi tali potrà concedersi, per quanto spetta a questo capo del bisogno del nutrimento, estasi lunga, poichè Alberto al luogo citato, di se stesso racconta di aver veduto in Polonia una donna, la quale spesso passava li 30. giorni senza alcun cibo, e un uomo di complessione malinconica, il quale nel medesimo modo passava le sette intere settimane con solo prendere ogni due giorni un poco d' acqua. E aggiunse il Rodigino lib. 13. lect. antiq. al cap. 24. dall' istorie moderne sapersi di certo, che uno per due anni continui non mangiò punto, nè bevè; e nella Spagna essere stata una donna, che senza altro mangiare, con solo ber qualche volta dell' acqua sostenne la vita, ed era già d' anni 22. Ma, comunque sia, quanto al tempo e alla lunghezza dell' estasi, se può durare qualche anno, o sol qualche giorno, o qualche ora, assai pare dichiarata dalle cose già dette la dottrina di S. Tommaso, che l' estasi, in quanto dice alienazione ed astrazione da' sensi, può esser cagionata non solo da Dio, ma anche dal Demonio, o da cause corporali, e a queste tre riduce Ficino nel luogo citato, e Fracastorio nel lib.

2. de

2. de intell. e il Collegio de' Conimbricensi nel 3. de anima al cap. 8. la complessione malinconica, che, seguendo in gran parte la natura della terra, che non mai si spande, come gli altri elementi, si ritiene quasi stretta in se stessa, e molto dispone al raccoglimento dell' animo, e per mezzo di questo ancor' all' estasi. Per la qual causa ancor' Aristotile in problem. sect. 30. ebbe a dire, tutti i grand' uomini, e segnalati in qualsivoglia professione essere stati malinconici. E da tutto ciò d' avvantaggio si può raccorre, che anche, quando viene tal' estasi o astrazione agli uomini santi per l' attenzione alle cose Divine, talmente ha da dirsi, esser da Dio, che quanto alla sostanza, non eccede l' ordine della Grazia, che comunemente si dà per tali pensamenti, ma solo l' eccede in quanto al modo; poichè pensamento di Dio tanto intenso, che assorbisca tutte le forze dell' anima, non è d' ordinaria concessa a tutti quelli che stanno in Grazia, ma solo a pochi, secondo il beneplacito della Divina bontà, e secondo le disposizioni di ciascuno. E non è dubbio, che, al semplice sentir ragionare di Cristo bambino, del Divin Sacramento, del Sangue sparso, e delle piaghe del suo sacratissimo Corpo, dell' afflizion della Madre, dell' unione con Dio, della gloria de' Beati, e cose simili, si vede in un tratto assorta un' anima e cavata di se, tiene di tali cose gran lume e gran chiarezza comunicatale dal Padre de' lumi, e in virtù di questa alla prima proposta per il senso dell' udito subito arriva al di dentro, e tanto si mostra arrendevole a Dio, che quasi ad un cenno subito vola nel suo seno. O cominci tale astrazione dalle potenze apprensive, e da quelle discendendo alle appetitive, o pur cominci da queste e saglia a quelle, non può esser segno di gran santità, cioè di grandissima soggezione dell' anima a Dio, e della grandissima forza, che in lei esercitano gli oggetti Divini. Questa è, secondo S. Bernardo nel serm. 52. sopra la Cantica, la morte de' Giusti, che desiderava il Profeta dicendo: Moriatur anima mea morte Justorum; cioè di quella, che niente operando colle potenze infeciori de' sensi esterni, rispetto a quelle è come la morte, e solo operando colla mente circa Dio, in Dio solo è pura vita. Se poi all' astrazione e alienazione de' sensi si aggiugne qualche altro accidente straordinario, come l' essere il corpo sollevato da terra, l' essere il volto risplendente, e cose simili, che spesso leggiamo esser accadute a molte estasi d' Santi, dovrassi dire, che tal' estasi ancora, in quanto alla sostanza di questi accidenti, eccede l' ordine comune della Grazia: se però non diciamo, che ancor negli splendori l' eccesso è solo secondo il modo, e non secondo la sostanza, in quanto gli spiriti animali, che nelle estasi più si accendono e si purificano, per esser sangue più sottile e più caldo, molto si accostano alla natura del fuoco, e per avere in se stessi qualche luce, hanno ancor forza di rendere vie più lucente e risplendente quella parte, alla quale concorrono in maggior copia, com' è la faccia, e in questo principalmente gli occhi, i quali, essendo di materia trasparente e quasi di cristallo, meglio ricevono e rendono il lume. Anche negli uomini speculativi e contemplativi si vedono gli occhi d' ordinario particolarmente risplendere: e in qualcheduno sono stati di tale splendore, che hanno illuminato ancor l' aria, e dato a vedere anche il mezzo giorno nelle più dense tenebre della notte, come può di Tiberio Cesare vedersi appresso Plinio nel lib. 11. al cap. 3. e di se stesso racconta Cardano nel lib. 8. de var. al cap. 43. il che tutto non riferisce, se non negli spiriti animali molto sottili, e nella temperie e disposizione degli occhi e del cervello. Ma se lo splendore è eccessivo, come quello di Mosè nell' Esodo al cap. 34. nella di cui faccia non potevano gli Ebrei fissar lo sguardo, e quel di Cristo nella trasfigurazione, quando resplenduit facies ejus sicut sol, & vestimenta facta sunt alba sicut nix, non può riferirsi in cagione naturale, ma in ogni modo si ha da concedere, che sia miracoloso, come della chiarezza di Cristo afferma S. Tommaso nella 3. parte alla q. 45. art. 12. e se aggiugniamo, che ancor di specie e di natura sia diverso dallo splendore naturale dei corpi, come della medesima, e universalmente della chiarezza dei corpi gloriosi afferma lo stesso nel luogo allegato, e nel 3. delle sentenze alla disp. 16. qu. 2. ad secundum & quartum, come anche appresso in Suarez nel tom. 2. sopra la 3. part. alla dist. 33. sess. 1. non potrà esser dubbio, ch' egli sia sopra ogni forza di cagione naturale, e solo per ridondanza della chiarezza e lume interno dell' anima, siccome la chiarezza dei corpi beati, secondo S. Agostino nell' epist. 56. a Dioscoro, e S. Tommaso al luogo citato. Nè a questo ripugna, che tale splendore corporalmente si veda, perchè le cose ancor diverse di natura e di essenza possono muovere e terminare un medesimo senso. Ma l' altro effetto di vedersi talvolta nell' estasi sollevato il corpo da terra a grande altezza, e sostenuto nell' aria per molto tempo, non pare che possa con apparenza ridursi nella natura; perchè se bene gli spiriti animali, per esser di qualità e leggerezza di fuoco, hanno qualche forza di rendere leggiero, come apparisce nei morti, i quali per esser da quelli abbandonati, si sentono più gravosi e pesanti, non possono però in modo avanzare la gravezza dell' elemento predominante, che sollevino il corpo e lo sostengano in alto, e determinatamente lo fermino a tanta altezza. Per tanto ancor questa si ha da ridurre nella forza di Dio, che insieme solleva lo spirito ed il corpo. E questo senza alcun dubbio ha da tenersi più vero, che ciò, che secondo i Caldei riferisce Marsilio Ficino nel lib. 3. della Teol. Platon. al cap. 4. esser occorso a Zoroastro, e approva secondo i Platonici poter occorrere naturalmente, che l' anima in Dio rapita si riempia di luce, e questa diffonda per mezzo del corpo, ed in tal modo lo renda leggiero, e lo porti in alto, come la stoppa si vede portata dalla fiamma. E se aggiugniamo quel che egli soggiugne secondo la sentenza de' medesimi, che in questo modo si può dire essere stato rapito Elia nel carro di fuoco, e S. Paolo al terzo cielo, e che similmente saranno rapiti dopo il Giudizio universale i corpi gloriosi, non solo dobbiamo ciò rifiutare per men vero, ma ancora per falso del tutto, e degno di peggior nota.

5. Jam ad signa veniamus ecstasis tum naturalis, tum dæmoniacæ, tum Divinæ. Ac præmittentes nullius ecstasis habendam esse rationem, quæ sit levis, sed gravis dumtaxat, qua videlicet correpti omnino exterioribus sensibus destituuntur, & tamquam mortui apparent, dicimus, signa naturalis ecstasis ea esse, quæ sunt signa morbi, ex quo ecstasis naturalis oriri potest. Rursus si ecstasis determinatum habeat tempus sui impetus, si Ecstaticus in paralysim, vel in apoplexiam vel in alium consimilem morbum progressu temporis lapsus sit, si post ecstasim lassitudo quædam, & membrorum pigritia, mentis & intellectus offuscatio, rerum præteritarum oblivio, pallor & livor faciei, & animi tristitia succedant, signa hæc erunt ecstasis naturalis, uti late ostendit Zacchias *quæst. Medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæst. 6.* Circumstantiæ quoque ostendere possunt, an ecstasis sit naturalis: si enim quis ecstaticus fiat, dum actu aliquam rem terrenam concupiscit, dum subito alicujus eventus pavore aut tristitia corripitur, de ecstasi naturali non erit dubitandum. Sic Isaac *Genes. 27. v. 33.* advertens, se pro Esau benedixisse Jacob, & hunc constituisse dominum illius, *expavit Isaac stupore vehementi, & ultra quam credi potest.* Sic Jacob *Genes. 45. v. 26.* audiens, Josephum, quem per annos viginti tres, mortuum crediderat, vivere, & esse Proregem Ægypti, *quasi de gravi somno evigilans ... ait.* Sic in *2. Paralip. cap. 9. v. 4.* de Regina Saba vidente magnificentiam Salomonis, & ejus sapientiam experta, dicitur: *Non erat præ stupore ultra in ea spiritus.* Sic demum *1. Regum* 25. de Nabal, qui negaverat Davidi fugienti victualia, & audiverat ab uxore Abigail, Davidem esse contra se iratum, dicitur *v. 37. Emortuum est cor ejus intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Demum ad ecstasim naturalem pertinere dicendum est, si quis alienetur a sensibus, & ecstaticus fiat, dum Musicam audit: de similibus enim Musicæ naturalibus effectibus testatur Cassiodorus *variar. lib. 2. cap. 5.* Seneca *lib. 3. de ira cap. 9.* & fusissime Calmet *in dissertatione de Musica Veterum, & potissimam Hebræorum.*

6. Circumstantiæ præterea patefacere possunt, an ecstasis sit dæmoniaca, puta, si homo perditæ vitæ, aut in actu peccante, in ecstasim aut Raptum alienaretur. Item si ecstasis fieret cum maxima humanorum membrorum distorsione, & corporis motu incomposito. Optime Cajetanus in 2. 2. *D. Thomæ quæst. 173. art. 3. Nota aureum verbum, Divinam conditionem: scilicet talis alienatio a sensibus non fit in Prophetis cum aliqua inordinatione naturæ; & multo minus fit cum aliqua inordinatione honestatis, aut moris. Spiritus enim Sanctus, qui auctor est alienationis requisitæ ad prophetiam sicut & prophetiæ ipsius, non est auctor deordinationis naturæ, aut moris; quoniam Gratia secundum genus suum, & naturam & morem perficere, non destruere, minuere aut violare nata est: & propterea alienatio a sensibus, cum cordis saltu sensibiliter vehementi, cum deordinationem naturæ contineat, non est a Spiritu Sancto: & similiter, si cum denudatione pudendarum partium fiat ex parte personæ alienatæ, nisi adessent operientes; hoc enim & contra honestatem morum, & contra naturæ ordinem est, quoniam motus talis membrorum ad deordinationem naturæ spectaret, etiamsi nudatio pudendorum non esset nata sequi. Unde oportet adverere*

vertere in hujusmodi alienationibus, si interveniat aliquid indecens secundum motus intrinsecos, vel extrinsecos, sive sit indecentia naturæ, sive indecentia moris, quoniam tunc non est alienatio prophetica, sed infirmitatis, vel fictionis, vel illusionis diabolicæ, aut naturaliter animalis, ex nimia meditatione alicujus. Huic adhærent Gravina *in lapide Lydio lib. 2. cap. 28. §. Verum in his saltibus*, Consalvus Durantus *de visionibus cap. 3. pag.* 58. Castellin. *de inquisition. miraculor. in additamenta universali de ecstasi num.* 19. *&* 20. Matta *de Canoniz. SS. part. 3. cap. 4. n.* 32. Thomas a Jesu *aper. tom. 2. cap. 8. disp. 3. §. Quinta regula*; & optime Larrea *in dec. de revelationibus part. 1. novar. decis. Granat. num.* 57. ubi pro argumento diabolicæ ecstasis hæc habet: *Quoties in ecstasim hic homo rapiebatur, quod in illo sæpius usitatum erat, non sereno vultu aut hilari fronte, ut alii, sed aliquibus signis extraordinariis, & per os sanguinem spuendo conviebat, quæ non sunt quidem vestigia illorum, qui a Deo rapiuntur, & Numinis afflatu delectantur.* Signum quoque diabolicæ ecstasis erit, si Ecstaticus rapiatur aut alienetur, quoties vult; nemini enim datur ecstasis per modum habitus, sed Divina Gratia ad se animam trahit, quando vult & quomodo vult. Pignatellus *consult.* 151. *num.* 76. *& seqq.* & signanter *num. 79. tom.* 8. si ab ecstasi pro arbitrio suo cessat, vel ad certam vocem revocatur ad sensus, nisi forte vox esset Superioris ex obedientia vocantis: si ille, qui ecstasim patitur, in ecstasim raptus loquatur mente turbata, quasi actus ab alio, & quasi alius loquatur per eum: si post alienationem non recordetur eorum, quæ dixit cum esset alienatus, & ea, quæ dixit, repetere nesciat: si demum in locis publicis, & ubi major est hominum concursus, quis frequenter rapitur; Dæmonis enim est in externis quibusdam, & quæ hominibus patent, gloriam quærere. De quodam Restituto Presbytero hæc narrat S. Augustin. *lib. 24. de Civit. Dei cap.* 24. (*col. 375. t. 7.*) *Presbyter fuit quidam nomine Restitutus in Parœcia Calamensis Ecclesiæ, qui, quando ei placebat (rogabatur autem, ut hoc faceret, ab eis, qui rem mirabilem coram scire cupiebant) ad imitatas quasi lamentantis cujuslibet hominis voces ita se auferebat a sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes, aut pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur admoto sine ulla doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere*: quod ad Dæmonem esse referendum, optime ostendit Consalvus Durantus *in cit. tract. de visionibus cap. 3. pag.* 54. ubi fuse impugnat Cardani sententiam, qui audacter dixit, posse hominem naturali sua vi, quotiescumque voluerit, rapi, & in ecstasim elevari. In quadam Puella Cæsaraugustana, ut testatur Martinus del Rio *disquisitr. magicar. lib. 2. quæst.* 25. adeo frequentes erant Raptus, ut ad libitum raperetur: quod ex pacto cum Dæmone inito, dum oves pasceret, Cæsaraugustanus Episcopus processisse detexit. Zacchias *lib. 3. quæst. Medico-legal. de morb. simulat. quæst.* 6. uti testis oculatus ait, se fæminam vidisse hypocritam tam apte & apposite se in ecstasim raptam effingentem, ut admirationem spectantibus afferret, cum staret, extensis brachiis in Crucis modum, palpebris immobilibus, oculis fixis per horæ spatium, & interdum veluti ad cælum avolatura corpus attolleret, & mirum in modum extenderet, vultum in mille colores vel ictu oculi commutaret, quasi mortua langueret, citoque rubore perfunderetur, & veluti animo deficiens ad se ipsum redire simularet. Similia habentur apud Scacchum *de nat. & sign. sanct. sect. 8. cap.* 3. de quadam Magdalena Crucia Cordubensi saga famosa. Cardinalis de Lauræa *in 3. lib. sent. tom. 4. disput. 20. de miraculis art. 23. num.* 998. sapienter admonet, cavendum ab Ecstaticis, qui in ecstasi positi ejulatus non humanos, sed ferinos emittunt, qui horrorem inducunt; dæmoniacas enim censet hasce ecstases, & se id asserere experientia edoctum. Raphael de la Torre *in 2. 2. quæst. 91. art. 6. disput.* 16. docet suspectos esse Ecstaticos, qui in ecstasi positi ad insusurratam auribus certam vocem, vel quid simile, expergefiunt, ac si a somno excitarentur; cum enim excitatio a causa superiori proficisci debeat, hoc est vel a Deo, vel a Dæmone; & a Deo proficisci non possit, cum ad rem nullam valeat, præterquam ad vanam vulgi admirationem, infert, eam Dæmoni adscribendam; quod autem attinet ad Ecstaticos, qui, Prælato jubente, ab ecstasi revertuntur, subjicit, caute procedendum esse, nisi reliquæ concurrant circumstantiæ ostendentes, ecstasim esse Divinam, præcipue cum aliquando Prælati illam vocem proferant, ostentationis gratia, & absque ulla necessitate. Demum signa aperta ecstasis dæmoniacæ sunt, si in ea suadeatur aliquod malum, vel si bonum suadeatur, non tamen suadeatur ad bonum finem; vel si Ecstaticus post ecstasim turbatus permaneat: licet enim in ecstasibus, apparitionibus, & Divinis revelationibus (ut infra demonstrabitur) aliqua turbatio dari possit, & data sit, eadem tamen nec vehemens est, nec multum durat, & Ecstatici in delectatione quiescunt. Magna animadversione dignum est exemplum relatum a Patre Ribadeneyra *in vita S. Ignatii de Loyola lib. 5. cap.* 10. ubi narrat, Patrem Reginaldum Dominicanæ familiæ virum gravem convenisse Romæ S. Ignatium, & ei coram eodem Patre Ribadeneyra exposuisse, Bononiæ in cœnobio feminarum suæ curæ commisso extare Virginem orationis virtute præstantem, & quæ adeo sæpe alienabatur a sensibus, ut neque admotum ignem sentiret, in manibus stigmata haberet, perfossum latus, & caput veluti compunctum spinis atque transfixum, a quo etiam sanguis manabat; & a S. Ignatio quæsivisse, quodnam ejus esset de hujusmodi rebus judicium, ipsumque respondisse, ex signis expositis illius tantum habendam esse rationem, quod Virgo, ut fuerat narratum, promptissimam exhiberet Superiorum mandatis obedientiam; cumque Reginaldus deinde discessisset, & inceptum sermonem S. Ignatius prosecutus esset, addit Ribadeneyra, ab eo conclusum demum fuisse, ea signa posse esse a Deo, & posse etiam esse a Dæmone, qui simulatis rerum atque adumbratis imaginibus, mortalium mentes vanitatum spectatrices per corpus sæpe deludit. Post Cajetanum bene adnotavit Silvius *in 2. 2. D. Th. tom. 3. quæst. 173. art.* 3. eos, qui ecstasi corripiuntur, loquentes sub persona Christi, vel alicujus Sancti, quasi actos ab illo, aut seduci, aut seducere.

7. Signa denique Divinæ ecstasis peti potissimum debent ex moribus ejus, qui in ecstasim rapitur. Ecstasis autem Divina fit cum maxima compositione totius hominis tam interni, quam externi: Ecstaticus in ecstasi Divina non loquitur nisi cœlestia, quæ astantes ad Dei amorem excitent; ad se reversus, humilis & quasi pudore confusus apparet; cælesti quadam lætitia perfusus, hilaritatem in facie, & securitatem in corde ostendit: de circumstantium præsentia minime gaudet, timens, ne propterea in sanctitatis opinionem veniat: idemque Ecstaticus ut plurimum, dum orationi vacat, vel inter audiendum Sacrum, vel post sumptam Eucharistiam, vel dum sermones audit de Deo, aut paradiso, ecstasi corripitur, aut mente excedit. Martinus del Rio *loc. cit.* refert, quamdam Dei Servam Burgis in Castella superstitem an. 1585. sæpe in Raptum elevatam fuisse, cum Eucharistiam reciperet, & ad se reversam verecundiæ plenam & pudoris consuevisse se celerrime domum in conclave recipere. Scacchus quoque *loc. cit.* similia narrat de S. Catharina Senensi. Pater Franciscus Marchesius ex processibus Canonizationis S. Petri de Alcantara, ejus vitam infra allegandam edidit; cumque *cap. 13. lib.* 4. Divinas ecstases & Raptus, quibus Sanctus corripiebatur, dum Missam celebraret, exposuerit, hæc ad rem nostram subjicit: *Spogliatosi poi de' sacri abiti, senza dimora si ritirava nella cella; e quantunque fosse nel camminare grave a moderato, nondimeno in tale occasione accelerava il passo fuor di modo, a alle volte andava correndo come vento, con ammirazione di chi lo vedeva, per giungere quanto prima alla stanziola, dove quali fossero i favori celesti, la sua umiltà non permise che ad alcuno fossero palesati; ma i Religiosi dagl' infocati sospiri, a dalle acute grida che dava, argomentavano che fosse singolarmente favorito dal Signore.* Divini præterea Raptus non sunt prolixi, sed sæpe breves, juxta ea quæ habentur apud Cardinalem Bonam *de discret. spirit. c. 14. num.* 6. & apud Thomam a Jesu *tom. 2. disp. 3. c. 8. §. Quarto considerari debent.* Antecedentia demum, concomitantia, & ecstasim subsequentia sedulo examinari debent. Si enim de Ecstatici virtutibus non dubitetur, si quæ ecstasim comitata sunt, concordant cum iis quæ modo retulimus, si Ecstaticus post ecstasim in charitate, in humilitate, & ceteris virtutibus magis magisque profecerit, de Divina ecstasi dubitandum non erit; quemadmodum animadvertit Consalvus Durantus *in tr. de vision. c. 3. pag.* 69. *Cum sensibus destituuntur, qui in ecstasi, vel raptu ad supernaturalia videnda divinitus elevantur, tunc magis eorum mentes Divino lumine illustratas, ac cælesti sapientia imbutas animadvertunt, & tunc illustratione, ac dilectione Divina anima repletur, ac ineffabili liquefacta dulcedine in cælestem quemdam statum emergit, & tanto se humiliorem exhibet, quanto ad altiora mysteria elevatur, ac magis se ad vitæ puritatem, & perfectam sui abnegationem disponit, & ad pretiosiora dona se præparat.* Idem prosequuntur Matta *de Canoniz. SS. par. 3. cap. 4. sub num.* 31. Scacchus *de not. & sign. sanct. sect. 8. cap. 3. in fine*, Cardinalis de Lauræa *opusc. 5. de oratione cap. 7. §. Dico tertio.* Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 14. in fine*, cujus

hæc

hæc sunt verba: *Nullum autem certius indicium ecstasis veræ ac supernaturalis, quam si mores ejus, qui rapitur, cum hoc Divino munere consentiant, ut supra diximus; si nimirum mundum contemnit, si ejus pompas & vanitates detestatur, si efficax Deo serviendi propositum habet, si se indignum ea Gratia reputat, si majorem in dies progressum facit, si ex intima cum Deo unione crescit in eo humilitas, abnegatio, odium sui, & amor Dei.* Adde Matthæuccium *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatific. & Canoniz. tit. 3. cap. 3. ar. 1. num. 15. & plurib. seqq.* & Thomam a Jesu *oper. tom. 2. disp. 3. cap. 8. in fine §. Demum.*

8. Juxta Richardum de S. Victore *lib. 5. de contemplatione cap. 5.* ecstasis Divina ex triplici capite provenire potest; ab admiratione videlicet, magnitudine amoris, & magnitudine exultationis: quod late explicat Henricus Harfius *lib. 3. de mystica Theologia cap. 39.* Magnitudo admirationis est, cum anima supra se ipsam ducitur, & Divino lumine irradiata, & in summæ pulchritudinis admiratione suspensa, a suo statu excutitur, & in sublimia elevatur. Magnitudo amoris est, cum mens humana tanto cælestis desiderii igne succenditur, ut amoris intimi flamma ultra humanum modum crescens animam a pristino statu resolvat, & in superna attollat. Magnitudo demum jucunditatis est, cum mens hominis, internæ suavitatis ubertate imbuta, quid sit, quid fuerit, penitus obliviscitur, & in supernum quemdam affectum translata, a se ipsa alienatur. At his relictis, quæ ad Mysticos pertinent, & quæ, utpote interna, Ecclesiæ judicio non subduntur, nonnulla remanent dicenda de actibus externis, ut clarius explicentur quæ supra dicta sunt. Superius dictum est, in ecstasi naturali quamdam succedere membrorum lassitudinem. Zacchias *quæst. Medico legal. lib. 4. tit. 1. num. 32.* id ecstasi naturali adscribit, & ab ecstasi supernaturali excludit. Concordare videtur Consalvus Durantus *cit. tract. cap. 3.* ubi ait: *Corpus ejus, qui ad Divina contemplanda sic elevatur, non ex tunc, quemadmodum videbatur, imbecillum ac debile, sed robustum, ac viribus sæpenumero potius relinqui.* Quod recte notant Rotæ Auditores in relatione causæ Servi Dei Nicolai Factor *tit. de donis, & gratiis num. 81. Et postquam in ecstasi perseveraverat, ad suos sensus redibat, sed cum integra valetudine & robore ad quæscumque labores perferendos.* At hæc ita explicanda sunt, ut fiant in corpore post ecstasim aut Raptum, secus autem, dum ecstasis aut Raptus durant, juxta illud *Danielis 10. v. 8. Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium.* Vi etenim mentis in rerum Divinarum contemplatione defixa, calore quoque vitali ad mentis functiones contracto, & vehementia amoris in partem sensitivam redundante, necesse est, obtundi vires corporis, & illud frigescere, pallescere, & infirmari. Cassianus *collat. 19. cap. 4.* personam Abbatis Joannis ita loquentem inducit: *Itaque pio Domini nostri munere memini me in hujusmodi Raptum frequenter excessum, ut oblivisceres, me sarcina corporeæ fragilitatis indutum, mentemque meam ita omnes exteriores sensus subito respuisse, & a cunctis materialibus rebus omnimodis exulasse, ut neque oculi neque aures meæ propriis fungerentur officio, & ita Divinis meditationibus ac spiritualibus theoriis animus replebatur, ut sæpe, ad vesperam cibum me percepisse, nescirem, ac sequenti die de hesterna absolutione jejunii penitus dubitarem.* Et S. Teresia *in castro animæ mansion. 6.* describens pathemata hominis in ecstasim rapti, ait, calorem deficere, intercipi respirationem, nec minimum halitum sive motum percipi, accedere omnium membrorum rigorem & frigus, pallorem in vultu, & omnia mortui vel morientis symptomata.

9. Item in superioribus dictum est, in ecstasi dæmoniaca corpus a terra elevari posse; & hoc ipsum multo magis contingere posse in ecstasi Divina, Thomas a Jesu *oper. tom. 2. disp. 2. cap. 8.* pluribus Sanctorum exemplis in ecstasim reptorum confirmat. Auctor vitæ S. Petri de Alcantara *lib. 4. cap. 10. pag. 197.* hæc habet: *Succedunt Raptus & ecstases, succedit illa mirabilis per aera transportatio, qua corpus, grave licet, animæ ferventis motibus rapitur. Operarius tanti effectus est misericors Dominus, qui hujusmodi Gratiam non solet nisi viris summe contemplativis concedere. Dedit eam Sanctæ Teresiæ, & largitus est Sancto Petro de Alcantara, ita ut orans in Choro, & in Dei contemplatione absorptus usque ad laquearia spiritus ardore ferretur. Sæpe ad radices arborum genuflexus, supremos ramos, veluti avis volando, attingere videbatur. Aliquando ab horto ad Ecclesiam subito impetu ducebatur. Si quis de Deo sermonem coram ipso agebat, dabat novis excessibus mentis occasionem. Sæpe coram Cruce lignea stans, brachiis in modum Crucis extensis, multum supra terram evectus, omnium transeuntium, & pastorum admirationem movebat.* Apud Surium *in vita Sancti Thomæ Aquinatis ad diem 7. Martii num. 9.* ita legitur: *Admiranda fuit sancti viri inter orandum animi pietas & devotio; & cum se daret rerum Divinarum contemplationi, adeo persæpe visus est mente in Deum sublimiter excessisse, ut corpus pariter in aere suspensum videretur.* Rotæ Auditores in relatione causæ S. Teresiæ *cit. de Divinis donis & gratiis art. 21. §. 2.* elevationis a terra meminerunt: *Raptam fuisse constat, & quod aliquando adeo vehementibus spiritus elevationibus rapiebatur, ut etiam in altum & aera toto corpore subtolleretur.* Similia leguntur in relatione causæ S. Francisci Xaverii (*tit. de Charitate in Deum*): *Sæpe divinitus elevabatur a terra, & cum semel in hoc modo deambularet per hortum habens manus in pectore, dicebat: Satis, Domine, satis est.* Alia plura habentur in relatione causæ S. Philippi Nerii. Dum autem munere fungebar Fidei Promotoris, in sacrorum rituum Congregatione discussa fuit causa Ven. Servi Dei Joseph a Cupertino super dubio virtutum, quod post dimissum a me Promotoratus officium feliciter fuit resolutum, in qua testes omni exceptione majores & oculati celeberrimas a terra elevationes, & ingentes volatus retulerunt de eo Servo Dei ecstatico & rapto.

10. Rursus in superioribus dictum est, inordinatos corporis motus & minime decentes, ecstasis diabolicæ signum esse. Auctoritatibus id adstruentibus, & relatis *superiori num. 6.* addimus auctoritatem Silvii *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 173. art. 3.* quæ licet pertineat ad Prophetas, vindicat tamen sibi locum etiam in Ecstaticis & Raptis. Ibi enim postquam docuit, alienationem a sensibus, quæ contingit Prophetis, non fieri cum aliqua inordinatione naturæ, subjicit: *Hæc doctrina valde utilis est ad discernendos spiritus, num ex Deo sint, qui se hominibus venditant tamquam propheticat. Cum enim Spiritus Sanctus honestatem naturalem, & bonos mores non violet, sed perficiat; alienatio a sensibus, quæ a Spiritu Sancto est, fit absque inordinatione naturæ, ac etiam absque deordinatione honestatis & bonorum morum. Et propterea alienatio a sensibus, cum cordis palpitatione sensibiliter vehementi, cum deordinationem naturæ contineat, non est a Spiritu Sancto, ait hic Cajetanus. Et similiter si talis alienatio fiat cum indecente corporis mutatione, jactatione, vel denudatione, sive ea indecentia sit contra bonos mores, sive contra naturam, non est prophetica, sed vel diabolica, vel ex humana, aut animali passione, vel ex infirmitate.* Concordat Hurtado part. 1. *variorum tractatuum tract. 5. cap. 6. resolut. 54. §. 23. num.* 1080. Admisimus hæc omnia *superiori num. 6.* & rursus libenter admittimus; sed addimus, caute esse intelligenda, ita ut non quilibet insolitus motus corporis tanquam inordinatus & indecens habendus sit. Richardus Victorinus *de contemplatione lib. 5. cap. 14.* comparat Ecstaticum pisci in aquis ludenti, & supra aquas exsilienti. In vita S. Philippi Nerii *lib. 2. cap. 1.* refertur, eum, dum Missam celebraret, adeo aliquando corpore fuisse agitatum, ut suppedaneum altaris tremeret. Idem, ut est in eadem vita *ibid.* dum inciperet Offertorium Missæ, tali gaudio exultabat, ut quasi paralyticus videretur, & aquam vino in Calice miscere non posset, nisi brachio altari innixo; in elevatione sacræ hostiæ brachia elata remanebant extensa, ita ut per aliquod temporis spatium ea ad se retrahere non posset; aliquando demum post consecrationem adeo spiritu exultabat, ut extremæ digitorum pedum parti innixus, choreas ducere videretur. Alia in eadem vita occurrunt, & passim in vita S. Magdalenæ de Pazzis; itaque in bulla Canonizationis ejusdem ita legitur (*pag. 395. cod. Canoniz.*) *Interim mira corporis agilitate per Claustra ferebatur, dilacerabat vestes, & procul abjiciebat quidquid illius in manus incurrisset.* Cumque in disputatione dubii super virtutibus Ven. Servi Dei Fratris Michaelis a Sanctis a Fidei Promotore, ut evinceret illius ecstases non fuisse Divinas, oppositum sit, eum ab oratione, in qua eas passus erat, recedere consuevisse clamantem, cursitantem, & vim ac impetum facientem in ea quæ sibi tunc occurrebant, illa amplectentem ac stringentem, non potuerunt hæc obstare approbationi virtutum, quibus sane non modicum præsidium allatum est a prædictis ecstasibus inter Divinas recensitis; ex quibus aperte dignoscitur, non omnes motus corporis insolitos, sed tantum vere indecentes, maxime vero inhonestos, ecstasis diabolicæ signum esse; at pure insolitos, si cetera concurrent, posse ad ecstasim Divinam referri. Jacobus Alvarez de

Paz *tom. 3. col.* 1431. agens de Ecstaticis, ex Philone hæc scribit: *Quacumque anima impleta fuerit gratia, gaudet confestim, & ridet, exultatque; bacchatur enim ita, ut vulgo ebria videatur insanire rapta extra se &c. Est tamen quædam ebrietas etiam sobriorum, qui bona meraca hauriunt, & propinationes a perfecta virtute accipiunt.* Ad rem nostram Matthæuccius *in oper. cit. tit. 3. cap. 3. ar. 1. n.* 58. recte discrimen ponit inter actus indecentes, & actus inusitatos: concluditque, illos ecstasi Divinæ obstare, hos non item.

11. Demum in superioribus dictum est, ecstasis diabolicæ signum esse, si quis loquatur mente turbata, & ecstasis Divinæ signum esse, si Ecstaticus verba habeat in Dei laudem redundantia. Thomas a Jesu *cit. disp.* 2. *cap.* 9. docet, dici non posse alienatum, vel raptum qui liber est ad loquendum, vel tacendum, & intelligit verba quæ loquitur; & si hæc accidant, alienationem a sensibus non esse perfectam, sed imperfectam. Gravina *cit. lib.* 2. *cap.* 28. dicit, inter Ecstaticos, nonnullos dici jubilatorios, nonnullos eruptores; jubilatorios esse, qui in ecstasi & raptu saliunt; eruptores, qui in verba erumpunt. Cardinalis de Laurea *cit. disp.* 20. *de miraculis ar.* 23. *n.* 998. narrat, Servum Dei Joseph a Cupertino consuevisse quemdam clamorem emittere, cum in ecstasim aut Raptum elevaretur; & tum Gravina, tum de Laurea verba clamoremque in ecstasi Divina admittunt tanquam ineffabilis gaudii & alacritatis signa, si verba sanctitatem resonent, modo clamores & ejulatus horrorem non inducant, uti supra dictum est. Clamorum sine horrore mentio fit in vita Beatæ Angelæ de Fulgineo *cap.* 32. & in vita S. Petri de Alcantara, scripta a Patre Francisco Marchesio *lib. 4. cap. 2. & cap.* 13. Huc facit illud Joannis Cassiani *in collat. 9. cap.* 27. ubi ait: *Frequenter enim per ineffabile gaudium & alacritatem spiritus, saluberrima compunctionis fructus emergit, ita ut etiam in clamores quosdam intolerabilis gaudii immensitate prorumpat, & cellam vicini jucunditas cordis & exultationis penetret magnitudo.* Demum negari non potest, in ecstasim raptos, loquendo de ecstasi Divina & supernaturali, aliquando loqui: Anno 1600. Pater Virgilius Ceparius, alibi a Nobis cum laude commemoratus, Societatis Jesu Theologus, Confessarius erat S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Sororum, extra ordinem quidem, sed cum facultate quotidie, si vocaretur, adeundi. Aloysii Gonzagæ nunc inter Sanctos relati vitam scripserat, quam eis legendam dedit, partemque digiti, quam Reliquiam dono desiderabant, donavit. Cum autem Maria Magdalena Reliquiæ particulas Sororibus divideret, repente animo a sensibus abstracto, & in ecstasim Divinam elevata, mirabilia protulit verba per intervalla, quæ supremum gloriæ gradum Aloysio datum in cælo amplissime patefecerunt. Octodecim testes factum retulerunt ex Monialibus, quæ aderant. Nonnullæ ex eis verba scripserunt, quæ a S. Maria Magdalena fuerant prolata: exhibitoque ipsi folio, in quo ejus verba fuerant ab adstantibus scripta, multum illacrymans, quod occulta Dei dona vulgare cogeretur, jussu Archiepiscopi Florentini, qui eam ob rem in cubiculum venerat, in quo ægrota jacebat, interposito juramento fassa est, omnia in folio descripta, esse vera, prout in eo narrabantur, ut ex processibus factis in causa Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis latissime comprobatum fuit in causa Canonizationis S. Aloysii Gonzagæ a Patre Andrea Budriolo Societatis Jesu Theologo & prædictæ causæ diligenti & docto Postulatore. Denique regula est, ut verba observentur, quæ ab Ecstaticis referuntur una cum omnibus circumstantiis, veluti, congestis undique exemplis, ostendit Pignatellus *consult.* 151. *n. 94. tom.* 8.

12. Ex dictis infertur, Ecstaticos & Raptos supra naturæ vires, memoriam habere eorum, quæ in ecstasi & raptu eis contigerunt; quod concordat cum iis, quæ superius dicta sunt, dum sermo haberetur de ecstasi naturali & diabolica, in quibus diximus rerum dari oblivionem. Concordat Silvius *in 2. 2. D. Thomæ tom. 3. qu.* 173. *ar.* 3. ubi docet, veros Prophetas, aut Ecstaticos non esse censendos eos, qui a sensibus alienati, durante alienatione loquuntur aliqua tanquam visa, & postmodum nescientes quid viderint, referunt se ad ea quæ dixerunt, dum essent alienati. Sed, ne hinc aliqua ambiguitatis & erroris occasio oriatur, operæ pretium est animadvertere, juxta doctrinam S. Teresiæ *in libro de castro interiore cap.* 4. si Deus per visionem imaginariam aliqua in ecstasim Rapto revelat, ea remanere impressa memoriæ, & Ecstaticum ad se redeuntem posse ea narrare; si vero ea revelet per visionem intellectualem, ea quidem remanere in mente impressa, ut in oblivionem cadere non possint, at Ecstaticum ad se redeuntem ea referre nescire: eademque Sancta *in castro animæ mansion. 6. cap.* 4. & *vitæ suæ cap. 20. & 21.* docet animam, cum sibi post Raptum reddita est, nihil eorum quæ vidit, posse aliis referre, neque eorum recordari, nisi confusa & generali quadam cognitione; ut si quis intimum Regis cubiculum, vasis, tabulis, statuis, aliisque pretiosissimis ac mira arte dispositis ornamentis refertum ingressus fuerit, eaque omnia simul in oculos incurrant, fieri non potest, ut de singulis postmodum in tanta rerum copia & varietate recordetur. In capite sequenti de visione imaginaria & intellectuali agetur. Hæc autem adnotasse fas sit, ne vel ex defectu perfectæ memoriæ, vel ex defectu potestatis ea referendi, quæ Ecstaticus vidit, inferatur, ecstasim non fuisse supra naturæ vires, quemadmodum advertit Pignatellus *cit. consult.* 151. *n. 81. to.* 8. cum Deus referendi potestatem non indulgeat Ecstatico, nisi prophetare debeat, & ad utilitatem aliorum ea revelare, quæ in ecstasi vidit. Quocirca in raptu Apostoli Pauli ipse de se ait 2. *ad Corinth. cap. 12. v. 4. Et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*; qua de re Tertullianus *in lib. de præscription. cap.* 24. scribit: *Fuit conditio eorum, ut nulli hominum proderentur.* Idemque confirmat Cardinalis de Laurea *in 3. lib. sent. tom. 4. disput. 20. de miraculis art. 23. num.* 981.

13. Restat, ut dicamus de ecstasi & raptu, quod attinet ad causas Beatificationis & Canonizationis. Illud ergo in primis probandum est, ecstasim non fuisse naturalem; quod præcipue fiet ostendendo, nullam præcessisse infirmitatem, aut aliam causam, a qua ecstasis naturaliter potuerit provenire. De ecstasi dæmoniaca in eo rerum themate vix ratio haberi potest, cum incomprehensibile sit, viros fama sanctitatis illustres, quorum causæ non introducuntur, nisi constans fama virtutum & miraculorum judiciali via & ratione comprobata præcesserit, ecstasim diabolicam passos fuisse; nisi forte id Deus permisisset, ut humiliores redderet, juxta ea quæ habentur apud Cardinalem de Laurea *opusc. 5. de oratione cap. 6. vers. Dico tertio*, ubi probat, interdum viros contemplationi deditos, per ecstases dæmoniacas decipi posse; vel nisi in ecstasi intercessisset ea quæ complacentia dicitur & luxuria spiritalis, quæ contingit, cum Dei Servus respicit, tanquam finem principalem, consolationem & delectationem, quam in excessu experitur, non autem Dei gloriam, quemadmodum animadvertunt Consalvus Durantus *in cit. tract. de visionibus cap. 3. pag.* 52. & Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 8. cap. 3. pag.* 608. Sed hæc cum interna sint, non poterit Ecclesia certo scire, ea non intercessisse, nisi per testes & cetera monumenta certo cognoverit virtutes heroicas ejus, qui ecstasim passus est. Exclusa vero ecstasi tum naturali, tum dæmoniaca, & positis signis ecstasis Divinæ, juxta ea quæ superius dicta sunt, de qualitate Divinitatis in ecstasi non erit dubitandum, uti solide argumentantur Rotæ Auditores in relatione causæ S. Franciscæ Romanæ *par. 2. ar.* 10. & in relatione causæ S. Catharinæ de Ricciis *tit. de ecstasi.*

14. Constituta qualitate ecstasis, ipsa per se, tametsi Divina, & a solo Deo immissa, non confert ad probandam sanctitatem; cum passio hæc nec sanctificet, nec sit effectus Gratiæ sanctificantis, sed reducatur ad Gratiam gratis datam. Quocirca, ut ejus ratio habeatur in judicio Beatificationis & Canonizationis, oportet, ut in Ecstatico probetur fuisse heroicas virtutes; tunc enim erit sanctitatis signum, & amoris hominis ecstatici in Deum, & e converso amoris mutui ipsius Dei in ecstaticum. Quæritur inter Theologos, an Ecstaticus in actibus intellectus, id est videndi, & voluntatis, id est amandi, quos habet in ecstasi, mereatur. Cardinalis de Laurea *loc. cit. n.* 499. ait, Ecstaticum mereri in actibus ecstasim præcedentibus, cum liberi sint, & in objecto versentur, fine, & circumstantiis bonis, sicuti sunt ceteri actus religionis, & Fidei; non mereri autem in actibus, qui in ecstasi contingunt, cum non sint liberi. Suarez contra *lib. 2. de religione tom. 2. cap. 20. num. 5. & seqq.* stat pro libertate actuum, & sic pro eorum merito; eumque sequitur Pater Antonius ab Annuntiatione *in discept. mystica tract. 4. quæst. 2. ar.* 9. & adhæret Gravina *de visione intellectuali lib. 2. cap.* 18. Sed, his omissis, de quibus etiam plura habentur apud Patrem Thomam a Jesu *oper. tom. 2. part. 1. enucleationes Theologiæ mysticæ S. Dionysii quæst.* 27. cum ut plurimum ecstases istæ Divinæ non cuilibet Fideli, nec mediocriter spiritali, sed tantum perfectis & in spiritali vita confirmatis, & sic virtutibus & signanter Charitate perspicuis a Deo dentur, uti videri potest in Actis SS. Francisci, Dominici, Antonii, Bonaventuræ, Catharinæ Senensis, Teresiæ; ab ecstasi

Divi-

Divina per consequens, accedentibus heroicis virtutibus, in causis Beatificationis & Canonizationis, licet non directe, ut Scholæ loquuntur, indirecte tamen aliquod sanctitatis argumentum educi poterit; uti late probant Cardinalis de Lauræa *loc. cit. num.* 991. Scacchus *loc.* pariter *cit. pag.* 609. Matta *de Canoniz. SS. par.* 3. *cap.* 4. *sub n.* 31. §. *Multo magis*, Mathæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canoniz. tr.* 3. *cap.* 3. *ar.* 1. *n.* 16. Et, quamvis ecstases a Deo proxime immissæ absque prævia applicatione & vehementi hominis attentione, mirificæ dici possint, itemque illæ, quæ homini adveniunt ex superno auxilio operanti, & firmiter Divinis apprehensis adhærenti; ab Apostolica Seda tamen nunquam pro miraculis specialibus approbantur, uti allata praxi sacræ Congregationis, refert Cardinalis de Lauræa *loc. cit. n.* 967. nisi forte aliquo supra naturam signo comitante contigerit, puta splendoris in vultu, & similium; tunc enim splendor ipse, & radii e vultu manantes, tanquam miracula approbari possunt, uti prosequitur idem Eminentiss. Auctor *in opusc. de oratione cap.* 6. *pag.* 309. *Et hinc est, quod, ut jam per annos fere triginta expertus sum, cum agitur de Canonizatione alicujus Servi Dei, & fit scrutinium de miraculis, inter ea non adnumerantur ecstases, nisi evidenti aliqua supernaturali signo sint adminiculatæ.* Hæc prædictus Auctor tradit, postquam docuit, contemplationi acquisitæ non esse conjunctam ecstasim aut Raptum; cum aliquando adeo vehemens possit esse contemplatio, ut naturalem ecstasim pariat; & licet ad actum utiliter contemplandi specialis gratia requiratur, quando tamen per eam jam habitam Ecstaticus in actu contemplationis est, valeat etiam suo conatu intensissime eo in actu applicari, ex quo alienatio seu ecstasis sequi potest.

15. Pater Baldellus in opere suo manuscripto loquens de ecstasi Arsiliæ Altissimæ jam supra memoratæ optime demonstrat, quomodo ejus ecstases fuerint Divinæ, & quomodo ipsius sanctitati probandæ conferre possent, licet inter miracula non essent recensendæ, & natura aliquid ad eas contulerit. En ejus verba: *Ma per considerare le cose già dette, particolarmente in Arsilia, certissimo è, che spesso ella era rapita fuori di se, non solo, quando nella orazione più s' internava, ma ancora al semplice ragionare o sentir ragionare delle cose di Dio. Talvolta restava fredda e gelata nelle parti del corpo con poco segno di polso ed anelito. Talvolta per lo contrario s' infocava, ed accendevasi tanto, che per tutto il corpo sudava, e sempre per buono spazio di tempo restava immobile, nè sentiva chi la chiamasse, o tirasse. Quando poi a se tornava, si trovava grandemente indebolita di forze, vergognandosi, se era stata da altri veduta e notata; dimandava loro umilmente perdono, e si scusava con dire, che fra molte altre indisposizioni ancor questa pativa di addormentarsi, e fra molti altri mancamenti aveva ancor questo di mala creanza di non attendere, con chi trattava. Non era l' estasi in lei delle sole cose apprensive, nè delle sole appetitive, ma dell' une e dell' altre. Ora cominciando dall' une, si terminava nell' altre; e ora cominciando dall' altre, si terminava nell' une. Per tanto sentiva nel cuore corporalmente passioni grandissime, e questo talvolta pareva che l' affogasse; onde era forzata a prorompere in grandi sospiri e ruggiti; talvolta pareva, che s' ingrandisse in modo, che non capisse nel petto; talvolta, che fosse come triaciato da molti rasoi, e comunicasse il dolore per tutta la vita. Non dubito, che fosse da Dio, e dalla Grazia, dalla quale sempre sono i buoni pensamenti e desiderj: ma credo, che quanto alla sostanza, non passasse quest' ordine della Grazia, e oltre il buon abito, che ella aveva di pensare sopra le cose di Dio, venisse ancor' ajutata dalla natura e complessione sua, secondo la quale le apprensioni e gli affetti furono assai grandi, e molto operarono ancora nel corpo, come di farla ammalare, se avesse avuta qualche tristezza, e di farla anche venir meno, come talvolta è accorso, per la partenza di qualche Padre spirituale. Splendori nel volto, o sollevamento da terra, per quanto io sappia, non le sono accorsi: ma non da questi soli si deve misurare la verità dell' estasi, e la grandezza della santità,*

CAPUT QUINQUAGESIMUM,

De Visionibus, & Apparitionibus,

1. VISIONES non semper ecstasi esse conjunctas, bene animadversum fuit a Cardinali de Lauræa *in sæpe cit. opusc.* 1. *de oratione cap.* 8. ubi, postquam asseruit, ecstasi & raptui, aut simplici contemplationi non semper esse aut necessario conjunctas visiones, apparitiones, atque revelationes, hoc ipsum comprobat tum a priori, (uti dicitur), tum a posteriori: a priori quidem, cum in sacra Scriptura nusquam visiones & apparitiones promissæ alicui personarum generi inveniantur; a posteriori, cum quamplures Contemplativi, & signanter contemplatione acquisita, quamplures Ecstatici aut Rapti nec visiones nec apparitiones, nec revelationes habuerint, aut habeant, sed simplices illustrationes & illuminationes, juxta objecta, quæ contemplantur. Idem Auctor *in eod. cap.* ait, visiones dici posse revelationes, & contra, si de rebus occultis, sive futuris, sive præsentibus, sive præteritis sint; atque ex parte quidem Dei, vel deceptoris Dæmonis prædicta ostendentis dici posse revelationes, & ex parte recipientis visiones. Cardinalis Bona *in tract. de discret. spirit. cap.* 15. *n.* 2. ait, visionem, & apparitionem pro una & eadem re sumi; sed eam esse differentiam, quod apparitio dicatur, quando nostris obtutibus sola species apparentis se ingerit, sed, quis appareat, ignoratur; visio autem, cum externæ apparitioni ejus intelligentia conjungitur: & Bordonus *medit.* 13. *de miraculosa apparitione Sanctorum n.* 20. rem sic explicat, ut apparitiones dicantur visiones ex parte videntium rem mirabilem.

2. Deum invisibilem sub visibili & spectabili forma aliquando in veteri Testamento apparuisse, certum est. Per undecim vices id contigisse, dicitur. Prima fuit, cum primis Parentibus; secunda, cum eorum filio Cain; tertia, cum Noe; quarta, cum Agar ancillæ; quinta, cum Abrahamo; sexta, cum Lot; septima, cum Jacob; octava, cum Moysi; nona, cum Josue; decima, cum Gedeoni; undecima cum parentibus Samsonis apparere dignatus est. Variis quoque antiqui Testamenti exemplis docetur, Deum externa voce locutum esse, & auditum. Ut cetera prætereamus, quemadmodum habetur *in historia Moysis*, Deus per novem vices locutus est Abrahamo: prima, cum relicta patria, jussit ipsum proficisci in terram Chanaan; secunda, quando eamdem terram semini ejus promisit, postquam mandato Domini paruit; tertia, cum eamdem promissionem repetivit, quod factum est, postquam Lot cesserat terram Sodomorum; quarta, cum eidem Abrahamo promisit posteritatem, quæ sua multitudine esset æquatura stellas cæli; quinta, cum præceptum dedit Circumcisionis; sexta, cum tres Angelos humana specie hospitio excepit; septima, cum jussus est filium cum ancilla ejicere juxta votum uxoris; octava, cum Isaac filium jussus est immolare; nona, cum eumdem immolare prohibitus est. Innumeræ sunt aliæ Dei locutiones per apparitionem factæ in veteri Testamento. An autem, & in quibus vox tantum audita fuerit, & nihil visum, & in quibus Deus loquens non modo auditus, sed visus fuerit, non est in præsenti examinandum. Adnotare autem fas sit, externam Dei vocem auditam fuisse modo per nubem, modo per ardentem rubum, modo per ignem, modo in turbine, modo in sibilo, modo de Propitiatorio, modo de cælo, modo per Urim & Thummim. Pars superior Arcæ Propitiatorium dicebatur, Operculum, Opertorium, Oraculum. Operculum hoc duo Cherubim constituebant ex auro non fusili, sed malleis ductili, se mutuo aspicientes, & alas sibi mutuo tamquam manus præbentes; & ex hoc Propitiatorio Deus promisit Moysi se locuturum: & ex eo loco locutum esse, colligitur *Num.* 7. & quoad Hurim & Thummim, quemadmodum certum est, in Urim & Thummim Deum in rebus gravibus, dubiis, & inopinatis ad Ecclesiæ, vel reipublicæ salutem spectantibus a Rege, aut a Principe, vel a Synedrio interrogatum, quæ facere oporteret, per summum Sacerdotem revelasse, uti colligitur *ex lib.* 1. *Regum c.* 23. *& c.* 30. ita incertum admodum est, quid essent Urim, & Thummim, utrum videlicet essent duodecim gemmæ Rationalis cum inscriptis duodecim Patriarcharum nominibus; an litteræ ex nominibus Divinis, vel ex luminibus duodecim Patriarcharum lucentibus; an duo verba Rationali inscripta DOCTRINA, & VERITAS, an instrumentum concavum decore fabricatum; an simulacrum parvulum ad humanam similitudinem formatum, quod intra concavas Rationalis plicaturas summus Sacerdos gereret; de quibus latissime Natalis Alexander *in histor.*

Eccles. veteris Testamenti ar. 3. §. 9. num. 8. & seqq. & apud Calmet *in dictionario Biblico in verb. Urim & Thummim*, & apud Lamy *de Tabernaculo lib. 3. sect. 4.* ubi rem ita explicat, Deum videlicet eam vim indidisse Pectorali summi Pontificis, ut fuerit instar Oraculi, efficiendo, ut ex splendore gemmarum Pontifex agnosceret, quid esset Deo acceptum, & quid polliceretur.

3. Hæc quoad corporales Dei visiones, & apparitiones in veteri Testamento. Nunc autem, ut cetera prosequamur, quæ ad imaginarias & intellectuales ejusdem Dei, Angelorum, & animarum in veteri Testamento pertinent apparitiones, ponimus triplicis generis esse visionem & apparitionem, corporalem, imaginariam, & intellectualem, de qua infra; deinde dicimus, inter imaginarias apparitiones Dei in veteri Testamento recenseri utique debere illud, quod legitur *3. Regum 3.* cum Dominus apparuit Salomoni per somnium, ut postularet, quid vellet; necnon illud *Esther cap. 11.* ubi habetur, per somnium apparuisse Mardochæo voces & tumultus & tonitrua & terræmotus. Inter exempla intellectualis visionis recenseri debent visiones omnes & apparitiones, in quibus certum est, Deum locutum fuisse & apparuisse, & incertum, an externa forma visus, & humana voce locutus fuisse dicatur. Talis fuit illa, quæ describitur *4. Regum cap. 3.* cum tres Reges, Rex scilicet Israel, Rex Juda, & Rex Edom, contra Regem Moabitarum pugnaturi, & penuria aquæ laborantes in deserto Idumææ de voluntate Dei Eliseum interrogaverunt: Facta quippe super eum est manus Domini, & ait *v. 16. Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis.* Cumque tunc Eliseus somno correptus non esset, aut imaginatione, nec legatur, Deum spectabili forma apparuisse, aut viva & externa voce locutum esse, nihil aliud remanet, quam ut asseramus, Deum ejus menti ineffabiliter esse locutum. Talis fuit ea, per quam Propheta intellexit, quæ revelare debebat Joas Regi Israel, de qua *4. Regum 13.* Tostatus *tom. 1. in Exodum quæst. 2. super cap. 31.* regulam statuit generalem, ut scilicet Scriptura loquatur de apparitione, sive locutione Dei intellectuali, quotiescumque a Prophetis dicitur: *Hæc dicit Dominus.* Et in eo, quod attinet ad apparitiones Angelorum, & animarum in veteri Testamento, apparuerunt Angeli statim ab orbe condito primis humani generis post Deum auctoribus, cum Dei personam sustinuerunt, & variis rationibus cum Patriarchis egerunt, uti pluries habetur *in lib. Geneseos*; & Legem Dei non hominum tantum, sed & Angelorum ministerio ad Judæos delatam esse, legitur *Act. 7.* Onias Sacerdos & Jeremias Propheta, ut *in libris Machabæorum*, longe post mortem se per visum obtulerunt Judæ Machabæo, & eidem ad debellandos impios patriæ hostes animum addiderunt. In *cap. 28. lib. 1. Regum* legitur, Samuelem, excitatum a mortuis, Sauli apparuisse, & quæstio est, num fuerit anima Samuelis, quæ apparuit, an aliquod spectrum Samuelem repræsentans. S. Augustinus *lib. 2. ad Simplicianum quæst. 3.* rem in utramque partem disputat, & videtur asserere, utrumque posse affirmari. In *libro Ecclesiastici cap. 46.* pro laude Samuelis ponitur, quod, postquam dormivit, notum fecerit Regi, & ostenderit illi finem vitæ suæ: cumque nulla esset Samuelis laus, quod Dæmon, assumpta illius specie, & Saulem allocutus esset, & eum decepisset, persuadendo se esse illum, qui non erat, hinc multi inferunt, veram Samuelis animam, assumpto corpore aereo, Deo jubente, apparuisse, licet incantationes a Pythonissa fuissent peractæ. Quemadmodum enim, exercente Balaam suas incantationes, Deus illi apparuit, non vi incantationis, sed præveniens & impediens effectum; ita, exercente Pythonissa incantationes suas, Deus eas præoccupavit, mittendo animam Samuelis, & impediendo incantationis effectum. Dictum est autem, quatenus Pythonissa suas fecisset incantationes, cum sustineri possit, eas non fuisse adhibitas, sed Deum Pythonissam incantationes magicas precibus Saulis adhibere meditantem prævenisse, & Samuelem sua virtute evocasse: quocirca *cit. cap. 28. lib. 1. Regum* non legitur, Pythonissam incantationes adhibuisse ad evocandum Samuelem; sed, cum Saul a muliere petiisset, ut suscitaret, dicens *v. 11. Samuelem mihi suscita*, Samuel apparuit; additurque: *Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi?* quasi mirata, quod Samuel absque suis incantationibus apparuisset. De proposita quæstione agit D. Thomas *1. part. quæst. 89. ar. 8. ad secundum*, & *2. 2. quæst. 95. ar. 4. ad secundum*, & *quæst. 174. ar. 5. ad quartum*, ad quos S. Doctoris locos lectorem remittimus; & inter recentiores erudite rem prosequitur Calmet *in dissert. de Samuele per visum Sauli objecto*: & plura erudite collecta habentur apud Natalem Alexandrum *in histor. Eccles. vet. Testamenti tom. 2. proposit. unica*,

4. Dei apparitiones in veteri Lege juxta communiorem Theologorum sententiam non fuerunt personales, sed impersonales, uti loquuntur: nec enim Deus ipse apparuit corpore a se assumpto, sed id effecit per Angelos, qui suam personam sustinuerunt, veluti tale probat Durantus *de visionibus cap. 4.* ubi ostendit, quomodo dici possit, Deum apparuisse, licet Angelus sub persona Dei apparuerit corpore sibi formato; & quomodo potuerint Angelis in apparitionibus dicere: *Ego sum Dominus Deus tuus*: quamvis Prophetæ hæc alia verba usurpare consueverint: *Hæc dicit Dominus.* Subscribit Thyræus *de apparitione visibili lib. 1. cap. 23.* ubi de visibili Dei apparitione in veteri Testamento ait, Deum per se nunquam corpus assumpsisse; & quando in veteri Testamento dicitur visus, apparitiones omnes visibiles Angelorum ministerio & opera, qui corpora sibi aptarunt & assumpserunt, Deique personam sustinuerant, fuisse factas. Corpora cum dico, aerea intelligo: quia corpora, quæ mortalibus sese exhibent visibili specie, oportet, ut facile componantur & formentur, & capacia sint colorum humanorum, &, ut, cum deponuntur aut dissolvuntur, nihil sui, quod in oculos præsentium incurrat, post se relinquant; ut idem Auctor probat *in eod. tract. cap. 18.* Ab Angelis quoque, qui dicuntur administratorii Dei Spiritus, formatæ sunt voces, quibus Deum aliquando diximus in veteri Testamento fuisse locutum. Ea quippe, quæ Moyses Deum locutum esse dixit *Exod. cap. 20. v. 1. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*; Apostolus *in epist. ad Hebræos c. 2. v. 2.* Angelis tribuit: *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem.* Concordat *cap. 7. Act. Apostol. v. 53. Accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.* Angeli quoque causæ fuerunt efficientes apparitionum imaginariarum veteris Testamenti, & præcipue earum, quæ in somno contigerunt. Angelus enim in somnis apparuit Jacob *Gen. 31.* & jussit, ut relinqueret domum Laban, & rediret in terram nativitatis suæ. Angelus fuit, qui dormientem Eliam monuit, ut surgeret, & comederet *3. Reg. 19.* Et, quamvis *Gen. 22.* dicatur, Deum Abrahamo in somno suggessisse, ut filium immolaret, ex eodem tamen capite *v. 11.* desumitur, hæc ab Angelo præstita fuisse: *Ecce Angelus Domini de cælo clamavit dicens: Abraham, non extendas manum tuam super puerum .... Nunc cognovi, quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Fuse hæc omnia prosequitur Thyræus *de apparitione vocali lib. 2. cap. 15.* & præsertim *a n. 6. de apparitione imaginaria lib. 3. cap. 15.* & signanter *a num. 24.* Idem *lib. de apparitione intellectuali cap. 10. & duobus seqq.* latissime examinat, num Deus in revelatione, & locutione intellectuali per se loquatur, an per alios; &, postquam præmisit, in hisce intellectualibus visionibus, apparitionibus, revelationibus, & locutionibus species inesse, quæ rerum revelatarum sunt imagines; inesse lumen, quo illustratus intellectus res ipsas cognoscit; & rursus species esse duplicis generis, vel enim nove conferuntur, vel prius habentur, sed in Dei locutione novum usum accipiunt; item, lumen novum supra naturam aut accedere ad naturale & congenitum, aut non accedere, sed naturali quadam loquentis industria juvari: concludit, novas species, quæ a Deo revelantur, a solo Deo conferri, non ab Angelis. (quod ipsum asserit de lumine, quod nova intellectui communicatur) & per Angelos fieri novum usum specierum jam habitarum, & intellectus illustrationem, quando novum lumen non confertur. Petrus Cunæus *lib. 3. de republica Hebræorum cap. 3.* in ea est sententia, ut, quando in sacris Litteris dicitur, Deum apparuisse, id non sit intelligendum de Angelo tanquam Dei Legato, sed potius de Verbo Divino, seu de secunda Sanctissimæ Trinitatis Persona, quæ sub specie humana sese Patriarchis jam tum visibilem ostendebat. Hunc sequitur Bernardus Lamy *in apparatu Biblico pag. 26.* & novissime Pater Graveson *in hist. Eccles. vet. testamenti to. 2. colloq. 2.* Sed a prima sententia non est discedendum, utpote a Patribus, & Theologis scholasticis late propugnata. Quare, Patrum verbis recitatis, subjicit Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 19. n. 3. in fin. Quæcumque leguntur Divinæ manifestationes, sive Theophaniæ, per Angelos factæ sunt, eorumque ministeria ad Patres nostros dimanarunt. Summa in hac veterum Patrum concordia; nec discrepant ab eorum sententia principes Scholasticorum.*

5. Succedunt visiones & apparitiones, de quibus in novo Testamento. Inter has celebris est ea Doctoris gentium Pauli, de qua *in 2. ad Corinth. 12.* ubi ait, se usque ad ter-

tium

tium cælum fuisse raptum, & audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Alia in novo Testamento Apostolorum Principis visio extat *Actor.* 10. v. 10. ubi scribitur: *Cecidit super eum mentis excessus:* & S. Joannis Apostoli Apocalypsis plena & referta est visionibus & apparitionibus. Quæstio est inter Theologos, an aliquis homo in statu viæ, Dei essentiam viderit; & quæstio procedit de puro homine, nam Christum Dominum Dei essentiam vidisse, dum inter mortales degeret, a primo instanti suæ conceptionis, Fide certum est, cum a primo instanti suæ conceptionis fuerit Beatus. Communis est eorum sententia, hominem purum in statu viæ ad claram Dei visionem naturaliter pervenire non posse; quamdiu enim anima permanet in corpore, naturaliter non cognoscit, nisi habentia formam in materia. Manifestum est, per naturam & similitudines rerum materialium, claram Dei visionem haberi non posse; & Dei cognitionem, quæ per similitudinem habetur, non esse cognitionem Dei per essentiam, sive essentiæ Dei. Iidem quoque Theologi passim admittunt, posse Deum via extraordinaria, & speciali privilegio hominem in hac mortalitate ad claram Dei visionem extollere: a lege quippe operandi, & cognoscendi opera sensuum, Deus naturæ auctor & dominus potest aliquem solvere, aut remorando sensus externos, ne agant; aut dando intellectui lumen gloriæ per modum transeuntis, vel per modum permanentis, uti dedit Christo. An autem res ita se habuerit in supra recensita visione Pauli, quemadmodum & in alia Moysis, de qua *Numer.* 12. & *Exod.* 33. adhuc inter eosdem Theologos disputatur. Placet autem sententia S. Augustini, qui *in lib.* 12. *de Genesi ad litteram* propendet in opinionem affirmantem; quod etiam indicat *epist.* 112, *nunc* 147. *cap.* 13. Eamdem sequitur S. Thomas 1. *part. quæst.* 12. *art.* 11. *ad secundum*, & 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 3. & *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. *art.* 7. *ad quartum*, *&* *quintum*, & *quæst.* 10. *de veritate ar.* 21. *ad primum*; non ita tamen, ut Moyses & Paulus essentiam Dei viderint quoad omnia mysteria, & ut habuerint plenam Dei visionem quoad omnia, ita ut beati facti sint, sed ita ut eorum visio media inter visionem Beatorum, & visionem aliorum Prophetarum fuerit, nec ea permanens, sed transiens. Proindeque mirum est, Silvium in 1. *par. art.* 11. & Natalem Alexandrum *commentar. in* 2. *ad Corinth.* alioquin filios D. Thomæ discipulos, ab ejus in hac re sententia recessisse.

6. In novo quoque Testamento multas habemus Christi Domini apparitiones: se quippe visibilem & spectabilem tribus temporibus exhibuit, primo post nativitatem ante passionem, secundo post resurrectionem, tertio post suam ad cælum ascensionem. Post nativitatem, & ante passionem apparuit pastoribus in præsepio, qui eum adoraverunt; & Magis, qui munera obtulerunt; Judæis, & Principibus Synagogæ, qui illum in Templo disputantem audierunt; claudis, cæcis, & surdis, qui ab eo gressum, lumen, & auditum receperunt; mortuis, quos ad vitam revocavit, ut ceteros omnes sileamus, qui illum ante passionem conspexerunt; corpus quippe habebat verum, non phantasticum, & per virtutem suæ animæ poterat manifestare se, quoties volebat. Post resurrectionem Christum Dominum sæpe pluribus apparuisse, colligitur ex Evangelio S. Matthæi *c.* 26. ex Evangelio S. Marci *c.* 18. & ex Evangelio S. Joannis *cap.* 20. Rodulphus *de vita Christi part.* 2. *cap.* 81. quatuordecim fuisse dicit has apparitiones, quarum decem tantum Evangelistas meminisse putat. At Maldonatus *in cap.* 28. *Matthæi* tredecim in sacris Litteris apparitiones se invenisse dicit. Verum, utcumque sit de numero, quando Christus post resurrectionem, & ante ascensionem apparuit, ejus apparitiones fuerunt personales, licet diebus resurrectioni proximis Discipulis Emmauntem apparuerit sub forma peregrini, & Magdalenæ sub forma hortulani: Christi namque voluntate sola fieri poterat, ut suum corpus absque ullo novo miraculo intuentium sensus immutaret; uti post Maldonatum admonet Durantus *in tract. de vision. cap.* 4. Post ascensionem vero ad cælum non omnes Christi apparitiones, de quibus in novo Testamento, fuerunt impersonales: verisimile tamen admodum est, personalem fuisse illam, de qua Apostolus 1. *ad Corinth.* 15. v. 3. *Tradidi enim vobis, in primis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, & quia visus est Cephæ, & post hæc undecim, deinde visus est plusquam quingentis Fratribus simul ... deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus, novissime autem omnium tamquam abortivo visus est & mihi.* Contigit hæc visio aliquibus annis post ascensionem: cumque Apostolus dicat Christum a se visum, sicut fuerat visus a Cepha, a Jacobo, & a plusquam quingentis Fratribus, & Apostolis omnibus, & *in* 1. *ad Corinth.* 9. *vers.* 1. ex hac apparitione & visione Christi probet, se non minus Apostolum esse, quam ceteros: *Non sum* (inquit) *Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi?* suadent hæc omnia, visionem hanc & apparitionem fuisse personalem; quamvis probabiliter ceteras, quæ post Christi ascensionem contigerunt, apparitiones personales non fuisse dici possit; uti late ostendit Thyræus *in tract. de Christi apparitione impersonali c.* 8. S. Ambrosius in *Auxent. de basilicis &c. num.* 13. *col.* 866. *oper. tom.* 2. apparitionem Christi narrat factam S. Petro Principi Apostolorum: *Idem Petrus postea, victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos Gentilium. Quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet. Et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, ut ad instituendum & confirmandum populum se reservaret. Quid multa? Nocte muros egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Urbemque ingredi, ait:* Domine, quo vadis? *Respondit Christus:* Venio, iterum crucifigi. *Intellexit Petrus ad suam crucem Divinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem, passione susceptæ mortis, exuerat &c. Intellexit ergo Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo, itaque sponte remeavit. Interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum*, Refertur hoc ipsum *in Actis Sanctorum Processi, & Martiniani*, quæ, licet minus sincera apud nonnullos habeantur, tantum abest, ut id aliquid detrahat fidei Sancti Ambrosii, ut eam mirifice augeat, cum hinc desumi possit, eum a certis monumentis narrationem suam hausisse, quemadmodum recte advertit Tillemont. *not.* 39. *ad vitam Sancti Petri*, Romæ adhuc extat quædam ædicula sacra, in hujus apparitionis monumentum, quæ dicitur: DOMINE QUO VADIS? Panvinius *de Septem Urbis ecclesiis pag.* 131. Severanus *in eod. tract. part.* 1. *pag.* 462. Hanc autem apparitionem Christi fuisse personalem probabile a nonnullis reputatur, de quibus Pignatellus *consult.* 99. *num.* 8. *tom.* 9. Utcumque sit, si ea fuit personalis quæ Sancto Paulo obtigit, & quatenus ea quoque fuerit quæ Sancto Petro, quæritur a Theologis, an Christus e cælo in terram descenderit. S. Thomas 3. *part. quæst.* 57. *artic.* 6. *ad tertium* non improbabile putat, tunc Christum ad tempus cælum reliquisse, & ad terras descendisse: licet enim in Scripturis legamus, Christum ad cælum ascendisse, & sedere ad dexteram Dei, & descensurum extremo Judicii die, uti habetur *Actor.* 1. & 3. hæc tamen solum probare dicuntur, locum cælestem esse proprium & permanens domicilium Christi, ubi nunquam in proprio regno & throno, habitat & residet; sed hinc non infertur, eumdem immobilem semper ibidem permanere. Joannes Major *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 4. in ea est sententia, Christum, ex quo in cælum ascendit, nunquam cælestem locum deseruisse, & tamen interdum in terris visibili forma apparuisse per veram præsentiam sui corporis, existendo nimirum simul in duobus locis modo (ut ajunt) quantitativo & circumscriptivo. Suarez *in* 3. *part. Divi Th. tom.* 2. *quæst.* 58. *art.* 4. *in fin.* ait, simpliciter & absolute verum esse, Christum post ascensionem aliquando in terra fuisse, incertumque sibi esse, an tunc a cælo abfuerit, necne.

7. De visionibus & apparitionibus, quæ leguntur in historiis Ecclesiasticis, multa habentur apud Martinum del Rio *lib.* 2. *disquisition. magicar. quæst.* 26. & apud Gravinam *in lapide Lydio a pag.* 29. *usque ad pag.* 65. Ne actum itaque agere videamur, de nonnullis tantum apparitionibus hic tractabitur, quarum præcipua mentio habetur apud Theologos. Prima est S. Benedicti, de qua S. Gregorius in ejus vita *c.* 35. Vidit enim omnem mundum veluti sub uno solis radio collectum ante oculos suos adductum; & dum intenta oculorum acie lucis splendorem aspiceret, vidit animam Germani Capuani Episcopi ab Angelis in cælum deferri. Mirante autem Petro (vita enim S. Benedicti scripta est a S. Gregorio per modum dialogi) & quærente, quo ordine fieri posset, ut mundus omnis ab homine uno videretur, S. Gregorius respondet *loc. cit. col.* 272. *tom.* 2. *oper. Fixum tene, Petre, quod loquor; quia animæ videnti Creatorem angusta est omnis creatura.* Hæc autem verba, quæ cum aliis in textu Gregoriano legi possunt, ansam Theologis præbent inquirendi, an in hac visione S. Pater Benedictus viderit essentiam Dei. Sandeus, Haefrenus, Angelus

gelus de Nuce affirmanti adhærent sententiæ; & hoc ipsum asseritur ab Erasmo Gattola Abbate S. Matthæi Servorum Dei, & Cassinensis archivi Custode, viro erudito & docto *in part. 1. historiæ Abbatiæ Cassinensis per sæcula distributæ, sæculo primo pag. 5.* Sanctus autem Thomas 2. 2. *quæst. 180. art. 5. ad tertium* vult, ex verbis Gregorii non colligi, a Benedicto Deum in illa visione per essentiam fuisse visum, sed per illustrationem Divini luminis facile fieri potuisse, ut omnia viderentur. De hac eadem visione loquitur S. Doctor in *quodlib. qu. 1. ar. 1.* ubi postquam præmisit, impossibile esse ut mens humana corpori unita essentiam Dei videat, nisi homo moriatur, vel sic alienetur a sensibus, ut nesciat utrum sit in corpore, an extra corpus, quemadmodum de S. Paulo legitur, ita concludit: *Beatus autem Benedictus, quando illam visionem vidit, nec huic vitæ funditus mortuus erat, nec a corporeis sensibus alienatus; quod patet per hoc, quod dum adhuc in eadem visione persisteret, alium ad idem videndum advocavit, ut idem Gregorius refert: unde manifestum est, quod Dei essentiam non vidit.*

8. Alia apparitio, de qua hic dicendum est, est Christi Domini in Sacramento altaris sub speciebus & formis peregrinis & insolitis. Multa in historiis referuntur hujus apparitionis exempla; modo enim in sacra Hostia visus est homo, modo pars hominis, modo infans, modo sanguis. Exempla collecta legi possunt apud Thyræum *in tract. 2. de apparitionibus Sacramentalibus cap. 11. & seqq.* apud Bozium *de signis Ecclesiæ lib. 14. cap. 7.* apud Theophilum Raynaudum *oper. tom. 6. in opere de apparitionibus in Eucharistiæ sacramento §. 5.* apud P. Christianum Lupum *in oratione de miraculoso Sacramento tom. 11. oper. novæ edit. pag. 366.* apud Peniam *in vita S. Raymundi de Pennafort lib. 1. cap. 26.* & apud Cæsarium Cisterciensem *lib. 9. illustrium miraculorum cap. 2. & 3.* S. Thomas 3. *par. quæst. 76. art. 8.* propositam examinat quæstionem, & docet, dupliciter contingere posse talem apparitionem; primo ex parte videntium, facta in eorum oculis tali immutatione, ac si expresse viderent carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla existente ex parte Sacramenti mutatione; secundo, facta mutatione in ipsis speciebus Sacramentalibus. Primum autem modum contingere asserit, quando unus videt apparitionem, & alii non vident; & secundum modum accidere docet, quando sub tali specie puer, caro, sanguis ab omnibus videntur, & non ad horam, sed per longum tempus. Porro tam primo, quam secundo modo vult, Christum in Sacramento remanere: primo quippe modo nulla fit immutatio ex parte Sacramenti; secundo modo, remanentibus dimensionibus, quæ sunt aliorum accidentium fundamenta, corpus ipsum Christi sub Sacramento remanere dicendum est; absque eo quod ulla deceptio vel primo, vel secundo modo ex apparitione oriatur, cum apparitio fiat, ut manifestetur, vere corpus Christi esse in Sacramento. Doctrinam D. Thomæ late illustrant, & sequuntur Theophilus Raynaudus *loc. cit. §. 9.* P. Philippus Maria a S. Paulo Carmelita Discalceatus *in tract. de sacris apparitionibus §. 1.* P. Passerinus *in 3. par. D. Thomæ quæst. 86. art. 8. cap. unic.* & bon. mem. Cardinalis Cienfuegos *in tract. de Vita abscondita, seu speciebus Eucharisticis velata disp. 2. sect. 6. §. 1. num. 101. & seqq.* Ab Henrico Episcopo Luciona, vulgo Luson, editæ fuerunt quædam *Ecclesiasticæ conferentiæ habitæ a Curatis & Presbyteris ejus diœcesis.* In quinta autem parte harum *conferentiarum, conferent. 12. quæst. 2.* late ostenditur, hominem naturæ viribus non posse videre corpus Christi sub speciebus panis & vini in Sacramento altaris, & *quæst. 3.* agitur de prædictis mirificis apparitionibus, quæ aliquando contingunt in eodem Sacramento, puta pueri, sanguinis, aut carnis; & ibi late confirmatur & explicatur citata D. Thomæ doctrina. De eis quoque ita loquitur, & testimonium perhibet Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Quoniam hujus Sacramenti profunditas incomprehensibilis & admirabilis omnem excedit intentionem, credere præcipimur, discutere prohibemur. Propter quod Dominus, ut infirmorum fidem circa hoc Sacramentum hæsitantium roboraret, variis miraculorum argumentis ipsius ostendit veritatem. Etenim similitudo carnis cruentæ in altaris Sacramento frequenter ostensa est a Domino. Cujusmodi propriis oculis in monasterio Præmonstratensis Ordinis apud villam, quæ Bronna nominatur, in Regno Franciæ inspeximus.*

9. Hactenus de cælestibus visionibus. Nunc autem aliqua de aliis visionibus & apparitionibus, quæ a Dæmone, vel a causis naturalibus procedunt, dicenda sunt. Transfigurat etenim se Dæmon in Angelum lucis. In veteri Testamento Dæmon in corpus Serpentis intravit, & quasi in organo certa ratione moto, colliso, & modulato vocem humanam, ut potuit, effinxit, veluti exponunt S. Joannes Chrysostomus, Procopius, & S. Augustinus apud Cornelium a Lapide *in cap. 3. Geneseos.* Hevam ergo allocutus est, quæ putavit, Serpentem loquendi officium *non per naturam, sed aliqua supernaturali operatione* accepisse, ut ait D. Thomas 1. *part. quæst. 94. art. 4. ad secundum*; & interrogavit, cur fructum, qui erat in medio paradisi, non comederet: ipsaque respondente, id sibi a Deo prohibitum fuisse, ne forte morerentur, dixit *Geneseos cap. 3. v. 4. Nequaquam morte moriemini; scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* In novo autem Testamento Christus Dominus se tentandum Diabolo præbuit, ut ad superandas etiam tentationes ejus, mediator esset non solum per adjutorium, verum etiam per exemplum, uti loquitur Sanct. Augustinus *lib. 4. de Trinitate cap. 13.* In tentatione itaque, de qua in Evangelio Sanct. Matthæi *cap. 4.* & in Evangelio S. Lucæ *cap.* pariter 4. Dæmon Domino apparuit, & ostendit ei regna mundi, promittens, se ea daturum, si sibi adorationis signa exhiberet. Porro apparitionem hanc, assumpto a Dæmone corpore aereo, contigisse, docet Atauxo *in decis. moral. tract. 3. qu. 23. num. 104. Apparitiones quoque potest facere in corpore aereo, quod adeo condensatum efficere potest, ut humanum videatur & illius personæ, quam vult repræsentare: de Fideque certum est, has apparitiones fecisse &c. quando Christum in deserto jejunantem in figura humana tentavit:* quod late prosequitur Durantus *de visionibus cap. 2. §. Verum, ut hæc corporalis visio, & cap. 5. §. Etenim & Dæmones,* & adhæret Rocca *de Canoniz. Sanctor. cap. 15.* De imaginariis visionibus & apparitionibus, quæ fiunt opera Dæmonum, ait Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 16. num. 2. Habet quoque Diabolus Prophetas suos & somniatores, quorum ipse phantasiam commovet, multaque in ea repræsentat & suggerit.* Et *cap. 19. num. 7. In vivos etiam transfigurantur, spectraque objiciunt seu oculis, seu phantasiæ, & simulacra atque imagines rerum seu personarum; & sicut de Proteo fabulantur Poetæ, in omnes formas se vertunt, ut miseros mortales seducant & perdant.* Qua de re plura alia legi possunt apud Pignatellum *consult. 55. num. 2. & 3. tom. 4.* phantasia quippe potest esse causa multorum effectuum, & multarum tum mutationum, tum perturbationum in corpore tam alieno, quam proprio, excitando scilicet, & dirigendo alias animi facultates movendi & mutandi vim habentes: proinde videmus, imaginationibus parentum fœtus sæpissime signari; imaginatione cibi lautioris salivam in os ascendere; imaginantes se aliquibus morbis laborare, interdum in eosdem morbos incidere; denique per imaginationem sæpe videri quæ non videntur, audiri quæ non audiuntur, sentiri quæ non sentiuntur; quemadmodum scite animadvertit Thomas Fienus *in tract. de viribus imaginationis quæst. 8.* De visionibus & apparitionibus ex naturali causa procedentibus multa infra indicabuntur desumpta ex opere ms. P. Baldelli. In visione vero, sive apparitione pure intellectuali nulla deceptio inveniri potest, uti animadvertit Cardinalis Bona *in alleg. tr. cap. 15. sub n. 3. Nulla in hac falsitas, nulla deceptio esse potest. Reliquæ erroribus & illusionibus subjectæ sunt.* Et *cap. 18. n. 2. Huic autem visioni pure intellectuali nulla potest diabolica illusio intercedere, sive verum in intellectu repræsentatio per species a Deo infusas consideretur, sive judicium de rebus iisdem, quod fit per lumen desursum veniens a Patre luminum; nam, cum hæc duo a sensu & imaginatione non pendeant, nulla est creatura, quæ possit se illis immiscere.* Qui plura scire cupit de Dæmonum, sive malorum Angelorum visionibus & apparitionibus, Thyræum legere poterit *in tract. de Spirituum apparitione cap. 9.*

10. Ex hucusque dictis infertur, multiplicis generis esse visiones & apparitiones; nonnullas naturales, ut pote causam habentes a causis naturalibus, nonnullas præternaturales, ut pote a causis præternaturalibus procedentes; item visionem præternaturalem triplicem esse, corporalem videlicet, imaginariam, & intellectualem. Corporalis nomen tam tribuitur illi, quæ visus, quam quæ aliorum sensuum ministerio fit, juxta illud S. Augustini *lib. 10. Confess. cap. 35.* (*col. 189. tom. 1. oper.*): *Ad oculos enim proprie videre pertinet. Utimur autem hoc verbo etiam in ceteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus... Dicimus autem non solum, vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt, sed etiam vide quid sonet, vide quid oleat, vide quid sapiat, vide quam durum sit.* Imaginaria, quam S. Augustinus spiritalem vocat,

cat, fit per species, seu figuras & imagines rerum in ipsa phantasia existentes, quæ Dei, vel Angeli operatione ita disponuntur, ut propositum objectum clare repræsentent, infusa luce superna ad intelligendum, quid significent; & fit etiam per novas species nusquam antea receptas, sed a Deo, vel ab Angelo immissas; & hæc imaginaria visio contingere potest vel in vigilia, vel in somno. Intellectualis demum visio est clarissima rerum Divinarum manifestatio, quæ in solo intellectu absque figuris & imaginibus perficitur; fitque, vel cum mens humana Spiritus Sancti Gratia illuminatur, ut ea intelligat, quæ corporali sive imaginaria apparitione sensibilibus signis repræsentata sunt, vel quando immediate per species intellectui a Deo infusas Divina mysteria percipiuntur. Rursus visionis corporalis, & imaginariæ præternaturalis duplex alia species est, cum una a Deo, alia a Dæmone procedat. De his visionis & apparitionis divisionibus plura habentur apud D. Thomam 2. 2. *qu.* 174. *art.* 2. apud Cardinalem de Lauræa *in opusc.* 5. *de oratione cap.* 8. apud Cardinalem Bonam *de discret. spirit. a cap.* 15. *usque ad cap.* 20. apud Gravinam *in lapide Lydio lib.* 2. *cap.* 1. *& plurib. seqq.* apud Thyræum *de apparitione visibili lib.* 1. *cap.* 2. apud Mattam *de Canoniz. SS. part.* 3. *cap.* 2. & apud Durantum *de visionibus cap.* 2. *per totum.*

11. Et quia P. Baldellus de his omnibus latissime, & satis aperte disseruit in citato manuscripto, operæ pretium esse censemus, hic ejus verba inserere: *Non meno pericolose, ed esposte ad inganni sono le visioni, che talvolta nell' estasi, o fuor dell' estasi occorrono. Per tanto ancor di queste è bene intendere i modi e le cagioni, per poter con certezza e sicurezza formar giudizio della vera virtù e santità. Devesi dunque sapere, come insegna S. Agostino nel lib.* 12. de Genesi ad litteram *al cap.* 6. *tom.* 3. *S. Isidoro nel lib.* 7. *dell' etimol. al cap.* 8. *S. Tommaso nella* 2. 2. *alla quest.* 175. *art.* 3. ad primum, & tertium, *e Dionigi Cartusiano* de Judicio animæ *all' art.* 26. *pag.* 238. *che di tre sorta sono le visioni, cioè, corporali cogli occhi del corpo, immaginarie coll' immaginazione e fantasia, intellettuali col solo intelletto. Del primo genere fu, quando Mosè vide ardere il roveto, e non bruciare; come anche quando il Re Baldassarre, in Daniele al cap.* 5. *vide la mano, che scriveva nel muro. Del secondo fu quella di S. Pietro, negli Atti degli Apostoli al cap.* 10. *quando vide il lenzuolo; quelle di S. Giovanni nell' Apocalisse al cap.* 1. *quella di Ezechiele al c.* 37. *quando vide il campo pieno d' ossa de' morti, e risuscitato in un tratto un grande esercito; quella d' Isaia al c.* 6. *quando vide Dio nel Trono, ed i Serafini, e l' altare, donde fu preso il carbone per mondargli le labbra; ed altre molte di altri Profeti. E secondo il medesimo Dionigi Cartusiano nel libro, che ei scrive* de cura pro mortuis gerenda *al c.* 10. *dello stesso genere comunemente sono quelle, nelle quali i morti appariscono in sogno, ed avvisano, che altri diano loro sepoltura, e cose simili; ed al cap.* 12. *quelle altresì, che, ancor vegliando, vedono alcuni, che sogliono esser turbati dei sensi, come i frenetici, e furiosi. E se per sorte in simili visioni occorre vedersi qualche cosa futura, o altra, che per natura e natural concorso di fantasmi e di specie non possa vedersi, solo vuole che si veda per opera degli Angeli, così volendolo o permettendolo Dio. Del terzo genere finalmente fu quella di S. Paolo, quando vide l' essenza Divina senza verun concorso di fantasmi o similitudini immaginarie. Or, per occorrere talvolta queste tre visioni sopra l' ordine comune del nostro apprendere, e darci a vedere le cose di Dio, meritamente da S. Agostino nel luogo citato al cap.* 28. *e da S. Tommaso nella* 2. 2. *alla quest.* 175. *art.* 3. ad tertium *sono intese per i tre cieli, sopra de' quali fu rapito S. Paolo, e sopra de' quali si vede Iddio. Nè altro, secondo il parere di questi Santi, devesi intendere per il suo ratto al terzo cielo, se non esser' egli stato innalzato al perfettissimo modo d' intendere Dio, cioè, senza immagini e similitudini. E benchè di queste visioni le ultime due possono e sogliono cagionarsi dalla prima, come nel Re Baldassarre appresso Daniele il veder colla vista del corpo quella mano cagionò il vederla ancora in assenza colla vista immaginaria, ed in oltre il veder cogli occhi della mente, che cosa significasse; contuttociò la prima non suol cagionarsi dalle ultime due. Così la vista di Dio intellettuale, che ebbe S. Paolo, non cagionò vista immaginaria o corporale del medesimo: nè la vista immaginaria, che ebbe S. Pietro del lenzuolo, o gli altri Profeti dell' altre cose, cagionò vista cogli occhi del corpo. Aggiugne S. Agostino nel luogo citato al cap.* 24. *che queste tre visioni hanno fra di se il suo ordine di perfezione e discendenza, dicendo, che il primo della vision corporale, come più imperfetto, ha bisogno del secondo della visione immaginaria, poichè non operano i sensi esterni senza il concorso delle potenze interne. Il secondo ha bisogno del terzo, acciocchè sia certo nel suo giudizio intorno alla cosa immaginata ed apparente. Il terzo finalmente, come perfettissimo, se bene d' ordinario è sempre accompagnato dal secondo, poichè in questa vita senza fantasmi non s' intende, non ha però di quello bisogno, e può di sua natura esserne senza, come fu in S. Paolo. E ben' insegna S. Tommaso nella qu.* 12. de veritate *ar.* 3. *che queste apparizioni, o visioni immaginarie, se occorrono mentre si dorme, si chiamano Sogni; se occorrono mentre si veglia, ma stando l' uomo astratto da' sensi, si chiamano Visioni: e tanto nel sogno, quanto nella visione vien l' anima trattenuta da' soli fantasmi o in tutto, o in parte, e in quelli si ferma, come se fossero non immagini e similitudini delle cose, ma le cose medesime. E in questo il sogno o visione è differente dalla profezia, se per sorte ancor questa viene con simboli e simiglianze di cose, che l' anima del Profeta non si ferma nei simboli e simiglianze, ma passa più oltre col lume profetico, mercecchè, conoscendo quegli esser simboli ed apparenze, arriva ad intendere ancora le cose per quelle significate e adombrate, come si dice in Daniele al cap.* 10. Et verbum revelatum est Danieli, intellexitque sermonem; intelligentia enim est opus in visione. *Le cagioni di queste tre visioni sono quelle stesse, che di sopra si sono assegnate nell' estasi, cioè, Iddio, il Demonio, e qualche qualità corporale; perchè se bene il terzo modo è libero dal secondo, ed è pure intendimento senza servizio di fantasmi, e non può essere in questa vita, se non da Dio, che solo può impedire la connessione ed ordine naturale delle potenze, contuttociò quando è congiunto con quello, può esser cagionato dallo stesso principio. Nè occorre più a lungo provare, che tutte queste sorte di visioni possano esser da Dio, essendone chiari esempj di tutte nella Scrittura. Nè è difficile a credere, che non solo le visioni immaginarie, ma ancor le corporali possono esser dal Demonio, potendo egli alterare i fantasmi e muovere gli spiriti nel nostro corpo, nè mancandogli modo di far travedere ancora cogli occhi e sensi esterni, come in fatti suol fare alle Streghe e Negromanti. E non è dubbio, che siccome per diversi segreti della natura sanno ancora gli uomini burla degli altrui sensi; ed a suo gusto molti dei Saltambanchi fanno parere una cosa per un' altra, così, e molto più può il demonio, e portando di lontano molti corpi veri e oggetti sensibili, e di nuovo producendoli per le loro cause, e ingannando con aggiunta di corpo aereo i sensi esterni, e cagionando da quelli astrazione e alienazione, ed alterando per gl' interni i fantasmi, e facendo quelle apparenze, che occorrono nei sogni, come bene spiega il Gaetano nella* 2. 2. *alla quest.* 95. *art.* 2. *e quelli che trattano delle superstizioni. Ma forse più difficile potrebbe parere ad alcuno, come le visioni si cagionassero da cause corporali, se per l' immaginarie non avessimo in pronto l' esperienza de i sogni, che altro non sono, che apparenze fantastiche per lo più cagionate dal moto ed incontro di varj fantasmi, per i vapori, che cagionano il sonno, e per le corporali l' esperienza dei matti, e frenetici, e febbricitanti, che per diverse indisposizioni dicono vedere e sentire quel che in effetto e realmente nè vedono nè sentono. Di un certo Medico per nome Teofilo racconta Galeno nel lib.* 3. de symptomatum differentiis *al cap.* 3. *che avendo in testa una postema nella parte dinanzi del cerebro, saviamente rispondeva a quanto domandavasi, ma gran fastidio si prendeva, perchè in un canto della sua camera dicea starsi non so quanti trombetti, che con il suono continuo l' assordavano, nè vi era di casa chi li cacciasse; essendo però in effetto, che non vi erano nè trombetti, nè suono. Lo stesso Galeno nel lib.* 4. de locis male affectis *al cap.* 1. *racconta di se, che trovandosi in un grandissimo ardor di febbre, gli parea vedere nelle vesti degli Amici, che lo visitavano, certe festuche di color nero, e certi fiocchi; e facendo egli forza colle mani di levarli, e non trovando, e prendendo niente, sentì, che gli Amici di questo accortisi dissero tra di loro: Vedete, come quest' uomo va raccogliendo festuche, e levando fiocchetti: allora subito apprese il suo pericolo di dare in frenesia, e disse: Ajutatemi, o Amici, che io non frenetichi. Aristotele nel libro de' sogni nota, che nelle febbri bene spesso per poca simiglianza, che facciano di animali o d' altre cose, poche linee composte nel muro, si rappresentano come veri animali nel medesimo muro; e talvolta, se l' apparenza è maggiore, ancor si stende a quelli la mano: e avvertisce, che spesso ai putti, quando la notte sono svegliati, e cogli occhi aperti, si danno a vedere varie apparenze, per le quali non solo temono, ma anche si cuoprono per paura e si nascondono sotto i*

len-

lenzuoli. Di se stesso racconta Cardano nel lib. 8. de var. al capo 43. che a suo volere vedeva ciò che voleva: Cum volo, video quæ volo. E una persona assai degna di fede più volte e in presenza di molti ha raccontato, che, patendo ella di non so che malo ed redisposizione di cuore, mentre al bujo stava svegliata, sentivasi intorno al cuore un non so che movimento de' vapori, che forse erano la causa del suo male; e poco dopo tanto spiccata e distintamente sentiva le voci, come di un buon concento, che senz' altro avrebbe affermato, quello esser vero, se non fosse stata certissima, ch' ella era sola e in camera lontana da' Musici. D' un' altro so certo, che essendo in letto, ed alterata per aver preso un non so che poco di sugo e d' infusione di Solatro furioso, vedeva nel muro uccelli bellissimi e di mille colori; e l' apparenza era tanta gagliarda, che in presenza di molti stendeva la mano per prenderli. Ma di queste visioni ingannevoli, che nella interna immaginazione, o ancor negli occhi corporalmente appariscono, non si possono rendere altre migliori cagioni di quelle, che rende S. Agostino nel cit. lib. 12. de Genesi ad litteram al cap. 25. ed Aristotele nel libro de' sogni al cap. 2. cioè, che nell' organo stesso del senso occorrono varie mutazioni intorno all' oggetto ed accidenti; e per ragione di quelle il giudizio che dà la potenza, è imperfetto e manchevole, e non è altrimenti corretto da altra potenza superiore e più verace. E quanto alla prima cagione, non può dubitarsi, che non solo le mutazioni od accidenti dell' oggetto, ma ancor quelle della potenza e dell' organo possono bastare a cagionare diversità nel conoscere. Così a chi naviga par che si muovano i lidi e le montagne perchè si muove la vista; e a chi muove nell' occhio la dirittura, ed il sito della pupilla, ogni oggetto par doppio; e se due dita della medesima mano si soprappongono, ogni cosa con quelle toccata par due, o come due viene stimata, se la vista in tal caso più verace del tatto non corregge l' errore. Quanto alla seconda, è cosa certa, che per questo nel sogno pajono vere reali le cose sognate, perchè vengono rappresentate come vere e reali, o non si avverte, a che potenza si rappresentino, e se veramente i sensi esterni, a' quali appartiene il primo giudizio, siano sciolti e liberi per l' operare, o pure legati ed impediti dal sonno. Per tanto rappresentandosi alla sola immaginazione o senso comune, come se insieme si rappresentassero ai sensi esterni, così da quella sola sono giudicate e credute, come se insieme si giudicassero dagli altri sensi: nè questo errore viene avvertito e corretto da altra potenza superiore. E forse a questa seconda ragione si può ridurre l' esperienza apportata di Cardano, mentre vedeva a suo volere ciò che voleva; poichè poteva per l' efficacia della immaginazione vivamente applicarsi ad ogni oggetto, senza avvertire, se insieme allora circa il medesimo operasse col senso, ed in tal modo sognarsi, ancor vegliando. Ed a quella prima può ridursi quell' altra di chi per il solatro vedeva uccelletti sì belli nel muro, e di chi per la febbre vede animali; poichè i vapori, de' quali è piena la pupilla, possono così determinar le specie di quelle linee, o altro segno che nel muro realmente si trovi, siccome se l' occhio avesse colore, a quella stessa determinarebbe le specie degli altri oggetti. E per tanto disse Aristotele nel 3. de anima text. 4. che ancor l' intelletto, per intendere ogni cosa, debet esse immixtus, quia alienum juxta apparens prohibet & obstruit: così, se l' occhio ha mala disposizione de' vapori, e malamente riceve le specie, può facilmente determinarle a modo diverso. Cogli stessi principj dichiara Avicenna nel lib. 3. al tratt. 4. e con lui gli altri Medici, ed Averroe nel lib. 3. al cap. 40. le strane apparenze, che occorrono ai malinconici, quando l' umor freddo e secco di complessione è in tal predominio sopra gli altri, che dà principio a quella infermità, che dal medesimo umore prendendo il nome da tutti si chiama malinconia. Rendonsi, dice egli, per la malignità di tal' umore gli spiriti animali, ed i ventricoli del cervello, ne' quali risiedono le specie immaginarie, ed i fantasmi, di sostanza assai opaca e tenebrosa, ed in certo modo perdendo la gentilezza e sottigliezza della sua complessione aerea, che per natura è lor dovuta, diventano quasi salvatici. E d' indi nasce, che ancor le specie ed i fantasmi, che in loro rimangono, prendono vizio, e rappresentano gli oggetti, non come sono, ma formidabili ed orribili, e sempre cagionano timori ed orrori. Così per il contrario, se gli spiriti, ed il sangue è chiaro e sottile, ancor le specie ed i fantasmi sono chiari, e rappresentano gli oggetti al naturale, cagionando allegrezza. E quel, che avverrebbe nella pupilla e nell' occhio, se avesse colore, che (come diceva) tutti gli oggetti farebbe apparire dello stesso colore, lo stesso avviene negli spiriti, e ventricoli del cervello, che secondo la lor chiarezza e sottigliezza, e pur secondo le tenebre e grossezza, fanno altresì apparire a' suoi sensi interiori oggetti chiari e allegri, o pure oscuri e da temersi. All' una e all' altra insieme di queste cagioni si possono ridurre l' esperienze di Teofilo Medico, dei frenetici, e matti, dei putti, quando la notte sono desti e temono, di quello, che udiva i concenti, e altri simili. In effetto alla sola turbazione e alterazione de' sensi le riduce S. Agostino de cur. pro mort. al cap. 12. non perchè veramente sì fatte visioni e sensazioni siano corporali, e nell' occhio o nel senso, poichè di fuori non v' è oggetto, che possa muovere l' organo esterno, ma perchè sono immaginarie, o per qualche corporal disposizione, che sia nell' organo dell' immaginazione, viene svegliato più tosto un fantasma, che un' altro; o questo stesso per la medesima disposizione diversamente si altera e rappresenta, non lasciando, che per le altre potenze possa darsi giudizio più verace. A questo medesimo riduce Aristotele nel luogo citato, che come ciascuno è diversamente disposto per le passioni dell' animo, così è esposto ad esser più facilmente ingannato ne' sensi, e burlato, per così dire, dai loro oggetti. In tal modo (dice egli) chi sta in paura ad ogni ombra che vede, vede il nemico, e chi sta in amore, vede l' amato, perchè vien mosso conforme alla disposizione e passione da qualsivoglia benchè debole somiglianza: siccome nelle febbri è mosso l' occhio per disposizione de' vapori, ancor da poche linee che siano nel muro, a veder animali, nè altre potenze correggono l' errore, per essere tutta l' anima assorbita nella veemenza di quell' affetto e passione. Onde non è maraviglia, se ancor in vigilia si presta credenza alla sua immaginazione, come si presta nel sogno. E da questa conchiude S. Agostino nel luogo citato, che nè la prima sorte di visione corporale, nè la seconda d' immaginaria può esser certa e sicura di errore, se quella non vien confermata dal testimonio degli altri sensi, e questa non viene esaminata dall' intelletto. Il che ancora non tacque Aristotele nel capo o libro allegato, quando disse, che la cagione di simili inganni si è, perchè non si giudica per quella potenza, che è Principe, come superiore e verace, ma solamente per quella, nella quale si fanno i fantasmi e le apparenze. A queste cause corporali si debbono ridurre ancora gli umori del nostro corpo, che hanno determinata connessione con certi fantasmi, e le disposizioni materiali degli elementi cagionate dai corpi celesti, che hanno connessione coi nostri umori, come apparisce dai sogni, che buona parte sono cagionati dagli umori, e dal cielo ancora secondo S. Tommaso nella 2. 2. quest. 95. art. 6. E per tanto lecitamente da quelli si possono congbietturare e predire quelli effetti, che dagli umori medesimi, o dalle disposizioni degli elementi possono venire, come sono le malattie, le pioggie, i sereni, e cose simili. Queste stesse mozioni, che i nostri umori, e i corpi celesti in noi cagionano mentre dormiamo, cagionano ancora, secondo Ficino nel lib. 13. della Teol. Plat. al c. 2. §. De Fatidicis & Prophetis, continuamente, o mentre vegliamo; ma noi, per esser distratti in altri affari, non gli avvertiamo. In quella guisa appunto, come non vede e non avverte chi passa, quando uno sta con molta attenzione in qualche pensiero. E non si sentono comunemente le mutazioni, che di continuo si cagionano ne' nostri corpi dai corpi celesti, quanto al mancare o crescere di qualche umore. E non per altro si avvertono più facilmente nel sonno, se non perchè in quel tempo si vaca dall' altre cure. Se bene in molti, che di soverchio sono dati al piacere, o troppo si riempiono di cibo, o con soverchia sollecitudine attendono alla repubblica, o agli studj, o contemplazione, non mancano in quel tempo altri fantasmi, che gl' ingombrano l' anima, e non la lasciano attendere alle mozioni del cielo, per le quali è necessario particolarmente il riposo e la quiete degli altri tumulti. Anzi non solo non possono sentirsi le mozioni del ciela, ma nè anche quelle di Dio, se non sia l' animo [illegible] quieto. Onde le visioni, che da lui hanno i Santi, per lo più o le hanno nell' estasi, o nel sonno, o in altro sì fatto modo di quiete e vacanza da ogni altro operare. E non è dubbio, che da tutto il sopraddetto intorno alle cause delle visioni chiaramente si vede, quanta difficile sia poter discernere e giudicare determinatamente, se sono da Dio, o dal Demonio, o pure da consa materiale e naturale, che sia in noi, o fuor di noi, e insieme quanta si debbano con diligenza esaminare, per non prendere errore in materia sì grave e importante. Sono alcuni per complessione naturalmente a quelle più disposti, che gli altri; come le donne, secondo Alberto Magno sopra il libro di Aristotile de somn. & vig. tract. 2. cap. 6. che per umidità facilmente ricevono ogni impressione; e i malinconici, secondo Marsilio Ficino nel lib. 13. cap. 2. che per la siccità non lasciano scorrere l' anima a molti oggetti, e le mozioni, che ricevono,

no, fortemente ritengono; e tutti quelli, che hanno gli affetti e passioni veementi, secondo Aristotile nel lib. de somn. al cap. 2. E in questi oltre la forza naturale, che ha in tutti l' immaginatrice, di comporre, ed accoppiare insieme fantasmi diversi, e a caso, come ne' sogni, o per leggiera occasione, come in tempo di turbazione e passione, facilmente può aver luogo ancora il Demonio, che ben si serve delle nostre nature contro di noi, o pure ancora l' Angelo buono, così volendolo o permettendolo Dio. E a questo modo S. Agostino nel luogo citato, solo per opera d' Angioli, vuole che occorrano comunemente quelle, nelle quali qualcun de' morti dichiara dove sia il suo corpo, e dove voglia la sepoltura. Indi aggiugne, ciò utilmente alle volte solersi da Dio volere o permettere, cioè, o per qualche consolazione di quei vivi, ai quali appartiene il morto che apparisce, o per mantenere nell' uman genere il pio uffizio di dar sepoltura. E nel luogo citato al cap. 11. a questo proposito racconta, che, stando egli in Milano, ad un Giovane, che per esser erede testamentario di suo padre già morto, era forzato a pagar di nuovo un certo debito che già un' altra volta era stato pagato dal padre, apparve in sogno lo stesso padre, e gl' insegnò le scritture del pagamento. E circa il medesimo tempo in Cartagine ad Eulogio ivi maestro di Rettorica, e già scolare di S. Agostino, apparve detto Santo, come di poi riferì lo stesso Eulogio, e l' informò sopra l' intelligenza di un luogo assai oscuro di Cicerone, sopra il quale Eulogio era molto ansioso. Di più al cap. 12. del luogo mentovato, che in un luogo vicino ad Ippone un certo nomo rusticano per nome Curma, essendo infermo, stette per molti giorni come morto, non avendo se non questo segno di vita, che si sentiva debolmente respirare; se qualcuno gli avesse tenuta per qualche tempo la mano alla bocca; e finalmente, quasi svegliandosi da un profondo e lungo sonno, Vadasi (disse) alla casa di Curma ferraro, e vedasi quel che ivi si faccia, perchè io in suo cambio sono stato condotto ai luoghi de' morti, e era scoperto l' errore, son rimandato, mentre egli è chiamato là. E veramente trovossi, che in quello stesso momento era morto Curma ferraro, quando era tornato in se quell' altro Curma. Aggiunse di aver veduto in que' medesimi luoghi, ch' egli chiamava de' morti, ancor molti altri, che nominava; che da un certo Prete fu ivi avvisato, si battezzasse in Ippone per mano di S. Agostino; e finalmente, che ancora fu introdotto in paradiso, ma che ivi gli fu detto non potersi fermare, perchè non era per anche battezzato. Ma perchè fra queste cose, che quest' uomo narrò d' aver veduto, altre erano vere, ed altre false, assolutamente afferma S. Agostino nel luogo citato al cap. 13. il tutto esser occorso per turbazione di fantasmi o similitudini cagionata dal male, aggiuntavi per Divin volere qualche opera d' Angiolo o buono, o reo per quelle parti di vero, che non potevano per natura indovinarsi. Finalmente in simil modo par che dichiari il medesimo S. Agostino, come un certo Giovanni Monaco al tempo di Teodosia il maggiore ad una Gentildonna, che grandemente desiderava vederlo, mandò a dire, che l' averebbe veduto la notte seguente, ma in sogno. E così veramente fu veduto, e diedele quei ricordi, che conveniva. E se bene ivi non nega S. Agostino, che per Divina virtù realmente in corpo e anima potesse apparire, contuttociò assai accenna, tutta l' apparizione essere stata da fantasmi o similitudini mossa e cagionata nei sensi e nella mente di quella donna per opera d' Angiolo, senza che il Monaco per allora nient' altro sapesse, e solo, per il dono di profezia che aveva, avesse predetto quel, che in effetto doveva accorrere, non con presenza reale o azione sua, ma solo con presenza immaginaria, e opera d' Angiolo.

CAPUT QUINQUAGESIMUMPRIMUM.

De discernendis Visionibus, & Apparitionibus.

1\. DUCIMUS initium a visionibus & apparitionibus, quæ naturales, utpote a caussis naturalibus procedentes, quodammodo dici possunt, uti in superiori capite visum est. Porro ut dignoscatur, an visio & apparitio, de qua quæstio incidit, fuerit naturalis, sedulo examinandum est, an aliqua causa naturalis præcesserit, ex qua visio & apparitio procedere potuerunt: in ægrotis etenim, & phreneticis, in iis qui nigro humore sive melancholico affecti sunt, in iis qui atra bile abundant, in iis qui vehementibus cogitationibus & affectibus agitantur, facile contingere potest, ut putent, se aliqua videre quæ non sunt, & ut eis aliqua apparere videantur quæ non apparent, quæ tamen a se visa & cælitus demonstrata prædicare consueverunt. Bartholomæus Medina *in 3. par. D. Thomæ qu. 25. ar. 3.* regulam prædictam affert his verbis: *Æstimanda est quoque corporis temperatura, sanitas, studium; cum & ægroti multi, & ipsi phrenetici, ob intentionem animi nimiam exorbitantes vidisse quandoque se putent & audivisse, quæ nunquam aut oculis aut auribus perceperunt. Igitur, & quo animi ejus feratur impetus, & ardenti ne vel amore vel odio incitatus fuerit, percontandum est &c. Inspiciendum est diligenter, an qui patitur visiones, sit nigro humori affectus, id est melancholico, vel nimia macie confectus. Nam qui cholera nigra laborant, & qui senio, aut nimia macie sunt confecti, sæpenumero decipiuntur. Et hinc est, quod senes ad extremam decrepitam delirant.* Bene Philamarinus *de Divinis revelationibus tr. 1. cap. 2. n. 4. pag. 147. Et non solum ex perturbatione mentis, sed etiam ex corporis indispositione tales effectus haberi possunt. Nam si atra bilis multum excedat, si inedia vel vigilia multum corpus extenuavit, si cerebrum sit læsum, vel phantasiæ organum turbatum, potest accidere, quod isti etiam vigilantes dicant se videre, audire, gustare &c. quod vere nec videnr, nec audiunt, nec gustant.* Adhæret Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 20. n. 3. Considerandà corporis constitutio, ex qua plerumque animi mores pendent. Etenim facile decipi possunt, qui parum firma valetudine utuntur, qui turbidæ ac vehementis imaginationis sunt, qui atra bile abundant, quæ depravare phantasiam solet, variasque imagines turbatis sensibus imprimere, adeo ut vigilantes sibi somnia fingant, atque ea se videre & audire existiment, quæ non visu nec auditu percipiunt. Ex longa item inedia, crebrisque jejuniis, ac immoderatis vigiliis, exsiccato cerebro, dissipatisque spiritibus, inania phantasmata repræsentantur, quibus illusa mens tamquam Divinis revelationibus pertinaciter adhæret.* Addit idem Auctor, rationem habendam esse ætatis; cum senes, exhaustis viribus, sæpe delirent; & pueri, qui cerebro humidiori sunt, facile commoveantur, & falsa pro veris apprehendant. Sexus præterea videtur habenda ratio; cum feminæ naturæ sint humidioris, & ex vehementia cogitationum & affectuum putent se videre quod cupiunt; & quod ab animi perturbationibus nascitur, quæ in ipsis vehementissimæ sunt, a veritate credant oriri; uti notant Valgonera *in Theologia mystica q. 3. disp. 5. ar. 6. a. 3.* Medina *in 3. part. D. Thomæ qu. 25. art. 3. §. Decima regula*, Cardinalis Bona *cit. cap. 20. n. 4.* Martinus del Rio *disquisit. magic. lib. 4. cap. 2. qu. 3. sect. 3. pag. mihi 125.* Arauxo *decis. moral. tr. 3. qu. 23. §. 2. n. 30. & 31.* & late omnia prædicta complectendo, prosequitur P. Antonius ab Annuntiatione *in disceptat. mystica de oratione & contemplatione tr. 4. qu. 2. ar. 5.* Quæ tamen a Nobis dicta censeri debent, non quod putemus, visiones omnes & apparitiones, quas feminæ referunt sibi contigisse, inter naturales recenseri (scimus enim, plures, easque supra naturam contigisse Sanctis Birgittæ, Catharinæ Senensi, Teresiæ, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Rosæ Peruvianæ, Catharinæ de Riccis, & Beatæ Angelæ de Fulginio: quocirca Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tit. 9. cap. 3. ar. 2. §. 2. n. 32.* recte ait: *Non sunt apparitiones & visiones improbandæ, ex quo mulieribus accidunt.* Cui accedit Tanner *in examine prudentiæ P. Ludovici de Ponte in examinandis revelationibus Marinæ de Escobar tr. 1. cap. 7. a n. 3. usque ad finem*) sed ut accuratior promoveatur indago ob rationes supra indicatas, cum res est de visionibus & apparitionibus, quæ feminis obtigerunt. Celebre est exemplum S. Monicæ. Piissima hæc mulier optabat e libidinis cœno Augustinum filium educere, & de futuro ejus matrimonio cogitans desiderabat aliquid sibi per visum ostendi. De ea vero S. Augustinus *lib. 6. Confess. cap. 13. col. 130. tom. 1.* ita scribit: *Et videbat quædam vana & phantastica, quo cogebat impetus de hac re satagentis humani spiritus, & narrabat mihi*: & quamvis subjiciat, *non cum fiducia, qua solebat, cum tu* (loquitur de Deo) *demonstrares ei, sed contemnens ea*; id tamen factum est, quia Gratia discretionis prædita erat,

& sciebat, quid interesset inter Deum revelantem, & animum somniantem, quod omnibus utique datum non est.

2. Antequam a visionibus & apparitionibus, quæ a caussis naturalibus manant, recedamus, libet certum sit, a Deo aliquando somnia immitti (Deus enim per somnium Abimelech Regem Geraræ admonuit, ne tangeret uxorem Abrahæ, Jacob in somnis mysticam scalam vidit, & Angelos per eam ascendentes & descendentes; Deus in somnis apparuit Laban præcipiens illi, ne quidquam aspere contra Jacob loqueretur, uti habetur *in lib. Geneseos*; cum aliis ex veteri & novo Testamento desumptis & relatis a Duranto *in tract. de visionibus cap. 9.*) multa tamen sunt somnia, quæ a Deo esse videntur, sed re vera a caussis naturalibus procedunt; uti explicat Vallesius *de sacra Philosophia cap. 30. pag. 249. Admonemur sæpe per insomnia, quid simus facturi. Nam sæpe de rebus agendis capta interdiu cogitatio per somnum continuatur, inveniunturque tunc temporis accommodatissima ad finem media, quæ cum expergefactis placent, opere exequimur, putantes, nos a Deo admonitos, quid facto opus sit: caussa vero talis eventus est naturalis. Nam utrumque dictorum, consultatio scilicet, & sensus minutularum passionum melius multo accidit dormientibus, quam vigilantibus, si modo somnus placidus sit, neque multis crassisque vaporibus conturbetur.* Juxta D. Thomam 2. 2. *quæst. 95. art. 6.* duplex est somniorum caussa, interna, & externa. Interna rursus duplex est; una animalis, cum hominis phantasiæ ea in somnis occurrunt, circa quæ vigilantis cogitatio & affectio versari consueverunt; altera corporalis, cum ex interna corporis dispositione aliquis motus ipsi conveniens in phantasia efficitur: externa quoque duplex est, corporalis videlicet, & spiritalis, corporalis ex aere continente, vel impressione cælestis corporis; & spiritalis a Deo, vel a Dæmone procedere possunt, a quibus dormientis phantasiam immutari posse, nemini dubium est; quemadmodum late explicat Gravina *in lapide Lydio, lib. 2. de visione imaginaria cap. 6. difficult. 2.* & fuse prosequitur Philalethinus [illegible] *in tract. 1. de Divinis revelationibus cap. 1.* quibus adhæret Hurtado *tom. 1. tractat. varior. tr. 5. cap. 6. resolut. 56. num. 1155. & seqq.* ubi testatur, doctrinam D. Thomæ desumptam fuisse ex operibus SS. Gregorii, Isidori, & Nysseni. Hinc autem est, quod si quæstio instituatur de visione & apparitione, seu revelatione, quæ contigisse dicatur in somno, sedulum non sit omittendum examen caussarum naturalium, a quibus somnia procedere potuerunt, præter cetera quæ infra indicabuntur, cum de somniis Divinis, & diabolicis tractabitur. Magna cum cautela quoque in hac materia somniorum procedendum, juxta Scholiastem Climaci *ad grad. 15. num. 39.* ubi ait: *Magna prudentia adhibenda est in iis, quæ in somno usuvenimus: quin potius, quia inconstans est eorum ratio, omnino negligenda est; paucorum enim eorum dijudicatio.* Et, cum maxima illorum pars temere & fortuito fiat ex varia & incomposita spirituum animalium, & specierum sensibilium per cerebri anfractus vagantium agitatione, merito sacræ Litteræ præcipiunt, nullam eorum habendam esse rationem, juxta illud *Levit. 19. v. 26. Non augurabimini, nec observabitis somnia*; juxta aliud Jeremiæ *cap. 29. v. 8. Ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis*; & juxta illud *Eccles. 5. v. 6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates.* Rarissima denique sunt somnia Divina, quæ futura portendant, cum non nisi ob aliquam insignem caussam, quæ ad publicam spectet utilitatem, immitti soleant, veluti observat Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 18. num. 4.* Materiam hanc insomniorum latissime pertractat Gaspar a Rejes *in jucundar. quæst. Elysio campo quæst. 37.* ubi explicat qualitatem somniorum naturalium, quæ a caussa externa procedunt: ait enim, aerem ambientem per se nullo modo species subministrare aut movere posse, ut ob ipsas phantasia excitetur ad aliquid percipiendum, sed solum disponendo, quatenus vel poros obstruit, vel humores attenuat, ut in caput ferantur: Et quod attinet ad influxum corporum cælestium, non admittit, eum ad somnia concurrere posse, nisi humores mutando & disponendo; impossibile quippe autumat, ut novæ specierum formæ in phantasia virtute influxus cælestis imprimantur, si exteriores sensus prius illas non perceperint. Apud Alexandrum ab Alexandro *dier. genial. cap. 11. & lib. 3. cap. 26.* multorum somniorum, quæ vera observata sunt, exempla leguntur, & apud Cardanum *lib. 4. de insomniis*, & apud Quercetanum *in diætet. cap. 20.* ex insomniis humores & morbos cognosci posse, admittunt Hippocrates *1. epid. com. 3. text. 1. tom. 2. de humoribus*, & Galenus *in libello de præsagio ex insomniis.* Sed, quod attinet ad somnia, quæ aliquid verum, quod subinde accidit, respondit, ea ad casum ut plurimum referenda sunt, quemadmodum notat Fracastorius *lib. 1. de intellect. Quis est enim* (inquit Cicero *lib. 2. de divinat. cap. 59.*) *qui totum diem jaculans non aliquando collineet?* Et cetera somnia, quæ Medici observant, solas corporis dispositiones indicare possunt, uti late prosequitur Gaspar a Rejes *loc. cit.* & bene adnotavit Zacchias *quæst. Medico-legal. lib. 4. tit. 1. num. 34.*

3. Succedunt visiones & apparitiones præternaturales, quarum nonnullæ a Deo, nonnullæ a Dæmone causantur, nonnullæ in somnis, nonnullæ in vigilia contingunt. Terribilis porro diabolicæ visionis casus narratur a S. Antiocho *homil. 84. tom. 12. Biblioth. Patrum pag. 265. Fuit in Monte Sina Monachus quidam, qui celebre adeo ediderat suæ continentiæ specimen, ut in cellula multos vixerit annos inclusus. Postremo multivariis revelationibus Diaboli & insomniis illusus, ad Judaismum delapsus est & carnis circumcisionem. Cum igitur Diabolus huic identidem vera quædam insomnia demonstrasset, & veluti objectu illecebra inescasset illius obscuratam mentem, novissime oculis istius objicit copiosam turbam Apostolorum, Martyrum, aliorumque omnis generis Christianorum densissimis tenebris & omni dedecore oppletam. Porro opposita Moysen, Prophetas, populum quoque Judæorum (Deo aliquoi invisum) offert splendida admodum luce conspicuos, inque gaudio & hilaritate vitam traducentes. Hæc cum spectasset miser, in vestigio surrexit, derelictoque sancto illo Monte, in Palæstinam usque pervenit. Recta contendit in Noeram, & Lybiadem asyla Judæorum. Cum istis denarrasset, quæ sibi visa fuissent, Diabolicas apparitiones, circumcisus est, ac professus Judaismum accepit uxorem, inque omnium prospectu adversus Christianos edidit dogmata propugnator factus Judaicæ superstitionis. Hunc ego vidi, ac plerique Monachorum; neque enim quatuor anni sunt a morte illius, qua misere perruptus est.* Multa a Doctoribus indicantur de signis, quibus Divinæ visiones a dæmoniacis secernuntur. Aurea est doctrina Gersonis *in tract. de distinct. ver. vision. a falsis (sign. 4. col. 53. tom. 1.) Hoc est primum & præcipuum signum inter signa nostræ monetæ spiritualis discretivum. Motiones omnes itaque intrinsecæ, omnes instinctus vehementes, omnis revelatio, omne miraculum, omnis amor extaticus, omnis contemplatio, omnis Raptus, omnis denique nostra interior, exteriorve operatio, si humilitas præcedat, & comitetur, & sequatur, & nihil eam perimens misceatur, (crede mihi) signum habent, quod a Deo sunt, aut bono ejus Angelo, nec falleris.* Adhæret Tanner *cit. tract. cap. 7. num. 4.* ubi, loquendo de visionibus feminarum, hæc habet: *Dui latere filio etiam feminea non potest; siquidem ubicumque profundissimæ humilitatis non fuerit fundamentum, cito quidquid super illum fuerit ædificatum, non absque ignominia ruit: at, ubi sincera emicuerit humilitas maxime in omnibus necessaria, qui Deo soli, puro, nudo, castissimoque (ut ita dicam) affectu inhæreas, in quocumque sexu etiam inveniatur, neque decipiatur, neque decipere valent.* In dialogis S. Catharinæ Senensis *cap. 70.* ita legitur: *Egli è necessario, che nelle mie visioni l'anima si faccia sempre più umile.* Et infra: *La verità fa sempre l'anima umile, la bugia superba.* Et apud Cardinalem Bonam *de discret. spirit. cap. 18. §. 5. Nullum certius judicium veræ visionis, quam humilitas.* Veritati insignum est monitum Domini Alphonsi Episcopi Giennensis, qui in epistola Soliloqui ad Reges *cap. 6. pag. 272. tom. 2. revelat. S. Birgittæ* ait: *Signum, in quo discernuntur visiones ministratæ a bono spiritu, vel a malo; est fructus ille, & opera quæ procedunt ab illis visionibus seu revelationibus, quia secundum Evangelium non potest arbor mala fructus bonos facere &c. A fructibus enim eorum cognoscetis eos &c. Ideo quando videmus, quod ex talibus visionibus, seu verbis revelationis illuminantur &c. convertuntur homines vitiosi ad virtuosam & religiosam vitam &c. de malo ad bonum, & hoc in multis personis; & diu perseverat, tunc certissimum signum est, quod tales visiones & revelationes, quæ talem fructum germinaverunt & produxerunt, non a Diabolo, sed a Spiritu Sancto potius processere, quia istum Diabolo impossibile est, immo totum contrarium procedit a visionibus seu potius illusionibus suis. Consueverunt enim avertere hominem a Fide Catholica, a bonis moribus &c.* Prædictis ceteri inhærent, propterea que docent, Divinas visiones & apparitiones esse dignoscendas a persona cui contingunt, a modo quo contingunt, & ab effectibus qui ex eis sequuntur. Si enim persona, cui contigerunt, virtutibus prædita sit, si nihil in visione aut appa-

apparitione fit, quod a Deo avertat, quinimmo si omnia ad Dei cultum relata sint, si post visiones & apparitiones humilitas, obedientia, ceteræque Christianæ virtutes non modo perseveraverint, sed ad sublimiorem gradum ascenderint in ea persona, cui contigerunt visiones & apparitiones, de earum qualitate supernaturali & divina non erit ullo modo dubitandum. Quocirca S. Gregorius *lib. 1. dialog. cap. 1. col. 156. tom. 2.* ita scribit: *Mens autem, quæ Divino Spiritu impletur, habet evidentissime signa sua, virtutes scilicet & humilitatem, quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet, quod de præsentia Sancti Spiritus testimonium ferunt.* Additque S. Macarius Ægyptius *homil.* 10. (*Biblioth. Patrum tom. 4. pag. 115.*): *Anima, quæ vere Deum ac Christum colit; etiamsi infinita justitiæ opera ediderit &c. & si varia Spiritus charismata, aut revelationes ac mysteria cælestia consequi meruerit; propter immensam & insatiabilem erga Dominum dilectionem ita se gerit apud se, ac nihil adhuc obtineret.* Præterea, formis discrepare Angelorum & Dæmonum apparitiones, volunt; Angelis enim solet unica esse, nempe humana; Dæmonibus multiplex, vel hominis, vel bestiarum: a columbæ tamen, vel agni specie abstinent, tum quia mystice Spiritum Sanctum, & Christum designant; tum quia hæc animalia felle carentia, truculentis Satanæ moribus non conveniunt: & ad formam humanam quod attinet, si eam Dæmones assumunt, atra ut plurimum est, deformis, mutila, inusitata, & quæ malum sub ea Spiritum latere demonstrat. Forma bruti vel monstri non nisi Diabolo convenit, cum animæ separatæ, etiamsi damnatorum sint, quando, Deo permittente, viventibus apparent, eam formam assumant, ex qua cognosci possunt. De Dæmonibus Lactantius *lib. 2. cap. 15.* ita scribit: *Hi, ut dico, Spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent;* ita ut, permittente Deo, aliquando se transfigurent in Angelos lucis, & Christi Domini, Beatissimæque Virginis, & Sanctorum personam sæpius assumere ausi sint, uti late ostendunt Villalpand. *in jure spirituali practico lib. 1, cap. 2. num. 34.* Raynaud. *de appars. in Eucharist. Sacram. quæstiunc. 9. §. Ad primum quæsitum*, Scot. *in Physica curiosa lib. 2. cap. 34. §. 1. vers. Nec humanam tantum formam*, Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap. 19. num. 7.* Idque tanta calliditate & versutia facere, ut viros etiam probatæ virtutis non semel in errorem induxerint: quodque notatu dignum est, aliquando in suis visionibus & apparitionibus bonum persuaserunt, ut majus bonum impedirent, & ad aliquem actum virtutis hortati sunt, ut facilius incautos deciperent, & successu temporis ad horribiles lapsus sensim inducerent; a quibus ut caveatur, tum orationis præsidium, tum virorum prudentum, & in discretione spirituum versatorum consilium est necessarium, ut infra exponetur. Thyræus *in tract. de Christi apparit. Sacramentali cap.* 22. sermonem habens de apparitione Christi Sacramentali sub peregrinis speciebus, *num.* 10. ita scribit: *Clarum est, apparitionum harum Dæmones Auctores esse posse ... Certe Alexander Alensis, & Gabriel Biel illas opera Dæmonis credunt perfectas, in quibus visa caro, aut sanguis temporis diuturnitate corrupta fuerunt.* Et num. 11. *Nos profecto factas aliquando non facile negaverimus: si enim Dæmones, Christi speciem atque imaginem, absente Sacramento, aliquando exhibuerunt, quid prohibet, exhibeant, præsente?* Apud Bollandianos *ad diem 23. Junii lib. 1, cap. 3, num. 30. vitæ S. Mariæ Oigniacensis* scriptæ a Jacobo de Vitriaco narratur, Dæmonem in Angelum lucis se transformasse, & sub specie pietatis in suis apparitionibus homini cuidam suasisse, ut a quibusdam vitiis abstineret, & quædam bona faceret, ea spe ut eum deinde duceret ad alia mala, quæ machinabatur. Maria dixit, apparitiones illas esse Dæmonis illusiones; &, homine respondente, id esse non posse, cum apparens sibi bona plurima facienda suasisset, Maria ad solita orationis arma confugiens, pedes Domini rigat lacrymis, cælum precibus instanter pulsat, nec facit finem, donec ille impostor cum multo gemitu & pudore ipsi nocte in cellula sua oranti astaret; quem illa commentitio præditum splendore intuens (*pag. 644.*) *Tu quis es? inquit, ac quod est nomen tuum? Ille vero, elato ut erat vultu, eam torvis oculis inspiciens, Ego sum, inquit, quem tu, maledicta, precibus tuis compulisti venire ad te, meum enim amicum per violentiam aufers.* S. Bonaventura *de Prof. Relig. lib. 2. cap. 75. pag. 648. tom. 7.* ait: *Non videtur autem prætereundum, quia quidam decepti a seductoriis Spiritibus, vel propriis falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vel ipsum Christum, vel ejus gloriosissimam Genitricem.* Scribit S. Jacobus Apostolus *in epistola c. 3. v. 17.* de Divina sapientia: *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis:* & Doctores materiam explicantes ajunt, licet interdum Divinæ visiones & apparitiones afferant in principio timorem aliquem vel perturbationem, in progressu tamen jucundas esse, sapidas, delectabiles, & tranquillitatem in animam inducere: contra Dæmoniacæ, si a principio turbant, eodem modo prosequuntur; vel si ab initio alliciunt, & suaves apparent, in progressu tamen semper turbant, & videntem perturbatum relinquunt. Hinc *Genes. 15. vers.* 12. de Abraham legitur: *Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus invasit eum;* sed cum Deus statim ei fausta prædixisset, in tranquillitatem adductus est. Item *Genes.* 28. cum Jacob in somno vidisset scalam e terra ad cælum innixam, & Angelos ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, timuit & exclamans dixit (v. 17.): *Quam terribilis est locus iste!* sed, auditis consolationis Divinæ verbis, erexit lapidem in titulum, & votum Domino vovit. Zacharias Sacerdos, ut *Lucæ cap. 1. v. 12.* legitur, cum vidisset juxta aram Templi Angelum, *turbatus est videns, & timor irruit super eum:* Beata Virgo Maria, cum salutaretur ab Angelo (v. 29.) *turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio:* & de pastoribus gregis habetur Angelum Domini stetisse supra illos, & claritate Dei circumfulsisse illos (*c. 2. v. 9.*) *& timuerunt timore magno.* At hi timores statim cessarunt, cum Angelus dixit Zachariæ (*c. 1. v. 13.*) *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium;* & Gabriel Mariæ (*cap. 1. vers. 30.*): *Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum;* & Angelus pastoribus (*cap. 2. vers. 10.*): *Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum;* & vers. 13. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium; Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax.*

4. Hæc confirmantur ex his, quæ leguntur *in vita S. Antonii Abbatis* scripta a S. Athanasio, ubi de apparitione Angelorum hæc habet (*num. 35. pag. 823. tom. 1.*): *Horum tanta benignitas est, ut si quis pro conditione fragilitatis humanæ miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuo ex corde auferant metum. Ita Gabriel cum Zachariæ loqueretur in Templo, & Angeli, cum Divinum Virginis partum pastoribus nunciarent, & qui Dominici corporis agebant excubias, securis videntium se mentibus ostendentes, ne metuerent, imperabant; metus enim non tantum ex pavore animi, quantum ex magnarum sæpe incutitur aspectu.* Et num. 36. *Si igitur post timorem horrori concepto successerit gaudium, & ad Deum fiducia atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium; quia securitas animæ, præsentis majestatis indicium est.* Sequitur D. Thomas *3. part. quæst. 30. art. 3. ad tertium*, ubi docet, perturbationem accidere non solum in visione corporali, sed etiam in visione imaginaria; cum enim supra se ipsum elevatur, pars ejus inferior debilitatur: & quod attinet ad timorem Beatissimæ Virginis, & subsecutam consolationem ipsi ab Angelo annuntiatam perpenso exemplo modo relato S. Antonii, subjicit: *Et propter hoc, ut legitur in vita Antonii, non difficilis est beatorum Spirituum, malorumque discretio. Si enim post timorem successerit gaudium, a Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ, præsentis majestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur:* quod ipsum fuse admonuit *in epist. 2. ad Corinth. cap. 11. & in cap. 4. Job lect. 3.* Sequitur Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib. 1. quæst. 26. sect. 3. pag. 234.* & consonant Villalpend. *in jure spirituali practico lib. 5. cap. 4. num. 74. & seqq.* ubi sic loquitur: *Ideo Divinæ apparitiones & revelationes, licet principio timorem incutiant, postea suavitate leniuntur; quo vel solo Divinam fuisse revelationem posset credi; nam, cum consolatio ad animæ interiora fiat, a Dæmone non potest præstari. Ideo post ejus apparitionem, quantumvis in speciosa forma videatur, non consolatio, sed horror solet remanere.* In dialogis S. Catharinæ Senensis *cap. 71.* ita legitur: *Se tu mi domandassi, a che si può conoscere, che sia più dal Demonio, che da me? Io ti rispondo, che questo è il segno: che se ella è dal Demonio, che egli sia venuto nella mente a visitare in forma di luce, come detto è, l'anima riceve subito nel suo venire allegrezza, e quanto più sta, più perde l'alle-*

grezza, e rimane tedia e tenebre, o stimolo nella mente, affuscandovisi dentro. Ma so in verità è visitata da me Verità eterna, l'anima riceve timore santo nel primo aspetto, e con essa timore riceve allegrezza a securità con una dolce prudenza, che non dubitando non dubita ec. Ed allora esce dal cammino dell'orazione o visitazione mia con allegrezza o gaudio di mente ec. Or questo è il segno, che l'anima è visitata da me, o dal Demonio, trovando quando è da me, nel primo aspetto il timore, & al mezza, & al fine l'allegrezza a la fame delle virtù; e quando è dal Demonio, al prima aspetto è l'allegrezza, e poi rimane in confusione e in tenebre di mente. Optime Gravina *in lapide Lydio lib. 3. cap. 7.* ubi animadvertit, tristitiam etiam aliquando permanere posse in apparitionibus Divinis, si sermo sit de tristitia, quæ ad pœnitentiam inducit, spiritumque efficit contribulatum, sed Deo placentem; & lætitiam quamdam permanere posse etiam in visionibus diabolicis, sed sejunctam ab ardenti desiderio virtutum, & præsertim humilitatis. Cetera, quæ in superioribus dicta sunt de considerandis persona, modo, & effectibus, ut dignoscatur, num visio & apparitio sint a Deo, an a Dæmone, traduntur communiter a Doctoribus, Duranto *in tract. de visionibus cap. 11.* Medina *in 3. par. D. Thomæ qu. 25. ar. 3.* Rosignolio *de discipl. Christianæ perfect. lib. 3. cap. 20.* Cardinali Bona *de discret. spirit. cap. 19. n. 7. n. 9. & 10. & cap. 20. num. 1. & seqq.* Cardinali de Lauræa *opusc. 5. de oratione cap. 7. §. Dico tertio, & seqq. & cap. 8. §. Dico tandem,* Patre Antonio ab Annuntiatione *in disceptat. mystic. de oratione & contemplatione tr. 3. qu. 2. ar. 5. n. 30. & seqq.* fuse & optime Tanner *in tract. de prudentia P. Ludovici de Ponte in examinandis & approbandis revelationibus Marinæ de Escobar cap. 3. tract. 1.* Philamatino *in tract. primo de Divin. revelat. cap. 2. & 3.* Matthæuccio *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tit. 3. cap. 3. ar. 2. §. 2. n. 23. & plurib. seqq.* Patre Passerino *in 3. par. D. Thomæ qu. 76. ar. 8. cap. unic. n. 5.* ubi paucis verbis subjicit: *Ad videndum, an sint a Deo, considerandæ sunt persona videns, modus apparitionis, fructus illius, & hujusmodi aliæ circumstantiæ;* Auditoribus Rotæ *in relatione causæ S. Franciscæ Romanæ par. 2. art. 21.*

5. De aliis ad rem, de qua nunc agitur, facientibus intra habebitur sermo, cum de visionibus & apparitionibus quoad causas Beatificationis & Canonizationis tractabitur, necnon cum de revelationibus agetur. Interim vero satis erit nonnulla in transitu subjicere de visionibus & apparitionibus, quæ contingunt in somnio, quæ somnia a Deo, vel a Dæmone causam habere possunt; de modo dignoscendi in visione, & apparitione, quæ fit supra naturam, quænam sit Divina, & quænam sit pure Angelica; & deinde, an quoties Spiritus aliquis apparet, Christum, vel Beatam Virginem, aut aliquem Sanctorum repræsentans, ipsi liceat adorationis, aut venerationis signa adhibere.

6. In superioribus nonnulla allata sunt axempla Divinorum somniorum. Alia facile addi possunt, cum *Geneseos 37.* Joseph filius Jacob in somno duas illas habuerit visiones, quæ fratribus narratæ, fuerunt causæ suæ persecutionis, & venditionis; vidit enim se cum fratribus in campo ligare manipulos, & manipulum suum stare, & a manipulis fratrum adorari; & alia vice vidit, solem, lunam, & stellas undecim adorare se: & Joseph Mariæ Sponsus, ut legitur *in Evangelio Matthæi cap. 2. v. 13.* in somnio exiens e Jerusalem revelationem habuit; *Accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum . . . Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum;* & alia vice, dum esset in Ægypto, defuncto Herode, item apparuit ei Angelus in somnis, & dixit *v. 20. Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israel; defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Habet quoque Diabolus (uti diximus) Prophetas suos & somniatores, quorum ipse phantasiam commovet, & multa in ea repræsentat & suggerit; atque occulta quoque eo modo, quo potest, quandoque detegit, implens animum noxia superstitione & perniciosis illusionibus decipiens. Thyræus *in lib. 3. de apparitione imaginaria,* septem notas exponit somniorum, quæ Divina dici non possunt: primam rerum, quæ somniantibus occurrunt, perturbationem; secundam earum falsitatem; tertiam earum levitatem; quartam ipsarum malitiam; quintam rerum prædictarum inutilitatem; sextam rerum superfluitatem; septimam somniantium impietatem, uti videri potest *cap. 13.* & post hæc *in seq. cap. 14.* docet necesse, ut contraria illorum, quæ modo dicta sunt, insint in iis quæ Divina dici debent; neque tamen id sufficere, ut pro Divinis habeantur, sed necesse esse pro re de qua nunc agitur, ut res, quæ in somno revelantur, tales sint, quarum certa cognitio solius Dei munere hominibus contingat, & talis sit mentis humanæ motio, qualem solus Deus efficere possit. Sequitur fusissime *in tract. de visionibus cap. 9.* & hanc esse Theologorum sententiam testatur Gaspar a Rejes *cit. cap. 37. num. 42.* sed clarius Cardinalis Bona *in tract. de discret. spirit. cap. 16.* docet a Dæmone somnia esse, quæ inutilia, superstitiosa, & vana suggerunt, quæ ad malum quovis modo provocant, quæ occulta manifestant ad solam curiositatem, vel ad inanem scientiæ ostentationem spectantia, quæ futura prædicunt, quæ postea ex eventu falsa dignoscuntur, quæ incomposita & turbulenta sunt, quæ statim evanescunt ac dissipantur; & contra Divinorum somniorum indicia esse res ipsas, quæ per somnium innotescunt, si ejus generis sint, ut nonnisi a Deo possint revelari, qualia sunt arcana cordium, abdita Fidei mysteria, futura contingentia, quæ pendent a libero arbitrio. Addit, Deum, cum somnia immittit, mentem illustrare, & voluntatem sic afficere, ut illis firmiter hæreat, & certo sciat, a Deo esse, nec ullo unquam tempore eorum obliviscatur: concluditque, tutius indicium ax rebus in somnio ostensis desumi, quam ex modo quo somnia contingunt, cum Deus aliquando ea placidissime, aliquando cum corporis commotione efficiat, aliquando det somnium, & non ejus intelligentiam, aliquando intelligentiam, aliquando clare & aperte res in somnio manifestet, aliquando obscure & per ænigmata. Sequitur Torre *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 95. art. 6. disp. 6.*

7. Jam vero, quod examinandum restat, quomodo Divina apparitio ab Angelica secernatur; hoc est quibus signis palam fieri possit, per Angeli apparitionem Deum repræsentari, vel Angelum ipsum apparere absque Dei repræsentatione, Theologi nonnullas suppeditant regulas. Prima desumitur ex re, quæ in visione & apparitione geritur: si enim ea proprie Deo competit, judicandum est, Angelum sub persona Dei apparuisse; si autem proprie competat Angelo, tunc Angelum ipsum apparuisse dicendum est, & eam apparitionem esse pure Angelicam. Exemplum Divinæ apparitionis est in apparitione facta Adamo, cum Deus eum interrogavit, ubi esset, Serpenti maledixit, & Hevæ pœnam inflixit ob Divini præcepti transgressionem: hæc siquidem apparitio, licet facta ministerio Angelorum, apparitio ipsius dicenda est, cum id dignoscatur ex suprema Judicis auctoritate & potestate eo actu exhibita. Exemplum apparitionis pure Angelicæ est in Angeli apparitione, cum se socium Tobiæ exhibuit; & in apparitione Gabrielis Archangeli, cum Beatæ Mariæ Virgini futuram Divini Verbi Incarnationem prædixit: hæc siquidem Angelis competebat. Secunda regula desumitur ex modo & auctoritate verborum. Exemplum desumitur *ex lib. Geneseos cap. 16. v. 20.* ubi, cum Angelus Domini apparuisset Agar, sic ei locutus est: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur, præ multitudine.* Cum enim Deus solus hoc polliceri posset, ille profecto erat, qui promittendo apparuit, & per Angelum locutus est; quare Agar dixit: *Tu Deus vidisti me.* Divinam, & non pure Angelicam fuisse apparitionem Abrahamo factam, quando ei imperavit, ut filium immolaret, deducunt Theologi ax modo & auctoritate verborum. Legi possunt Valentia *in comment. ad 1. par. S. Thomæ disp. 4. quæst. 2. punct. 2.* Stephanus Bubalus *in comment. Angelic. ad quæst. 51. 1. par. S. Thomæ quæsit. 1. difficult. 2. §. 8.* Durantus *in tract. de visionibus cap. 4. §. Pergimus nunc, & seq.* Christo Domino duplici ratione convenire, atque deberi potestatem judiciariam, quarum altera ex hypostasi Divina, altera ex ipsius meritis petitur, certum est. Potestas hæc autem judicandi non modo in universali judicio exercenda ast, sed etiam exercetur in judicio particulari, cum unusquisque ex hac vita decedit. De Christo Domino quæritur, quomodo judicium particulare exerceat, an per se ipsum, ita ut ipse sententiam pronuntiet, & hos ad supplicia damnet, illos vocet ad præmium; an Angelus ejus nomine hæc exequatur, ita ut judicandi non proxime a Christo, sed ab Angelo Christi Vicario & Legato sententiam accipiant. Autumant nonnulli, id Christum exequi per Angelos, qui sunt Spiritus administratorii; in quo rerum themate apparitiones illæ Angelorum non pure Angelicæ, sed Divinæ essent dicendæ. Alii vero animadvertentes necesse non essa, ut præsens sit Judex ad sententiam ferendam, item necesse non esse, ut sententia feratur per sensibilem vocem (quandoquidem locutio & auditio spiritalis

loci

loci distantia non impediuntur) volunt una cum Abulensi *quæst.* 23. *in cap.* 24. *Matthæi*, Christum venire in morte uniuscujusque, non secundum præsentiam vocalem, sed secundum efficaciam, per quam fit, ut unusquisque suum statum agnoscat, & imperium & sententiam Judicis audiat, & ex vi illius statim tendat in locum suis meritis debitum. Quod late prosequitur Thyræus *in tract. de apparitione Christi in judicio particulari cap.* 26.

8. At, utcunque sit de hac postrema controversia respiciente Christi apparitionem in judicio particulari, pro capitis complemento nihil aliud superest, quam ut aliquid indicemus de ultima proposita controversia, an liceat Spiritum adorare, aut venerari, qui Christum, vel Beatam Virginem, aut aliquem Sanctorum repræsentat. De hac quæstione agit Gravina *in lapide Lydio lib.* 2. *cap.* 3. *difficult.* 3. At non deserenda videtur clara S. Thomæ doctrina *in* 3. *sent. dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 6. *ad tertium*, ubi ita loquitur: *Dicendum, quod non potest Diabolus in specie Christi apparens sine peccato adorari, nisi sit conditio actu explicita; non enim sufficit solo habitu, quia ipsa novitas rei insolitæ considerationem & attentionem requirit, sicut dicitur de Beata Virgine, quod cogitabat.* Sequitur S. Bonaventura in 3. *sent. dist.* 9. *art.* 1. *quæst.* 6. ubi proposita quæstione, *An cultus latriæ possit exhiberi adversario Christi*, sic respondet: *Dicendum, quod honor latriæ potest exhiberi adversario Christi dupliciter; aut simpliciter, aut sub conditione. Si simpliciter, dico, quod non potest esse sine peccato ...... nec excusatur ratione ignorantiæ, habet enim triplex adjutorium, per quod potest errorem evitare. Primum est remedium præmonitionis sacræ Scripturæ, quæ multoties dicit, quod multi in nomine Christi venturi sunt mendaciter. Secundum est remedium orationis internæ, qua ad Deum debet homo recurrere, ut cor ejus illuminetur. Tertium est suspensio credulitatis suæ; non enim debet homo omni spiritui credere, sed probare, qui ex Deo sunt. Qui enim cito credit in talibus, levis est corde; & fortassis etiam inflatus corde, dum ad tales visiones & revelationes idoneum se esse existimat &c. Si autem adoret sub conditione, hoc potest esse dupliciter; aut quia est illa conditio habitudinaliter, aut actualiter considerata, sive apposita. Si actualiter, sic non adorant ipsum Luciferum, sed magis Christum; quia non stat adoratio, nisi stante conditione, & ad eum refertur adoratio, ad quem refertur adorationis implicatio. Si autem illa consideratio sit sub consideratione habitudinali, hoc modo non sufficit ad vitandum peccatum idololatriæ.*

CAPUT QUINQUAGESIMUMSECUNDUM.

De Visionibus, & Apparitionibus quoad causas Batificationis & Canonizationis.

1. POSTQUAM de visionibus & apparitionibus diximus, aperientes, quomodo naturales a præternaturalibus secernantur, & quomodo Divinæ a dæmoniacis differant, rectus ordo exposcere videtur, ut de iisdem visionibus & apparitionibus, quod attinet ad causas Beatificationis & Canonizationis, agamus.

2. Communes sunt bonis & malis visiones, & apparitiones, quamvis Divinæ: quocirca Cardinalis Bona in sæpe citato tractatu *c.* 19. *n.* 5. ait: *Omnes autem seu visiones seu apparitiones in hoc conveniunt, quod bonis & malis communes sunt, nec quispiam sanctior aut perfectior altero habendus est, quod illi Spiritus appareant, iste hoc dono destituatur.* Gentilibus quoque, & scelestis visiones & apparitiones Divinæ contigerunt. Pharao vidit boves pingues & extenuatos, spicas plenas & vacuas. Balaam magus, cum iret ad maledicendum populo Dei, locuta asina, & renuente ulterius incedere, vidit Angelum, evaginato gladio, contra se stantem. Baltassar filius Nabuch vidit in convivio manum incognitis characteribus scribentem: & iis aliisque exemplis ponderatis, concludit Cardinalis de Lauræa *in opusc. de oration. c.* 7. his verbis: *Visiones, & revelationes, etiam divinitus concessæ, non semper sunt signa sanctitatis in eo, qui eas accipit. Igitur non fuit necessarium, ut Deus statueret eas concedere contemplantibus, etiam estaticis, & raptis.* Uno verbo, visiones, apparitiones, revelationes inter Gratias gratis datas recensentur; & hinc fit, ut etiam peccatoribus dari possint, juxta ea quæ plene habentur apud P. Antonium ab Annuntiatione *in disceptat. mystic. de oratione & contemplatione tr.* 4. *qu.* 2. *art.* 6. *num.* 34. *& pluib. seqq.* Cum superius ageretur de ceteris Gratiis gratis datis, diximus, eas esse communes probis, & improbis, sed sæpius a Deo iis dari, qui probi sunt, & virtutibus emicant. Dicimus hoc ipsum de visionibus & apparitionibus supra naturam, uti etiam adnotavit Thyræus *de apparitione intellectuali lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 13. *& seqq.* ubi ita scribit: *Integritas probitasque Deo occasionem præbuisse videatur, ut familiarius cum quibusdam ageret, & se suaque ipsis communicaret, qui jam se totos Deo Divinisque obsequiis mancipassent. Hinc est, quod Sanctorum, & Dei amicorum loco etiam nunc habeantur, quibus Deus revelationibus suis locutionibusque Divinis adest, & quas olim factas scimus, vix aliis Sanctis hominibus factas credamus.* Tandem asserimus, prætermissis visionibus & apparitionibus naturalibus, quarum non videtur ulla habenda esse ratio in causis Beatificationis & Canonizationis; omissis item dæmoniacis, de quibus nulla suspicio esse potest, cum res est de virtutibus Dei Servorum, Beatificationis & Canonizationis gratia; ut enim alias dictum est, non agitur de virtutibus, nisi præcesserit legitima fama virtutum atque miraculorum, cum qua stare nequit suspicio societatis cum Dæmone; asserimus (inquam) ad instar Gratiæ gratis datæ, habendam esse in causis Beatificationis & Canonizationis rationem visionum & apparitionum, quæ sunt præter naturam; positis tamen qualitatibus jam indicatis, quibus visio Divina secernitur & distinguitur a naturali, & dæmoniaca; & comprobatis virtutibus heroicis, quemadmodum dictum est, cum loqueremur de ceteris Gratiis gratis datis. Quinimmo, si in ceteris Gratiis gratis datis necessaria est probatio, per quam constet, præcessisse virtutes heroicas, quamvis Gratiæ prædictæ probari possint etiam per alios testes, & per alios testes probentur, multo magis necessaria dicenda erit probatio earumdem virtutum in visionibus & apparitionibus, quæ alio modo probari non possunt, quam ex dicto ejus, qui vidit, & cui facta est apparitio; cuique proinde in re propria restanti si fides est adhibenda, nemo est qui non videat, testantem debere esse omni exceptione majorem, & per consequens virtutibus heroicis præditum. Præterquamquod, si ex dictis in visionibus & apparitionibus dignoscendis & secernendis oportet, ut habeatur ratio personæ, cui facta est apparitio, modi, effectuum subsecutorum, heroicæ profecto virtutes solæ sunt, quæ personæ qualitatem & effectus subsecutos possunt patefacere & aperte indicare.

3. Plura causarum Beatificationis & Canonizationis exempla facile afferri possent, in quibus modo supra explicato habita est ratio visionum & apparitionum. Præ ceteris autem ponderandum proponimus exemplum causæ S. Tereslæ. Juxta morem tunc temporis receptum edita fuit a Rotæ Auditoribus relatio de ejus virtutibus; & postquam *art.* 21. §. 4. & 5. facta est exacta relatio visionum, apparitionum, & revelationum, iidem Rotæ Auditores ita subjecerunt: *Quod autem hujusmodi visiones & revelationes, & ceteræ omnes, quas Beata Teresia habuit, prout in suis libris scriptæ apparent, fuerint veræ, & a Spiritu Sancto processerint, nihilque habuerint illusionis, nec participationis spiritus maligni, facile nobis persuasum fuit primo ex sanctitate excellenti, & virtutibus heroicis istius Beatæ Virginis, ut ex omnibus articulis hujus secundæ partis clare constat: item & ab effectibus resultantibus ex eisdem visionibus & revelationibus, nempe humilitate profunda, & incremento amoris Divini, & reliquarum virtutum, necnon utilitate & ædificatione Proximorum: tum etiam approbatione tantorum gravissimorum virorum suis litteris, quum prudentia, virtute, & pietate conspicuorum, quos superius non semel nominavimus, præsertim art.* 2. *cum de sanctitate in genere ageremus, inter quos Præsules, Magistros sacræ Theologiæ, illiusque publicos Professores, & fere omnes ejusdem Beatæ Virginis Confessarios reperimus, quibus eadem Beata favores & gratias, quas in oratione & raptibus Deus illi conferebat, semper consulere ac manifestare curabat, ut ipsi omnia illi examinarent, sibique consilium præberent, & dijudicarent, an in dictis favoribus Divinis aliquid illusionis fugiendum reperirent, quos consulebat cum determinatione & resolutione potius insequendi consilium ipsorum, illisque fidem majorem adhibendi, quam prædictis revelationibus;* dice-

dicebat enim, quod in obediendo suis Confessariis errare non poterat, prout in credendo revelationibus & visionibus. Unde ex prædicto tam exacto examine istius spiritus hujus Beatæ Virginis, ipsiusque visionum ac revelationum, & illarum approbatione a tot viris insignibus & eruditis, non videtur dubitandum, prædictas revelationes & visiones esse veras, & procedere a spiritu bono & vero, non autem ab illusorio & falso. Nec eo minus istæ revelationes & visiones probari videntur, quod de illis potissimam attestationem desumamus ab ejusdem Beatæ Virginis Teresiæ scriptis in prædictis suis libris, & a decem Confessariis illius, qui de auditu ab eadem deponunt; nempe Episcopus Calaguritanus Dominus Petrus Manso, & Episcopus Tirasonensis Dominus Didacus de Yepes, & Episcopus Abulensis Frater Don Joannes de la Cuebas, & Episcopus Segobiensis Dominus Petro de Castro, & Magister Frater Bartholomæus de Medina, Magister Dominicus Baunes, & Magister Didacus de Janguar Ordinis Prædicatorum, & Pater Ægidius Gonzalez de Avila, & Pater Henricus Enriquez, & Pater Hieronymus de Ripalda Societatis Jesu, præter alios insignes viros sæpius nominatos: quia, ut jam probavimus in relatione miraculorum art. 3. revelationes & visiones unico teste fide digno probantur, & cum ex natura rei alsi testes dari non possint, nec ab alio, quam ab ipsomet, quem Deus similibus favoribus prosequi dignatus est, probari possint, materia subjecta facit, ut eisdem Beatis, quibus contigerunt, & illorum Confessariis de auditu ab ipsis standum sit, ut in terminis fuit firmatum in relatione S. Franciscæ par. 2. ar. 12. de visionibus & revelationibus; & conducunt plurimum firmata in relatione Sancti Raymundi par. 2. art. 8. vers. Nos tamen. Et eo maxime, cum ex supradictis clare & evidenter constet de eximia sublimique sanctitate, necnon de miraculis multis & magnis a Deo operatis, meritis & intercessione istius Beatæ Virginis Teresiæ, quæ operantur inter alia, ut illius dictis & scriptis major fides sit adhibenda. Et quod Deus tam familiariter per medium visionum & revelationum cum fidelissimis amicis loquatur, illisque sua secreta manifestet, non est novum neque inusitatum. Divina enim Majestas civitates illas funditus eversura, his verbis amico suo Abraham loquitur Genes. cap. 18. Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? *Et in Amos Propheta cap. 3. sic legitur:* Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. *Apostolum etiam Dominus, Joannis cap. 15. his verbis est affatus:* Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a Patre meo nota feci vobis. *Et omnes fere Sanctos, maxime Ordinum Fundatores, Divinis visionibus & revelationibus illustratos fuisse legimus, ut in libris historiarum Sanctorum Benedicti, Bernardi, Dominici, & Francisci, & aliorum, qui præ manibus habentur, in quibus innumeræ visiones ac revelationes, aliique favores Divini tam ipsis sanctis Fundatoribus, quam aliquibus eorum discipulis collati, scripti reperiuntur. Absque dubio itaque Deus cum suis amicis familiariter loquitur, & his maxime favere solet, quos ad opera grandia eligit, qualis fuit Beata Teresia, quam & Fundatricem unius perfectissimæ Religionis, & Magistram spiritualis doctrinæ a Deo optimo maximo datam fuisse constat, ut supra art. 2. de sanctitate in genere probavimus.*

4. Cardinalis Bona in sæpe citato tractatu *cap. 20. num. 5.* qualitates recenset, quæ fuerunt in visionibus, apparitionibus, & revelationibus S. Teresiæ, dicens, ab eis, tanquam a Lydio lapide, ceterarum valorem esse explorandum. Primo ergo, ut ibi narrat, semper timebat diabolicas illusiones; ita ut nunquam visiones petierit, aut desideraverit, quio potius Deum exoraverit, ut se duceret per viam consuetam, hoc solum optans, ut in se fieret Divina voluntas: secundo, quod licet soleat Dæmon præcipere, ut quæ revelat nemini dicantur; illa semper a Spiritu sibi apparenti audiebat, ut communicaret cum viris doctis; tertio, suis Directoribus exactissime obediebat, & post visiones magis proficiebat in charitate & humilitate: quarto, libentius cum illis agebat, qui erant minus creduli, & eos diligebat, qui sibi persecutiones inferebant: quinto, in ejus mente summa erat tranquillitas & jucunditas, & in corde fervens desiderium perfectionis: sexto, ab eo, qui intus ei loquebatur, reprehendebatur de imperfectione, si quam habebat: septimo, cum ei dictum esset fore, ut si quæ justa sunt a Deo peteret, ea indubitanter obtineret, multa petiit, & semper obtinuit: octavo, quicumque cum illa versabantur, nisi prava dispositio obstaret, ad amorem Dei excitabantur: nono, visiones & apparitiones ut plurimum ei contingebant post longam & ferventem orationem; vel post susceptam Eucharistiam, & in ea accendebant ferventissimum desiderium patiendi pro Deo: decimo, carnem flagellis ac ciliciis castigabat, & gaudebat in tribulationibus, murmurationibus, & infirmitatibus: undecimo, solitudinem amabat, abhorrens ab hominum conversatione, & avulsa ab omni humano affectu: duodecimo, tam in prosperis, quam in adversis semper eamdem animi tranquillitatem servabat: ultimo, nihil unquam in ejus visionibus & apparitionibus viri docti observarunt, quod a regulis Fidei & Christianæ religionis esset alienum, aut quod in illis posset reprehendi.

5. Quæ dicta sunt de visionibus non petendis, aut desiderandis confirmari possunt auctoritate S. Bonaventuræ *in tract. de Prof. Relig. lib. 2. cap. 75. pag. 649. tom. 7.* cujus hæc sunt verba: *Aliis autem videtur esse securius, talia non quærere, oblatis non cito credere ... Aliquando etiam oblata, velut minus fructuosa, parvi pendere, ut, si vera sint, se habeant indifferenter ad ea; si falsa, non innitantur eis, ne decipiantur:* item Gersonis auctoritate *in tract. de probat. spirituum col. 41. tom. 1.* ubi docet, eis esse humiliter renuntiandum, & formam renuntiationis affert his verbis: *Dicatur reverenter cum Petro:* Exi a me, Domine, quia peccator sum, *Luc. 5. 8. quia vilis sum, quia visionibus tuis indignus sum, quas hic neque quæro, nec accepto, sed repello. Sit in cælo, non in hoc sæculo visio tua, tota merces mea Domine Deus, & sufficis. Quid ad me de visionibus tuis in hac vita?* Et paulo ante: *Oppones forsitan aliquis ex Apostolo jubente,* Nolite (*inquit*) spiritum extinguere *Thess. 5. 19. Si sit ergo visio a Spiritu Sancto, quæ nihilominus repellitur, quid hoc est, nisi Spiritui Sancto resistere, suamque nascentem Gratiam suffocare? Sed profecto Spiritus Sanctus, qui se dat humilibus, nequaquam ex humiliatione, quam prædiximus, se subtrahet: intrabit potius, & in beneplacito suo deducet victor super excelsa animam hanc in oculis suis vilem, & absque ulla ruga fictionis.* Consonant documenta S. Philippi Nerii in ejus vita scripta a P. Petro Jacobo Baccio *lib. 3. cap. 2. num. 20.* ubi inter cetera hoc de visionibus & apparitionibus legitur: *Consigliava, e molte volte comandava a' suoi, che le rigettassero con ogni potere: nè dubitassero per questo far dispiacere alla Divina Maestà, perchè questa è una delle prove da conoscere le vere dalle false visioni.* S. Vincentius Ferrerius *tract. de vita spirituali cap. 12.* apud Gravinam subjicit: *Tale namque desiderium non potest reperiri absque radice & fundamento superbiæ & præsumptionis, immo tentationis curiositatis erga res Divinas, nec sine aliqua vacillatione, & fluctuatione Fidei:* idque, allato testimonio S. Teresiæ, & aliorum Magistrorum vitæ spiritualis, prosequitur Gravina *cit. oper. par. 2. lib. 2. cap. 58.*

6. Idem dici potest de ceteris circumstantiis bene ponderatis a supra citato Cardinali Bona, in visionibus, apparitionibus, & revelationibus S. Teresiæ: de necessitate quippe eas communicandi cum viris doctis, non credulis, sed potius timidis, aliqua indicantur a S. Bonaventura *loc. cit. Quærant super his consilium Sapientum solummodo, & paucorum.* Inter cetera signa, quibus visiones, apparitiones, & revelationes S. Birgittæ inter Divinas relatæ sunt, adscribitur & illud, quod omnia judicio Sapientum submittebat, teste Cardinali a Turrecremata *in prologo ad dictas revelationes cap. 2.* ubi hæc scribit: *Omnia examini, judicio, & correctioni Patris spiritualis, & aliorum spiritualium Patrum, & sapientum Prælatorum Ecclesiæ offerens humiliter submittebat:* & Joannes Gerson *loco citato col. 40.* salubre hoc monitum pro Confessariis, & Magistris spiritualium animarum scriptum reliquit: *Cave ergo, quisquis eris auditor, aut consultor, ut non applaudas tali personæ, non ebinde laudes eam, non mireris quasi sanctam, dignamque revelationibus atque miraculis. Obsiste potius, increpa dure, sperne eam cujus sic exaltatum est cor, & elati fuit oculi, ut ambulet in magnis & mirabilibus super se, ut digna sibi videatur, quæ non humano aliorum more operetur salutem suam, per doctrinam scilicet Scripturarum, & Sanctorum, cum dictamine rationis naturalis, nisi consilium habere præsumat, & putet nedum ab Angelis, sed a Deo, nedum semel in necessitatibus, sed pene jugiter, velut in quotidianis collocutionibus. Talem admone, non sublime sapere, sed sapere ad sobrietatem; quoniam verissime ait, qui dixit:* Superbia meretur illudi &c. *Enarrentur exempla sanctorum Patrum, qui curiositatem hujusmodi visionum vel miraculorum perniciosissimam fallacissimamque refugerunt, A qua se Augustinus liberatum in suis Confessionibus* gloria-

gloriatur in Domino; Quam praeterea Dominus Bonaventura abhorrendam animo esse determinat, eoque conatu repellendam nunc orationibus, nunc increpationibus, seu flagellationibus propriae mentis & corporis: Exemplo illius, qui ut tentatione careret superbiae, quaesivit, & obtinuit a Domino, ut per tres menses daemoniaco vexaretur obsessione. Concordant Philamarinus *de Divinis revelat. cap. 3. num. 74 & seqq.* ceterisque allegatis, Gravina *part. 2. cit. oper. lib. 1. cap. 7.*

7. Mentis summam tranquillitatem, amoris Divini incrementum, continuam humilitatem Cardinalis a Turrecremata *in prologo ad revelat. S. Birgittae cap. 2.* extollit tamquam signa Divinae visionis & revelationis: *Sapore quodam internae dulcedinis afficiebatur, & Divini amoris incendia vehementius inflammabatur &c. Quanto altiori lumine, & copiosiore Divinae illustrationis splendore colestabatur, tanto profundioris humilitatis effecta confitebatur Deum Patrem luminum, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, & laudibus glorificabat, & benedicebat continuis.* Gerson *de distinct. ver. visionum a falsis col. 46. oper. tom. 1.* ait: *Est igitur hominibus saluberrimum consilium, contra tales Daemonum illusiones pondus humilitatis observare, se reputare intellectu pariter & affectu indignissimum, qui super alios homines revelationem accipiat, qui prae aliis a Deo visitabiliter visitetur; & si quae talia praeter solitum evenire circa eum contigerit, rejiciat a se cum sancto, humili, verecundoque pudore. Deputet talia vel laesioni propriae phantasiae, & se habere aliquod simile phreneticis, & maniacis, aut melancholicis reformidet; vel vereat, ut propter enormitatem praecedentium peccatorum datus sit in reprobum sensum, ut talibus illusionibus seducatur. Si talia sint Diaboli machinamenta seu tentamenta, ex humilitate hujusmodi evanescent, aut si velit Deus, quid in his edocendis auctoribus; non nocebunt. Si vero sit Divina revelatio, non ficta humilitas pie venitur, magis praeparabit locum ad ipsius susceptionem, & audire merebitur, Amice, ascende superius,* Luc. 14. *quanto in loco suo infimo recumbere conabitur*. Magister Joannes de Avila in tractatu, qui inscribitur, *Audi filia*, *cap. 52.* sic instruit consilium quaerentem de suis visionibus & apparitionibus: *Si humilior evadis, & verecundius de culpis & defectibus commissis; & cum majori reverentia & tremore coram infinita magnitudine Dei, nec desideria concepisti vana communicandi aliis, quod a Deo recepisti, sensisque cor tuum quietum, immo magis, quam antea, & in tui cognitione persistis, sicut antequam revelationem haberes; aliquale signum est, quod sit a Deo &c. Quando autem est diaboli fraus, omnia e contra eveniunt, quia in principio, vel in fine visionis aut revelationis sensit anima; quod vane desiderat de rebus illis loqui tum proprii aestimatione judicii, reputans, quod Deus in illo magna operaturus sit, nec habet gustum in consideratione suorum defectuum, nec vult ab aliquo reprehendi.* & Beatae Angelae de Fulgineo dubitanti de suis visionibus, apparitionibus, & revelationibus, Dominus Deus ita dixit: *In hoc cognosce me esse, qui te alloquor, quod pro tempore nec diverti poteris ad aliquod aliud cogitandum, etiamsi velis, nec inani gloria affici ob id, quod accipis;* & alia vice: *Externa signa, quae a me petis, quod ego sim qui te alloquor, incerta sunt, & fraudi subjecta. Sed nunc dabo tibi signum adeo certum, ut non possit Daemon imitari: & illud est desiderium quoddam adeo accensum, & vehemens mei causa sustinendi labores & contemptus, ut aeque libenter videas, te contemni, atque alii videas, se honorari.*

8. Carnis castigationem, & mortificationem exposcit Gravina *cit. oper. part. 2. lib. 5. cap. 17.* sequentibus verbis: *Insuper discutiendum est, an haec asserta dona & charismata, cum mortificatione & cruce sint conjuncta: nam, si nec antecedenter, vel concomitanter, vel saltem subsequenter sint haec ad invicem connexa, valde suspectae sunt tales revelationes & prophetiae. Fundamentum, quia haec dona dantur ad manifestationem Fidei, & utilitatem Ecclesiae. Fides autem maxime ostenditur super omnia alia signa ex mortificatione & patientia Christiana; his enim crevit maxime Christiana religio, quibus undique victus est & promulgatus. Oportet multo ergo magis hic novissimis temporibus ad haec notas respicere, quam ad quaevis alia mirabilia, ut sciamus, num haec dona a Patre luminum descendant. Ipse Fidei nostrae auctor Jesus Christus, Apostoli, DD. Ecclesiae nihil aut parum de ejusmodi visionibus praedicarunt; scripserunt, inculcarunt; sed totam Christiani aedificii basim in charitate, in humilitate, mortificationibus, & persecutionibus perferendis constituerunt:* & aliorum conversionem, tanquam signum Divinae visionis & apparitionis, Episcopus Giennensis *in opere infra citando cap. 6. pag. 272.* habet tamquam Divinitatis indicium: *Et ideo, quando videmus, quod ex talibus visionibus, seu verbis revelatis mens illuminatur, intellectus & conscientia videntis illustratur, & vita ejus corrigitur & emendatur, convertuntur homines vitiosi ad virtuosam & religiosam vitam, & de guerra & odio ad pacem, de superbia ad humilitatem & obedientiam; & de malo ad bonum, & hoc in multis personis & diu perseverat. Tunc certissimum signum est, quod tales visiones & revelationes, quae talem fructum germinaverunt & produxerunt, non a Diabolo; sed a Spiritu Sancto potius processere, quae facere Diabolo impossibile est, immo totum contrarium procedit a visionibus, seu potius illusionibus suis.*

9. Amor demum solitudinis ab hominum conversatione ad rem, de qua nunc agitur, consideratus a Larrea *in nov. decis. Senatus Granat. par. 1. num. 61. & 62.* ex quo etiam infert, merito in suspicionem adduci visiones & apparitiones, quas ille, qui habuit, passim evulgat, & ceteris aperit: *Videntur hujusmodi visionum fidem exuere hunc hominem, etsi sincerum, aliquali elatione jactare revelationes, & facile quibuscumque referre, quod merito posset in suspicionem adducere &c. Quod pertinet, ut omnibus Divini favoris vestigia & signa facile effutiat & communicet, nihil magis alienum a Sanctorum studio & professione: plures quippe veris illustrati visionibus id maxime curarunt semper celare, & si ab aliquo perciperentur, secretum injungere.* Notanda sunt verba *passim evulgat*: communicatio enim cum viro probo, vel ea intentione, ut prosit animae ejus, cui visio aut apparitio exponitur, nullatenus interdicta dici potest. Quocirca S. Teresiae *in sua vita c. 7. pag. 27.* haec habet: *Non so io perchè si abbia a permettere, che per le conversazioni e affezioni umane, benchè non siano molto buone, si procurino amici con chi sfogare, e per più godere di quelli vani piaceri; e a chi comincia da dovero ad amare a servire Iddio, non si permetta conferire con alcune persone i suoi gusti e travagli ec. Quando l'amicizia che vuol avere con sua Maestà, è da dovero, non tema di vanagloriarsi. Girerrà a sè, e a quelli che l'udiranno, e ne usciranno più ammaestrati.* Huc referri possunt, quae alibi dicta sunt de jactantia & vana gloria. Ad revelationes proprie pertinet, quod dictum est de consonantia cum regulis fidei & Christianae perfectionis: & ideo de eâ habebitur sermo, cum de revelationibus tractabitur. Ven. Dei Servus Ludovicus de Ponte *cap. 24. in duce spirituali tract. 1.* supradictas omnes qualitates, quibus Divina visio a daemoniaca secernitur, pluribus exponit, quas repetit Tanner. *in oper. cit. tract. 1. cap. 9.*

10. Quocirca, praesens caput concludendo, dicimus, visionum, & apparitionum nullam in causis Beatificationis, & Canonizationis habendam esse rationem, nisi virtutum heroicarum probatio praecesserit; & ut optime Gravina *2. par. oper. cit. lib. 1. cap. 5. & cap. 14.* nisi praecipue exitus vitae illius, cui contigerunt visiones, apparitiones, & revelationes, fuerit illustris, & sanctimonia plenus. Quod si hoc necessarium est in causis Beatificationis, & Canonizationis, (ut alibi probatum fuit) speciali jure sibi vindicat locum in causis eorum, quibus, dum viverent, visiones, & apparitiones obtigerunt, teste Episcopo Giennensi *in lib. infra cit. cap. 6. p. 272.* ubi haec habet: *Sextum signum est, quod ... a Deo sint, & non a maligno Spiritu (visiones), mors, seu finis laudabilis, & virtuosus personae videntis visiones: Nam sciendum est, quod, quando aliquae personae a visionibus, seu potius illusionibus sub specie lucis longaeva decepta fuerunt, ostendente eis Diabolo multa vera, ut in fine in uno falso eas deciperet, communiter semper invenimus in scriptura Sanctorum Patrum, quod isti sic delusi, in aliquo errore, vel morte mala, aut subitanea, aut sine perceptione in fine ipsorum Sacramentorum a Diabolo decepti sunt. Et hoc voluit Deus semper aliis patefacere, ut a similibus illusionibus coloratis doceret nos cavere. Sed per contrarium in Sanctis suis, qui Divinis visionibus seu revelationibus in vita eorum consolabantur & illuminabantur, Deus in eorum morte operari solitus est. Quia in vita eorum semper eos protegendo direxit, ac ipsos multis virtutibus & miraculis adornavit. In morte quoque per aliquam singularem gratiam, quasi quodam approbationis judicio, eos mirifice clarificavit.* Item afferimus, visiones & apparitiones non posse pro caelestibus & Divinis haberi, nisi praeterea eis insint eae qualitates, quae superius commemoratae sunt; & demum, nec silentium esse imponendum, nec causas eas esse contemnendas, in quibus licet eviden-

evidenter probatæ sint virtutes heroicæ, visiones tamen & apparitiones deficiunt,

11. Alibi dictum est, visiones & apparitiones non posse probari, nisi dicto, vel scripto ejus, cui facta dicitur visio seu apparitio: Confessarii quippe, & spiritales Magistri, quorum depositiones excipiuntur, & quæ sunt omnino necessariæ, suam trahunt originem semper ab ea persona, cui visio aut apparitio facta est. Virtutes, virtutum incrementa, & multæ ex qualitatibus supra recensitis, quarum ope cælestes visiones discernuntur, ab aliis testibus peti possunt: sed, cum nonnullæ ex eis solo Magistrorum spiritalium dicto probari possint, non poterit causa Beatificationis & Canonizationis abundans visionibus & apparitionibus felicem exitum habere, nisi spiritalium Magistrorum testimonia de qualitate visionum & apparitionum accedant, & nisi insuper constet de eorum probitate, prudentia, & experientia. Cardinalis a Turrecremata *in prologo ad revelationes S. Birgittæ cap.* 1. doctissimos viros recenset, qui eas bene perpenderunt & examinarunt. Alfonsus Episcopus Giennensis, & postea Eremita probatissimus, & comes itinerum S. Birgittæ supra citatus *in prologo ad lib. 6. revelationum cap. 6. pag.* 268. hæc refert de approbatione virorum doctorum de Divinis visionibus, apparitionibus, & revelationibus prædictæ Sanctæ: *Clara, & notorie manifesta est ista Gratia Divina, præfatæ Beatæ Dominæ divinitus gratis data, quod nulla suspicione fallacis spiritus valeat obfuscari, maxime cum jam ipsa de hoc alias fuerit in Regno Sueciæ diligenter examinata per Prælatos, ac Viros spirituales, & Magistros in Theologia,* per quos fuit *determinatum, quod ista Gratia sit Divina, & a Spiritu Sancto divinitus ei data &c. Iterum in Neapoli in præsentia Domini Bernardi Archiepiscopi, & trium Magistrorum in Theologia, & aliorum plurium Militum, & peritorum Virorum, me teste, ista Gratia* fuit *approbata.* S. Teresiæ spiritum probarunt S. Petrus de Alcantara S. Franciscus Borgia, Joannes Abulensis, Baltassar Alvarez, Dominicus Bannez, & alii probissimi & doctissimi viri. Tres sunt causæ Beatificationis & Canonizationis, in quibus, dum munere fungebar Fidei Promotoris, de visionibus & apparitionibus actum est, videlicet S. Catharinæ de Ricciis, Ven. Dei Servi Josephi de Cupertino, Ven. Dei Servi Alfonsi de Orosco; quibus alia addi potest, post dimissum a me Promotoratus Fidei officium, videlicet S. Catharinæ Januensis: & in omnibus prædictis non defuerunt amplissima testimonia virorum pietate & doctrina præstantium, qui, omnibus perpensis, judicium tulerant de qualitate supernaturali visionum & apparitionum, quas probe noverant ex conversatione cum eis, quibus contigerant, & earum communicatione sibi facta pro directione & consilio.

12. Addidimus, nec silentium esse causis imponendum, nec eas esse contemnendas, in quibus adsunt plenæ probationes virtutum in gradu heroico, sed desunt visiones & apparitiones. Hæ quippe se habent ad instar ceterarum Gratiarum gratis datarum: quare Sanctus Vincentius Ferrerius (*in tract. de vita spirituali cap.* 13. ait: *Non habeas magnam æstimationem visionum earum, & sentimentorum, nec raptuum: immo si dixerint tibi aliquid, quod sit contra Fidem, & contra sacram Scripturam, aut contra bonos mores, abhorreas earum visionem & sentimenta, tanquam stultas dementias, & earum raptus sicut rabiamenta.* Ideoque, quemadmodum (salva existimatione causarum, in quibus Gratiæ gratis datæ desunt, si virtutes heroicæ adsint) diximus Gratias gratis datas reddere illustriores virtutes in iis causis, in quibus Gratiæ istæ abundant; hoc ipsum dicendum esse censemus de visionibus & apparitionibus, si illi, quibus obtigerunt, virtutibus heroicis præditi fuerunt; uti prosequitur memoratus Sanctus Vincentius Ferrerius *loco citato* his verbis: *Tamen si dicant* (loquitur de revelationibus & apparitionibus) *sive judicent in hoc, quod est secundum Fidem, & sanctam Scripturam, & secundum sanctos & bonos mores; noli spernere, quoniam sperneres quod est Dei; tamen non confidas totaliter, quia sæpe, maxime in tentationibus spiritualibus; falsitas inducitur seu abscondetur sub similitudine boni, ut Diabolus possit sæpe & melius mortale venenum sine suspicione diffundere: & ideo credo, quod plus placeat Deo, quod visiones, & sentimenta, & Raptus, qui, secundum quod dictum est, habent similitudinem veritatis & bonitatis, dimittas ire pro tanto, quantum valent; nisi contingant aliquibus personis ratione sanctitatis, & discretionis, ac earum humilis probitatis, de quibus certum est, quod prædictæ personæ non possunt decipi per illusiones, nec per ingenium Diaboli.*

13. Dices, visiones, apparitiones, & revelationes, & earum qualitatem ex aliis capitibus discerni posse, de quibus mentio a Nobis facta non est. Si etenim persona, cui contigerunt, sit Infidelis, apostata a Fide, arreptitia, in exercitiis spiritalibus novitia, superba, ambitiosa, carnalis, ebriosa, iracunda, simultates exercens, hypocrita, hæc argumento sunt omnia a Dæmone processisse, quemadmodum pluribus prosequitur Torre *in* 2. 2. *D. Thomæ quæst.* 95. *art.* 3. *disp.* 3. *in* 3. *class. signorum.* At respondetur, prædictarum qualitatum examen sibi vindicare locum, cum agitur de visionibus, apparitionibus, & revelationibus in tribunali sanctissimæ Inquisitionis, ut statuatur, an personæ, cui contigerunt, tamquam illusæ, Magister spiritalis prudentia præditus sit assignandus; an in aliquo loco claudenda sit a ceterorum commercio segregata propter suspicionem affectatæ sanctitatis; an, & quæ illi abjuratio sit indicenda; quatenus videlicet suspicio hæresis adfuerit; quemadmodum observat Cardinalis Albitius *de inconstantia in Fide cap.* 40. *num.* 141. *& seqq.* cumque nostrum hoc Opus, qualecumque sit, examen causarum respiciat Beatificationis & Canonizationis, quæ pertractantur in sacrorum rituum Congregatione, absonum profecto fuisset, de prædictis vitiis & peccatis sermonem instituere. Cum enim de visionibus, apparitionibus, & revelationibus, deque earum qualitate agatur, postquam satis constat de virtutibus, earumque fama, hinc clarissima apparet, de iis, quæ cum virtutibus, earumque fama coalescere non possunt, agi a Nobis non debuisse.

CAPUT ULTIMUM.

De Revelationibus.

1. QUAMVIS, dum superius ageretur de visionibus & apparitionibus, sæpe etiam sermo habitus sit de revelationibus, quoniam (ut infra dicetur) communia sunt revelationibus multa ex iis, quæ ad visiones & apparitiones pertinent; operæ pretium nihilominus visum est, nonnulla exponere ad ipsas revelationes proprie pertinentia. Omnes visiones & apparitiones eo potissimum tendunt, ut aliquid occultum hominibus reveletur sive ad salutem & instructionem, si a Spiritu bono sunt, sive ad perniciem & condemnationem, si a malo, uti notat Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap.* 20. *num.* 1. cui accedit Scacchus *de not. & sign. sanct. sect.* 8. *cap.* 4. *pag.* 617. ubi ait, revelationem esse, quoties aliquid hominibus manifestatur, quod prius erat incognitum: & quamvis in qualibet visione aliqua semper manifestatio fiat, ea tamen satis non est ad constituendam revelationem; nam qui videt, aliquando rei quam videt, significationem non intelligit; quando intelligit, habuisse dicitur revelationem. In *Act. Apostol. cap.* 10. narratur, S. Petrum in excessu mentis vidisse cælum apertum, & vas quoddam descendens, uti linteum magnum de cælo quatuor initiis in terram submissum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli, & audivisse dicentem, ut surgeret, & occideret, & manducaret. Hæsitavit Petrus intra se, quidnam esset visio, quam vidisset: cumque eam non intellexisset, venit in Joppen, & cum introisset in domum Cornelii Centurionis, & ibi multos invenisset ex Gentilibus, qui ipsum exspectabant, ut verbum Dei audirent, tunc cognovit, quid sibi vellet visio lintei, dixitque illis v. 28. *Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.* Petrus antea viderat, & audiverat; sed visio indolem revelationis non induit, nisi cum Petrus eam intellexit. Demum Arauxo *in decis. moral. tract.* 3. *quæst.* 23. §. 2. *num.* 33. hæc habet: *Pro eodem accipiuntur visio, & revelatio, cum hoc solo discrimine, quod revelatio supponit visionem, & addit supra illam ejus, quod videtur, intelligentiam, juxta illud Danielis* 10. *Intelligentia enim opus est in visione.*

2. Revelatio privata, de qua in præsenti tantum agitur, non proponitur Ecclesiæ, sed solum fit peculiariter alicui personæ, sive id quod revelatur, non cedat in bonum commune Ecclesiæ, sive etiam in bonum Ecclesiæ ec-

fiæ cedat, juxta ea quæ habentur apud Scacchum *de not. & sign. sanct. sect. 8. cap. 4. §. His præconsideratis*, & apud Valentiam *commentar. Theolog. tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 1. §. 5. §. Ceterum, & seqq.* Non ergo hic agitur de revelationibus, quæ factæ sunt Apostolis & Prophetis, quibus Fides Catholica innititur juxta doctrinam D. Thomæ 1. *par. quæst. 1. art. 8. ad secundum*, ubi ait: *Innititur enim Fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, siqua fuit aliis Doctoribus facta*. Fides quippe nostra non crevit quoad substantiam, licet nunc quædam explicate credantur, quæ antea latebant, veluti prosequitur idem S. Doctor 2. 2. *quæst. 1. artic. 7.* ubi proposita quæstione, *Utrum articuli Fidei secundum successionem temporum creverint*, ita respondet: *Dicendum est quod, quantum ab substantiam articulorum Fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in Fide præcedentium Patrum, licet implicite. Sed quantum, ad explicationem crevit numerus articulorum, quia quædam explicite cognita sunt a posterioribus, quæ a prioribus non cognoscebantur explicite*. Sermo coarctatur ad privatas revelationes, de quibus idem S. Doctor 2. 2. *quæst. 174. art. 6. ad tertium* ita loquitur: *Joannes etiam librum propheticum conscripsit de fine Ecclesiæ, & singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiæ spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam Fidei depromendam, sed ad humanarum actuum directionem*. Item (quemadmodum diximus) visiones & apparitiones esse triplicis generis, naturales videlicet, dæmoniacas, & cælestes seu Divinas, ita hoc ipsum dicimus de privatis revelationibus. Movra *de incantationibus sect. 2. cap. 3. num. 2.* Cardinalis Albitius *de inconst. in Fide cap. 40. num. 132. & seqq.* Naturales sunt, quæ originem habent a causa naturali, ab atræ videlicet bilis abundantia, a corporis inedia a nimiis vigiliis, a cerebro læso, a turbida, & plus æquo vehementi imaginatione, veluti late exponit Torre *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 95. art. 3. disp. 3. in 3. class. signorum*, & sequuntur Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib. 4. cap. 1. quæst. 3. sect. 2. num. 4.* & Philamarinus *de revelation. tract. 1. cap. 2. num. 4.* Dæmoniacæ sunt quæ a Dæmone procedunt, cum Dæmon non modo mala, sed etiam aliquando nonnulla bona revelet, ut incautos subinde decipiat, & vel a majori bono avertat, vel ad malum impellat, uti late exponit S. Gregorius *lib. 32. moral. cap. 17. & lib. 33. moral. cap. 2. col. 1076. tom. 1.* ad illa verba Job, *Omnes bestiæ agri ludent*, & de prædictis dæmoniacis revelationibus multa collecta legi possunt apud Larream *par. 1. decis. Granaten. in ultima decisione de revelationibus num. 8. & seqq.* apud Martinum del Rio *cit. sect. 2. in principio*, & Philamarinum *tract. 1. cap. 2. num. 10.* inter quas recenseri forte possunt nonnullæ, quæ ab Hæreticis tum antiquis, tum recentioribus tanquam sibi factæ narrantur, nisi potius inter ipsorum mendacia sint adscribendæ. Celebres illæ sunt, quas protulerunt Cerintus, Montanus, & ejus Prophetissa, necnon Lutherus, Carolostadius, Thomas Munzerus, & Anabaptistæ. Cælestes demum Divinæque privatæ revelationes illæ sunt, quibus Deus aliquando aliquam personam illuminat & instruit vel ad suam, vel ad aliorum æternam salutem. Cælestis revelationis exemplum desumi potest *ex epist. 11.* S. Cypriani, ubi revelationem sibi factam a Deo de futura Deciana Persecutione sequentibus verbis exponit *pag. 286. Nam & illud ostensum est, quod sederet Paterfamilias, sedente sibi ad dexteram juvene, qui juvenis anxius & cum quadam indignatione subtristis maxillam manu sustinens mæsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens, rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur, quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei, juvenem, qui ad dexteram sic sederet, contristari, & dolere quod præcepta sua non observarentur; illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio, ut a Patrefamilias potestatem sumeret sæviendi. Hoc prius longe ostensum est, quam tempestas vastitatis hujus oriretur. Et vidimus impletum, quod fuerat ostensum, ut dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ Legis mandata salutaria non tenemus, facultatem nocendi Inimicus acciperet, & minus armatos, & ad repugnandum minus cautos jactu retis operiret. Oremus instanter, & assiduis precibus ingemiscamus. Nam & hoc nobis non olim per visionem, Fratres carissimi, exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus*. Idemque S. Cyprianus futuram pacem sibi divinitus revelatam in ead. epist. Clero suo patefecit *pag. 287. Denique ad minimum famulum suum, & in delictis licet plurimis constitutum, & dignatione ejus in indignum, tamen ille pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est, Dic illi (inquit) securus sit, quia pax ventura est, sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui, qui probentur &c. Dissimulare hæc singula, & apud conscientiam meam solus occultare non debui, quibus unusquisque nostrum & instrui, & regi possit.*

3. Centuriatores Magdeburgenses privatarum revelationum extra Canonicos libros vagantium hostes infensissimi eas penitus eliminare conantur, & Melancthon eas inter fabulas & superstitiones enumerat. Inter Catholicos Henricus de Hassia, & Sibyllanus, licet admittant nonnullas revelationes veras, ac divinitus factas extra Canonem, nonnullas tamen factas nonnullis feminis, quamvis sanctitate conspicuis, docent non esse probandas, aut acceptandas pro veris, vel a Spiritu Sancto dictatas, ut infra videbitur. At Gravina *in cit. lapide Lydio*, evidenter ostendit adversus Centuriatores, primo, admittendas esse varias revelationes particulares & privatas, desumptis ex historia Ecclesiastica validissimis argumentis; secundo, multos alios Hæreticos frustra tentasse has veras revelationes eliminare; tertio, a multis impostoribus nonnullas fuisse confictas; quarto, non cessasse nostris temporibus verarum revelationum particularium donum; ultimo, in eo rem verti ut recte examinetur & perpendatur, quænam sint particulares revelationes, quæ ad Deum tanquam Auctorem possunt referri. B. Hildegardis, B. Litgardæ, B. Angelæ filiæ Regis Bohemiæ, SS. Gertrudis, Birgittes, Teresiæ, ad rem de qua nunc agitur, commemorantur revelationes, de quibus in citata decisione Larreæ *num. 5.* Id late prosequitur Theophilus Raynaudus *tom. 15.* in opere, cui titulus *Heteroclita spiritualia punct. 5. pag. 154.* eodemque spectant adducta per Hurtado *tract. varior. t. 1. tract. 5. cap. 6. resolut. 54. §. 1.*

4. Cardinalis a Turrecremata *in prologo sui defensorii ad revelationes S. Birgittæ* signa refert, quibus cælestis revelatio distinguitur a dæmoniaca. En ejus verba: *Primum signum est quando judicio magnorum virorum & expertorum approbatur. Secundum sumitur ex parte effectus, qui ex revelatione in animo ejus personæ, cui fit, relinquitur; quando scilicet in ea devotionis & humilitatis præcipue, & gloriæ Dei ex hujusmodi revelationibus profectus augetur. Tertium est ex parte materiæ, quando in omnibus dictis ejus reperitur veritas. Quartum ex parte formæ est conformitas ad Sacram Scripturam. Quintum ex parte personæ est approbata sanctitas*. Sapienter monet Soarez *in tract. de fide disput. 3. sect. 10. n. 7.* initium in revelationibus desumendum esse ab accurata indagine, an id, quod revelatum dicitur, sit contrarium Fidei Catholicæ, aut bonis moribus; ita ut, statuta ejus uniformitate tum sacris Litteris, tum bonis moribus, tunc tantum locus aperiatur aliarum qualitatum examini, quod omnino indecens & superfluum esset, si primum illud fundamentum defecisset: *Hæc igitur esse debet prima probatio; postea vero quando constiterit, materiam non esse contrariam Catholicæ Fidei, aliæ conjecturæ & signa adhibenda sunt.*

5. Consensus ergo rerum revelatarum cum sacris Litteris, cum Divinis & Apostolicis traditionibus, cum moribus & definitionibus Ecclesiæ, tessera est præcipua Divinarum privatarum revelationum, non quia statim ac aliqua revelatio conformis est sacris Litteris, Apostolicis traditionibus, & moribus, & definitionibus Ecclesiæ, tanquam Divina & cælestis habenda sit; sed quia, statim ac aliquid in revelatione apparet, quod prædictis adversetur, rejicienda est inter mendacia, & Dæmonis illusiones. Ait enim Apostolus *ad Galat. cap. 1.* si Angelus de cælo nobis evangelizet præter id, quod accepimus anathema esse; & idem Thessalonicensibus *epist. 2. cap. 2. v. 14.* edixit: *Tenete traditiones quas didicistis*, & ad Hebræos *cap. 13. v. 9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci*. Idem quoque dicendum est de revelationibus, in quibus aliquid continetur contrarium unanimi sanctorum Patrum, aut Theologorum sententiæ: omnium enim Patrum unanimiter idem sentientium sententia falli nequit in Fidei discernenda materia. Quapropter in Concilio Tridentino *sess. 4. in decreto de editione & sacrorum Librorum usu*, specialiter sub pœna anathematis prohibitum est, ne quis Scripturam sacram contra unanimem sanctorum Patrum sensum interpretari audeat: & quando Theologi summo consensu docent, aliquam doctrinam ex principiis Fidei deduci, in re Fidei aut morum, ita firmum præbent argumentum, ut ei contradicere hæreticum sit, vel saltem hæresi proximum. Proinde *in Clementina unica de summa Trinitate* Patres Concilii Viennensis statuunt, opinionem illam, quæ dicit, tam parvulis quam adultis conferri Baptismo Gratiam informantem, & virtutes, tanquam probabiliorem, & Doctorum Theologiæ magis consonam & concordem esse Catholicis eligendam. Hic vero

advertendum est, unanimem Patrum consensum non esse mathematice sumendum, ita ut ne unus quidem ex omnibus omnium temporum Patribus desit, sed moraliter, ita ut sit consensus omnium, vel fere omnium. Itaque Cardinalis Perronius *in erudita ad majoris Britanniæ Regem responsione* sic unanimem Patrum consensum explicat: *Tunc unanimis Patrum consensus cumulate probatus æstimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione consentiunt, ita ut inter illos nemo, qui semper Orthodoxus semper Orthodoxis adhæsit, dissentiat.*

6. Porro quæ dicta sunt de revelationibus, quæ adversantur Scripturæ, Apostolicæ traditioni, unanimi Patrum atque Theologorum consensui, debent sibi etiam vindicare locum, si de revelationibus agatur, in quibus aut aliquod malum suadetur, aut, si aliquid bonum suadetur, suadetur tamen, ut sit majoris boni impedimentum, vel si bonis mala mixta sunt; item, si in revelationibus mendacia, aut contradictiones inveniantur; si inutilia & curiosa revelantur; si id quod revelatum est, poterat humana ratione deprehendi; si in revelationibus aliquid reveletur, quod licet Divinam potentiam non excedat, non est tamen conforme sapientiæ Dei, & aliis ejus attributis, puta si quis diceret sibi revelatum, mundum movendum esse motu recto, Angelum aliquem in nihilum verti debere, iterumque creari; si tandem aliquid futurum reveletur, quod non erit. Videri potest Gerson *in tract. de distinctione verarum revelationum a falsis signo 4. col. 54. oper. tom. 1.* ubi hæc habet: *Animadvertere nequaquam omittamus, quod aliqua sic se habere possunt, ut quamvis non sint palam & directe obviantia sive contraria Divinæ omnipotentiæ, quæ per Scripturam sacram extollitur, quia absolute possunt fieri; sunt nihilominus refellenda tanquam inania, & fatua, & Divinæ sapientiæ incongrua, nec cunea veritatis legitime formata, sed aliunde protracta; quemadmodum si quis diceret, sibi esse revelatum, quod totus mundus movebitur cras motu recto, quod unus Angelus annihilabitur, postmodum recreabitur, non adducendo aliam utilitatem: quod quilibet Prælatorum debet solus & nudus incedere, & bajulare crucem materialem super humeros suos, alia tota peribit Ecclesia. Talia, inquam, velut delira, & Divina revelatione indigna, statim abjicienda sunt. Neque enim relucet tantummodo in Divinis operibus potentia: sed bonitas & sapientia, quam effudit super omnia opera ejus. Omnia (inquit Psalmista) in sapientia fecisti.* Cum Gersone concordant Martinus del Rio, Gravina, Philamarinus, & ceteri, quotquot de revelationibus scripserunt; quibus adhæret Arauxo *in decis. moral. tract. 3. quæst. 23. §. 2. a num. 28. usque ad 41.* idemque Gersonus *in epist. de susceptione Humanitatis Christi* late ostendit, periculis plenas esse revelationes illas, in quibus aliquid manifestatur, Scripturæ aut Patribus nullatenus consonum, & a quadam decentia tantum deductum. En verba Gersonis *col. 452. oper. tom. 1. Decima nona veritas: Christus si asseretur aliquid ad extra facere debere, quia decet eum sic facere, fallitur asserens modo tacto; quia præsupponit, quod est æque vel plus ignotum, ut si quis ita paralogizet: Christus potuit communicare Matri suæ in utero, quod gloriosa & consummata felicitate nasceretur; & hoc decuit ipsum facere, quia decuit eum Matrem honorare; ergo sic fecit. Constat, quod conclusio hæreticalis est; & tamen præmissæ communiter assumuntur a nonnullis in assertionibus suis confirmandis. Vicesima veritas: Christus non communicavit Matri suæ, statim dum concepta vel nata est, usum perfectæ rationis, quamvis hoc potuisset, & si fecisset, decuisset; & oppositum asserere, scribendo vel prædicando, est penitus temerarium; sicut & quod unquam somniaverit, aut quod in omni somno semper actu Deum contemplata fuerit hic in via. Quod autem ex scripturis sanctis auctoritatem non habet, juncte nec ex probabili ratione, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Vicesima prima veritas: Christus potuit conferre dilectissimæ Matri suæ cognitionem lucidissimam totius decursus vitæ suæ, & Filii, confestim dum nata est: &, si hoc fecisset, utique decuisset; ergo fecit: temerarium est, & contrarium sanctis Doctoribus hoc inferre. Contrarium insuper videtur Evangelica doctrina, sic asserere factum esse; siquidem perditus fuit Jesus, ignorante Maria, & Joseph... Vigesima tertia veritas: Christus, si perquiritur a talibus, cur Matrem suam honoravit in gratiis istis, & non in aliis omnibus, quibus poterat? Respondeas: Quis es o homo, ut investiges sensum Domini? Quis es, ut consiliarius ejus fias? Quis es, ut præsumas dicere, cur ita facis? Ponat ergo humana loquacitas digitum ori suo, & terminis suis contenta sit.*

7. Quid autem dicendum erit de revelationibus, in quibus aliquid continetur adversum, non unanimi, sed communi Patrum, aut Theologorum sententiæ, in quibus nova continentur, in quibus aliquid dicitur revelatum, quod adhuc est sub judicio Ecclesiæ, in quibus quis asserit sibi aliquid a Deo laxatum in lege aliqua communi sive naturali, sive Ecclesiastica? Hurtadus *in tract. de delictis generantibus suspicionem in Fide tract. 5. cap. 6. §. 14. num. 957.* dicit, non rejiciendam tanquam diabolicam, sed severe examinandam esse illam revelationem, in qua aliquid continetur contra communem Patrum & Theologorum sententiam. En ejus verba: *Revelatio, quæ est contra communem Patrum, & Theologorum sententiam, non illico est diabolica, sed tamen majori attentione & examine rigidiori indiget.* Hunc sequitur Martinus del Rio *disquisit. magic. lib. 4. cap. 1. quæst. 3. sect. 4.* ubi, cum sibi opposuisset, in nonnullis revelationibus aliqua reperiri non consentanea dictis Theologorum, *In illarum dictis quædam occurrunt minus secundum communem Theologorum sententiam consentanea rationi, & veritati:* sic respondet: *Negamus, in earum revelationibus quidquam reperiri, quod Catholicæ Fidei sinceritati palam repugnet, vel cum ea consistere nequeat. Si quid forte communiori Scholasticorum sententiæ repugnat, non ideo confestim damnandum ut erroneum, cum pie & prudenter intellectum suis quoque probatis Auctoribus, & rationibus non absurdis stabiliatur.* Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatific. & Canoniz. tit. 3. cap. 3. art. 3. n. 6. & seqq.* pluribus suadere conatur, revelationem privatam, falsam & dolorosam aut tamquam ad decipiendum conflatam existimari non debere, quod in ea reveletur mysterium aliquod, aut aliqua circumstantia etiam de Christo Domino, vel Beatissima Virgine, aut expresse non declarata per Scripturam, traditiones, vel Sedis Apostolicæ definitiones, aut in scriptis Patrum non contenta. Addit non adversari definitionibus Pontificum, Patrum, aut Theologorum doctrinas illas, quæ aliquid explicant, quod ab eis explicatum non est, & de quo ipsi silent; & concludit, non repugnare, quin alicui particulari personæ aliquid reveletur, quod adhuc est sub judicio Ecclesiæ; & affert exemplum quæstionis Theologicæ inter Thomistas, & Scotistas, *An, Adamo non peccante, Christus venisset ex vi præsentis decreti;* & ait, non esse coercendam Dei potentiam, ut veritatem illius controversiæ alicui revelare non possit. Et quia prævidet, sibi opponi posse doctrinæ novitatem, subjicit, novitatem eam esse cavendam, per quam nova doctrina inducitur, quæ aliam Fidem, aut vivendi regulam præscribit, vel dissolvit Christianam disciplinam, aut nocet saluti animarum, & in ipsarum perniciem tendit. P. Joannes Cortesius Ossorius Societatis Jesu in suo celebri voto ad Inquisitionem Hispaniæ transmisso super revelationibus Servæ Dei Mariæ a Jesu de Agreda *motivo* 5. totus est in asserendo, non esse rejiciendas privatas revelationes propter ullum ex prædictis capitibus, cum, non obstantibus prædictis, approbatæ fuerint revelationes SS. Birgittæ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Rejiciendas contra alii censent revelationes, in quibus aliqua res dicitur revelata, quæ adhuc est sub opinione: Gravina *in Lydio lapide lib. 2. cap. 5. regu. 1.* cui adhæret Arauxo *cit. qu. 23. n. 38.* Denique, quod attinet ad revelationes, in quibus Deus laxamenti aliquid aliquibus dedisse dicitur ex lege communi, sive naturali, sive Ecclesiastica, quin veræ esse possint, non dubitatur. Concessit enim Deus Abrahamo, ut filium suum occideret, juxta ea quæ alibi ponderata sunt; sed eis publica fides non esset adhibenda, nisi aliquo vero miraculo, aut aperto sacræ Scripturæ testimonio firmarentur, juxta definitionem Innocentii III. *in cap. Cum ex injuncto, de Hæreticis*, quam late exornat Torre *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 95. art. 3. disp. 2. assert. 3. & seqq.* Huc referri possunt, quæ habentur in controversiis, quæ fuerunt occasione electionis Urbani VI. Nam, cum Anglici, ut ostenderent, ejus causam esse meliorem, afferrent revelationem cujusdam Eremitæ Angli, qui dicebat, sibi celebranti ostensum fuisse in Hostia sacrosancta, Bartholomæum Barensem esse verum Papam, sic eis responsum est: *Quod non meruit hoc suggeri, quia, ut testantur Canonicæ sanctiones, talibus super hujusmodi invisibilibus ostensionibus credendum non est, nisi per ostensionem miraculi, vel Scripturæ testimonium speciale hoc probent. Aliter etenim ex Hæreticorum similem isti vitam ducentium falsa assertione Fides nostra sæpius turbaretur.* Sic legitur *in monumentis collectis* a Baluzio *tom. 2. vitarum Paparum Avenionensium col. 912.* Et, cum quidam ex iis, qui tunc temporis ajebant, se familiariter loqui cum Deo, ad eumdem Urbanum accessisset, eique dixisset, sibi jam annis quindecim contemplationi vacanti in eremo Divina revelatione patefactum, ipsum esse Pseudopapam, cum narrationem suam nec signo visibili, nec sacræ Scri-

Scripturæ testimonio confirmasset, tormentis coactus est fateri, se fuisse mendacem, & severam Urbani justitiam fuisset expertus, nisi victus precibus Prælatorum Gallorum, qui apud ipsum erant, vitam ei donasset, quemadmodum ex Gobellino refert Raynaldus *ad an.* 1386. §. 9.

8. Hæc sunt, quæ habentur apud Auctores de materia hac tractantes. Quod vero attinet ad causas Beatificationis & Canonizationis, si afferantur revelationes contrariæ sacris Litteris, Divinis & Apostolicis traditionibus, moribus & definitionibus Ecclesiæ, aut in quibus aliquod malum suadeatur; cum, antequam ad ulteriora in causa procedatur, earum examen sit assumendum, imponendum est silentium causæ Beatificationis & Canonizationis juxta legem decretorum Urbani VIII. in secundo libro late explicatam. Si vero in revelationibus aliqua inutilia & curiosa occurrant, tanquam revelata; si aliquid in illis contineatur adversum communi Patrum aut Theologorum sententiæ; si aliquid novum in eis insit, aut revelatum dicatur, quod adhuc sit sub Ecclesiæ judicio, aut aliquid insolitum suadeatur, existimarem, eas habendas esse tanquam suspectas, & ut plurimum procedentes ab ideis & opinionibus, quæ in Servis Dei ante revelationes erant, ut infra explicabitur: in quo proinde rerum themate causæ Beatificationis & Canonizationis non erit imponendum silentium, sed ad ulteriora procedi poterit; ita tamen, ut in earum approbatione nihil inferatur, ex quo colligi possit Apostolicam Sedem, eas approbando, illis talem voluisse impertiri auctoritatem, ut revelatis absonum omnino sit refragari; juxta ea, quæ mox subjiciemus, ubi sapientissimi Cardinalis a Turrecremata verba narrabuntur, quibus ipse revelationes S. Birgittæ approbavit. Quod si revelationes afferantur, non ita tamen frequentes, cum sola frequentia eas suspectas reddere possit, quemadmodum ex S. Francisco Salesio adnotavit Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap.* 20. *n.* 5. quæ piæ, quæ sanctæ, quæ animarum saluti proficiant, & a quibus absint damnosæ & suspectæ qualitates supra expositæ; tunc tuto pede in prævio illo judicio, in quo scripta Servorum Dei examinantur, poterit pronuntiari, nihil in eis esse, quod obstet progressui causæ. Sed in ulteriori judicio, in quo Postulatores contendunt, virtutes ob singulare donum revelationum illustriores esse; ut videatur, an huic assumptioni locus sit, examinandæ sunt ceteræ qualitates, de quibus supra habitus est sermo, cum ageretur de visionibus & apparitionibus.

9. Cum ageremus de visionibus & apparitionibus, diximus, in earum examine, & ut cælestes a naturalibus & dæmoniacis secernantur, habendam esse rationem personæ cui contigerunt; modi quo contigerunt, & effectuum post eas secutorum. Horum item omnium habendam esse rationem, ut justum feratur judicium de revelationibus, & de earum qualitate, docuerunt Cardinalis de Turrecremata *in prologo revelation. S. Birgittæ*, Cardinalis Bona *l. c. c.* 20. Alfonsus Episcopus Giennensis *in prolog. ad easd. revelation. S. Birgittæ*, doctus Episcopus Suessionensis Joannes Joseph Languet *in discursu præliminari ad vitam Matris Margaritæ Mariæ in civitate Parisiensi editam anno* 1729. Gravina *in* 2. *part. sui operis in præludio* 2. *par. ultima regula*, & *in eadem secunda parte per totam*.

10. Rursus, dum ageremus de visionibus & apparitionibus, animadvertendum diximus, an qui eas habuit, petierit, aut desideraverit, an eas cum viris doctis communicaverit, an ejus mens remanserit tranquilla & jucunda, an ab omni specie jactantiæ abhorruerit, an in humilitatis virtute excelluerit, an corpus castigaverit: & hæc eadem esse in examine revelationum ponderanda, docuerunt Doctores supra citati. Scacchus *de not. & sign. sanctit. cit. cap.* 4. *sect.* 8. *pag.* 626. prædicta omnia egregie complectitur: *Colligitur ex jam dictis, in revelationibus examinandis considerandam esse personam, cui fiunt; cujus mores præcipue inspiciendi cum sint, primum Fidei Catholicæ sinceritas, & Sedis Apostolicæ obedientia examinanda est; deinde, quæ vitæ integritas, qua in verbis ac factis modestia ac sanctitas, an a Deo sese de quibuscumque actionibus erudiri, temerarie ac jactabunde præsumant, an consilia & judicia aliorum spernant, an foris Curios simulent, intus Bacchanalia peragant &c. Suspecta est etiam sanctitas illorum, qui facile ac præcipitanter revelationibus sibi factis fidem adhibent, inconsultis Theologis ac Confessario &c. & illorum, qui revelationes a Deo sibi immitti desiderant; nam viri docti & valde spirituales omnia hujusmodi desideria & petitiones tam revelationum, quam miraculorum valde improbant.* Durantus *in tract. de vision. cap.* 11. *pag.* 52. fuse prædicta omnia exponit. En ejus verba: *Unde si cum quispiam revelationum gratiis donisque locupletior fit, eo invenitur humilior, & ad omnem sui despicientiam promptior, quia videt, quod absque suis meritis ista recipiat, signum evidens est, quod non illuditur, & quod a Deo revelationes illæ procedunt;* & paulo post: *Divini autem Spiritus signa sunt, quod loquatur in nobis sive per se, sive per Angelum, cum salubris cogitatio versatur in mente de castigando corpore, humiliando corde, servanda castitate, & fratribus exhibenda charitate, seu etiam ceteris virtutibus acquirendis, conservandis, amplificandis.* Multas ex prædictis circumstantiis exponit Cardinalis Bona *de discret. spirit. cap.* 20. *num.* 2. *Ut constet revelationem a Deo esse, inspiciendum est, an habeat conditiones, quas sapientiæ a Deo revelatæ Jacobus Apostolus tribuit dicens: Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, pura scilicet, & abstracta ab omni carnali & terrena voluptate: deinde pacifica, semperque tranquilla, & cum nemine contendens, modesta & composita in habitu, gestu, & conversatione: suadibilis, aliorum scilicet judicio facile cedens: bonis consentiens, eorumque sententiæ acquiescens: plena misericordia, & fructibus bonis, id est, bonis operibus, atque in omnes indigentes opes suas abundanter effundens: non judicans, sicut plerique faciunt, qui aliorum mores & facta disquirunt, & perperam interpretantur: sine simulatione, sine dolo & fraude, simplex & sincera. Hæ sunt notæ, hi characteres veræ sapientiæ, hæ virtutes ad quas excitat Divina revelatio. Quod si ad lites, ad contentiones, ad curas sæculi, ad vanitatem, ad superbiam, ad pertinaciam ea quæ revelantur, impellunt, procul dubio a carnali & mundana sapientia, quæ non percipit, quæ sunt Spiritus Dei, vel a Spiritu maligno oriuntur.* P. Antonius ab Annuntiatione *in discept. mystic. de oratione & contemplatione q.* 2. *ar.* 4. *n.* 22. & *seqq.* ait, parum tutam censeri revelationem, si qui eam habuit, sit propensus ad eam ceteris communicandam, excepto Rectore suo spirituali, quamvis obtentu majoris gloriæ Dei; rursus, suspectam esse revelationem, si ipsam præcessit aliqua diligentia orta ex desiderio talem habendi revelationem; & demum, suspicione magna laborare revelationem, quam viri docti ad examen vocantes, falsam existimaverunt; si qui illam habuit, non obstante prædicto judicio, ei velit mordicus adhærere. Finem esse maximopere advertendum, ob quem revelatio alius indicata est, monuerunt Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 6. *n.* 1. & Philamarinus *de revelation. cap.* 5. *tract.* 3. *n.* 4. Omnia paucis verbis complexus est Hurtado *tract.* 5. *de delictis generantibus suspicionem in Fide cap.* 6. §. 15. *n.* 965. *Ego vero omnia ista comprehendo hoc uno principio. Bona vita, boni mores, virtutum omnium exercitium, & super omnia humilitas antecedens, comitans, & subsequens. Hac regula recte examinata, omnia consonant; & moraliter est impossibile, quod anima profunde humilis, culpabiliter illudatur. Quod si aliquando illusa legitur, non est culpa sua, sed Deus sua providentia ordinat ita ad majorem humilitatem & cognitionem sui ut non extollatur magnitudine & multitudine revelationum. Sic enim dicebat Paulus* 2. *Cor.* 12. *n.* 17. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Legi potest quidquid ex Gersone desumptum collectum sapienter habetur *in cit. discursu* Episcopi Suessionensis *n.* 15. & *seqq.* cum quo plene concordant scripta a Tanner *in Prudentia P. Ludovici de Ponte in examinandis revelationibus Marinæ de Escobar tract.* 5. *de modo examinandi revelationes*.

11. Communia sunt revelationibus ea, quæ superius dicta sunt de visionibus & apparitionibus, de lætitia videlicet mentis in principio, quæ deinde in mœrorem convertitur, & de horrore, qui deinde in dulcedinem quamdam internam transmutatur; quemadmodum enim ex primo signo desumi diximus, visionem & apparitionem esse dæmoniacam, & ex secundo esse Divinam, ita hoc ipsum asserimus de revelationibus, juxta ea quæ plene habentur apud Martinum del Rio *disquisit. magicar. lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 3. §. *Quinto advertendum*. Communia quoque sunt revelationibus cetera, quæ dicta sunt, dum loqueremur de visionibus & apparitionibus; diligentissime videlicet examinandas esse eas, quas sibi factas feminæ asserunt, veluti adnotarunt Martinus del Rio *cit. lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 3. *sect.* 3. *in principio*, Philamarinus *de Divin. revelation. tract.* 1. *cap.* 2. *n.* 53. non quia sexum femineum a revelationibus cælestibus & Divinis excludamus, sed ut insinuemus, quemadmodum insinuavimus, cum sermo erat de visionibus & apparitionibus, in mulierum revelationibus esse revelationis qualitates accuratius perpendendas. Sancta Teresia *in*

vita cap. ult. ita loquitur: *Et plures sunt feminæ, quam viri, quibus Deus gratias istas impertitur. Hoc etiam audivi a sancto Fratre Petro de Alcantara. Atque & ego experimento comperi (dicebat ille) eas majores profectus in hoc spirituali itinere facere, quam viri. Cujus rei graves causas adducebat, quales importunum esset modo referre, omnes quidem femineam conditionem præferentes.* Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 82. *ar.* 3. cum sic tertium opposuisset argumentum his verbis, *Si contemplatio esset propria causa devotionis, oporteret, quod illi qui sunt magis apti ad contemplationem, essent etiam magis apti ad devotionem; cujus contrarium videmus, quia devotio frequenter magis invenitur in quibusdam simplicibus viris, & in femineo sexu, in quibus invenitur contemplationis defectus: ergo contemplatio non est propria causa devotionis*; sic argumento respondet: *Ad tertium dicendum, quod scientia, & quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quod homo confidat de se ipso, & ideo non totaliter se Deo tradat. Et inde est, quod hujusmodi quandoque occasionaliter devotionem impediunt, & in simplicibus, & mulieribus devotio abundat, elationem comprimendo. Si tamen scientiam, & quamcumque aliam perfectionem homo perfecte Deo subdat, ex hoc ipso devotio augetur.* Probant autem hæc omnia, posse pias feminas Divinarum revelationum dono insigniri, & plures forte ex eis, quam ex viris illas habuisse, & habere posse; sed ex hoc non evincitur, aut omittendas esse consuetas diligentias in earum examine, aut majores non esse adhibendas, quam in examine revelationum, quæ viris obtigerunt, posita videlicet sexus debilitate, quæ eas facit magis illusionibus obnoxias; veluti late præter supra allatos ostendunt Torre *in* 2. 2. *D. Thomæ quæst.* 95. *art.* 3. *disp.* 3. *in* 3. *class. signorum*, §. *Sexus*, Gravina *in lib. ad discernendas veras a falsis revelationibus part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. Joseph Acosta *in lib.* 2. *de novissimis temporibus cap.* 11. Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatific. & Canoniz. pertractandas tit.* 3. *cap.* 3. *art.* 3. *num.* 8. Et hæc quoad signa, quibus secernuntur cælestes a naturalibus, & dæmoniacis revelationibus, dicta sufficiant.

12. Quæres autem primo, an illi, quibus fiunt revelationes privatæ, si certo eis constiterit, a Deo esse, teneantur illis firmiter assensum præbere, & affirmando respondetur, juxta adnotata *in super. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 12. Sola controversia remanet inter Theologos, de qua *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 12. an quæ reteguntur in privata revelatione, sint objectum Fidei Divinæ Theologicæ. Nonnulli siquidem putant, eum, cui facta est revelatio, non posse, nec teneri tali revelationi credere ex Fide Catholica, qua Christiani sumus, cum in habitu objecti, (ut loquuntur) formalis illius non contineatur, sed ex alio speciali lumine superno vel Fidei particularis, vel prophetiæ, aut discretionis spirituum. Sententiæ huic suse adhæret Arauxo *decis. moral. tr.* 3. *qu.* 23. *num.* 35. & *seqq.* Alii volunt, revelationem privatam etiam ex parte rei revelatæ credi debere ab eo, cui fit, Fide Divina Theologica; & consequenter quæcumque revelantur a Deo, esse objectum materiale Fidei Divinæ, cum primo Veritas revelans sit ratio propria & proxima assentiendi omnibus quæcumque revelantur a Deo, sive privato homini, sive toti Ecclesiæ, & sive revelationes respiciant bonum commune, sive privatum: & huic sententiæ adhæret bon. mem. Cardinalis Gottus *Theolog. Scholastico Dogm. tom.* 10. *quæst.* 1. *dub.* 3. §. 2.

13. Quæres secundo; an satis sit probabilitas revelationis, ut qui eam habet, debeat aut possit ei fidem præstare, & ab ea regulam suorum morum desumere: quod est idem, ac quærere, an siquis ex indiciis, conjecturis, aliisve argumentis probabiliter putet, Deum sibi aliquid revelasse, debeat, aut possit fidem huic revelationi adhibere, ita ut possit actus proprios, vel alienos dirigere juxta id quod sibi judicat revelatum. Joannes Salas t. 2. *tom.* 1. *tr.* 8. *disp. unic. sect.* 5. *n.* 51. opinatus est, sufficere probabilitatem revelationis, ut quis ei possit fidem adhibere, & sic revelatis actiones suas, aut aliorum conformare. Exemplum profert Sacerdotis, qui probabili fundamento putaret, sibi a Deo revelatum esse, ut matrimonium contraheret, & concludit eum posse matrimonium contrahere, & uti dispensatione illa Divina dubia, & tantum probabili. Hurtado *inter tr. var. resolut. moral. tr.* 5. *de delictis generantibus suspicionem in Fide cap.* 6. §. 7. *n.* 876. distinguit inter revelationem privatam de aliquo bono faciendo, aut malo vitando, & revelationem laxamenti, ac dispensationis (ut loquuntur) in materia præcepti: & quoad primam ait, unumquemque in suo sensu posse abundare, & sic fidem adhibere posse revelationi etiam probabili ratione materiæ, in qua nullum adest periculum; secus autem quoad secundam. Hoc sensu locutus fuisse videtur Hieronymus Savonarola *in compendio revelationum pag.* 278. cum earum defensionem assumens scripsit: *Cum ergo quæ a me prædicta sunt, nec Fidei, nec bonis moribus, nec rationi naturali adversentur, & verisimilia sint, ut multis argumentis diversis temporibus ostendi, quin etiam homines ad pie vivendum inducant, sicut experientia compertum est; sequitur, ut levitatis crimine argui non possit quisquis ea faciliter crediderit.* Torre *in* 2. 2. *Divi Thomæ quæst.* 95. *art.* 3. *disp.* 2. acriter impugnat sententiam Joannis de Salas, & dicit eam proximam errori, & statim ac prælo mandata fuit, abrasam jussu Tribunalis sanctissimæ Inquisitionis propter tristes eventus, qui ex ea potuissent oriri: quod late prosequitur Gravina *par.* 2. *oper. cit. lib.* 2. *c.* 2. §. *Dubitatio gravissima.* Non sufficit ergo probabilitas, sed requiritur evidentia Divinæ revelationis, ut quis ei fidem adhibere possit; & eo magis, si in materia revelata aliquid contineatur contra præceptum Dei, aut Ecclesiæ. Exemplum est *in lib.* 3. *Regum cap.* 13. in quo Propheta Dei occisus est a leone, quia fecit contra certam Divinam revelationem, quam habebat de non comedendo in Bethel *v.* 9. (*Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam, qua venisti*) adhærens probabili revelationi, quam alter Dei Propheta, licet malus vir, se habuisse dixerat, Deum videlicet concessisse, ut comederet *v.* 18. *Et ego Propheta sum similis tui, & Angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam. Fefellit eum, & reduxit secum:* super quo sacræ Scripturæ textu ita ad rem ratiocinatur Tostatus *qu.* 15. *Quia Deus locutus fuerat ipsi viro Dei, quod comederet in Bethel, ideo non debebat credere contrarium, quousque tam claro constaret sibi, quod Deus dixisset istud, sicut constabat sibi, quod Deus dixerat, quod non comederet in Bethel; sed istud constabat sibi per revelationem manifestam. Ergo, quousque constaret istud per similem revelationem, non tenebatur*, id est, non poterat *credere*. Nec omitti potest, quod si de Fide Divina loquamur, qua plerique docent, eum ad credendum teneri, cui facta est privata revelatio, proscripta omnino dici potest sententia, quæ probabilitatem Divinæ revelationis tanquam sufficientem admittit. Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 9. ita loquitur: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua Gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se Gratiam Dei esse consecutum.* Si autem sola probabilitas revelationis sufficeret, possemus per internos & iteratos actus Contritionis Fide Divina credere, nos esse Gratiam Dei consecutos, cum id probabilissime eruatur ex illa propositione revelata universali, contritum Gratiam assequi, & ex altera satis probabili, nos esse vere contritos. Idcirco inter *propositiones die* 2. *Martii* 1679. *damnatas* ab Innocentio XI. *vigesima quinta* est hæc: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

14. Quæres tertio, quid dicendum sit de illis, ad quos revelationes diriguntur, vel de aliis, ad quos non diriguntur, an, & quam fidem eis debeant adhibere. Tertium hoc quæsitum differt a duobus primis, cum prima duo respiciant personam, cui fit revelatio, & hoc tertium ad alias personas pertineat, ad eas videlicet, quibus revelatio dirigitur, & ad alias, quibus non dirigitur. Cardinalis de Lugo *de Fide disp.* 1. *sect.* 11. docet, illum, cui proponitur & denuntiatur revelatio illa privata, debere credere & obedire Dei mandato, sive nuntio, si proponatur cum sufficientibus argumentis; Deus enim illi loquitur, saltem per alium, ac proinde ab eo exigit fidem: ex quo fit, ut fidem teneatur adhibere Deo illam exigenti. Concordat Arauxo *in decis. moral. tr.* 3. *quæst.* 23. §. 2. *num.* 50. dummodo non habeantur pro sufficientibus nisi illa argumenta, de quibus superius sermo habitus est. Quod autem attinet ad ceteros, ad quos revelatio non dirigitur, tam Cardinalis de Lugo, quam Arauxo asserunt, eos non teneri reipsa credere tali revelationi; nec, si credant, talem assensum posse esse Fidei Catholicæ, aut Divinæ, cum non innitatur Divino testimonio, quod est ratio formalis & propria Fidei Divinæ; non resolvitur enim proxime in ipsam revelationem factam personæ privatæ; cum non constet, nisi ex sola narratione referentis; neque in revelationem, ut vocant, *mediatam*, cum non dirigatur ad illos, neque Deus loquatur cum illis. Resolvitur ergo solum in humanum testimonium ejus,

qui refert aliis suam privatam revelationem: quare, cum illis desit objectum formale Fidei Divinæ, assensus non potest esse nisi solius Fidei humanæ.

15. Quæres quarto, quid dicendum sit de revelationibus privatis a Sede Apostolica approbatis, ex. gr. Beatæ Hildegardis, & Sanctarum Birgittæ, & Catharinæ Senensis. Porro *lib. 2. cap. 32. n. 11.* diximus, prædictis revelationibus, etsi approbatis, non debere, nec posse a nobis adhiberi assensum Fidei Catholicæ, sed tantum Fidei humanæ, juxta regulas prudentiæ, juxta quas prædictæ revelationes sunt probabiles, & pie credibiles. Nonnullos *loc. cit.* allegavimus Auctores: nunc alios addimus. De assensu Fidei Catholicæ hisce revelationibus non adhibendo, ita loquitur Melchior Canus *de locis Theolog. lib. 12. cap. 3. concl. 3. Quia vero nihil Ecclesia refert ea credere, an non, quæ Brigidæ, Catharinæque Senensi visa sunt, nullo certe modo ad Fidem illa referuntur.* Cardinalis Cajetanus *tom. 2. opusculor. tract. 31. cap. 1. Catholicis revelationibus, quæ factæ sunt Apostolis, & Prophetis,* docet esse inhærendum, tamquam Fidei nostræ fundamentis: at revelationibus privatis, quæ factæ sunt Sanctis, licet approbatis, ait tanquam probabilibus esse inhærendum: *Revelationibus Catholicis inhæremus, tanquam necessariis, ita quod se hæreticum comprobat, quicumque pertinaciter alicui earum adversatur. Revelationi autem factæ Sanctis, quorum doctrinam Ecclesia suscipit, tamquam probabilibus, inhæremus, ut Divus Augustinus, Thomasque scripserunt, & magistra rerum experientia continuo testatur.* Concordat Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib. 4. cap. 1. quæst. 3. sect. 4.* ubi hæc habet: *Henricus de Hassia, & Sibyllanus, ambo Catholici, ambo religiosi, sed, ut verum dicam, nonnihil audaces, volunt, Divæ Birgittæ, & similium revelationes non debere haberi pro indubitanter veris, nec acceptari tamquam a Spiritu Sancto editas. Qui si hoc intelligerent de certitudine Fidei Catholicæ, ejusque veritate, item de editis a Spiritu Sancto dictante . . . sane verum dicerent. Sed puto, neminem paulo prudentiorem tale quid unquam opinatum. Argumenta quoque illarum, cum longe tendant ulterius, indicant, eos longe aliud voluisse, scilicet, loqui de certitudine humana, seu morali, & de dictamine Spiritus Sancti in Divinis revelationibus ordinario: quod sane nimis multum de auctoritate & opinione sanctarum Christi Sponsarum est decerpere.* Huc facit formula approbationis factæ a Cardinali de Turrecremata revelationum S. Birgittæ *tom. 1. prædictar. revelat. (cap. 6. art. 1.): Plane omnes & singulos* (loquitur de libris Revelationum) *accurato satis studio juxta vires meas examinavi, & nullum eorum pie & modeste intellectum reperiens sacræ Scripturæ, aut sanctorum Patrum adversum sententiis; sed consonum & conformem satis reputo unumquemque, & omnes eos juxta eorum modestam & piam intelligentiam esse admittendos, & posse legi in Ecclesia sancta Dei eo modo, quo multorum aliorum Doctorum libri, & Sanctorum historia, & Legendæ licentiantur legi Fidelibus.* Quocirca Vasquez *3. part. tom. 2. disput. 117. num. 77.* haec subjicit: *Revelationes quoque Sanctæ Birgittæ probatæ fuerunt &c. quia tamquam piæ, & absque ulla superstitione prudenter a populo recipi possint.* Optime Salmanticenses *tract. 17. de Fide disput. 1. num. 115.* Ex quibus proinde sequitur, posse aliquem, salva & integra Fide Catholica, assensum revelationibus prædictis non præstare, & ab eis recedere, dummodo id fiat cum debita modestia, non sine ratione, & citra contemptum. Dum Romæ annis præteritis ageretur de resumenda causa Tirasonen. Beatificationis & Canonizationis Ven. Servæ Dei Sororis Mariæ a Jesu de Agreda, & de ipsius revelationibus examen instituendum esset, Theologorum Seraphicæ Religionis, & causæ Postulatoris opus vulgatum est typis Cameralibus impressum anno 1730. ubi *pag. 297.* hæc habentur: *Theologi, & Mystici fatentur, quo revelationes privatæ, quamvis probatæ & receptæ, etsi ab illis, qui tales revelationes patiuntur, credi debeant, apud alios contrariæ* (sermo est de sententiis, quæ dictis revelationibus adversantur) *eamdem retinent probabilitatem, quam ante revelationem habebant.* Hurtado *in supra cit. tract. 5. cap. 6. §. 5. num. 836. & seqq.* post relatas approbationes revelationum S. Birgittæ factas a summis Pontificibus, subjicit: *Non enim volunt isti summi Pontifices, quod hujusmodi revelationibus non possimus dissentire: siquidem Cardinalis Turrecremata, qui fuit validus defensor harum revelationum, & refert præfata verba Pontificum . . . . . . dissensit revelationi Sanctæ Birgittæ factæ, quod Virgo Beata fuit concepta sine peccato originali, scribens tractatum integrum, quod fuerit in originali concepta.* Notanda sunt verba supra relata Cardinalis a Turrecremata *in approbat. revelation. S. Birgit. pie ac modeste intellectum*; quæ forte respiciunt ea quæ habentur *lib. 4. declar. revelation. cap. 132. num. 5.* ubi inducitur Christus Dominus Sanctam alloquens, & de malis Sacerdotibus conquerens: *Perdiderunt clavem, qua miseris deberent aperire cælum;* necnon alia, quæ habentur *lib. 7. cap. 7. num. 4.* ubi sic legitur; *Dico, quod veri Presbyteri sunt, & vere conficiunt corpus Christi filii mei omnes illi Sacerdotes, qui non sunt hæretici, quamvis alias sint pleni multis aliis peccatis.* Benigna quippe & pia interpretatione, quæ modo relata sunt, explicari debuerunt, hoc est, malos Sacerdotes perdidisse clavem, qua miseris deberent aperire cælum, non quia, si potestate data utantur, debita intentione, ac materia intercedente una cum forma, valide non absolvant, sed quia Sacerdotibus malis administratio Sacramentorum jure prohibetur; item, Presbyteros hæreticos non conficere corpus Christi, non quia, si rite & recte initiati sint, & intentionem habeant, & utantur debita materia & forma, valide non consecrent, sed quia illis conficiendi & consecrandi exercitium jure pariter prohibetur, quemadmodum explicat Durantus *ad cit. capitula revelationum.*

16. Quæres quinto, an aliquæ irrepserint apocryphæ inter revelationes, quæ sunt approbatæ. Dictum est approbatæ; de ceteris etenim, quæ approbatæ non sunt, nulla esse potest difficultas. Revelatio quippe, quæ appellatur Pauli, apocrypha est; revelatio, quæ appellatur Thomæ, apocrypha; Revelatio, quæ appellatur Stephani, apocrypha; uti bene animadvertit Joannes de Ragusio Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis *in oratione habita in Concilio Basileensi tom. 12. editionis Labbeanæ pag. 1086.* Itaque de approbatis loquentes, affirmando respondemus: quocirca apocrypha censetur Revelatio a nonnullis adscripta Beatæ Coletæ, in qua dicitur S. Annam tres habuisse maritos; uti late ostendunt Canisius *lib. 1. de Beata Virgine cap. 4. §. Est autem*, & Lorinus *ad cap. 1. in Acta Apostolorum*: apocrypha declarata fuit Revelatio, quæ facta asseritur S. Birgittæ a S. Michaele, & Elisabeth, uti videri potest apud Cardinalem Albitium *de inconst. in Fide par. 1. cap. 40. num. 130. & 140.* Circumfertur quoque Revelatio S. Catharinæ Senensis de Beata Virgine concepta in peccato originali, de qua nonnulla habentur apud S. Antoninum *part. 3. histor. tit. 23. cap. 14.* Sed, cum inter visiones, & revelationes S. Catharinæ collectas a B. Raymundo Capuano nullum prædictæ revelationis vestigium reperiatur, non levis hinc oritur suspicio, eam fuisse superadditam, atque ideo inter apocryphas esse recensendam; uti late ostendit Cardinalis Guttus *in tract. de vera Ecclesia tom. 1. cap. 3. §. 7. num. 15.* & rectissime exponit Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib. 4. cap. 2. quæst. 7. sect. 3. §. Joannes Franciscus.* Gerson *in tract. de examinatione doctrinarum par. 2. considerat. 3. in fine col. 16. oper. tom. 1.* narrat, Gregorium XI. morti proximum cum esset, dextera tenentem sacrum Christi Corpus protestatum esse coram omnibus, & monuisse, ut caverent cum a viris, tum a mulieribus *sub specie religionis loquentibus visiones sui capitis; quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat, & Ecclesiam ad discrimen schismatis imminentis, nisi misericors provideret Sponsus Jesus.* Spondanus *ad an. 1378. num. 2.* putat, iis verbis Gregorium intelligere voluisse suasiones Petri Aragonii, ac SS. Birgittæ, & Catharinæ Senensis. At Natalis Alexander *in vita* hujus Pontificis falsam existimat prædictam narrationem a Gersonio expositam, cum Auctor *primæ vitæ Gregorii*, qui erat ipsi coætaneus, de ea non loquatur; & Gregorius spiritum S. Catharinæ probasset, eamque prophetiæ dono auctam fassus esset, quando ipsi votum de petenda Urbe occulte factum, & Pontifici soli ac Deo notum, divinitus se agnovisse monstravit. Legi potest Pagi junior *in breviar. gestor. Roman. Pontif. tom. 4. in vita Gregorii XI. in fine.* Ac Gersonius quidem SS. Virgines Birgittam, & Catharinam non nominavit. Marcus Antonius de Dominis Gersonium referens, memoratas sanctas mulieres recensuit. En ejus verba indigno Apostata digna *de republ. Eccles. lib. 7. cap. 5. num. 62. De Catharina Senensi procul dubio loquebatur Gregorius, & id notum erat Gersonio; sed eam noluit nominare. Est enim in historiis notorium, femellam illam, contra regulam humilitatis quæ Sanctas decet, & contra præceptum Apostoli se sub illusionibus visionum & revelationum Magistram in Ecclesia constituisse, & epistolis propemodum dogmaticis scribendis totam dedisse. Quibus, & Apostolatu suo prophetico miserum Gregorium decepit, eumque, ut Romanam residentiam importune resumeret, sub prætextu sanctitatis compulit. En quo secutum est schisma horrendum in Ecclesia, fructus ingens femininis sanctitatis: & ai-*

bile-

bilemiaus canonizata est. Quis talium Canonizationes approbet? At scelesti hujus nebulonis verba ad amussim profligat Arauxo *decis. moral. tract. 3. qu. 23. §. 1. num. 26.* ubi ostendit, S. Virginem Spiritu Dei, & jubente Romaon Pontifice, munus quod exercuit, obiisse; Gregorium in translatione Sedis non fuisse deceptum, cum ad eam teneretur; schisme eb eadem S. Catharina fuisse prædictum; egressum e Gellis, & ingressum Romæ hujus Pontificis feliciter successisse, prout prænuntiaverat; Gregorii e Gallie recessum causem schismatis non fuisse.

17. Quæres sexto, an contingere possit, ut aliquis Sanctus habeat revelationes non a Spiritu Sancto immissas, sed ortas e proprio judicio & ratiocinio, quatenus intellectus ejus pie affectione ductus, & imbutus opinionibus de re aliqua, quæ pietatem redolet, judicat, spiritum sibi esse Divinum, cum tamen invincibiliter fallatur. Jam supra, cum ageretur de spiritu prophetico, dictum est, aliquando sanctos Prophetas, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi, quædam proferre ex suo spiritu, suspicantes, hoc esse ex spiritu prophetiæ. Pari ergo ratione fieri potest, ut aliquis Sanctus ex anticipatis opinionibus, aut ideis in phantasia fixis aliqua sibi a Deo revelata putet, quæ a Deo revelata non sunt. Ite Hurtado *cit. tract. 5. de delictis generantibus suspicionem in Fide cap. 6. §. 5. n. 834. & seqq.* Affert exemplum revelationis S. Birgittæ, quæ sibi revelatum dixit, Christum Dominum, cum flagellaretur & crucifigeretur, verenda sua obtexisse velamine sibi oblato; cujus contrarium docent plures sancti Patres, quos refert & sequitur Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 36. sect. 4. §. Nihilominus.* Non desunt profecto scribentes Christum Dominum tempore flagellationis & crucifixionis verenda habuisse velamine tecta; & viri historiæ profanæ periti probant, eos, qui in crucem agebantur, nudos e cruce pependisse, sed verenda velamine tecta habuisse. Menoch. *de republica Hebræorum lib. 6. c. 2.* Tostatus *paradox. 5. cap. 42.* Salmeron *tom. 10. tract. 35.* Atque ex præcepta harum opinione Hurtado existimat, memoratam S. Birgittæ revelationem suam originem habuisse, vel habere potuisse. Nicolaus Lancicius *tom. 2. opusculorum pag. 49.* posita revelatione S. Catharinæ Senensis de Beata Virgine concepta in peccato originali, ita loquitur: *Si vere oratio illa fuit facta a Sancta Catharina, id eam dixisse non Deo revelante, sed ex proprio spiritu & sensu, tamquam quæ fuit filia spiritualis Patrum Dominicanorum, a quibus hanc sententiam edocta fuerat. Sciendum autem est, quando personæ aliquæ piæ abstractæ a sensibus aliquid loquuntur, sæpe eas loqui ex proprio sensu, & aliquando hallucinari. Hoc nimis certum est, & sciunt talium rerum periti, & constat ex historiis Ecclesiasticis authenticis, & ego possem nominare quasdam ex Sedis Apostolicæ decretis relatas in numerum Sanctarum, quarum dicta & scripta in raptibus & ex raptibus derivata legi magnis hallucinationibus respersa, ideoque non permissa imprimi.* Bollandiani *in parergon ad vitam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ad diem 25. Maji pag. 246. tom. 6.* probant, Raptus posse esse supra naturam, & ipsa substantia Divinos, sed in suis circumstantiis conformatos ad species naturaliter præceptas, quæ e Deo relictæ sunt in eo statu, in quo erant, quandoquidem id nihil intererat ad finem sibi propositum. Exemplum efferunt revelationum sanctarum mulierum, in quibus aliquando Christus tribus clavis cruci affixus apparuit, aliquando quatuor; item aliarum, in quibus S. Hieronymus cum leone astitit, aut S. Jacobus visus est peregrinationis insignibus indutus: autumant quippe, a Deo processisse ferventissimas eas meditationes Passionis Christi, pios eos effectus erga SS. Jacobum, & Hieronymum, sed Spiritum Sanctum novam certamque revelationem dare noluisse de numero clavorum, quibus Christus cruci affixus est. Ceterum neque S. Hieronymus, dum viveret, comitem habuit leonem (falsum enim est S. Hieronymum obvium habuisse sibi leonem valde rugientem, & qui in pede infixum haberet calami aculeum, saniemque e vulnere genitam abstersisse, & pannum pedi ejus alligasse, leonemque sanatum nunquam ipsum dimittere voluisse; cum id non S. Hieronymo, sed Abbati Gerasimo contigerit) sed cum leone pingitur, quia tanquam leo rugiit adversus Hæreticos, quemadmodum legi potest apud Cardinalem Baronium *ad annum 420.* & S. Jacobus, dum in humanis erat, peregrinationis insignibus usus non est, sed eo modo pingitur, ut intelligatur esse is, qui Callaico littore peregrinantibus frequenti celeberrima colitur peregrinatione. In corde Beatæ Claræ de Montefalco mirifica apparet informatio instrumentorum Passionis Christi, & trium clavorum, quibus cruci affixus dicitur. Cornelius Curtius Augustinianos *in libello de clavis Dominicis* rationibus, & auctoritatibus, & Imaginibus ostendit, non tres, sed quatuor fuisse prædictos clavos. Testatur, se cor Beatæ Claræ vidisse, & deinde subdit: *An, quia Deus illa talem de Crucifixo meditationem instituit, statues, talem quoque crucifixionem fuisse? Non arbitror, si sensu tantum communi non cares. Hæc instrumenta non ad Christi Passionem demonstrandam, sed ad ferventem Claræ amorem posteris declarandum collata sunt:* hisque perpensis, addunt Bollandiani *loc. cit.* Deum non esse dignatum Claræ phantasmate ad normam sibi notæ veritatis aptare & corrigere; cum id nihil faceret ad spiritalem fructum, quem eo miraculo curabat.

18. Quæres ultimo, an in judicio Beatificationis & Canonizationis habenda sit aliqua ratio revelationum cælestium, & Divinarum. Contelorius *de Canoniz. SS. c. 5. n. 17. & seqq.* docet, ex revelationibus non inferri sanctitatem. Scacchus *de not. & sign. sanctit. sect. 8. cap. 4. pag. 622.* ita scribit: *Nullum aut sanctitatis argumentum ex solis revelationibus sumi posse ad effectam Beatificationis & Canonizationis alicujus, certo constituendam est, quia satis dubium est & difficile judicatu, num revelationes sint a Deo &c. Quinimmo, etiamsi probabiliter constaret, revelationes, de quibus agitur, a Deo extitisse, nondum tamen solidum erunt sanctitatis argumentum, cum iis non consistat Christiana perfectio . . . . . nec revelationes non faciant Deo gratiores, aut Proximo utiliores.* Adhæret Martinus del Rio *disquisit. magicar. lib. 4. cap. 1. quæst. 3. sect. 2. §. Objiciat forte aliquis.* At quemadmodum cum de ceteris Gratiis gratis datis sermo habebatur, dictum est, earum habendam esse rationem in judicio Beatificationis & Canonizationis, si de virtutibus constet in gradu heroico, quoniam, licet prædictæ Gratiæ e Deo aliquando conferantur etiam peccatoribus, sæpius tamen Justis conferuntur; ita hoc ipsum efferendum Nobis esse videtur de revelationibus, quemadmodum bene animadvertit Matthæuccius *in pract. Theologo-Canon. ad caus. Beatificat. & Canonizat. tit. 3. cap. 3. ar. 3. num. 25.* Quocirca concludendo dicimus, in judicio Beatificationis & Canonizationis oportere, ut examen præcedat dictarum revelationum, & ut a sacra Congregatione declaretur, in eis nihil contineri contra Fidem, vel bonos mores, neque aliquam doctrinam novam vel peregrinam, aut a communi sensu Ecclesiæ & consuetudine alienam, ad normam decretorum Urbani VIII. & juxta ea quæ adduximus *lib. 2. cap. 32.* Peracto examine, approbatisque revelationibus, necesse est, ut in alio judicio constet de virtutibus heroicis. Expedit, & forte necesse est, ut exploratum sit de judicio ejus, cum quo Servus, aut Serva Dei revelationes suas communicarunt. Durantus *in tract. de visionibus cap. 11.* meminit judicii lati a probatissimis viris de revelationibus S. Birgittæ. Eugenius Pontifex, ut probaret, an revelationes S. Hildegardis Virginis essent a Deo, viros idoneos ad eam transmisit, qui ipsius spiritum examinarent, quemadmodum legitur in ejus vita scripta a Theodorico Abbate *lib. 1. c. 4.* apud Laurentium Surium ad diem 17. Septembris: *At Papa summæ discretionis, auditu tantæ novitatis attonitus, cum Deo sciret cuncta esse possibilia, rem diligentius investigare gestiens venerabilem Virduni Præsulem, & cum eo Adelbertum Primicerium, aliasque personas idoneas dirigit ad cœnobium, sub quo eadem Virgo tot annis degebat inclusa, ut sine strepitu, vel curiositatis acumine, quid verum esset, ab ipsa sciscitarentur. Quibus humiliter inquirentibus cum illa simpliciter quæ de se erant, aperuisset, ad Apostolicum redierunt, & magna ipsius, magna cunctorum astantium exspectatione, quæ audierunt, retulerunt.* Concordant quæ habentur apud Scacchum *de not. & sign. sanctit. sect. 8. cap. 4.* ubi ait suspectam esse sanctitatem illorum, qui facile revelationibus sibi factis fidem adhibent inconsultis Theologis, & Confessariis. Præter hæc ex processibus videndum est, an qualitates adsint, quæ in superioribus narratæ sunt, & quarum ope discernitur, num revelationes fuerint a Deo, an non; & quatenus de hucusque deductis plane constet, in judicio Beatificationis & Canonizationis habenda erit ratio revelationum, utpote quæ illustriorem reddunt sanctitatem; uti notavit Arauxo *in dec. moral. tract. 3. quæst. 23. n. 17. Quando revelationes ac visiones conjunctæ sunt cum miraculorum dono, & vitæ sanctitate, maxime quæ in heroicis splendet virtutibus, valde ad probationem sanctitatis conducunt, ut patet ex vitis Sanctorum, & relationibus, ac processibus Canonizandorum.*

F I N I S.

APPENDICES

QUINQUE

MONUMENTA

COMPLECTENTES

AD HUNC

TERTIUM LIBRUM

PERTINENTIA.

APPENDIX PRIMA.

EPISTOLA
MARIÆ STUARTÆ

Jacobi V. Regis Scotiæ filiæ, & Angliæ Reginæ ad Summum Pontificem Sixtum V. data;

Cujus facta est mentio in cap. 13. num. 10. eu Gallico autographo;

JESUS MARIA



Pater Sancte,



QUANDOQUIDEM Deo placuit per suam Divinam providentiam certum in Ecclesia sua ordinem constituere, ex cujus præscripto voluit, ut sub ejus Filio Jesu Christo Crucifixo omnes in illum credituri, & qui baptizarentur in nomine Sanctæ Trinitatis recognoscerent unam Ecclesiam universalem & catholicam pro Matre, cujus mandata, sub pœna damnationis, una cum decem præceptis Legis debemus observare; requiritur ut unusquisque, qui ad vitam aspirat æternam, hic oculum habeat fixum. Cum igitur ego ex Regibus & parentibus in eadem Ecclesia baptizatis orta sim, & ipsa quoque similiter baptizata, & alterius, licet indigna, ab uberibus matris evecta ad Regiam dignitatem, uncta quoque & consecrata ex ejusdem Ecclesiæ auctoritate, & per ejus ministros, ac sub illius alis, & in ejus gremio nutrita & educata, atque per eam instructa de illa obedientia per omnes christianos ei debita, quem illa, Spiritu Sancto directa, elegit: secundum antiqua decreta, & ordinationes primitivæ Ecclesiæ, ad Sedem Apostolicam, uti nostrum in terris caput, cui Jesus Christus in suo ultimo testamento Petro loquens de hujus Ecclesiæ fundamento, saxo videlicet vivo, potestatem dedit ligandi & solvendi pauperes peccatores a vinculis Satanæ, per se aut suos ministros ad id deputatos, ab omnibus criminibus & peccatis per nos commissis & perpetratis, si nos illorum pœniteat, & quantum in nobis est, satis pro illis faciamus, postquam illa secundum Ecclesiæ ordinationes sumus confessi: ego testem appello meum Salvatorem Jesum Christum, beatam Trinitatem, gloriosam Virginem Mariam, omnes Angelos & Archangelos, Sanctum Petrum pastorem, meum singularem intercessorem, & specialem advocatum, Sanctum Paulum gentium Apostolum, S. Andream, & omnes Sanctos Apostolos, Sanctum Georgium, & in universum omnes Paradisi Sanctos & Sanctas, me semper vixisse in hac fide, quæ est Ecclesiæ universalis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, in qua ego regenerata semper in animo habui debitum meum Sanctæ Sedi Apostolicæ persolvere obsequium, cujus desiderii, non sine magno animi mei dolore, non potui justum præstare testimonium Sanctitati Vestræ, per hanc meam captivitatem, & propter longam quoque corporis infirmitatem. Sed cum nunc Deo placuerit, Sanctissime Pater, permittere propter mea, & hujus infelicis Insulæ peccata, ut ego ex Angliæ & Scotiæ sanguine Regio sola jam relicta, quæ hanc fidem profitear, sim post viginti annorum captivitatem, in stricto carcere conclusa, & denique ad mortem condemnata per Ordines & hæretica Comitia hujus regionis; uti hodie mihi fuit significatum ore proprio Baronis Bucherst, per Annam Paulerum meum custodem, quendam Dereum Drurium equestris ordinis militem, & Secretarium nomine Beal eorum Reginæ nomine, qui & mihi præceperunt, ut me ad mortem obeundam pararem, & ad me consolandum obtulerunt unum ex suis Episcopis, & quendam Decanum (Sacerdotem enim, quem habebam, jam diu mihi abstulerunt, & penes se nescio quo in loco detinent) existimavi meas esse partes primum ad Deum converti, & deinde rem omnem mea manu Sanctitati Vestræ significare; ut licet non possim hæc ante mortem ad notitiam vestram deducere, saltem post meam mortem ejus causa & occasio ei innotescat; quæ sane causa, si res tota bene perpendatur & consideretur, est subversio religionis illorum, uti dicunt, in hac Insula per me machinata, & ad meum favorem attentata tam per proprios eorum subjectos Sanctitati Vestræ obedientes, qui eisdem se se inimicos declararunt, quam per exteros, & præsertim Principes Catholicos, & meos propinquos; qui omnes (uti isti exprobrant) meum ad Coronam Angliæ jus tuentur, meque talem nominant in suis orationibus, in Ecclesiis, & per earum Ministros hujus nationis, qui mihi subjectionem & obedientiam profitentur. Remitto Sanctitati Vestræ, ut consideret hujus judicii sequelam, & præjudicium, eamque rogo, ut curet preces ad Deum ferri pro mea misera anima: & pro illorum quoque animabus, qui mortui sunt, aut morientur vi ejusdem aut similis judicii; Eleemosynas quoque distribuat ad Dei honorem (& idem fieri ab Regibus curet) illis, qui ex hoc naufragio vivi evadent. Et cum mihi animus is sit, ut, secundum Ecclesiæ constitutiones, peccata mea confitear; pœnitentiam, quantum in me erit, faciam; meum viaticum recipiam, si meum obtineam Capellanum, aut alium legitimum Ecclesiæ Ministrum, qui hæc mihi Sacramenta administret, & si ille mihi desit, corde contrito & pœnitente me prosterno ad pedes Sanctitatis Vestræ, & Deo confiteor, & omnibus Sanctis, ac Paternitati Vestræ me indignam esse peccatricem, & damnationis æternæ ream, nisi Deo propitio placuerit, qui pro peccatoribus mortem obivit, me recipere ex sua infinita misericordia ad numerum pauperum peccatorum pœnitentium, & ad suam misericordiam; vobisque supplico, ut hanc meam generalem submissionem & humilitatem recipiatis pro testimonio meæ intentionis, & animi adimplendi reliqua ad normam ab Ecclesia ordinatam, & præceptam, si id mihi permittatur; ac mihi vestram detis absolutionem generalem, uti nostis & scitis esse requisitum & consultum ad Dei Gloriam, Ecclesiæ honorem, & salutem pauperculæ animæ meæ; inter quam & Dei justitiam interpono san-

guinem Jesu Christi pro me crucifixi, & pro omnibus peccatoribus; ex quibus ego me esse unam maxime execrabilem confiteor, cum respicio infinitas, quas ab eo gratias recepi, & male recognovi & impendi; quæ res me remissionis indignam redderet, nisi me audacem faceret ejus promissio, qua omnes peccatis & calamitatibus spiritualibus oneratos ad se invitat, ut ab eo subleventur, & ejus misericordia juventur, ut juxta ejus mandatum ad eum veniam, meamque sarcinam portem; quo per eum exonerari possim, ad exemplum filii prodigi; & ulterius ad pedem Crucis ejus libenter offero meum sanguinem pro defensione Ecclesiæ ejus, & fideli erga eum zelo; sine cujus restauratione ego nunquam vivere desidero in hoc scelerato sæculo. Præterea, Pater Sancte, cum nulla mihi in hoc mundo sint relicta bona, supplico Sanctitati Vestræ, ut mihi a Rege Christianissimo impetret, ut ex mea dote æs alienum a me contractum dissolvatur, & stipendia dentur servis meis pauperibus ac miseris, & fiat anniversarium funus pro anima mea, & omnium Confratrum nostrorum, qui pro hac justa causa obierunt: nec enim aliud mihi peculiariter propositum fuit, uti mei pauperes servi in ista mea calamitate mecum præsentes vobis testabuntur, & affirmabunt; quemadmodum in hæreticorum horum conventu meam libenter vitam obtulerim pro defensione meæ Religionis Catholicæ Apostolicæ, & Romanæ, & reductione eorum, qui in hac Insula sunt seducti; & protestata fuerim, me eo casu libenter relicturam omnem titulum, omnemque dignitatem Regiam, & omnem exhibituram honorem, omneque servitium eorum Reginæ, si illa desistere vellet, & abstinere a Catholicorum hominum persecutione. Ut brevis sim, protestor hunc esse scopum, ad quem collineavi semper, ex quo tempore in hac regione moror; nec ullo teneor regnandi desiderio, aut aliena occupandi mei lucri causa; cum morbo & longa calamitate ita fracta & debilitata sim, ut nullum jam restet desiderium me in aliis hujus mundi rebus implicandi, quam in Ecclesiæ servitio, & animabus hujus Insulæ Deo lucrandis; ad cujus rei testimonium in hoc vitæ meæ fine non omittam præferre salutem publicam privato commodo carnis & sanguinis. Vos itaque rogo, non sine dolore vel morte ipsa acerbiori, quem concipio ex perditione mei filii, ut postquam illum modis omnibus conati eritis lucrari, tanquam verus Pater (uti fuit Sanctus Joannes Evangelista illi adolescenti, quem a consortio latronum retraxit) accipere dignemini tandem omnem eam auctoritatem in eum, quam ego vobis possum dare ad illum cogendum; & si vobis placuerit, appellare Regem Catholicum, ut vos adjuvet per temporalia, & ut communi vestro consilio tentetis eum matrimonio alligare. Quod si Deus propter mea peccata permiserit, ut obstinatus persistat, cum nullum sciam esse Principem hodie, qui magis pro religione contendat, aut majoribus polleat viribus & modis ad procurandam reductionem hujus Insulæ, quam Regem Catholicum, cui ego quoque plurimum debeo & obstricta sum, quia ipse me unus suis & nummis & consiliis juvit in meis necessitatibus, sub vestro arbitrio totum jus, quod ego habere possum ad hujus Regni regimen, si meus filius obstinatus extiterit extra Ecclesiam, eidem Regi Catholico defero. Si vero reduci poterit, cupio illum per Regem Catholicum & meos propinquos Guisianos juvari & defendi, eorumque consiliis dirigi, eique per meam ultimam voluntatem præcipio, ut illos, post Sanctitatem Vestram, Parentum loco teneat, & ex eorum consilio & consensu affinitatem contrahat cum una ex his duabus familiis; utinam autem Deo placeret, ut dignus haberetur, qui gener fieret Regis Catholici. Ecce cordis mei secretum, & finem meorum in hoc mundo desideriorum, quæ tendunt, uti Ego existimo, ad Ecclesiæ commodum, & meæ conscientiæ liberationem. Et hoc exhibeo ad pedes Sanctitatis Vestræ, quos humillime exosculor. Narrabitur vobis, quomodo fuerim nuperrime capta, & quæ acta sint contra me & pro me; ut, ubi veritatem intellexeritis, calumniæ, quas mihi Ecclesiæ hostes impingere volent, possint per vos refelli, & veritas rerum appareat, ob quam causam, qui has perferret, ad vos misi. Postremo peto Sanctam benedictionem vestram, & ultimum Vale dico Sanctitati Vestræ, & Deum rogo, ut vos sua gratia munitum diu servet, ad Ecclesiæ commodum, & vestri gregis afflicti, præcipue hujus Insulæ, quem hic relinquo valde dispersum, nisi Dei misericordia & vestra paterna sollicitudo succurrat. Ex Fodringhay hoc die 23. Novembris 1586.

Excuset scriptionem hanc apud Sanctitatem Vestram brachii mei infirmitas. Audio non sine magno meo dolore malos rumores de nonnullis, qui isthic sunt apud Sanctitatem Vestram, qui stipendia ab hoc Ordinum statu recipere dicuntur, ut Dei causam prodant; & in ea re Cardinales quoque implicantur. Sanctitati Vestræ remitto, ut id examinet, & observet oculis attentis quendam Sancti Joannis Dominum, quem plurimi suspicantur magni hujus Thesaurarii esse exploratorem. Sunt sane falsi fratres. Spondeo vero illos, quos ego commendavi, esse integros.

Vestræ Sanctitatis humillima & devota filia

Maria Regina Scotiæ
Dotaria Franciæ.



A P-

APPENDIX SECUNDA.

S. D. N. URBANO PP. VIII.

Japoni, seu Ordinis B. Francisci Fratrum Discalceatorum

Canonizationis viginti sex Martyrum Relatio

TRIUM SACRÆ ROTÆ AUDITORUM DEPUTATORUM

JOANNIS BAPTISTÆ COCCINI Decani.
ALFONSI MANZANEDI Patriarchæ Hierosolymitani.
PHILIPPI PIROVANI Auditoris.

In qua Processuum acta, & probationes expenduntur, & judicium super Canonizatione facienda interponitur ad præscriptum Sacrorum Ritualium S. R. E.

Cujus sæpe facta est mentio, cum de Martyrio ageretur.

BEATISSIME PATER

EX ultimis Terræ finibus in tuum conspectum prodeunt hodie invicti Fidei pugiles, Christianæ Religionis testes, constantes Catholicæ veritatis assertores: Tuæ Sanctitatis solio se sistunt formosi in stolis suis, in accepto gloriantes vulnere, ipsis honorifico, aliis salutari. Ad remotissimas enim Orbis plagas progressi, ut Christi nomen portarent coram Gentibus, tolerarunt fortiter usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, & Divino quodam usi doctrinæ compendio pro salutifera gloriosi nominis confessione ita occubuerunt, ut plurimos ex mortifera infidelitatis caligine ad luminosam vivificæ fidei professionem erexerint. Et nimirum, cum illi censendi sint vere fidei Magistri, qui & fidem proprio sanguine confirmant, & plures pariunt Christo discipulos monendo, quam docendo; ita probatum est in horum Martyrum tormentis, in remotissimis Indiis plures Christiano nomini ex Cruce, quam ex Cathedra, aggregasse discipulos, dum insignes Magistros viderunt, eam fidem, quam verbo docuerunt, Sanguine rubricasse. Istos defensores fidei hodie Beatitudini Vestræ præsentamus, ut etiam in ultimis finibus terræ perspiciat, quales habeat Christiana Religio fortes Athletas, & quantum undique Catholica fides suscipiat incrementi, & quantum in illis partibus propagetur, & dilatetur. Quæ magis absque dubio augebitur, dum novella illa fidei germina viderint suos Magistros Sanctorum honore celebrari, & quam ab eisdem hauserunt doctrinam, in publico eorumdem cultu firmiter approbari. Japonensi enim Ecclesiæ isti novellæ, cujus triumphum narraturi sumus, Beatissime Pater, bene aptantur verba Cælestis Sponsi *Cantic. 8. Soror nostra parva est, & ubera non habet; quid faciemus Sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Ecclesia enim ista Japonensis parva est, & ubera non habet: parva non solum annorum ætate, sed exortæ tempestatis grandine percussa: ubera denique non habet, quia Ministros, & Doctores Evangelicos persecutionis pruina partim martyrio sustulit, partim in lateribus abdidit, unde non nisi furtim, & in occulto teneros adhuc filios Christiano lacte nutrire possit. Quid enim faciemus Sorori nostræ in die, quando alloquenda est? nempe quando a Tyrannis de fide sua interroganda est? Remedium est in promptu: *Si murus est, ædificemus super ea propugnacula argentea.* Martyres enim Ecclesiam, sicut columnæ, sustinent. Habet jam Ecclesia Japonensis plurima Martyrum propugnacula, nondum tamen argentea, nempe hujus Apostolicæ Sedis approbatione honorata. Quod si a S. V. obtinuerint isti primi Martyres, o quot alii ad fidem allicientur odore istius Portæ cedrino! Et maxime quando viderint istos Martyres describi in Cedro, Apostolicæ Sedis calamo numquam jam abolendos, sicque in dies magis, ac magis propagabitur in illis partibus fides; quatenus viderint Magistros, qui doctrina, proprio sanguine, & exemplo meruerunt in Sanctorum numero referri, & a Sanctitate Vestra declarari: tunc enim libentius imposterum *Deo servient viventi, illique soli honorem, & gloriam dabunt, qui hactenus immolarunt perituris.*

Ut jam igitur ad rem deveniamus, & in hac Relatione debitus ordo servetur, illam in tres articulos distinctos, & separatos dividendam duximus.

In primo namque articulo de processibus remissorialibus, & compulsorialibus, & qualiter fuerint legitime fabricati, agemus; ibique de examine testium, & quod fuerint valide examinati, ostendemus, deinde ad processum compulsorialem devenientes, & ad scripturas, & alia documenta compulsata. Quæ omnia demonstrabimus legitime, &, servatis servandis, de Jure confecta, ita ut Jura sic compulsata esse in forma probanti appareat.

In secundo vero articulo principali de Martyrio, & causa notissima illius, & qualiter Sancti Martyres in illo sustinendo se habuerint.

In tertio autem articulo, in quo alias solet tractari de miraculis, probabimus, quod illa non sunt necessaria in martyribus; ultra quod præterea enarrabimus aliqua in illorum morte antea, & postea secuta, quæ licet non firmemus fuisse miracula, & ne contrarium quidem affirmare audeamus, ea tamen tanquam mirabilia proponemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De processibus remissorialibus, & examine testium, necnon de processibus compulsorialibus.

COmmissa nobis a fel. rec. Paulo V. causa Canonizationis istorum Servorum Dei de anno 1616. prout in Commissione, de qua in *Registro fol.* 2. & ex subrogatione facta R. P. D. Pirovani loco bon. mem. Illustrissimi D. Cardinalis Sacrati tunc Rotæ Auditoris, de qua constat ex Commissione obtenta ad instantiam Ministri Generalis Ordinis Sancti Francisci expedita die 4. Februarii 1625. & de illa apparet in *Registro fol.* 98. & per nos humiliter acceptata Jurisdictione nobis per datas Commissiones tributa, deputavimus in Notarium causæ Quirinum Farinam Rotæ Notarium, qui præstitit Juramentum de fideliter exercendo, prout in *eodem Re-*

cistro fol. 7. & 8. & *seq. seq.* ad instantiam ejusdem Patris Generalis, & illius Procuratoris, de cujus Mandato constat in *Registro fol.* 37. fuerunt expeditæ Litteræ Remissoriales diversæ, ut patet ex sequentibus.

In primis Instrumentum Remissoriæ fuit expeditum pro nova Hispania, directumque DD. Archiepiscopo Mexicano, & Episcopo Tlaxcalen. simul cum duabus Dignitatibus, aut altera earum eligen. a prædictis Prælatis, ut in *Registro fol.* 50.

Secunda Remissoria fuit expedita pro nova Hispania, & Civitate Oppidangen. directa Episcopo Tlaxcalen. & duabus Dignitatibus ejusdem Ecclesiæ, seu alteri earum eligen. ab eodem Episcopo.

Aliud Instrumentum Remissoriæ exequen. in Regno Japonico directum Patri Vicario Provinciali Ordinis Sancti Dominici ejusdem Regni, & Fratribus Joanni de Rueda, & Hyacintho Orfanel, vel aliis duobus Patribus ejusdem Ordinis in eorum defectum, seu alteri illorum subrogandis in Conjudices, in *Registro fol.* 59.

Fuit illa Remissoria concessa pro Regno Japonico directa Vicario Provinciali Societatis Jesu, & duobus Patribus dictæ Societatis, seu alteri illorum, ut in *Registro fol.* 68.

Alia Remissoria fuit concessa pro Insulis Philippinis, & fuit directa D. Archiepiscopo Manilien. & duabus Dignitatibus illius Ecclesiæ, seu alteri illarum per ipsum Archiepiscopum eligendis, ut in *Registro fol.* 75.

Tandem & aliud Instrumentum Remissoriale fuit expeditum, directum D. Archiepiscopo de Goa, seu Gonen. & Episcopo Machanen. sive Chinen. simul cum duabus Dignitatibus, seu altera illarum de prædictis Ecclesiis, per ipsos Prælatos respective eligendis.

Dictæ Remissoriæ fuerunt per dictum Procuratorem præsentatæ cuilibet dictorum Judicum, qui illas, & Jurisdictionem sibi in illis commissam acceptarunt, & quilibet illorum nominavit Conjudices juxta ordinem sibi datum in dictis litteris, & unusquisque Episcopus, & Conjudex deputarunt Notarium pro Remissoria sibi directa exequenda, quin & Cursores, qui venerunt in forma de fideliter exercendo, designaruntque locum audientiæ, dies & horas pro audientia, & sic processerunt ad dictum examen quilibet in suo Districtu, & ut late apparet in *Registro*.

Et in quolibet supradictorum processuum Remissorialium testes fuerunt legitime examinati; cum unoquoque illorum processuum fuerint ad instantiam dicti Procuratoris relaxata Monitoria contra testes examinandos, quibus illa fuerunt præsentata, & cuilibet dictorum testium citatio in forma facta ad dictum effectum, & testibus coram Judicibus productis in locis, diebus, & horis assignatis, fuit per Judices ab illis receptum juramentum de veritate dicenda, *& fuerunt interrogati prius per interrogatoria Fiscalis*, deinde vero per Articulos Rotuli, & in fine simul cum dictis Judicibus, & Notario causæ se subscripserunt, ut apparet ex depositione cujuslibet ipsorum.

Et in quolibet dictorum Processuum Remissorialium fuit deputatus alter Notarius, qui cum Notario originali causæ auscultaret, & collationaret dictum processum, a quo Notario sic adjuncto fuit prius a Judicibus receptum Juramentum de fideliter collationando. Qua collatione facta, & diversis copiis cujuslibet dictorum processuum transumptatis, fuit illis omnibus adhibitum decretum judiciale, & ab ipsis Judicibus, & ab eisdem Notariis subscriptum, & tandem mandarunt, dictos processus claudi, & sigillari, prout fuit factum, & quod consignarentur Portitoribus ad illos transportandum ad Curiam. Qui Portitores jurarunt in forma de dicta transportatione fideliter facienda, prout apparet ab eventu sic fuisse factum, & dictos processus Remissoriales ad nos pervenisse, ut de omnibus constat ex *Registro*, & de quolibet illorum processu:

Ex prædictis fuimus in sententia, quod prædicti processus Remissoriales essent in forma probanti, & quod testes in illis adducti essent legitime examinati.

Ex dictis processibus sic ad Nos transportatis, ad instantiam dicti Procuratoris jussimus, illos recognosci, & aperiri, & interpretari, de Hispano in Latinum sermonem, prout factum fuit.

De Processibus Compulsorialibus.

IN Litteris Remissorialibus concessis pro Insulis Philippinis e Decretis D. Archiepiscopo Manilien. & duabus Dignitatibus illius Ecclesiæ, seu alteri illarum per ipsum Archiepiscopum eligen. ut in *dicto Registro fol.* 75. conceditur facultas eisdem Judicibus compulsandi quascumque Scripturas, & Instrumenta pertinentia ad hanc causam; & cum ibi apud Conventum Sancti Francisci reperiretur tantummodo Sententia Originalis per Imperatorem lata contra istos Sanctos Martyres, & quædam Epistola missiva, quam scripsit D. Petrus Martinez Societatis Jesu Episcopus Japonen. qui fuit præsens Martyrio dictorum viginti sex Servorum Dei, directa P. Provinciali Sancti Francisci Provinciæ Philippinarum; istarum duarum Scripturarum tantummodo per dictos Judices fuit facta compulsatio, & credimus, legitime factum fuisse, quia constat de præsentatione dictarum Litterarum facta legitimis Procuratoribus, de quorum mandatis jam supra diximus constare, quin etiam de acceptatione Jurisdictionis per dictum Archiepiscopum, necnon de deputatione duorum Conjudicum Dignitatum ejusdem Ecclesiæ, & illorum acceptatione, ac de deputatione Notaeii, & Cursoris una cum illorum Juramento, & de designatione loci, diei, & horarum pro actibus faciendis; de citatione illorum, penes quos Scripturæ compulsandæ reperiebantur, ut illas exhiberent, & de illarum exhibitione per eos facta; de decreto Judicum extractionis & compulsationis, & insertionis in actis una cum insertione subsecuta, de recognitione dictorum Jurium sic exhibitorum, & de Decreto Judicum, quod Scripturæ compulsatæ auscultarentur cum Notario ad hunc effectum deputato, & jurato, & compulsatas dictas Scripturas mandarunt Judices sigillari, & claudi, & tradi Portitori fideli cum solito Juramento ad effectum transmittendi ad Urbem, prout in effectu fuerunt transportatæ, & de Mandato Nostro consignatæ Notario Causæ apertæ, & recognitæ, & de Hispano in latinum Sermonem traductæ per Interpretem ad id deputatum.

Ex quibus visum fuit nobis, dictas Scripturas legitime fuisse compulsatas, quin & esse in forma probanti.

Nomina, Patria, & Numerus istorum Beatorum Martyrum.

ISti Sancti Martyres fuerunt viginti sex, quorum sex fuerunt Ordinis Sancti Francisci, & istorum tres erant Sacerdotes, reliqui erant Laici, & ex prædictis.

Fr. Petrus Baptista Sacerdos, & Concionator Commissarius oriundus ex Oppido de Sant Estevan in Diœc. Abulen. in Hispania.

Fr. Martinus de la Ascension, alias de Aguirre Sacerdos, & Concionator, & Lector Sacræ Theologiæ, oriundus ex Oppido de Vergara in Provincia de Guipuzcoa in Hispania.

Fr. Franciscus Blanco Sacerdos, & Concionator, oriundus ex Comitatu de Montery Diœc. Aurien. in Hispania.

Fr. Franciscus de S. Miguel, oriundus ex Oppido de la Parilla Diœc. Palantin. in Hispania.

Fr. Gundisalvus Garzia Laicus, oriundus de Bazain in India Orientali, & filius Patris Lusitani, & Matris ejusdem Indiæ.

Fr. Philippus de Jesu, alias de las Casas Chorista, oriundus ex Civitate Mexici in nova Hispania, cujus Pater, & Mater erant Hispani.

Alii tres erant Societatis Jesu, nempe

Joannes de Goto Doxicus, id est, Scholaris Patrum Societatis Jesu ætatis decem, & novem annorum.

Paulus Micki Fr. Societatis Jesu, & Concionator, & Japonen.

Didacus Quizai habitator in Usaca, & residebat in Domo Societatis Jesu Japonen.

Paulus Suzuqui Hospitalarius in Hospitali Fratrum Discalceatorum, oriundus ex Oari, Prædicator, & Interpres dictorum Fratrum.

Gabriel Regni de Ize, Doxicus diéloeum Fratrum ætatis 19. annorum.

Joannes Quizuja Japonen. oriundus ex Meaco vicinus eorumdem Fratrum.

Thomas de Ize Danqui, oriundus, ex Meaco, & Interpres eorumdem Fratrum.

Franciscus, oriundus ex Meaco, Medicus, & Interpres eorumdem Fratrum.

Thomas Cosaqm, qui in Missis ministrabat Fatribus, ætatis 15. annorum Japonen.

Joachin Saquijor, oriundus ex Usaca Japonen. Coquus dictorum Patrum.

Bentura, oriundus ex Meaco, qui, cum esset puerilis ætatis, recepit Baptismum; postea vero, cum remansisset Orphanus, reincidit in eamdem Idololatriam, sed tandem, cum illi in memoriam adduxissent, quod erat bapti-

baptizatus, se reconciliavit Sanctæ Ecclesiæ, mediantibus dictis Fratribus, & mansit apud ipsos.

Leon Carazuma, oriundus ex Voari Japonen. præcipuus Interpres dictorum Fratrum.

Mathias Japonen. oriundus ex Meaco, qui intravit in locum alterius Mathiæ, qui erat absens, quando fuerunt capti supradicti Martyres.

Antonius Doxicus, oriundus ex Hangataqui, qui ministrabat in Missa dicto Patri Commissario, ætatis 13. annorum, filius Patris Chini, & Matris Japonen.

Ludovicus Doxicus Japonen. oriundus ex Voari, ætatis dundecim annorum.

Paulus Yuaniqui, oriundus ex Voari, & vicinus in Meaco.

Michael Cozoqui, oriundus in Regno de Ixe, vicinus, & Familiaris dictorum Fratrum.

Petrus Suqueixein adauctus, qui cum associasset Martyres, illorum Custodes illum in catenam miserunt, & tandem cum illis fuit crucifixus.

Cosmus Raguya, oriundus ex Regno de Voari, & habitator in Meaco, occupatus in servitio pauperum Hospitalis dictorum Fratrum.

Franciscus Campinten adauctus, qui cum associasset dictos Martyres a Meaco, cum aliqua refectione fuit missus in catenam a Custodibus, & crucifixus cum ceteris Martyribus.

Quamplurima notatu digna Sanctitatis vitæ B. Martyris Fratris Petri Baptistæ potuissemus hic adducere; attamen, quia esset nimis prolixum, illa remittimus legenda in Historia Japoni, quam scripsit Frater Marcellus de Rivadeneyra ejusdem Religionis D. Francisci Discalceatorum *in lib. 6.* & in alia, quam scripsit de istis Martyribus Japoni Fr. Joannes de Sancta Maria Provincialis Provinciæ de S. Joseph Discalceatorum, quam direxit Catholico Regi Hispaniarum Philippo III. & in alia Historia Regnorum Japoni, quam scripsit Pater Ludovicus de Gusman Societatis Jesu *in secunda illius parte*, & maxime *in lib.* 13. quibus in locis legitur descripta Vita Sancta cujuslibet aliorum quinque Fratrum Discalceatorum, necnon Vita cujuslibet aliorum viginti Martyrum, & maxime in Historia Fratris Marcelli de Rivadeneyra, qui omnes in hoc exercitu militarunt pro Fide Catholica sub vexillo sui Prælati, Ducis, & Magistri Patris Petri Baptistæ, ad quas Historias circa hunc Articulum nos remittimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Martyrio, & causa illius, & qualiter Sancti Martyres in illo sustinendo se habuerint.

POstquam Pater Commissarius pervenit ad Japonem cum legatione sibi commissa a Gubernatore Maniliæ, & cum accessisset ad Imperatorem pro sua legatione significanda, illique litteras dicti Gubernatoris dedisset, & Imperator admiratus paupertatem istorum Fratrum, & vestitus illorum adeo humilis, & postquam Tyrannus cum illis fecit demonstrationes magni favoris, cœpit iste barbarus loqui superbe, cogitans suo barbaro favore vincere animos invincibiles dictorum Fratrum, & cum ista superbia Imperator petiit, quod Gubernator, & illi de Manilia ipsum recognoscerent tamquam vassallir, dando, prout tales, ipsi tributum annuum. Cui P. Commissarius, mediante suo Interprete, respondit, quod Rex Hispaniæ non recognoscebat alium, nisi solum Deum Regem Cæli, & Terræ, & quod, cum ipse in sua Epistola, quam scripserat dicto Gubernatori, asseruisset, velle amicitiam cum Rege Hispaniæ, & Gubernatore Maniliæ, nulla ratio admittebat petere ab ipsis tributum. Unde Imperator convictus prædicta ratione dixit, quod volebat amicitiam cum illis de Luzon, hoc est, Philippinarum, & attenta ista demonstratione amicitiæ, Fratres illi dixerunt, velle restare in illo Regno, quod Imperator admisit, & obtulit illis dare situm in sua Curia ad effectum, ut fabricarent Domum, & dixit, esse homines valoris, & æstimare quamplurimi illorum amicitiam. P. Commissarius cum suis Sociis se contulit ad Civitatem de Meaco, ubi Imperator continuo residet, & jussu illius fuit illis assignatus locus pro ædificando Monasterio, prout ædificatum fuit, & Ecclesia sub invocatione Sanctæ Mariæ Angelorum, quæ in festivitate gloriosi Patris Sancti Francisci fuit benedicta, & celebrata prima Missa, ibique continuo recitabantur horæ canonicæ tam diurnæ, quam nocturnæ, & celebrabatur Sacrum Missæ Sacrificium, & in oratione, disciplina, & jejunio semper Fratres exercebantur; & Pater Commissarius fecit ædificari prope Monasterium duo Hospitalia, alterum dedicatum Sanctæ Annæ, alterum vero Sancto Josepho, in quibus curabantur leprosi, & alii infirmi maxima cura, & diligentia Commissarii, & Sociorum, quin & summa caritate; quæ opera fuerunt maximæ importantiæ ad conversionem plurimorum. Nihilominus Imperator non sciebat de dicta conversione: nec quod Patres prædicarent publice Evangelium, nec quod baptizarent, prout faciebant, & in dies conversorum numerus augebatur, quod cum ad aures Tyranni Gubernatores, & quidem Faranda Eviemon pervenire fecisset, Tyrannus valde iratus ista relatione, & recordatus fuit, paucis retro annis sub pœna ultimi supplicii Prædicationem Fidei Catholicæ rigorose prohibuisse, & tunc de novo aliud simile Decretum contra Servum Dei Fratrem Petrum Baptistam, & Socios, & contra Japonenses, qui illis adhærebant, & Christiani facti fuerunt, promulgavit, & contra ipsos exequi mandavit hac tantum de causa, prout deponunt 18. Testes de certa scientia examinati *in Processu Remissoriali Mexicano fol.* 48. *& fol.* 64. *& fol.* 88. *& fol.* 115. *in Proc. Japonen. fol.* 30. *& in Proc. Chinen. fol.* 35. *& fol.* 40. *& fol.* 46. *& fol.* 51. *& fol.* 62. *& fol.* 78. *& fol.* 89. *& in Proc. Manilien. fol.* 50. *& fol.* 60. *& fol.* 68. *& fol.* 92. *& in Processu Oppidagen. fol.* 30. *& fol.* 41. *& fol.* 50. & de auditu, & fama plures alii Testes, qui omnes deponunt, istos 26. Martyres Martyrium sustinuisse pro Fide Catholica, & illius Confessione, & Prædicatione. Ad cujus causæ probationem non credimus opus esse Testibus, cum habeamus ipsius Tyranni Sententiam, quam contra istos Sanctos Martyres protulit tenoris sequentis.

Postquam Imperator annis præteritis prohibuit Legem, quam Patres docent, nonnulli Patres, qui vocantur Legati Luzoni, & habitant in Curia, prædicant dictam Legem; ideo ipsi una cum Japonensibus ad eorum Legem conversis condemnantur, qui simul sunt numero viginti quatuor; crucibus affigetis Nangansaqui. Et quia in futurum sua Majestas iterum, & cum majori rigore prohibet hanc Legem, hoc scitote, & jubete, quod cum rigore servetur istud mandatum. Et si forsan aliquis dicto mandato contraveniet, ipse contraveniens cum tota illius generatione mortis pœna puniatur. Datum die vigesima lunæ undecimæ primi anni ætatis vocatæ Eviocho. Quæ Sententia hodie extat apud Conventum Sancti Francisci Manilien. Originalis, & fuit interpretata coram Archiepiscopo Manilien. & Conjudicibus, medio juramento, per P. Fratrem Joannem de Angeli Dominicanum, & P. Garziam Garzes Jesuitam, & duos alios Christianos Interpretes Peritos Japones per dictos Judices nominatos, ut in Processu Compulsoriali Maniliæ *fol.* 145.

Lata prædicta Sententia, de jussu, & mandato Imperatoris isti Sancti Martyres fuerunt capti in suo Conventu Civitatis Meaci, & portati ad carcerem publicum trigesima Decembris 1596. ad quam capturam faciendam fuerunt appositi Custodes Ecclesiæ, & magno rumore, & apparatu armorum illam fuerunt ingressi, & in illa hora isti Sancti Martyres erant in Choro decantantes Vesperas, & cœperunt gratias agere Deo, & inter se collætabantur de isto bono, & beneficio, quod, moriendo pro Christo, sperabant, & illi Satellites cœperunt illos funibus ligare, & erat admirabilis patientia, & lætitia Sanctorum, & inhumanitas, & crudelitas Gentilium, & dolor, & lacrymæ Christianorum. Tunc Sancti Martyres præ gaudio, & lætitia cœperunt canere Te Deum laudamus, sicque ligati fuerunt missi in publicum carcerem, ex quo fuerunt erepti, & de mandato Tyranni fuit amputata unicuique illorum pars auriculæ, & pro majori ignominia fuerunt portati per plures Civitates illius Regni, nempe per Civitatem Meachi, Fugimi, & Usaca, & alias usque ad Nangasaqui; & est notandum, quod licet in Sententia viginti quatuor tantum crucifigendi legantur, nihilominus alii duo, nempe Franciscus, & Petrus, in itinere BB. Martyribus adhæserunt, qui in via illis aliquam refectionem ministrabant, qui duo fuerunt capti a Custodibus, & confitendo, se esse Christianos, fuerunt cum reliquis Martyribus ligati, & crucifixi, ut dicunt Testes *sub articulo* 6. *&* 24. & signanter Joannes Rodriquez Etariel. *in Proc. Mexicano super art.* 28. *fol.* 12. & Thomas Agnes *in Proc. Chinen. super eodem art. fol.* 81. & Christophorus Mercado *in Proc. Manilien. super eodem art. fol.* 96. & per totam viam, qua fuerunt perducti, ad patibulum, semper suprascripta Sententia cuidam tabulæ affixa & alta præibat ante illos: qui Beati Martyres tam in carceribus, quam per viam, & in ipso patibulo constan-

flamissime usque ad mortem Fidem Catholicam prædicabant, ut deponunt 19. Testes de scientia; & visu *super art.* 25. *in Summ. num.* 6. sicque post longam viam plenam ærumnis, & calamitatibus, & ignominiis, & frigore Sancti Martyres pervenerunt ad Civitatem Nangasaqui.

Ubi advertendum est, quod quidam puer vocatus Antonius ætatis 13. annorum, qui in Ecclesia Fratrum in Missis illis ministrabat, & erat illorum Doxicus, nempe Scholaris, cum jam duceretur ad patibulum cum ceteris, parentes illius illi obviam venerunt, & cum lacrymis promiserunt illi omnia illorum bona, si a fide desisteret; quibus ipse respondit: Quæ mihi promittitis, omnia sunt temporalia, quæ vero Christus mihi promittit, sunt æterna; & iterum Patre eadem replicante, Antonius propria veste se exuens dixit parentibus: Ecce vestem, quam mihi dedistis, vobis restituo, nudusque, & lætus ad crucem properavit, illamque pluries deosculatus, & amplexus fuit, decantans hymnum Te Deum laudadamus, ut deponunt Testes *super art.* 27. *Summ. num.* 8. Nempe Petrus Montoya *in Proc. Mexicano fol.* 53. Joannes Baptista Aguirre *in eodem Proc. fol.* 70. Joannes Rodriquez Curiel *in eodem Proc. fol.* 120. *pag.* 2. Joannes Ponze de Leon *in eodem Proc. fol.* 147. Siloday Joannes *in Process. Japonen. fol.* 39. Yto Joannes *in eodem Processu fol.* 54. Christophorus Gonzalez *in Proc. Chinen. fol.* 47. Franciscus Gonzalez *in Processu Chinen. fol.* 47. Franciscus Gonzalez *in eodem Proc. fol.* 57. *pag.* 2. Salvator de Melo *in eodem Proc. fol.* 63. *pag.* 2. Simon Pereyra *in eodem Processu fol.* 69. Thomas Agnes *in eodem Proc. fol.* 80. *pag.* 2. Franciscus Acosta *in Proc. Maniliensi fol.* 54. *pag.* 2. Petrus Sotello *in eodem Proc. Manilien. fol.* 63. ceterique omnes Martyres gratias Deo agebant, quia jam venerat hora, in qua pro Christo, & illius Fide moriebantur, alii psalmos, & hymnos canentes, alii vero in Cruce prædicantes, & in particulari ipse Pater Commissarius Dux, & Magister ceterorum, & Micki Paulus Societatis Jesu dixit in Cruce sua nativa lingua Japonica: Peto ab omnibus præsentibus audientiam: Ego sum Japonus, & Frater Societatis Jesu, & tantummodo morior, quia prædicavi Legem Christi Domini Nostri, & morior lætus pro ista causa, & habeo hanc mortem pro singulari beneficio, & gratia, quam Deus in me operatus est, & in hac hora poteritis credere, quod non mentior. Certifico vobis, quod non est alia via salvationi hominum, nisi Fides Christiana. Et quia ista Lex mandat parcere Inimicis, ego ex nunc parco Imperatori, & omnibus illis culpatis in mea morte; quia desidero quod omnes salvi sint.

Et omnibus viginti sex crucibus extensis super terram, in ipsis imposuerunt corpora Martyrum, & illis manus, pedes, & collum anulis ferreis circumdederunt; quo tempore Pater Commissarius Ministrum, & Satellitem rogavit, ut clavis ferreis pedes, & manus perforaret, ut deponunt duo testes *super art.* 29. *Summ. n.* 7. nempe Joannes Baptista Aguirre *in Proc. Mexicano fol.* 71. *pag.* 2. Joannes Rodriquez Curiel *in eodem Proc. fol.* 122. & alii plures de auditu, & fama publica.

Postea vero, Crucibus in altum elevatis, Ministri Imperatoris unumquemque Martyrum duobus ictibus lanceæ percusserunt; altero ictu a latere dextero ad humerum sinistrum, altero vero a latere sinistro ad humerum dexterum, & semper Beati Martyres Fidem, pro qua moriebantur, prædicabant, & Deum laudantes animas illi coronandas dederunt sub die quinta Februarii 1597. ut deponunt de visu testes triginta tres, nempe Petrus Montoya *in Proc. Mexicano fol.* 53. Joannes Baptista Aguirre *in eodem Proc. fol.* 70. *pag.* 2. Joannes Mendoza *in eodem Processu fol.* 92. Joannes Rodriquez Curiel *in eodem Proc. fol.* 121. Joannes Ponze de Leon *in eodem fol.* 148. Christophorus Garzia *in eodem Processu fol.* 133. *pag.* 3. Michael Maura *in Proc. Japonen. fol.* 51. Antonius Martuda *in eodem Proc. fol.* 51. Yto Joannes *in eodem Proc. fol.* 55. Cagi Laurentius *in eodem Proc. fol.* 88. Emmanuel Gonzalez *in Proc. Chinen. fol.* 36. Antonius Garzes *in eodem Proc. fol.* 42. Duarte Ferreira *in eodem Proc. fol.* 52. *pag.* 2. Franciscus Gonzalez *in eodem Proc. fol.* 58. Simon Pereira *in eodem Proc. fol.* 69. *pag.* 2. Christophorus Gonzalez *in eodem Proc. fol.* 47. *pag.* 2. Salvator de Melo *in eodem Proc. fol.* 75. *pag.* 2. Thomas Agnes *in eodem Proc. fol.* 80. *pag.* 2. Petrus de Monteacuto *in eodem Proc. fol.* 91. Franciscus Acosta *in Proc. Manilien. fol.* 55. Petrus Sotelo *in eodem Proc. fol.* 63. Ferdinandus Garzia *in eodem Proc. fol.* 79. Laurentius Galli *in eodem Proc. fol.* 77. Christophorus Mercado *in eodem Proc. fol.* 96. Michael de Sosa *in Proc. Oppidagen. fol.* 33. *pag.* 2. Joannes Antonius *in eodem Proc. fol.* 44. *pag.* 2. Joannes de la Crux *in eodem Proc. fol.* 54. Petrus Itamisomi *in Proc. Romano fol.* 47. *pag.* 2. *super* 22. *art.* Thomas Jacaquinoco Fioye *in eodem Proc. & articulo fol.* 53. & alii plures de auditu, & fama publica.

Isti Sancti Martyres pleni caritate, & refecti vinculo illius perfectionis vitam præsentem ab omnibus magis amatam contempserunt, & mortem aliis magis odiosam pati elegerunt, testes Fidei Christianæ sua morte steterunt, opere testificando, & ostendendo Fidem Christi, & veritatem illius, quæ veritas fuit sui Martyrii causa, & perfecta ratio illius consistit in eo, quod mortem sustinuerunt propter Christum: ostendendo ex operibus Fidem suam, & imitando Passionem Dominicam.

ARTICULUS TERTIUS.

In quo demonstrabimus, non esse necessarium in Martyribus probari Miracula.

RAtio autem istius assertionis ea est, quia Miracula ideo requiruntur in Confessore, quia signa, quod ille fuit Servus Dei, & pervenit ad Cælestem Patriam; sed sic est, quod dicitur quasi *Testis Fidei Christianæ* juxta Divum Thomam *super* 3. *quæst.* 68. *art.* 4. *in corpore*, per quam Fidem nobis visibilia per invisibilia contemnenda proponuntur, ut dicitur *ad Hebr.* 11. ad Martyrium ergo pertinet, ut homo testificetur Fidem, ostendendo opere, omnia præsentia contemnere, ut ad futura, & invisibilia bona perveniat, juxta illud Jacobi 2. *Ego ostendam tibi ex operibus Fidem meam*, & ut idem D. Thomas *ubi supra art.* 2. *ad* 2. dicit, quod nullus pervenit ad vitam æternam, nisi absolutus ab omni culpa, & reatu pœnæ. Quæ quidem universalis absolutio fit in perceptione Baptismi, & in Martyrio, propter quod dicitur, quod in Martyrio omnia Sacramenta Baptismi complentur, scilicet quantum ad plenam liberationem a culpa, & pœna; sequitur, Cælos ingressum esse ergo in Martyribus Testibus Fidei Christianæ, & testificantibus Fidem operibus; & sic stante hoc signo, & absolutione universali a culpa, & pœna, sequitur, non esse opus alio signo desumpto ex miraculis ultimis, quia, ut notat idem Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 3. *in corpore*, *Actus virtutis potest considerari secundum quod comparatur ad primum motivum, quod est amor caritatis, & ex hac parte præcipue aliquis actus habet, quod ad perfectionem vitæ pertineat*, quia, ut Apostolus dicit *ad Colossen.* 3. *Caritas est vinculum perfectionis.* Martyrium autem inter omnes actus virtuosos maxime demonstrat perfectionem caritatis, quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit pati. Manifestum est autem, quod inter omnia alia bona præsentis vitæ maxime amat homo ipsam vitam, & e contrario maxime odit ipsam mortem, & præcipue cum doloribus corporalium tormentorum; & secundum hoc patet, quod Martyrium inter ceteros actus humanos est perfectius secundum suum genus, quasi maximæ caritatis signum, juxta illud Joannis 15. *Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis.* Martyr igitur, moriendo pro Christo, demonstrat perfectionem caritatis, & dat illius signum evidens, & quod manet in Deo, & Deus in eo, & juxta illud 1. Joann. 4. *Deus Caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Unde, cum Martyr, moriendo pro Christo, det signum maximæ caritatis, & quod in illa permanserit, sequitur, non esse opus aliis signis miraculosis; præcipue quia, ut dicit Divus Thomas *d. quæst.* 68. *art.* 1. *in Conclus. Martyrium est actus virtutis, quo aliquis contra persequentium impetus firmiter in justitia, & veritate permanet.* Et *ibidem art.* 2. *in corpore* dicit, *Manifestum esse, quod martyrio homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum Fidem, & Justitiam non deserit propter imminentia pericula mortis.* Unde dum Ambrosius *in Sermone* 54. *ante finem* dicit: *Martyres Principes Fidei sunt, intercessores Mundi, præcones Regni, coheredes Dei.* Ergo, quibus ista competunt, non est illis opus miraculis in signum, quod gaudent Regno Cælesti, ad quod sufficit, ut sint coheredes Dei.

Ulterius, quia legitur Matth. 10. *Qui me confessus fuerit in terris coram hominibus, & Ego confitebor eum coram Patre meo:* ergo, si Christus in his verbis promisit confiteri coram Patre Æterno illum, qui in terra con-

confessus fuerit ipsum coram hominibus, sequitur, non esse opus alio signo miraculoso in Martyribus ad hoc, ut affirmari possit, eos esse Cives Cælestes, cum ipsi pro confessione Christi, & illius Fidei mortem subierint, & cum Christus dixerit, *Ego confitebor eos coram Patre meo*.

Et *in 3. Sapient.* dicitur: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, tamen spes illorum immortalitate plena est, & vexati in paucis, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, & invenit dignos se, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Igitur non est opus aliis signis miraculosis in Martyribus, quos Deus invenit dignos sui, & quasi holocausti hostiam accepit illos.

Unde & istam Conclusionem, quod non sit opus Miraculis ad Canonizationem Martyrum, non relatis superioribus doctrinis, & rationibus, adducit, & tenet Augustinus Triumphus *de Potestate Ecclesiæ quæst. 16. art. 3. in responsione ad* 2. ibi: *Sed pati pro Christo, & pro Confessione Fidei est per se causa sanctitatis*. Unde, ista existente absque omni signo miraculoso, debet aliquis pro Martyre canonizari. Idem tenet Joannes Franciscus Pavin *in Relatione Canonizationis Sancti Bonaventuræ 2. part. art.* 2. quem refert, & sequitur Petrus Ridulphus Episcopus Senogallien. *in Vita ejusdem Sancti Bonaventuræ lib. 1. suæ Historiæ Seraphicæ fol.* 94. Idem tenet Fr. Angelus Rocca *in Commentar. de Canonizatione Sanctorum cap.* 35. ubi firmat, quod causa finalis Martyrii est defensio, atque Confessio veritatis Fidei Christianæ. Qua causa existente, nulla alia inquisitione prævia, nulloque Miraculo intercedente, pro Martyre quis canonizandus est, atque venerandus. In eamdem sententiam venit Ludovicus Turrianus *in tract. de Fide disput. 17. dub. 2. & in Compen. Bullar.* sub Alexandro III. *Bulla 4. Scholio* 2. & sub Innocentio IV. *Bulla 2. Scholio* 1. Nec Doctores Canonistæ aliud sentiunt *in cap. 1. de Reliq. & Venerat. Sanctor.*

De aliquibus mirabilibus, quæ evenerunt ante, & post Martyrium horum SS. Martyrum.

PRimo, quod statim atque fuit captus Fr. Petrus Baptista cum Sociis, apparuit Cometes in modum harparum, & crucium, qui videbatur incboare a Philippinis versus Civitatem Nangasaqui, ubi erant crucifigendi, & duravit per noctem, quousque Martyres pervenerunt ad locum Martyrii, & numquam amplius visus fuit; quod probant testes de visu, & certa scientia *super art.* 50. Nempe Petrus de Montoya *in Processu Mexicano fol.* 43. & Joannes Baptista Aguirre *in eodem Proc. fol.* 59. & Joannes Rodriquez Curiel *in eodem Proc. fol.* 112. qui est contestis, & allegat suprascriptos duos testes Petrus Sotiln *in Proc. Manilien. fol.* 59. Ferdinandus Garzia *in eodem Proc. fol.* 87. Cristophorus Mercado *in eodem Proc. Manilien. fol.* 88. Joaooes Antonius *in Proc. Oppidagen. fol.* 88. Joannes de la Cruz *in eodem Proc. fol.* 44. & alii plures testes de auditu.

Secundo, post carcerationem Martyrum in d. Civitate Meachi evenit quidam terræmotus per spatium trium horarum, & multa Templa Deorum corruerunt; quod probant testes de auditu, & certa scientia *super art.* 7. nempe Petrus de Montoya *in Proc. Mexicano fol.* 45. Joannes Baptista Aguirre *in eodem Proc. fol.* 61. Joannes Rodriquez Curiel *in eodem Proc. fol.* 113. Michael Moura *in Proc. Japonen. fol.* 20. cum aliis pluribus testibus de auditu, & fama publica.

Tertio, post eamdem carcerarionem in dicta Civitate Meachi evenit maximum aquarum diluvium, in quo plures utriusque sexus periere, ut probant plures testes de visu, & certa scientia *super art.* 8. nempe Petrus de Montoya *in Proc. Mexicano fol.* 45. Joannes Baptista Aguirre *in eodem Proc. fol.* 61. Joannes Rodriquez Curiel *in eodem Proc. fol.* 118. Michael Moura *in Proc. Japonen. fol.* 29. Franciscus Gonzalez *in Proc. Chinen. fol.* 55. Salvator de Melo *in eodem Proc. Chinen. fol.* 61. Thomas Agnes *in dicto Proc. Chinen. fol.* 78. Petrus de Monteacuto *in eodem Proc. fol.* 88. & alii plures de auditu, & fama publica.

Quarto, post capturam etiam prædictam Sancti Seraphici Francisci *Imago Sanguinem exsudavit*, ut probant testes de visu, & scientia *super 9. art.* nempe Petrus Montoya *in Proc. Mexicano fol.* 46. de fama publica, & quod non potuit videre propter impedimentum ortum ex numerositate gentis, Joannes Rodriquez Curiel *in eodem Proc. dicto art. 9. fol.* 114. qui deponit de visu, & plures alii *ibidem* de auditu, & fama publica.

Quinto, Corporibus Martyrum in Cruce pendentibus, quædam Mulier infidelis ad extremum vitæ, loquela non solum, sed & aliis corporalibus sensibus amissis, deducta, quadam particula Crucis Patris Petri Baptistæ ori illi applicata, in instanti loquelæ fuit restituta, & Sacramentum Baptismi instantissime petiit, fuitque ab eodem Patre Petro Baptista adhuc vivente, licet Cruci affixo, sanitati corporis, & animæ medio Baptismi restitura. Probant testes de visu *super art.* 11. Petrus Montoya *in Proc. Mexicano fol.* 47. & de auditu, & fama publica Joannes Baptista de Aguirre *in eodem Proc. fol.* 63. Joannes Mendoza *in eodem Proc. fol.* 47. Melchior de los Vios *in eodem Proc. fol.* 97. Michael de Sousa *in Proc. Oppidangen. fol.* 29. Joannes Antonius *in eodem Proc. fol.* 40. Joannes de la Cruz *in eodem Proc. fol.* 49.

Sexto, post triduum pendente in Cruce Corpore Fratris Petri Baptistæ, sanguis cum omnium stupore, & præter humanum captum abundanter effluxit. Probant testes de certa scientia, & de visu *super art.* 14. Joannes Rodriquez Curiel *in Proc. Mexicano fol.* 125. Joannes Ponze de Leon *in eodem Proc. fol.* 142. Michael Maura *in Proc. Japonen. fol.* 29. qui etiam dicit, post tres menses sanguinem emanasse ex latere supradicti Fratris Petri Baptistæ. Chilodai Joannes *in eodem Proc. fol.* 37. Antonius Martuda *in eodem Proc. fol.* 50. Sancujege Martinus *in eodem Proc. fol.* 61. Safioge Leon *in eodem Proc. fol.* 64. Christophorus Gonzalez *in Proc. Chinen. fol.* 45. Duarte Ferreira *in eodem Proc. Chinen. fol.* 51. Salvator de Melo *in eodem Proc. fol.* 61. Franciscus Acosta *in Proc. Manilien. fol.* 50. Hieronymus Pacheco *in eodem Proc. fol.* 82. Joannes de la Cruz *in Oppidangen. fol.* 50. & alii plures testes de auditu, & fama publica *ibidem*.

Septimo, quod Corpora istorum Martyrum, etiamsi per bimestre in Cruce pependissent, erant tamen facie formosa, ac si animata forent. Probant testes de visu, & certa scientia *super art.* 16. Petrus Montoya *in Proc. Mexicano fol.* 48. Joannes Baptista de Aguirre *in eodem Proc. fol.* 65. Joannes Mendoza *ibidem fol.* 88. Joannes Rodriquez Curiel *ibidem fol.* 116. Joannes Ponze de Leon *in eodem Proc. Mexicano fol.* 144. Chilodai Joannes *in Proc. Japonen. fol.* 38. Duarte Ferreira *in Proc. Chinen. fol.* 51. Salvator de Melo *in eodem Proc. fol.* 62. Simon Ferreira *ibidem fol.* 68. Petrus de Monteacuto *in eodem Proc. Chinen. fol.* 89. Laurentius Galli *in Proc. Manilien. fol.* 75. Petrus Sotelo *ibidem fol.* 61. Hieronymus Pacheco *ibidem fol.* 82. Christophorus Mercado *in eodem Processu Manilien. fol.* 93. Joannes de la Cruz *in Proc. Oppidangen. fol.* 51. & alii plures testes de auditu, & fama publica.

Octavo, quod Aves rapaces in illis partibus nominatæ Mascanguis, quæ in loco Martyrii corpora damnatorum assueverunt dilaniare, & carne eorum pascebantur, Sanctorum Martyrum cadavera, licet illis proxima fuerint, nullatenus illa tetigerunt, non sine circumstantium admiratione; ut probant testes de visu *super articulo* 17. nempe Joannes Baptista Aguirre *in Proc. Mexicano fol.* 65. Petrus Montoya *ibidem fol.* 49. Joannes Montoya *in eodem Processu fol.* 88. Joannes Rodriquez Curiel *fol.* 116. Item Joaones *in Proc. Japonen. fol.* 54. Christophorus Gonzalez *in Proc. Chinen. fol.* 46. Duarte Ferreira *ibidem fol.* 51. Franciscus Gonzalez *ibidem fol.* 56. Salvator de Melo *ibidem fol.* 62. Simon Pereira *ibidem fol.* 68. Thomas Agues *in eodem Proc. fol.* 79. Petrus de Monteacutn *ibidem fol.* 89. Petrus Soteln *in Proc. Manilien. fol.* 61. Ferdinandus Garzia *ibidem fol.* 69. Laurentius Gal. *ibidem fol.* 75. Hieronymus Pacheco *ibidem fol.* 82. Christophorus Mercado *ibidem fol.* 94. & alii plures de auditu, & fama publica.

Nono, postquam dicti Martyres, & inter ipsos d. Pater Commissarius Frater Petrus Baptista, fuerunt crucifixi, pluries dictus Pater Petrus Baptista fuit visus, derelicta Cruce, celebrare Missam in suo Monasterio de Nangasaqui, illique ministrare dictus Antonius, qui simul cum illo crucifixus fuerat, indutus veste alba, & audiebant canticum quasi cælestem, quamvis non videbant cantores, & hoc deponunt propriis oculis vidisse Joannes Rodriquez Curiel, & Joannes Baptista de Aguirre *in Proc. Mexicano super art.* 18. iste *fol.* 66. ille vero *fol.* 116. qui *super art.* 24. dixit, qualiter ivit ad visitandum locum istorum Sanctorum Martyrum, & respiciendo crucem dicti Patris Petri Baptistæ, invenit, quod non erat in Cruce, & magna admiratione quæsivit a Custodibus, ubinam erat Corpus dicti Patris Petri Baptistæ, qui responderunt, quod sæpissime eveniebat, quod non videbatur in Cruce, & quod postea, transacto aliquo spatio

tem-

temporis, iidem Custodes videbant idem Corpus in eadem Cruce. Unde idem testis fuit reversus magna cum celeritate ad quærendum dictum Patrem Petrum Baptistam ad locum, in quo prius eum viderat celebrare Missam, & jam illum non invenit; & testis iterum reversus fuit ad locum, ubi crucifixus fuerat, & illum invenit in Cruce eodem modo, quo Martyrium in illa passus fuerat; & cum teste iverunt plures Christiani, de quorum nominibus non recordatur, sed dixit, hoc fuisse, & esse publicum, & notorium tam inter Christianos, quam inter Infideles. Idem deponunt de audita, & fama publica plures testes, nempe Petrus Montoya *in Proc. Mexicano super art.* 18. *fol.* 49. & Joannes Mendoza *in eodem Proc. & super art.* 18. *fol.* 89. Melchior de los Reyes *ibidem fol.* 99. Martinus de Lezama *ibidem fol.* 107. Christophorus Garzia *ibidem fol.* 131. Joannes Ponze de Leon *ibidem fol.* 545. Ferdinandus Garzia *super eodem art. in Proc. Manilien. fol.* 69. Laurentius Galli *in Proc. Manilien. fol.* 76. Michael de Sousa *super eodem art. in Proc. Oppidangen. fol.* 31. Joannes Antonius *ibidem fol.* 42. Joannes de la Cruz *ibidem fol.* 52. & quod Satellites, & Custodes Martyrum multoties viderunt post dictum Martyrium Crucem Patris Petri Baptistæ vacuam, & post aliquod spatium temporis viderunt eumdem P. Petrum Baptistam in eadem Cruce, ut probat de audita a Custodibus Petrus Montoya *super art.* 24. *in Proc. Mexicano fol.* 52. & dictus Joannes Rodriquez Curiel *ibidem fol.* 119. & complures alii relati *in Summario num.* 11.

Quo facto ita probato, & supposito, potest firmari, hoc magnum miraculum fuisse, cum excedat vires naturæ, quod homo jam mortuus recedat de loco Martyrii ad locum Altaris, & celebret Missam, maxime cum Deus a principio Homines elegerit Ministros ad conficienda, & ministranda Sacramenta, non autem Cadavera elegerit. Quamvis verum sit, quod poterat tunc eligere Angelos bonos ad tale ministerium, vel quamcumque aliam intellectualem creaturam, juxta Divum Thomam 3. *part. quæst.* 64. *art.* 7. Nec obstat, quod Deus elegerit homines a principio ad conficienda, & ministranda Sacramenta, non vero cadavera, quia hic est consideranda anima, cui in Sacerdote remanet character perpetuus, & indelebilis, juxta Divum Thomam, ubi supra *quæst*, 63. *in corpore*, *& in responsione ad* 3. ubi, quod; *quamvis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus, & ideo post hanc vitam remanet character, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam.* Sed sic est, quod anima post hanc vitam considerari potest in corpore dupliciter, vel assistens tantum, vel informans; si tantum assistat, particularem exigit commissionem a Deo, ut modo humano, & sensibili Sacramenta ministret; si vero informet corpus mortale, quale erat in casu proposito, & ordinaria potestate ministrare potuit Sacramenta, quod de Beato Petro, si rediret in vitam, expresse tenet Soto in hæc verba: *Immo, si D. Petrus huc rediret, posset sine nova commissione ratione Characteris, quem habet indelebilem Sacerdotalem, Sacramenta ministrare, in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 7.

Cum autem testes non exprimant principales Missæ functiones, quod consecravit, & quod ad adorandum proposuerit Corpus Christi, possemus fortasse dicere, quod exhibita fuit tantum visio illa Servi Dei Paramentis Ecclesiasticis induti, & ad Altare per modum celebrantis, ad ostendendam Sanctitatem, & meritum ipsius Martyris, ad declarandum, quam acceptum fuerit Crucis Sacrificium ab eo exhibitum, & quam similitudinem habuerit cum Sacrificio Altaris, ad commendandam in illis Partibus devotionem erga Missam, & ad decorandam novam illam Sponsam Japonen. Ecclesiam, *cui omnis decor ab intus*, scilicet a Corpore, & Sanguine Sponsi in Ara sacrificati. Multa alia possunt considerari, ad quæ talis apparitio aptissimum esset medium; & utcumque sit, ex supradictis videtur quædam res mirabilis, immo & miraculum maximum.

Ex quibus omnibus concludendum judicavimus, causam istam esse in tali statu, ut juxta S. R. E. Ritum, & Sacrorum Canonum dispositionem (si Sanctitati Vestræ placuerit) possit procedi ad istorum Famulorum Dei Canonizationem, & in numero Sanctorum adscriptionem in forma Ecclesiæ consueta.

Joannes Baptista Coccinus Rotæ Decanus.

A. Patriarcha Hierosolymitanus Rotæ Auditoris Lãs.

Philippus Pirovanus Rotæ Auditor.



A P.

APPENDIX TERTIA.

DE MARTYRIO SERVI DEI

JOSAPHAT CONCEVITII

ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

URBANUM VIII.

PONT. OPT. MAX.

RELATIO

JOANNIS BAPTISTÆ COCCINI Decani.
PHILIPPI PIROVANI &
CLEMENTIS MERLINI.

Ex Processibus super Canonizatione formatis extracta,

Cujus facta est mentio, cum de Martyrio agebatur.

BEATISSIME PATER

NON se Regem duxit quovis Regno dignissimus Wladislaus, neque diadema suo imponi capiti gloriosum putavit, nisi cuos inclinare illud potuit ad pedes, Beatissime Pater, tuos, & ad Solii Apostolici gradus, quibus gloriæ culmen ascenditur. Sed neque juste jus dicturum se suis, neque hostibus opportune indicturum bella, neque profligaturum indicta speravit, nisi, ut olim Sapientissimi Judices ac fortissimi Duces Josue, Gedeon, ac David insidentem Propitiatorio Deum implorabant, sic ille Sanctuarium Vaticanum, & in eo Supremum veritatis Oraculum adorasset. Propterea e remotissimis Sarmatiæ regionibus aspera non magis algentibus nivibus, quam bellis ardentibus tempestate Virum allegavit & genere, & virtute belli, togæque primarium, qui Regni potentissimi fidem ab heroicis usque florentis Ecclesiæ temporibus receptam, & servatam cælesti rursus imbueret Romani Pontificis Sacramento. Ut Regis excelsissimi corde, quasi per osculum Oratoris sui transmisso, omnia ipsius vota, consilia, spes, & auspicia Petri acclinata pedibus, & Sacrosanctæ Sedi, hoc est, inconcusso universæ Religionis fundamento niterentur. Inde invictissima Polonorum natio & sperare bella feliciter, & tractare felicius cœpit, majores etiam votis victorias consecuta. Sed triumphum ducere non se putat in gloriæ Capitolio, nisi Sceptra Tibi, & corda submittens Sacrosanctos Apostolicæ Sedis triumphos audegeat.

Quos etiam quia non sine procurata prius victima peragere solebat antiquitas, ecce felicissimam Hostiam affert Josaphatum Concevitium Archiepiscopum Polocensem, quem nuper immicissimi Ecclesiæ Romanæ perduelles crudeli ferro mactarunt. Verum quot inflixere ei vulnera, tot aperuere simul ora, quibus & Tibi constantiam Fidei suæ, & Tuam mundo auctoritatem, pro qua asserenda Tibi pariter, ac Cælo cecidit, luculentissime contestatur. Spirat hic quoque ejus odor suavitatis, quem tantopere in Sacrificiis amabat Deus, & ad Apostolorum limina, unde vigor effluxit, famam promeritorum ejus afflari videmus. Tanto minus mirum esse debet, si Sanguinis ejus virtus in proxima Hæreticorum, & Schismaticorum solo Fidei tam multas, ac firmas radices agat, in agro autem Catholicæ pietatis tam amplos Spei, Caritatis, Virtutumque omnium fructus incredibiles gignat.

Jam ut vitæ suæ cælestis causam in terris apud Te, Pater Sanctissime, perageret, en adest Josaphatus Concevitius Archiepiscopus Polocensis, qui parum est ratus, quod ab ineunte ætate, quicquid ingenii, ac virium habuit, per exempla humilitatis, prudentiæ, caritatis in Catholicæ Religionis gratiam effunderet, factus omnibus omnia. Sanguinem demum profundere voluit pro uno Ecclesiæ Capite, hoc est, pro Tui Sacerdotii Principatu. Ille autem Sanguis, justo Abeli factus quodammodo consanguineus, ad aures Dei per Tuas clamat de terra, neque aliis ad Cælum vocibus, quam occisorum sub Altare Dei clamantium: *Vindica Sanguinem nostrum, Deus noster*, exposcit hic quoque Sanguis vindictam: non eam tamen, quam de nefariis parricidis per acerbissima supplicia vindex innocentum jure sumas; Josaphatus enim Christi morientis speciem in morte præ se ferens interfectoribus suis extremo non tam vitæ, quam amoris respiratu misericordiam, veniam apud Deum anhelabat, donec, deficiente linguæ spiritu, elata Crucis in modum dextera, benedicens impiis divinam clementiam advocabat; sed illam Sanguis hic implorat vindictam, Beatissime Pater, qua gloriosi Ecclesiæ Martyres vindicari solent, ut, si proculcatus ab extremis Erebi quisquiliis fuit, & tenebris ignominiosis addictus, Tu Supremus Cæli Sacerdos in candelabro illum exponas radiati verticis luce fulgentem, ut mortis terrenæ dedecus in æternæ honorem vitæ commutatum pronunties, ut purpura profusi Sanguinis candidatam Martyris stolam apud homines etiam illustres, ferreamque securim mortis ejus instrumentum ad justissimæ veritatis incudem refingas in auream, & immarcescibilem gloriæ coronam, quam circumductam vertici Poloni Martyris imponi per Te capiti suo Polonorum Natio existimabit.

Hoc autem te posse, ex Divinis Oraculis confitentur omnes; sed & velle, ex eo etiam assequimur, quod An-

cessorum Tuorum insistens moribus, & institutis Nos Joannem Baptistam Coccinum Rotæ Decanum, Philippum Pirovanum, & Clementem Merlinum Rotæ Auditores antiquiores veritatis hujus examini, & causæ amplissimæ tractationi præfeceris. In qua hodie relaturi singula, quæ expendimus super actis, & processibus, rei totius Summam in quatuor partes divisimus. Quarum in prima agemus, an acta ipsa testata sint publica juris forma, & fata testium fide. In secunda de Martyrio, & requisitis ad illius perfectionem. Tertia seriem innocentis Vitæ, & Passionis, seu Martyrii Josaphat Archiepiscopi complectetur. Quarta demum admiranda quædam post ejus mortem eventa prosequetur.

De Processuum validitate, & probationibus.

PARS PRIMA.

Quamvis Canonizatio Sanctorum non innitatur principaliter testimonio humano, nec processibus, aut probationibus inde desumptis, sed præcipuo Sancti Spiritus afflatu, & infallibili Divinæ veritatis assistentia, ex qua Papa circa Canonizationem errare nullo modo potest, ut tradit Divus Thomas *Quodlib. 9. art. 1.* Turrecrem. *de Eccles. quæst. 51. num. 73. & de Consecratione dist. 3. in princ. num. 22.* Ambros. Catharin. *de certitud. glor. Sanct. lib. 1. per totum*, Bannes *ad Divum Thomam in 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 7.* Covar. *var. resolut. lib. 1. cap. 10. num. 13.* & fuit dictum in *Relatione Sancti Bonaventuræ par. 2. art. 9. atque in aliis*; idem ad ipsum solum Papam spectat Canonizatio Sanctorum, & dicitur actus illi reservatus, ut per plures Conciliorum Canones, & Summorum Pontificum Epistolas Decretales cautum fuit, & signanter in *c. de Reliq. & venerat. Sanctor. cap. Audivimus c. Cum ex eo, eod. tit. cap. Venerabili, de Test. c. Si quis per Superbiam, 30. dist. cap. Placuit, de consecr. dist. 1.* cum aliis congestis in *Relatione Sancti Caroli part. 2. de Sanctitate argum. 24.* & late comprobat Cardinalis Bellarminus *de Beatitudine, & Canonizatione SS. cap. 8.* Molfes. *Cons. 46. n. 10. & 14. lib. 2.*

Ad quam Pontifex de plenitudine potestatis procedere posset etiam sine ullis processibus judiciali rigore fabricatis, quod præstitit Leo III. qui anno 804. Guiberto Sacra decrevit cum solo libro vitæ ejusdem Guiberti conscripto per Marcellinum Presbyterum, ut testatur S. Lugderus in *Epistola ad Rinfridium Episcopum Trajectensem cap. 9.* & secutus est Alexander III. dum Eduardi Angliæ Regis Canonizationis Sententiam uno pariter miraculorum libro inspecto, & Litteris Innocentii II. pronuntiavit, ut refertur in *Relatione Sanctæ Franciscæ Romanæ part. 2. ar. 12. vers. Alexander Papa III.* & patet *ex Bulla Canonizationis in Bullario novo tom. 1. inter Bullas Alexandri III. in ordine prima*, fuitque etiam ponderatum in *Relatione S. Hyacinthi cap. de Sanctitate, vers. Nec est novum*, & observavit Cardinalis Baronius *Annal. tom. 9. sub anno 804. & tom. 12. anno 1161.* necnon etiam Joannes XV. in Consistorio Cardinalium in Palatio Lateranensi *Anno Christi 993.* in Sanctorum numerum adscripsit S. Uldericum ex lectura duntaxat cujusdam libelli *de Vita, & Miraculis ejusdem Sancti*, ut habetur in *Diplomate Canonizationis*, relato per Baronium in *Annal. t. 10. sub ann. 993.* & Gregorius VI. atque Adrianus II. canonizarunt Solam Anglum primum Abbatem Monasterii Solembacciani, & Walburgam Sororem Sancti Wibeldi, prævis duntaxat informationibus & precibus Episcoporum, ut testatur Democh. in *Tabulis Episcoporum Aurelianen. num. 5. & seq.* & latius deducit Molfes. *Consult. 46. num. 23. 24. & seq. lib. 2.* Quod eo magis recipiendum videtur, ubi agitur de Canonizatione Martyrum, quibus Sacrificia offerre, & Commemorationes, seu annua natalitia, necnon Agapas publico cultu celebrare primævæ mos fuit Ecclesiæ, statim ac in Tabulas per Notarios apud Acta dies felicis eorum transitus, Pontificibus approbantibus, relatus fuerat, ut colligitur ex Tertull. in *Libro de Corona Militis*, D. Cypriano *Epist. 34. & 37.* D. Augustin. *ex tract. 84. in Joannem*, & ex pluribus aliis Sanctorum testimoniis, quæ congessit Card. Baron. in *Notis Martyrologii cap. 4. per totum.*

Attamen Ecclesiastico, & laudabili hujus Sedis Apostolicæ more introductum fuit, ut nullus in album Sanctorum referatur, nisi per Acta in publica juris forma, & per processus, ac publicæ fidei documenta constet de illius Sanctitate, aut Martyrio, super quibus antea sedulo, & exacte inquirendum esse, decernunt Summi Pontifices. Prout etiam testatur Cardinalis Turrecremata in *cap. 1. de Consecrat. dist. 3.* Bannes *ad D. Thom. in 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 2.* & fuit annotatum in *relatione S. Andreæ Corsini part. 3. §. 1. vers. Circa primum.* Quod etiam quodammodo servatum fuisse animadvertimus ab ipsis nascentis Ecclesiæ Præsulibus, & primum a Sancto Clemente Romano Pontifice, a quo licet publicus venerationis cultus decerneretur Martyribus, statim ac eorum obitus fuerat per Notarios in Actis exceptus, tamen antea exacta adhibebatur diligentia in perquirendis, & probandis ipsorum Sanctorum Martyrum moribus, in professione fidei, & rebus gestis, & septem Notarios constituit idem S. Clemens I. qui curiose dies obitus eorumdem, & gesta colligerent, quibus præerant totidem Diaconi; qui a Notariis scripta, qualia ea demum essent, probarent, Pontifici nota facerent, atque in Ecclesiastica Monumenta reconderent, prout testatum habetur in *Lib. de Romano Pontifice sub nomine Damasi edito*, & post D. August. *lib. 2. contra Faustum cap. 21. & de Brev. cap. 5.* & D. Gregorium in *Regest. Epistolarum lib. 12. cap. 9.* tradit Cardinalis Jacobat. *de Concil. lib. 1. art. 5. num. 7.* ubi, quod locum dictorum Notariorum, quos Clemens I. Papa instituit ad conscribendas res gestas Martyrum, hodie obtinent Protonotarii Papæ; & latius comprobat Cardinalis Baronius in *Annal. tom. 1. sub anno 55. num. 59. & in Martyrologio cap. 1. per totum, & in Annotat. ad 2. diem Aprilis*, ubi, quod Martyres post discussionem, & Pontificum approbationem vindicati Martyres dicebantur, & ante vindicationem hujusmodi nefas erat Reliquias alicujus Martyris venerari, quasi tunc ad instar Servorum vindicta manumissorum per vindicem, hoc est, Summum Pontificem, in libertatem publici cultus assererentur, ad tradita per Paulum in *L. An apud se manumittere, ff. de Manumiss. vindict.* & Justinum in *L. Discretis, C. Qui test. fac. poss.*

Hinc propterea, Beatissime Pater, cum annis elapsis increbresceret in dies magis, ac magis fama Martyrii, & Sanctitatis Josaphati Concevitii Archiepiscopi Polocensis, & a Reverendissimis Cardinalibus S. Congregationi de propaganda Fide Præpositis, necnon a Rege, & universis Regni Poloniæ Proceribus, totoque utriusque Ritus Latini, & Græci Clero Catholico enixe instaretur super hoc decerni, ut exciperentur probationes, annuit piis postulationibus S. V. & Antecessorum suorum vestigiis inhærens mandavit, causam Martyrii Venerabilis Præsulis Josaphati probationibus instrui, & testimonia recipi pro eo, qui mortuus in professione Nominis Jesu Christi vere dignum sui testimonium reddidit Deo, & Evangelicum Instrumentum Sanguine suo velut obsignavit, apud incredulos testificatus, se esse Pastorem bonum, qui animam suam posuit pro ovibus suis; ideoque, causa per S. V. remissa ad Congregationem Reverendissimorum Cardinalium super Ritibus Ecclesiasticis, fuerunt ab eadem Congregatione decretæ, & relaxatæ Litteræ Remissoriales, & Compulsoriales sub die 25. mensis Septembris anni 1625. *ut in Proc. Polocen. fol. 2.* in quarum executionem fuit in Civitate Polocen. & Vitepscen. fabricatus processus, & testes examinati. Qui cum præsentatus fuisset coram eisdem DD. Cardinalibus, & Protonotario Sacræ Congregationis, apertus fuit, & recognitus, ut constat *ex Registro Actorum in Urbe facto*; causa demum fuit commissa nobis tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus Joanni Baptistæ Coccino Decano, Philippo Pirovano, & Clementi Merlino, ut constat *ex Decreto exhibito*: cumque a nobis sub die 8. Aprilis 1630. proposita fuisset disputatio super validitate processuum,

Agentes pro Josaphato Archiepiscopo asserebant, depositiones testium vigore Remissoriæ examinatorum in Civitate Polocen. & Vitepscen. & processum esse in forma probanti, eo quod servata fuerint omnia, quæ in Litteris Remissorialibus ad validitatem, & legalitatem processuum præscribantur, & de jure communi exiguntur, & si qui aderant defectus, per Rescriptum S. V. in sanatoria Commissione emanatum undequaque sublatos fuisse.

Constat enim, Reverendissimos Cardinales Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Supplicem Libellum S. V. obtulisse, ut habetur in *Litteris Remissorialibus in processu Polocen. fol. 2.* & famam Sanctitatis miraculorum, & martyrii Josaphati nedum ipsos, sed & Poloniæ Regem, Antistites, & Proceres pluribus Epistolis exhibitis, & Synodorum Provincialium Regni Poloniæ supplicationibus denuntiasse, & instanter commendasse, prout exigitur per Canonistas, & præsertim per Hostien. in *cap. 1. num. 2.* Jo. Andr. *num. 3.* Butr. & Abb. *num. 5. de relig. & Venerat. Sanctor.* Malvet. *de Canoniz.*

San-

Sanctor. dub. 4. *num.* 1. & *sequ.* Molfes. *conf.* 46. *num.* 10. *lib.* 2. & firmatur in *Relatione Sancti Hyacinthi pag.* 40. *vers. Nec ideo*, & *Sancti Ignatii part.* 1. *de validitate Processuum*, *vers. Et maxime*. Quem Libellum remisit S. V. ad Sacram Congregationem super Ritibus Ecclesiasticis, rescripsitque, ut procederetur, prout petebatur, *ut in Litteris Remissorialibus dicto Processu fol.* 2. & *sequ.* cujus Commissionis, & Rescripti vigore deputati fuerunt ab eadem Congregatione Judices Subdelegati Archiepiscopus Polocen. & eo absente, vel impedito, Archiepiscopus Chiovien. & Halicien. necnon duo Superiores Monasterii Mohilovien. & Polocen. *dicto processu fol.* 2. & eisdem Judicibus præscripta fuit forma servanda in confectione processus *dicto processu fol.* 2. *ad* 12. Quas quidem Litteras Remissoriales Reverendissimus Dominus Raphael Corsack Episcopus Halicien. Procurator in causa præsentavit dictis Judicibus sub die 20. Martii 1628. illasque Judices acceptarunt, *ut in processu fol.* 1. & 2. unde dicebatur satis probata eorum jurisdictio; Doct. in *cap. Si is, cui, de Off. deleg.* Roman. *conf.* 353. *num.* 8. Veracell. *decis.* 234. *num.* 4. *part.* 1. Rota *decis.* 20. *de concess. præbend.* & *decis.* 6. *deleg. in nov.* cum aliis; & post acceptatas, & apertas Litteras Remissoriales deputarunt in Notarios DD. Albertum Branviezki, & RR. PP. Sebastianum Gacinski, & Germanum Hostilouski Presbyteros Ordinis Sancti Basilii, & in Nuntios, seu Cursores elegerunt RR. DD. Abrahamum Hrynzuezki, & Martinum Treinski, qui solemne præstiterunt juramentum de fideliter exercendo officio, & perficiendo processu, necnon deputarunt locum loci, nempe Ecclesiam Cathedralem Polocen. Sanctæ Sophiæ nuncupatam Polociæ, Vitepsci vero Ecclesiam Parochialem Ritus Græci Beatissimæ Virginis dictam, diesque, atque horas assignarunt pro faciendo processu, nempe omnes dies, omnesque horas ab octava ante meridiem usque ad tertiam pomeridianam cujuslibet hebdomadæ non impeditos aliquo Festo in honorem Dei, vel Sanctorum ejus, & successive pronuntiarunt, se esse Judices competentes juxta requisita, nedum in Litteris Remissorialibus, sed etiam a Jure communi pro validitate processus Remissorialis, ut notant Vestr. in *prax. cap.* 3. *num.* 7. *lib.* 6. Severol. *de remiss. cap.* 30. & 31. & *cap.* 33. *num.* 2. & 4. Verall. *decis.* 266. *num.* 1. *part.* 3. & de prædictis omnibus apparet in *processu Polocen. fol.* 1. & 2. & *sequ.*

Quibus peractis, per Judices deventum fuit ad examen centum, & sexdecim Testium, in quo examine nos deprehendimus servatam non fuisse in pluribus formam Litterarum Remissorialium, & aliquas Juris communis solemnitates, nempe, quod omissa fuerunt Interrogatoria in Rotulo Remissoriæ proposita, super quibus respondere debent Testes ut validum sit examen: Doct. *in cap.* 2. §. *Testes, de Test. in* 6. & *cap. Cum causam, eod. tit.* Signorol. *conf.* 19. *num* 1. & fuit dictum *in Camerinen. Bonorum* 20. *Martii* 1589. coram Penia, & *in Relatione Sancti Raymundi ar.* 2. *vers. Et consequenter*. Multorum Testium ætas in Processu non fuit descripta, prout requiritur, cum defectus ætatis, puta pubertatis regulariter repellat a testimonio ferendo, *L.* 3. §. *lege Julia ff. de Test.* Hell. *de testib. n.* 21. Campeg. *eod. tract. Reg.* 112. Alex. *conf.* 19. *n.* 12. *lib.* 7. Depositio eorumdem non secreto, & seorsim emanavit, sed palam, & publice, audiente toto populo, & Procuratore Causæ, contra dispositionem Textus *in cap. Venerabili, in fine de Testib.* Doct. *in cap. Si quando, eod. tit.* Franc. Marc. *decis.* 900. *num.* 1. & fuit notatum *in Relatione Sancti Ignatii par.* 1. *in princip.* §. *Censuimus*. Nec per Notarium fuit excepta per extensum, sed summatim, & in compendium per modum historiæ eorum depositio, quod a Jure non probatur per Testim. non constito de contraria consuetudine, ut tradunt Hostiens. *in cap. Nihil obstat, num.* 2. & *seq.* & ibidem Canonistæ communiter *de Verb. signif.* Felin. *in cap. cum in tua num.* 2. *de Testib.* Hayl. *observ.* 104. *num.* 5. *part.* 1. cum aliis &c.

Verum Causæ Patroni, qui validitatem Processuum tuebantur, responderunt, constare, per ipsos Testes esse, ac recte præstitum fuisse juramentum (exceptis aliquibus inferius recensendis) in quo jurejurando tota fere vis, ac substantia Testimonii consistit *l. Testium*, *l. jusjurand. cap. de Testib. cap. si testes* 4. *quæst.* 3. *cap. hortantur* 3. *quæst.* 9. *c. nuper, Extravag. de Test.* Verall. *decis.* 266. *par.* 3. & fuit dictum *in Relatione Sancti Raymundi ar.* 7. *vers. Ad septimum*, & alibi; & exhibuerunt Commissionem Sanatoriam per S. V. signatam quoad prædictos defectus, per quam illos non esse sublatos omnino, & abolitos, dubitare nefas esset, cum Papæ nihil sit impossibile de jure positivo, quod immutare potest, revocare, dispensare, & facere, quod factum habeatur pro infecto, cum vicem Dei gerat in terris, sitque supra jus, contra jus, & extra jus, ejusque, & Dei idem sit Consistorium, ut inquit Cardinalis Hostien. *in cap. quanta, de Translat. Prælat. cap. nulli fas* 19. *dist. cap. cuncta per mundum*, 9. *quæst.* 3. *cap. nemini*, 17. *qu.* 4. Abb. late *in quæst.* 1. *num.* 1. 2. & 3. Unde inferebant, attenta hac Commissione Sanatoria, Testes vigore Remissoriæ *in Proc. Polocen.* & *Vitepscen.* sustineri, excipiendo tamen Testes 13. 34. 35. 36. 37. 62. 68. 75. 77. 79. 80. 81. 86. 99. 101. 111. 113. 114. 116. quos constat non jurasse. In quorum depositione nullam posse fundari probationem principaliter, & de per se, admittebatur; sed aliquando solum posse pro adminiculo deservire.

Quam illationem fulciebant informantes pro Servo Dei Josaphato, ponderando, quod defectus oppositi contra Testes versari videntur circa rigorosas Juris solemnitates, ex quarum omissione non vitiari examen Testium, dum ceteroquin illud peractum fuerit juxta formam *cap. Venerabili, de Testib.* censuerunt Majores nostri *in Relatione Sancti Hyacinthi tit.* 1. *de probatione Processuum*, *vers. Sed non propterea vitiatur*. Et in hisce Causis Canonizationum procedendum esse de bono, & æquo circa examen Testium, &, quantum fieri potest, sustinendos esse Processus & probationes, dictum fuit *in eadem Relatione Sancti Hyacinthi, tit. de probatione Processuum*, *vers. Sed levem, fol.* 48. & *in Relatione Sancti Andreæ Carsini, par.* 3. *de modo probandi*, §. 3. *vers. Satis etiam facile*. Præsertim, ubi constat de bona fama in vita Servi Dei, de cujus Canonizatione agitur: tunc enim rigor examinis Testium minus videtur attendendus, ut observarunt Pavin. *in Relatione Sancti Bonaventuræ ar.* 9. *conf.* 46. *num.* 30. & 41. *lib.* 2.

Completo Testium examine, Processus fuit absolutus, subsceiptus a Judicibus, & Sigillis munitus, auscultatus, & collationatus cum aliis Notariis, & deinde ab omnibus tribus itidem subscriptus, juxta trad. per Vestr. *in prax. lib.* 6. *cap. ult. num.* 10. & latius *in Relatione Sancti Raymundi ar.* 8. *per tot.* & præcipitur *in Litteris Remissorialibus*. Et licet Portitori jurato non appareat fuisse consignatum, ut mandabatur *in Litteris Remissorialibus*; attamen, cum idem processus clausus, & obsignatus Sigillis Judicum per R. P. Nicolaum Novatium Ordinis Sancti Basilii ad Urbem delatus fuerit, in Sacra Congregatione Rituum præsentatus, coram DD. Constantino a Ruere Protonotario Sacræ Congregationis apertus, & de mandato bo. mem. D. Cardinalis Mellini per duos Testes formiter recognitus, ut constat *ex Registro in Urbe confecto*.

Dicebatur, fuisse satisfactum formæ Litterarum Remissorialium, quæ, cum inducta fuerint ad certum effectum, ut processus fideliter deferatur ad Urbem, potest per æquipollens adimpleri, & impleta dicitur, dum intentus habetur fidelis delationis effectus ad trad. per Mantic. *de tacit.* & *ambig. lib.* 7. *tit.* 15. *num.* 42. Rota coram Card. Seraph. *decis.* 309. *n.* 1. & *decis.* 1413. *num.* 13. & *decis. divers. par.* 1. *decis.* 267. *num.* 6. & *in terminis Canonizationis* scripsit Molses. *conf.* 46. *num* 35. & 41. *lib.* 2.

Ceterum contra formam probantem istius processus objiciebatur per R. D. Promotorem Fidei, non constare de Mandato Procuræ Episcopi Halicien. qui uti Procurator in hac causa comparuit.

Respondebatur autem ab Agentibus pro Servo Dei Josaphato, id non obstare, tum quia in Causa Canonizationis, uti causa pia, & causa publica, nempe Fidei, ac Religionis, quilibet de populo, & multo magis Episcopus comparere potest, Tiraquell. *de pia causa privil.* 151. & traditum fuit in *Relatione Sancti Ignatii, par.* 1. *de Process.* §. *Eo maxime*, necnon *in Relatione Sancti Francis. Xaverii, par.* 1. *tit. de validitate*, & *legalitate Processuum*, §. *Secunda difficultas*, tum etiam quia dictus Episcopus enuntiatur Procurator Archiepiscopi Polocen. qui, cum fuerit præsens in omni casu, ideo vel censetur tacitum dedisse Mandatum, vel certe ratificasse omnia ipso præsente gesta: Innocentius *in cap. ex parte*, & ibi ceteri Canonistæ, *de Rescrip.* Alex. *in l. Sæpe num.* 93. *ff. de re judic.* Cassad. *decis.* 3. *num.* 5. *de procur.* Quam ratificationem sufficere, & supplere defectum Mandati, resolutum fuit *in præallegata Relatione Sancti Ignatii*, §. *Accedit etiam*; tum demum quia Instantia prima per Sacram Congregationem de Propaganda Fide facta in hac causa videtur habenda pro sufficienti Mandato ad not. per Castellanum *de Canoniz.*

Sautor. quaest. 8. *in princ.* Malvet. *eod. tract. cap. Rostae quarum*, *num.* 1. & fuit deductum *in Relatione Sancti Hyacinthi*, *fol.* 40. *& in Relatione Sancti Francisci Xaverii*, *par.* 1. *in princ.* §. *Praecessit quoque*.

Insuper opponebatur ab eodem R. Promotore Fidei, deficere in hac causa informationes Ordinarii, quae regulariter desiderantur, & praemitti solent ante processum auctoritate Apostolica constituendum, ut tradiderunt Pavin. *in Relatione Sancti Bonaventurae*, *par.* 2. *art.* 7. Mascard. *de probat. conclus.* 262. *num.* 58. Molfes. *conf.* 46. *num.* 20. *lib.* 2. necnon etiam, quod in Constructione processus ultra Archiepiscopum Polocen. & alios duos Judices in Remissoriis deputatos intervenerunt etiam alii, ut puta Episcopus Metonen. Suffraganeus Vilnen. & aliqui alii, qui etiam se subscripserunt processui, *ut in fol.* 36.

Atqui pro diluendo objecto proponebatur considerandum, quod in Litteris Remissorialibus signanter indultum fuit, ut hujusmodi probationes, & processus auctoritate ordinaria facti omitterentur, neque deberent exspectari. Quo vero ad interventum aliorum praeter Judices deputatos animadvertebatur, ad cautelam in hac causa ultra Litteras Remissoriales directas Archiepiscopo Polocensi, expeditas etiam fuisse alias Remissoriales directas Episcopo Vilnen. & in ejus defectu Suffraganeo ipsius, & aliis Judicibus, quae etsi non habuerint effectum, existimarunt tamen illi Judices de partibus, ad majorem fidem, & solemnitatem processus plurimum conferre, si omnes illius constructioni interessent; unde intrat Conclusio, quod, ubi in processu adhibentur cautelae, & solemnitates non necessariae, si illae minus legitime fiant, non tamen vitiatur processus, qui sustineri poterat absque ordine illo substantiali, *cap. bonae il* 2. ubi Abb. *num.* 8. *de Elect.* Felin. *in c. Cum ordinem num.* 2. *in fin. de Rescript.* & admissum fuit *in Relatione S. Raymundi art.* 4. *vers. Neque est novum*, *& in fin. art.* 1.

Demum impugnabatur validitas examinis Testium ex eo, quod de Juramento aliquorum Testium non constat, nisi per verba relativa Notarii, videlicet praestito Juramento testatus &c. ex qua enuntiativa non videtur oriri sufficiens Juramenti probatio, prout de enuntiativa Testis juratus dixit Gloss. *in cap. Ut circa*, *de Elect.* quam passim secuta fuit Rota, ut apud Verall. *decis.* 173. *&* 286. *par.* 2. *& d.* 295. *par.* 3. *& in recent. decis.* 635. *num.* 4. *par.* 2. *rec.* cum aliis congestis *in Squillacen. Abbatiae* 20. *Novembris* 1630. coram me.

Cui objecto Agentes pro Josaphat cum distinctione satisfacere nitebantur, nempe, quod aut Notario simpliciter dicitur *Testis juratus*, & tunc procedunt Decisiones superius allegatae; aut vero dicitur *cui delato Juramento veritatis dicendae*, vel *cum Juramento examinatus &c.* quae verba referuntur ad actum de praesenti, hoc est ad ipsum examen, prout in casu proposito sunt verba *cum Juramento testatus &c.* & tunc satis probatur Juramentum Testis ex hujusmodi enuntiativa, ut censuit Rota coram bon. mem. Cardinalis Cav. *decis.* 322. *& in praeallegata Squillacen. Abbatiae* coram me, juncto praesertim, ut hic, Judicum interventu, ex quorum praesentia praesumuntur omnia solemniter acta, & solemne Juramentum tactis Scripturis, fuisse interpositum, satis dicitur, tunc probari per relationem Notarii. Ita Bald. *in l. Jurisjurandi*, *num.* 2. *vers. Sed pone*, *c. de Testib.* Menoch. *conf.* 114. *num.* 3. Rota *in recent. dec.* 34. *num.* 1. *& decis.* 704. *num.* 2. *&* 4. *part.* 1. & coram bon. mem. Cardinali Cav. *decis.* 322. *num.* 6. & apud Card. Mantic. *decis.* 351. *n.* 3. *& in praeallegata Squillacen. Abbatiae.* Quae & eo magis procedere dicebatur quoad Testes recognoscentes processum, de quorum Juramento testatur Notarius per verbum juravit &c. seu medio ejus Juramento recognovit &c. ex qua dispositiva assertione, tamquam respiciente actum de praesenti, & coram se gestum, insurgit legitima Juramenti probatio, ut dixit Rota apud Card. Seraph. *decis.* 857. *num.* 25. *&* 26. & coram Card. Cav. *decis.* 322. *num.* 5. *& in recen. decis.* 393. *num.* 9. & apud san. mem. Greg. XV. *decis.* 368. *numer.* 5. *& in d. Squillacen. Abbatiae* coram me,

Ex quibus omnibus, & potissimum attenta Commissione Sanatoria S. V. astruebatur a Causae Patronis validitas Processus peracti Polociae, & Vitepsci, & instabatur pronuntiari, illum esse in forma probanti, & Testes rite, & recte fuisse examinatos.

Quo vero ad alium processum in Urbe instructum, habita ejus diligenti discussione *sub die* 12. *Augusti* 1633. contendebatur ab iisdem Agentibus Causae, duos Testes, nempe Episcopum Nolanum, & Nicephorum Rhutenum examinatos per Episcopos S. Agathae, & Terracinen. fuisse valide examinatos.

Quoniam de Jurisdictione dictorum Episcoporum Sanctae Agathae, & Terracinen. examinatorum constat *in Processu fol.* 2. ex speciali deputatione, & Decreto Sacrae Congregationis super Ritibus Ecclesiae juxta notata per Doct. *in c. Is*, *cui*, *de Offic. deleg.* Roman. *conf.* 333. *n.* 8. Verall. *decis.* 324. *num.* 4. *part.* 1.

De legitimo Mandato Procurae P. Nicolai Novatii, ad cujus instantiam fuit fabricatus processus, *in dicto Processu fol.* 1. constat ex publico Instrumento *ad l. Imperator*, *ff. de Stat. hom.* Fulgos. *conf.* 186. *num.* 3. Cravett. *conf.* 35. *in fine*, Boer. *d.* 168. *num.* 6.

De citationibus Testium ex relatione Nuntii, Bart. *in l. Haec autem* §. 1. *num.* 2. *ff. Quibus ex causis*, Castr. *conf.* 81. *num.* 3. *lib.* 2. Marant. *de citat. num.* 54. *&* 55. necnon etiam de Citationibus factis, & executis erga R. P. D. Promotorem Fidei ad viden. jurare, & examinari Testes juxta formam Decreti a Sacra Congregatione super Ritibus Ecclesiasticis emanati, *ut in Proc. fol.* 8. de his omnibus liquet.

Juramentum Testium probatur ex attestatione Notarii per verba de praesenti, juxta Gloss. *in cap. Ut circa verbo praestito*, *de Elect. in* 6. Card. Seraph. *d.* 867. *num.* 25. *&* 26. cum aliis supra allegatis *de Proc. fol.* 9. *&* 12.

Et examen peractum fuisse praesente Subpromotore Fiscali juxta protestationem R. Promotoris, & primo super Interrogatoriis per eumdem datis, ac deinde super Articulis productis a Procuratore Causae, constat itidem ex attestatione Notarii, & inspectione processus, quem Notarium fuisse specialiter deputatum ad excipiendum Acta praedicta, colligitur ex ipsamet deputatione *in Proc. fol.* 18.

Ex quibus itidem deducebatur validitas istius processus in Urbe constructi.

De Martyrio, & causa, ac Requisitis Martyrii, ut quis pro Martyre canonizari possit.

PARS SECUNDA.

Sanctitatem esse fundamentum Canonizationis, B. P. communis Theologorum, & Canonistarum probat sententia, cum & ipsa Canonizatio definiatur esse publicum Ecclesiae Catholicae testimonium ad praescriptum Sanctorum Canonum editum a Summo Pontifice Romano de vera, & certa Sanctitate, atque indubitata gloria Famuli Dei jam defuncti, qui in Catalogo Sanctorum ab Universali Ecclesia colendus proponatur, ut colligitur ex traditis communiter per Canonistas *in cap.* 1. *de Reliq. & Venerat. Sanctor. & cap. Unico eod. tit. in* 6. & signanter per Innoc. *num.* 1. Jo. Andr. *num.* 4. Cardin. Zabarell. *num.* 1. Abb. *num.* 5. & ex Summistis, & per S. Antoninum *in* 3. *part. tit.* 21. *cap.* 5. §. *de Canonizatione*, Jacob. Castellan. *eod. tr. part.* 1. Card. Bellarmin. *de Beatitud. & Canoniz. Sanct. lib.* 1. *cap.* 7. *in princ.* & fuit dictum per Pavin. *in Relatione S. Bonaventurae*, *in princ. & part.* 1. *art.* 8. *&* 9. atque *in Relatione S. Raymundi par.* 2. *art.* 2. & alias saepius *in Relatione S. Franciscae Romanae part.* 2. *art.* 1. & alias saepius, in quo potissimum Sacrosancta haec Canonizatio a Lege veteri trahens originem, ut colligitur *ex Ecclesiaste cap.* 44. & notat Card. Bellarmin. *de Sanct. Beatit. lib.* 1. *cap.* 7. ab Apostolorum traditione accepta, & a Romana Ecclesia constanter usurpata differt ab Apotheosi, seu Deificatione, qua Ethnici, & praesertim Romani, suos sibi Divos peculiari quodam, & superstitioso ritu, de quo per Herodian. *lib.* 4. *de reb. gest. Roman.* constituebant. Illi enim nefarios saepe homines, & multis sceleribus refertos in Deorum numerum referebant, eorum flagitia celebrantes, & probra convertentes in sacra, atque tribuentes vitiis exemplo divinitatis excusatam licentiam, ut recte scripsit D. August. *de Civit. Dei lib.* 8. *& ult.* & Seneca, quamvis vel Ethnicus, vel dubius Christianus, *de brevitate vitae cap.* 16. & animadversum fuit *in praeallegata Relatione S. Raymundi par.* 2. *art.* 2. *vers. Hoc enim potissimum*.

Sanctitas autem, quamvis diversimode a Sacris Doctoribus definiatur, & firmitas in bono a plerisque dicatur, & derivetur a verbo *Sancire*, quod erat apud Ethnicos sanguine hostiarum foedera firmare, & stabilire, ut ex Tit. Livio *in Histor. ab Urb. cond.* a Plinio *Hist. natural. lib.* 22. *cap.* 2. Martiano *in tit. de rer. divis*, aliaque referantur diversae descriptiones, & acceptiones Sancti-

Ctita-

ctitatis *in luculenta Relatione B. Thomæ de Villanova cap. 1. per totum ;* tamen ad effectum decernendæ Canonizationis accommodatior, & magis etiam consentanea menti Canonistarum *in cap. 1. de Reliq. & Venerat. Sanctor.* videtur illa Sanctitatis descriptio desumpta ex Div. August. *in lib. de Doctrina Christiana*, & S. Thoma *in 2. 2. quæst. 81. art.* 8. late Cajetanus, ut sit virtus generalis continens omnes virtutes in gradu excellenti, sive omnium virtutum excellentia, Theologicarum scilicet, & Moralium, Fidei, Spei, & Caritatis, necnon Prudentiæ, Temperantiæ, Justitiæ, & Fortitudinis, per quas mediate, & immediate ordinamur erga Deum membra Christi, juxta dictum S. Hieronymi relatum *in cap. Si quis hominum, 11. quæst.* 3. & differitur *in dicta Relatione B. Thomæ de Villanova cap.* 1, sive ut sit perfecta, libera, & omnino immaculata munditia, ut definit S. Dionys. *de Divin. Nomin. cap.* 12. quam definitionem secuti fuerunt Majores nostri *in Relatione S. Bonaventuræ par. 1. art. 7. in fine, in Relatione S. Franciscæ Romanæ par. 2. art. 1. in fine & alibi*.

Hanc Sanctitatem utroque modo acceptam, nempe uti virtutum excellentiam, atque uti omnimodam munditiam eminentem, ipsi inesse Martyrio, ex SS. Patrum testimoniis, & Scholasticorum Theologorum rationibus satis superque probari, Nos animadvertimus, singulas virtutes ponderando.

De Fide enim id exploratum est, Martyr quippe dicitur testis, qui testimonium reddit Fidei Christi, juxta illud Act. Apost. 1. *Eritis mihi testes in Hierusalem*, & Divi Pauli ad Hebr. 2. *Et hi testimonio Fidei inventi probati sunt*, & observavit S. Augustin. *Conc.* 20. *in Psalm.* 118. ubi ait, *Martyris dulcissimum nomen Græcum esse, sed Latio donatum, quod Christianæ Plebis auribus suaviter sonaret, quam Latina vox testis*, & *Serm. 14. de verb. Domin.* inquit: *Ideo Martyres Fidei examinatoriæ nuncupantur a Lucifero Calaritano, fœneratio Fidei a S. Maximo, Mater ipsius Fidei*. Et Martyres ipsi principes, & auctores nostræ Fidei, holocausta, victimæ, Christo primæ victimæ cognatæ oblationes, præconia Evangelicæ veritatis, Legis expletio asseruntur a D. Ambros. August. Gregor. Nazianz. S. Ephrem, S. Cyprian. & tradit D. Thom. *in 2. 2. quæst.* 124. *art.* 2. & ibidem Expositores communiter.

De Spe Martyrum constat *ex Sapien. cap.* 3. ibi: *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, tamen Spes illorum plena immortalitate est, & vexati in paucis, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, & invenit illos dignos se, & quasi holocausti hostiam accepit illos*, & *ex Proverb. cap.* 14. *Justus sperat in morte sua*; quod loqui de Martyribus, communiter ibi sentiunt Scribentes, & signanter S. Bonaven. necnon S. Ambros. *in Serm. de S. Nazario* 14. plene Tertull. *in Scorpiaca cap.* 6. ubi, quod mansiones multæ apud Patrem, de quibus Joan. *cap.* 14. sunt tamquam fecunda solatia, & extrema præsidia Spei, & dimicationis Martyrii, S. August. fuse *in Psal.* 127. S. Cyprian. *in tract. de laude Martyrii*, Philo Carpaceorum Episcopus *super Cantica* asserens, Ecclesiam Christi Sponsam Martyres habere tamquam perfectiores suæ Spei apud Cælestem Sponsum, suntque aurea prorsus verba S. Ambrosii in hunc sensum *in dicto Sermone de S. Nazario* 14. ibi, *a Martyribus, dum mortis tolerantia indubitanter excipiatur, Spes immortalitatis evidenter asseritur; numquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent.*

Charitatem autem informare ipsum Martyrium, nemo est vel in Sacris Litteris leviter versatus, qui ambigat, juxta illud Joann. *cap* 15. *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, ac D. Pauli *ad Rom.* 15. *Virtute enim patimur ex dilectione in Deum*: & post Divum Cyprianum *de laude Martyrii* Tertull. *in Scorpiaco cap. 13. &* 15. D. August. *de verb. Apost. Serm. 15. cap. 12. & Serm.* 50. D. Greg. *in Cantic. cap.* 8. luculenter, & docte comprobat D. Thomas *in 2. 2. quæst. 124. art.* 3. Hincque Martyrium Charitatis consummationem dixit Clemens Alex. *Stromat. 4. cap.* 2. & plenitudinem Charitatis appellavit Tertull. *in Scorpiaco cap.* 6. ubi etiam subdit, quod Charitas vere excudit Martyrem; tresque virtutes Theogicas junctim in Martyrio potissimum commendari, docet S. August. *in enarrat. Psalm.* 68. & novissime P. Raynaud. *de Martyrio per pestem part. 4. cap. 2. per totum*.

Morales autem virtutes, nempe Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, & Fortitudinem, famulari, atque inhærere Martyrio, deprehenditur ibidem ex traditis per SS. PP. & Theologos.

Et quidem inesse Prudentiam, colligitur ex Tertulliano *in Scorp. cap.* 5. ex D. August. *in Serm.* 44. & ex D. Gregorio Nazianzeno *Orat.* 18. ubi ait: *Martyrium negotiationem esse omnium prudentissimam, quia exigui Sanguinis pretio Cæleste Regnum emitur, & brevia, ac fragilia bona cum sempiterna gloria commutantur.*

De Justitia tradunt D. Cyprian. *de laud. Martyr.* asserens, *Omnem rectitudinem in eo expleri*, D. Hieronym. *in Psalm.* 115. D. Bonavent. *Sap. cap.* 3. D. Greg. Nazianz. *Orat.* 18. qui notant verba illa Sap. *cap.* 3. *Justorum animæ in manu Dei sunt*, ad Martyres proprie esse referenda, quippe qui tribuunt Domino, quod acceperunt a Domino, & imaginem a Deo acceptam Sanguine suo restaurantes, ac repingentes jus suum quodammodo reddunt Christo, in cujus testimonium occiduntur, atque ejus consummant, ac supplent passiones.

Temperantia in Martyribus etiam affulget, dum maximam omnium delectationem appetitus vitæ moderantur, seque in bono rationis posito in veritate, & justitia conservant, ut loquitur D. Thom. *in 2. 2. quæst. 124. art.* 1. dumque vitæ hujus desideria vicerunt, eos Domini propitiatio coronat, ut inquit D. Cyprian. *sæpe cit. opusc. de Laud. Martyrii*.

Fortitudo vero adeo urget in Martyrio, ut illud proprie dicatur actus Fortitudinis tamquam virtutis elicientis, prout dicitur actus Charitatis tanquam virtutis imperantis, & Fidei tamquam finis, in quo per Fortitudinem quis confirmatur, ut docet D. Thom. *in 2. 2. quæst. 12. ar. 2. per totum*, & ante ipsum plene D. Ambros. *de Offic. lib. 1. cap.* 41. Div. August. *Serm. 13. tom.* 10. *pag.* 719. Pro qua Martyrum Fortitudine toties Divus Paulus gratulatus est Catholicæ Ecclesiæ, *ut in 2. Thessalon.* 1. *Gloriamur in vobis in Ecclesiis pro tolerantia vestra, & fide in omnibus persecutionibus, & pressuris, quas sustinetis ostentamen justi Judicii, ut digni habeamini Regni ejus, pro quo patimini*; & tot exempla cruciatuum, & crudelissimæ carnificinæ singillatim expressa per Gallon. *de Martyr. Cruciat.* & Ludov. Card. *ad vers. Sacr. cap.* 128. necnon per Baron. *in Martyrolog.* passim descripta præcellentem in Martyrio fortitudinem satis ostendunt.

Quam virtutum moralium complexionem in Martyrio junctim expressit egregie Theodoret. contra Græcos, ibi: *Martyribus res actæ in vita non solum Fortitudinis, sed Justitiæ, Temperantiæ, ac Prudentiæ Fidem conciliant. Quid enim esse illis temperantius possit, qui, noluerunt ab inceptis illis, dogmatibusque discedere, quæ bona esse crediderunt? Quid vero sit illis justius, qui Divina munera sibi exsecto jugulo compararunt, suaque ipsi corpora pro eo tormentis omnibus objecerunt, qui Cruci corpus suum pro nobis tradidit? Quid vero prudentius, quid sapientius dici queat iis, qui hoc consilii ceperunt, ut, quæcumque sunt in hoc terrarum orbe, contemnerent, velut quæ nihil habent stabile, illa autem toto pectore adamarent, quæ sermone ullo exprimi non possunt?*

Sanctitatem vero, quatenus est omnimoda, & immaculata munditia, contineri in Martyrio, comprobat vulgatum illud Theologorum, & Canonistarum axioma, quod martyrium implet vicem Baptisma, cujus Sacramenta omnia complentur in eo, & peccatorum omnium rubigo, ac labes abstergitur, gratiaque sanctificans vere confertur, ut habetur *in cap. Baptismi vicem, & cap. Catechumenum de consecrat. dist.* 4. & tradit D. Cyprian. *Epistola* 79. D. August. *de Baptism. lib. 5. cap. 22. & de Civitate Dei lib. 13. cap.* 7. Tertull. *de Baptism. cap.* 16. ubi acute Martyrium vocat Baptismum, qui secundis maculis non inquinatur, D. Thom. *in 3. part. qu. 87. artic.* 1. Less. *de Just. & Jur. lib. de Fortitud. dub. 4. art. 1. num. 54. & 56.* ubi, quod gratia per Martyrium confertur in instanti terminativo vitæ, tamen intrinseco, non extrinseco, ideoque Martyrium quasi Novaculam criminum, & culparum dixit D. August. *in Psal. 51. & Serm. 6. de verb. Dom.*

Ex his perpendimus emanasse jure merito communiter receptam Conclusionem, ut quotiescumque de Martyrio, & causa Martyrii per legitima documenta apparet, quis Dei Famulus possit canonizari, & debeat pro Martyre coli, ac venerari absque aliqua discussione Sanctitatis, quippe quod Martyrium universam in se continet Sanctitatem: ita tradit Host. *in cap. 5. de Reliq. & Venerat. Sanctor.* Cassaneus *in Catalog. glor. Mund. part. 3. consid. 49. §. Et ad probationem, vers. In Martyribus enim*, Castell. *de Canonizat. Sanctor. quæst. 5. num. 6.* August. de Ancona *de Potest. Eccles. quæst.* 26,

art,

art. 3. *in respons. ad secundum argumentum*, Rocca *de Canoniz. Sanctor. cap.* 3. *per tot.* Turrian. *ad D. Thom. in* 2. 2. *disput.* 17. *dub.* 2. & fuit dictum per Pavin. *in Relatione S. Bonaventuræ par.* 2. *ar.* 2. *& in Relatione S. Didaci par.* 3. *c.* 6. *vers. Itaque solum*, & novissime *in Relatione facta S. V. pro Canonizatione xxvi. Martyrum in Japonia Discalceatorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia art.* 3. *per totum*.

Quam assertionem adeo veram esse, dicebant Agentes pro causa Venerabilis Josaphati, ut in Martyrum Canonizatione, ubi Martyrium fuit concludenter probatum, non exigatur etiam Miraculorum patratio, & inquisitio, prout regulariter requiritur in Canonizatione Confessorum, juxta Gloss. *in cap. Unicn, verb. Sedis Apostolicæ*, & ibi omnes Canonistæ *de Reliq. & Venerat. SS. in* 6. cum enim miracula perpendantur tamquam signa, & indicia Sanctitatis, & gratiæ apud Deum, *cap. Verum, dist.* 2. *cap. Quærendum, de Pœnit. dist.* 2. in Martyrio, quod est certa Sanctitatis demonstratio, non est opus signis, & conjectoris, *l. Ille, aut ille*, §. *Cum in verbis, ff. de Leg.* 3. *l. Continuus*, §. *Cum ita, ff. de verb. oblig. l.* 2. *cap. de Legib.* Et Martyribus cultum Sanctis debitum promisit summus, & primus Martyr Christus *Matth. cap.* 10. *Qui me confessus fuerit*, (testimonio sanguinis) *in terris coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo & coram Angelis ejus*, ut observavit D. Cyprian. *de Laude Martyrii*, Tertull. *in Scorpiac. cap.* 9. D. Bernard. *in Serm.* 5. *de Martyr.* & Sancta Mater Ecclesia prius venerari cœpit, & colere Festa Martyrum, quam Confessorum, ut post S. Clementem Papam *lib.* 8. *Const. cap.* 39. tradit Card. Bellarmin. *de Cultu Sanct. lib.* 3. *cap.* 16. *vers. Dico* 2. Unde per miraculorum disquisitionem non est in controversiam revocandus Martyris Cultus, præsertim quia miracula regulariter a Deo fieri solent, vel ut veritas confirmetur, vel ut viri alicujus Sanctitas comprobetur, & Nomen Christi glorificetur; Deus enim per miracula testimonium perhibet pro suo Famulo Confessore, ut traditum est a Divo Thoma *in* 2. 2. *quæst.* 178. & a Canonistis *in cap. Nec mirum*, 26. *quæst.* 5. *cap. Venerabilis de Test. cap. Cum Marthæ* §. *Quæsivisti, de Celebrat. Miss.* Bont. *de Test. in verb. Qualitas*. Porro Martyrum Sanguis Evangelicam veritatem magis, ac magis confirmat, & ipsi sunt Cæli, qui enarrant gloriam Dei, ut eleganter scribit D. Ambros. *in Serm.* 23. *& Epistola* 54. *lib.* 7. qui propterea, dum fuso Sanguine testimonium perhibent Deo, non videntur egere testimonio miraculorum ab ipso Deo, quem consortio passionis clarificarunt, & ipsum Martyrium majus, quam universa miracula, reddit testimonium Divinæ potentiæ, præsertim apud Incredulos, quibus proprie data sunt signa, quemadmodum scribit B. Apost. 1. *ad Corinth.* 14. quod optime expressit D. Cyprian. *in lib. de duplici Martyrio*, sive quisquis fuit Auctor illius Opusculi, ibi: *Semper efficacius fuit Sanguinis profusi testimonium, quam miracula: quot enim morbos insanabiles verbo sanarat Dominus? quot cæcos illustraverat? quot mancos, paralyticos, ac debiles restituerat? quot exanimes ad vitam revocaverat? & tamen pauci credebant in eum; & audiebat: In Beelzebub ejicit dæmonia. Cæterum, ubi deventum est ad Sanguinem, ibi dejectum est Satanæ Regnum, ibi subactus est Mundus, & Fides cruentata magis effloruit, quam miraculis illustrata*: & demum tot præcipui honores, quibus Deus, & Sancta Mater Ecclesia usque a primordiis nascentis Fidei solos promovit Martyres, recensiti per Sanctum Gregorium Nazianz. *Orat.* 2. *de* 40. *Martyr.* D. August. *Epistola* 137. *& de Civitate Dei cap.* 27. *lib.* 8. Theod. *lib.* 8. *contra Græcos*, D. Cyprian. *Epist.* 10. 11. 12. *&* 22. promereri videntur hanc prærogativam, ut absque miraculorum discussione in Sanctorum numerum referantur, prout compertum est, Ecclesiam pro Martyribus venerari S. Joann. Baptistam, SS. Innocentes, S. Quiricum, quinquennem S. Adauctum, & alios innumeros, quos nulla patrasse miracula constat. Et Christus Dominus in Tribunali Crucis hanc veritatem docuisse videtur, dum Latronem inter Sanctos asseruit, statim atque credidit, quippe quod, qui Christo commoritur, nullis miraculorum signis egeat. Et hæc Sententia retenta etiam fuit, & approbata *in prællegata Relatione Sanctorum* 26. *Martyrum, qui passi sunt in Japonia*.

Nec prædictis refragari videtur Host. *in Summ. tit. de Reliq. & Vener. Sanct. num.* 4. *in fine*, ibi: *De Martyribus autem non fit tanta examinatio, sed quæritur tantum de miraculis, & causa, propter quam passi sunt*, quem secuti sunt Auctor Candelabri aur. *cap.* 17. *num.* 7. Azor. *Inst. Moral. lib.* 5. *par.* 2. *cap.* 6. §. *Si vero*, Mascard. *de probat. conclus.* 262. *num.* 9. quoniam Hostiens. propositio, & sequacium juribus, & rationibus est destituta; nam allegat *cap. Baptismi vicem, & cap. Catechumenum, de Consecr. dist.* 4. ubi habetur, in Martyrio tota Baptismi Sacramenta compleri, & peccata non remitti, sed extingui, ex D. August. quod Axioma potius evincit, non esse exigenda miracula. Dictum vero Doctoris est intelligendum secundum jura, quæ allegat Roman. *cons.* 211. *num.* 5. Paris. *cons.* 128. *num.* 28. *lib.* 4. Pur. *decis.* 228. *num.* 2. *lib.* 2. Rationes autem nullas affert, sine quibus Dictum ejus cadaver potius opinionis, quam opinio censeri debet, argumento *l. Cum Ratio ff. de Bon. damn. l. Cum Pater* §. *dulcissimis, ff. de Leg.* 2. *cap. Consuetudo, dist.* 1. Et in contrarium urget communior sententia pluribus argumentis, & auctoritatibus suffulta. Probabiliterque dubitari potest, verba illa Hostiens. *Sed tantum quæritur de miraculis, & causa Martyrii* legenda esse, *Sed tantum quæritur de Martyrio & causa Passionis*: ibi enim Hostiens. voluit constituere differentiam inter Martyres, & Confessores. Et tamen, data illa lectura, nullum esset discrimen, & ibi Host. separat discussionem miraculorum a causa Martyrum, ponderando, & quod idem Host. *in cap. de Reliq. & Venerat. Sanct.* postquam disseruit de requisitis in Canonizatione Confessorum, & signanter de miraculis, subdit: *Hic autem ordo non semper servandus est, & maxime quando agitur de Martyrizatis pro Fide, illi enim consueverunt facilius, & levius expediri*; nullumque de miraculis, & eorum necessitate verbum facit. Ne ideo inconstans dicatur Hostiensis tam prudens, ac fulgidus Doctor; facile credi potest, illud verbum *de miraculis*, vel incuria Impressoris, vel Scriptoris irrepsisse. Et idem suspicatur est Modernus Faventinus *de Martyrum Canoniz. punct.* 3. *num.* 10. Vel certe Hostiens. opinio temperanda est, ut miraculorum probatio non sit necessaria simpliciter, & absolute, & ubi de Martyrio, & causa plene constat, sed solummodo secundum quid, ut scilicet clarius constet de Sanctitate Martyris, vel ut probatio circa Martyrium coadjuvetur. Doctores autem sectatores Hostiens. cum illius duntaxat auctoritate, & juribus per eum allegatis nitantur, non sunt obstaculo sententiæ supra comprobatæ.

Cæterum, ut præmissa de sufficientia probationis Martyrii ad effectum, ut quis possit canonizari, locum sibi vindicent, animadvertendum esse dicebamus, ad essentiam Martyrii potissimum tria requiri; primo, ut aliquis mortem sustineat; secundo, ut voluntarie sustineat, & illam acceptet; tertio, ut eam sustineat propter Fidem, vel alium virtutis actum in Deum relatum, in quo usque ad finem perseveret. Quæ omnia colliguntur ex traditis per D. Thom. 2. 2. *quæst.* 124. *per totum*, & ibidem Scribentes communiter, & ex definitione Martyrii allata per Jo. Viguer. *in Inst. Theolog. tit. de Fortitud. cap.* 6. §. 1. *vers.* 2. ut sit voluntaria mortis perpessio, sive tolerantia propter Fidem Christi, vel alium virtutis actum in Deum relatum; de quibus requisitis debet per plenas, & concludentes probationes apparere.

Mortem esse de ratione Martyrii, colligitur ex D. August. *in Serm. de S. Cyprian. & ex Serm.* 49. *de pluribus Martyribus*, Origen. *lib.* 3. *comment. in Job*, Card. Baron. *in Annal. tom.* 1. *ann.* 58. *num.* 94. & luculenter tradit Div. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 4. promptaque est ratio, cum Martyr antonomastice Testis Fidei dicatur, ut nominatim habetur *in Apocalyp.* 2. *Antipas Testis meus fidelis, qui occisus est apud vos*, summum Deo testimonium perhibere tenetur vitam impendendo, qua nihil carius esse homini compertum est, & cum Martyrium sit actus maximæ Charitatis, debet illa ostendi ex vitæ impendio juxta sententiam Domini: *Nemo habet majorem Charitatem, quam ut animam ponat quis pro amicis suis*. Hincque fit, tres Pueros Babylonios in caminum ignis immissos, & non exustos, Danielem Leonibus prædam factum, sed illæsum, ac S. Joannem Evangelistam in ferventis olei dolium immissum, sed non extinctum, in Tabulis Martyrum a Romana Ecclesia non recenseri; quia, licet voluntas non defuerit Martyrio, tamen extremus exitus defuit voluntati, ut per D. Cyprian. *Epistola* 92. *&* 58. in quo contraria Martini de Magistris sententia omnino est rejicienda, prout illam noviter refellit Pater Raynaudus *de Martyrio, part.* 2. *cap.* 1. §. 4. *&* 5. *ad* 10.

Dum vero aliqui a SS. Patribus Martyres appellantur, qui pro Christo vexati tantum fuerunt, non mortui, ut S. Felix a D. Augustino, S. Eustachius a S. Joann. Chrysostomo, S. Maximus a D. Cypriano, & alii, id debet intelligi, ut illi essent Martyres designati,

de qui-

de quibus per D. Cyprianum *Epistola* 12. *&* 22. *atque alibi sæpius*, vel secundum antiquum usum Ecclesiæ id procedit, & improprie, non proprie, de Martyrio habitu, non actu. Prout etiam assertio illa communi Theologorum calculo recepta, quod Sanctissima Virgo Deipara vere, & formaliter Martyr fuerit, ut tradunt D. Anselm. Bernard. Epiphan. Ephrem, Damascen. aliique congesti per Canitium *de Virgine Deipara lib.* 4. *cap.* 23. Spinell. *eodem tr. cap.* 11. *num.* 1. *& sequ.* intelligi debet, ut vera omnino sit, quicquid Abulen. Sotus, & alii in contrarium dixerint; quia dolores, quos ipsa tempore Passionis perpessa fuit, nedum æquarunt mortis naturalis dolorem, sed potius excesserunt, ex quibus, Deo specialiter juvante, non fuit interfecta; & Sanctissima Virgo, uti ab ordine totius naturæ excepta, cognata Deo, atque illi quodammodo æqualis, Sanctissimæ Trinitatis complementum, ac nobile Triclinium, Theotocos, ut passim in Sacris Œcumenicis Conciliis nuncupatur, non est communibus regulis metienda, & præcipuam, ac ab aliis Martyribus distinctam, & nobiliorem coronam Martyrii obtinuisse, docte, & splendide comprobat Rev. Pater Magister Richardus S. Palatii Theologus *in Nomenclatura laudum Virginis*.

Acceptatio etiam mortis requiritur in Martyrio, & voluntaria ejusdem tolerantia; quia, cum sit actus virtutis debet esse omnino voluntarius, ut inquit Div. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 1. *in princ.* & Philosophorum est incussum axioma, alioquin mors pœna diceretur, non Martyrium; & volitio, seu acceptatio debet esse plusquam habitualis, aut interpretativa tantum, atque adeo quæ aliquando fuerat actualis, & vere exercita, perseverans saltem moraliter, prout dicitur de Sacramentis, & passim per Theolog. *in tract. de gratia*, *& merito*. Ita post Div. Thom. docet Suar. *tom.* 3. 3. *part. disput.* 2. *num.* 52. Less. *de Fortitud. cap.* 1. *num.* 24. Unde fit, eos, qui dormientes occiduntur pro Christo, non esse proprie Martyres, nisi materialiter; homo quippe dormiens non est proprie voluntarius, secundum Aristotelem *lib.* 3. *Moral. cap.* 1. & tradit Lessius *de Fortitud. dub.* 3. *num.* 24. P. Raynaud. *de Martyr. cap.* 3. §. 4. ubi reprobat contrariam Sententiam Coninck i, & Neotericorum; & hac de causa aliqui etiam Theologi putarunt, Sanctos Innocentes, quos Ecclesia veneratur tamquam flores, & primitias Martyrum, & Passionis Christi præcones, cui testimonium, quod nondum poterant eloquio, perhibuerunt Passione, ut scripserunt Origen. & D. August. & alii, non esse formaliter Martyres, cum defuerit actus voluntaris, sed tantum materialiter; quæ tamen opinio magnos habet contradictores. Et eos, qui resistunt, & nituntur adversus Persecutorem, a quo patiuntur, prout Milites pro Fide occumbentes, improprie esse Martyres, tradit Theodoret. Balsam. *in Comment. S. Basil. can.* 13. Baron. *in Martyrolog. sub die* 19. *April.* ubi, quod Phocas Imperator tentavit, olim Milites in bello cæsos adscribi inter Martyres, quemadmodum Ethnici aras in bello occisis erigebant, secundum Dionem in Tiviano, se huic ejus studio Orientales Episcopi restiterunt nixi *Canone* 13. Sancti Basilii.

Ex his sequitur, Christifidelibus permissum esse sponte, ac libere ex instinctu Sancti Spiritus, & dum gravis, & proportionata causa concurrit, se exponere Martyrio pro Christi nomine tempore congruo sustinendo, & hujusmodi mortem patientes esse vere Martyres, qui & distincto, ac peculiari nomine nuncupabantur, hoc est, Professores, ut post D. Cyprian. docet Baron. *in Annot. Martyrolog. ad diem* 2. *Januarii*. In quam sententiam videtur scripsisse D. Paulus *ad Hebræos cap.* 12. *Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem Fidei, & Consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, Crucem sustinuit, confusione contempta*. Ubi Glossa pro certamine exponit Martyrium, & id docuit S. August. *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 26. quem sequitur Div. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 128. *art.* 1. *argum.* 2. ubi Cajetani contrariam opinionem Martini de Magistr. uti perniciosam refellit, & docet, per hujusmodi spontaneam oblationem proprie non dari Tyrannis occasionem injuste agendi, sed ipsos ex actibus virtutis illam desumere, dumque imponitur Idolorum adoratio, nec ea potest evitari, nisi per mortis acceptationem, per aquam, vel ignem, utique id licitum esse: quod præstiterunt Sanctæ Fœminæ, quæ pro servanda Pudicitia se in fluvium projiciendo, & aliter mortem sibi consciverunt, ut narrat D. August. *de Civit. Dei lib.* 1. *cap.* 26. Quarum Martyria coluntur a Catholica Ecclesia, innumeraque ex Tabulis Ecclesiasticis suppetunt exempla Servorum Dei, qui se voluntarie obtulerunt Martyrio, prout de S. Sebastiano, Sancta Catharina Virgine, Sancta Eufeasia, S. Bonifacio, SS. Justo, & Pastore, SS. Prisco, & Alexandro, S. Paphnutio, aliisque pluribus narrant Martyrologia, & recensentur per Baron. *in Annalib. ab anno* 850. *ad* 853. Celebrisque est Historia Martyrum Cordubensium, quam defendit S. Eulogius, qui postea, & ipse fuit Martyr, *in Opusculo nuncupato, Memoriale Martyrum, ut in Bibliotheca SS. Patrum tom.* 7. & ille solus cum Episcopo Cordubensi restitit Pseudo-Concilio Corduben. in quo damnati fuerunt dicti SS. Martyres, quia sponte Martyrio se obtulerant, quod Conciliabulum fuit postea ab Ecclesia Catholica Romana rejectum, & illi Martyres recepti, & in Libro SS. Martyrum notati, ut animadvertit Baron. *in Annalib. sub anno* 852. Monita autem, & SS. Patrum dicta, quibus fugi suadetur, & provocationem Martyrum damnare videntur relata *in cap. Adversitas* 7. *quæst.* 1. *cap. Scisciaris* 7. *quæst.* 3. procedunt, ubi desit gravis, & proportionata causa ad fugam, atque a Martyrio subductione fere culposam esse, exemplis, & præceptis SS. Patrum ostendunt Doctores præallegati, & concurrente justa causa, ut puta multorum salute, esse de præcepto se offerre Martyrio docet S. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 125. *art.* 1. *ad* 3. Sanchez *in Summ. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 15. & fuit dictum *in Relatione Beati Paschalis tit. de Fid. vers. Et hanc tandem*.

Demum de ratione Martyrii esse, ut mors sustineatur propter Fidem, vel alium virtutis actum in Deum relatum, aperte probant D. August. *de Civit. Dei lib.* 1. *c.* 26. D. Thom. *in* 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 5. *per totum*, & hoc indicant verba D. Matthæi *cap.* 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter Justitiam*, cujus appellatione veniunt omnes virtutes, ut post Aristotelem *lib.* 5. *Eth. cap.* 1. *&* 2. docent ibidem communiter Interpretes, quatenus tamen referuntur, & respectum habent ad Deum Fide operante; alioquin pro Philosophia morali, non pro Christo quis diceretur pati, ut observat post alios Less. *de Fortitud. lib.* 2. *dub.* 3. *vers. Denique debet*; estque vulgatum Axioma: *Martyrem non facit pœna, sed causa*, passim a Sanctis Cyprian. August. Greg. Hieronym. usurpatum, ubi, quod pœna est communis Latroni, & Hæretico, sed causa dispar; quod late exornat Baron. *in Annal. Ecclef. sub anno* 425. Sic exploratum est, Abelem, Machabæos, S. Joannem pro Religione, atque Tyrannorum reprehensione, necatos fuisse, gloriosas Virgines Luciam, Agnetem, Ursulam pro servanda Virginitate occubuisse, habemus in una hostia duplex Martyrium, Pudoris, & Religionis, ut inquit S. Ambrof. *de Virgin. lib.* 1. & Babylam, atque optimos Pontifices Felicem, Joannem, necnon integerrimos Episcopos Stanislaum Polonum, & Thomam Cantuariensem, aliosque plures recensitos per Boz. *de Potest. Ecclef. c.* 14. *lib.* 6. pro defensione potestatis, & libertatis Ecclesiasticæ interemptos fuisse. Et quidem S. Babylas Patriarcha Antiochen. primus fuit, qui pro Ecclesiastica libertate, ac potestate vitam posuit, & quia de Templo Philippum Imperatorem expulerat, manibus propriis in pectus ejus adactis, ut advertit S. Joann. Chrysost. relatus a Bozio *de Potest. Ecclef. lib.* 3. *cap.* 8. Tempore autem Valeriani Imperatoris multos Presbyteros, & Diaconos pro caritate ministrantes pestis lue laborantibus demortuos uti Martyres colit Romana Ecclesia *sub die* 28. *Februarii*, & vere fuisse Martyres, docte probat P. Raynaud. *in tract. de Martyrio per pestem*. Quemadmodum etiam decem, & quatuor Christianos renuentes parere Edicto Principis per Quadragesimam carnium esum præcipientis necatos in Bulgaria fuisse veros Martyres, docet B. Theodor. *in Sermon. Catechist. Serm.* 63.

His concurrentibus, perfectum re vera dicendum esse Martyrium, pronuntiant Theologi, & Canonistæ, quotiescumque patiens sit in statu gratiæ, vel saltem habeat legitimam ad gratiam dispositionem, quæ in attritione consistit ex sententia D. Thomæ 3. *par. quæst.* 87. *art.* 1. & late probat Less. *de Fort. dub.* 4. *per totum cap.* 1.

De Martyrio autem cum requisitis prædictis censuimus constare debere plene, & concludenter, ut quis tanquam Martyr possit canonizari; quam probationem videtur exigere gravitas Causæ Canonizationis, quæ est de majoribus Causis Fidei, ut inquit Glossa *in cap.* 1. *de Reliq. & Venerat. Sanctor.* necnon humani judicii conditio Hypocritarum, & Pseudoprophetarum fallaciis, & deceptionibus exposita, a quibus cavendum esse, monuit D. Matth. *c.* 7. hoc est, plenæ probationis medio, quæ lumen plenum veritatis appellatur a Bald. & æquiparatur luci, in qua perfecte videmus, *l. Per hanc, num.* 1.

c. de

c. *de Temporibus*, & *separ. Appell*, ita ut Apes a Vespis discernantur, inquit Tertull. adversus Martin. *lib. 4.* hoc est, veri Martyres a Pseudomartyribus, quos Hæretici Montanistæ, Donatistæ, Novatiani, Ariani sibi sæpe finxerunt, & adhuc fingunt, ut post D. August. Theodoret, & alios acriter scribit Baronius *in Prælud. Martyrolog. cap.* 10. Ex quibus, & aliis rationibus, etiam ubi agitur de Canonizatione alicujus Confessoris, Sanctitatem esse plene, & concludenter probandam, tradunt Canonistæ *in cap.* 1. & 2. *de Relig. & Venerat. Sanct.* Castell. *de Canoniz. quæst*, 7. §. *Quaro qualiter*, Malvet. *eod. tract. cap.* 1. *num.* 15. & *cap.* 4. 62. & 72. & fuit dictum per Majores nostros sæpius, *ut in Relatione S. Francisci de Paula*, §. *Viden. in Relatione S. Hyacinthi*, & *in aliis congestis in Relatione S. Andreæ Corsini part*, 3. §. 3. *per totum*,

De Martyrio Servi Dei Josaphat Archiep. Polocen, & qualiter in illo sustinendo se gesserit,

P A R S   T E R T I A.

JOsaphatus primum Monachus S. Basilii, & deinde Archiepiscopus Polocen, antea Joannes Concevitius, natus est Udolomiricæ anno a Partu Virginis 1584. ex Gabriele, & Marina honestis Parentibus orthodoxis Catholicis vinculo Matrimonii rite copulatis, & Sacro Lavacro Baptismatis Catholico ritu fuit initiatus, atque pie ab iisdem educatus, ut deponunt sex Testes *in Processu Polocen.* nempe primus, qui est octogenarius, secundus, tertius, & quartus, qui sunt Consules Civitatis, & plusquam sexagenarii, & quintus, ac sextus, *ut in fol.* 22. 23. & 57. In ipsa pueritia piis moribus institutus præmaturum, ac præcox adeo ad Religionem ostendit ingenium, ut vacaret assiduæ orationibus, & quotidianis precibus, quibus cum Deo conversabatur in secessu Templi Sanctæ Parasceves, ubi & in depingendis, formandisque Sanctorum Imaginibus operam dabat, tamdiuque interdum in Sacris Ædibus commorabatur, ut sollicitos faceret Parentes ob sui absentiam; unde ipse Joannes tamquam exemplar virtutum, atque egregiæ indolis ceteris etiam provectioris ætatis Adolescentibus proponebatur, ut testantur iidem primus, & tertius Testis *in Processu Polocen, fol.* 22. Post quas præproperæ pietatis, ac Sanctimoniæ prolusiones, cum usque ad annum Christi 1604. eumdem vitæ honestæ tenorem servasset, 20. ætatis anno Religionem S. Basilii ingressus est, & in ea professus in monastica perfectione, & vitæ Sanctimonia ingentes progressus fecit, claruitque eximie Moralibus, ac Theologicis Virtutibus, Divinis rebus, & assiduæ orationi, corporis castigationi, ipsorumque librorum lectioni valde addictus, ut comprobatur in testimonio quatuor Testium *in Processu Polocen.* nempe 32. qui est Consul, *fol.* 34. & Testis 57. & 59. *fol.* 43. quorum alter est Sacerdos Societatis Jesu, alter Monachus Ordinis Sancti Basilii, & 71. Testis *fol.* 58, adeo ut paucos post annos, assumpto Josepho Vilnensi Archimadrita ad totius Russiæ Metropolim, Josaphatus in ejus locum suffectus creatus fuerit Archimadrita Vilnen. Quo in munere summa cum prudentia suas optime implevit partes, atque omnibus omnia factus, ob penuriam Sacerdotum unitorum solus omnia pene Ecclesiastica munia obibat, Divinis Officiis assidue intereffendo, Confessiones Sacramentales excipiendo, frequenter concionando, & immensa cum caritate, qua omnes homines diligebat, ut de Sancto Petro inquit S. Clemens Papa *Epistola* 1. salutem omnium procurando, ut testificantur *in Processu Polocen.* Testes 59. 68. qui est Archiepiscopus Polocen. ex Ordine S. Basilii, Alumnus ipsius Josaphati, 69. qui est Episcopus Metonen. ac 71. necnon Testes 53. & 56. Sacerdotes Societatis Jesu, & Testis 61. Archidiaconus Ordinis S. Basilii, & comes Passionis Josaphati, atque alii *in eodem Processu*.

Donec de anno 1619. post Gedeonem Archiepiscopum Polocen. idem Dei Famulus invitus ad Archiepiscopatum evectus fuit, ut ait testis 69. in *Proc. Polocen.* Quam ejus humilitatem ponderat etiam testis 16. fugamque meditabatur exemplo antiquorum Episcoporum. Ad quod munus tali cum pompa, & majestate, Populique alacritate exceptus fuit, ut nemo alius, ut describitur in *processu fol.* 19. Incredibile dictu est, quantum in hac dignitate zelum, & caritatem ostenderit totus in corrigendis, & componendis corruptis, & depravatis Populorum suæ Diœcesis moribus, omnium Confessioni audiendæ publice, & privatim, domi, & foris expositus, suavibus verbis Peccatores excipiens, quæ verba penetrabant, & lacrymas extorquebant, ut deponunt præallegati testes 53. 55. 61. 62. & 68. in *processu Polocen.* Abusus multos circa Sacramentorum administrationem sustulit, & frequentiam Sacramentalis Confessionis instituit, ut deponunt testes 53. & 103. Orationi assidue vacabat, adeo ut singulis noctibus surgeret ad orandum, & implorandum cum gemitu, & lacrymis pro conversione Schismaticorum Divinam opem, matutinæ etiam Psalmorum recitationi semper interveniendo, ut ajunt testes 59. 61. & 73. qui visu subdens, se subinde clanculum pariter audivisse Archiepiscopum in precationibus clamantem: *Domine Deus, da unionem Ecclesiæ Sanctæ & conversionem Schismaticorum*: 63.68. & 72. qui ponderant, Archiepiscopum consuevisse primum omnium surgere ad Matutinum, ita ut sæpius ipse pulsaret Campanas pro Monachis convocandis, postquam etiam fuerat ad Archiepiscopatum promotus; inter orandum autem sæpenumero se flagris cædebat usque ad sanguinis effusionem, adeo ut pavimentum etiam cruore conspergeret, præsertim antequam Sacrum celebraret, præmittendo sacrificium Deo gratum, nempe spiritum per pœnitentiam contribulatum. Quapropter etiam cilicio ultra 20. annos usque ad mortem absque indusio corpus afflixit, numquam carnes comedit, raroque pisces, & leguminibus ut plurimum vescebatur, aquæ potum adhibendo, quousque ob stomachi imbecillitatem alio etiam potu uti coactus fuit, super nuda terra sæpe cubabat, & nudipes hieme in frigidissima illa Regione incedebat. Ita affirmant testes 15. 61. 68. 71. & 72. qui addit etiam, antequam procederet ad Sacramentales Confessiones excipiendas, consuevisse flagello se verberare. Virgini Deiparæ se se totum devoverat, cui nedum Aras erigi, Festivitatesque solemniter curavit, sed & semetipsum exactissimum castitatis observatorem instar Templi exhibuit, ut dicunt testes 59. & 73. Pauperes adeo fovit, ut eorum veluti Parens haberetur, numquam eos dimisit afflictos, & jubebat aliquando tot erogari eleemosynas, ut nihil relinqueretur in penu, risque ægrotis in Nosocomio jacentibus omnia exhibebat caritatis officia, lectum construens, cibum ministrans, pedes deosculans, & mundans, quos & sermone salutari, & spiritu lenitatis consolabatur, ut deponunt testes 15. 16. 61. 64. qui fuit dispensator eleemosynarum Archiepiscopi, & ait, cum olim pauperi Viduæ nihil erogandum superesset, jussisse Pallium Episcopale oppignorari, test. 69. & 71. addentes, consuevisse dare eleemosynam rusticis, & aliis mendicis post Confessionem Sacramentalem apud se expeditam, ut ad Sacramenta illos alliceret, 94. inquiens, vel inimicis fuisse amicissimum, 97. qui dicit, Archiepiscopo sibi delatam annuam eleemosynam per Palatinum Vitepscen. illam nec tangendo Pauperibus in Xenodochiis, carceribus, aliisque piis locis totam distribuere consuevisse. Cathedralem Polocen. Ecclesiam plurium millium sumptu absolvit, & fere a fundamentis restauravit, ac Monalium Sancti Basilii Polociæ Monasterium erexit, ut ajunt testes 9. 66. 68. & 71, In consanguineos vero adeo continens, & parcus fuit, ut aliquando pro datis alteri eorum 40. Florenis doluerit, quod in Pauperes potius non distribuisset, ut deponit testis 15.

Jura Ecclesiarum, necnon Episcopalem Jurisdictionem vehementer tutatus est, bonaque Ecclesiastica a Sæcularibus usurpata vindicavit, ut asserunt testes 7. qui est supremus Judex Polociæ, 68. qui est Archiepiscopus Polocen. 72. & 108. qui subdunt, olim Archiepiscopo Josaphat oblata fuisse per Schismaticos triginta circiter millia Florenorum, ut fineret præfici regimini Ecclesiarum Presbyteros Schismaticos, quam sacrilegam impiorum petitionem risit Archiepiscopus inquiens, animarum salute, non pecunia sibi opus esse, & donum Spiritus Sancti vendi non debere. Maximus fuit Evangelicæ veritatis, & unitatis, ac Primatus Romanæ Catholicæ Ecclesiæ propugnator, ac præco, & in comprimenda Hæreticorum, & Schismaticorum perfidia, qui Summum præsertim Romanum Pontificem, & potestatis ejus plenitudinem audacioribus urgebant calumniis, & probris, in Cælum ponentes os suum, & Christum Dominum dilacerantes, atque in eorum conversione, & aggregatione ad unitatem Catholicam egregiam navavit operam. Unde & in hanc causam sæpissime concionabatur, & assidue disputabat pro unione, ad quam Schismaticos post disputationes blandis etiam verbis, & Libris Catholicis eisdem distributis, revocare studebat, in conviviis, & in privatis allocutionibus totus in hac unitate Ecclesiæ, & primatu Sedis Apostolicæ in quo toto tempore, quo Archiepiscopatum rexit, vere universa ejus desudavit industria, ut deponunt testes 7. & 30. ajens, olim Archiepiscopo pro unione disceptanti Schismaticos suasisse, ut ille recognosceret Patriarcham, quo facilius eos ad se

trahe-

traheret, quibus respondit: *Recognoscat Patriarcha Papam, & ego recognoscam Patriarcham*: & iisdem ipsi mortem minitantibus subdidisse: *Pro Christo mundo moriar*: 32. 57. 69. qui est Episcopus Meteonen. 72. 101. & 106. qui duo postremi advertunt, aliquando Archiepiscopum ostendisse ex ipsis Schismaticorum Sclavonicis Libris comprobari, Rhutenos antea solitos reddere obedientiam Romano Pontifici; ex qua assidua Antistitis opera, Deo bene juvante, factum est, ut in triennio, quo Archiepiscopatum rexit Polociæ, quæ antea grassabatur Schismatis lues pro majori parte extincta fuerit, & cum creatus Archiepiscopus paucos Polociæ invenisset Fideles, tempore mortis pauciores reliquerit Infideles, ut dictum fuit de Sancto Gregorio Thaumaturgo Neocesareæ Episcopo. Ita deponunt sex testes in *processu Polocen.* nempe 29. & 31. Proconsules Polociæ, & 43. necnon 63. & 70. Alter Decanus Bychovien. alter Archidiaconus albæ Russiæ, atque etiam 71. qui omnes, excepto 70. testantur, se ab Hæresi, & Schismate ad Fidem Christi, & Catholicam unionem opera ipsius Josaphati conversos fuisse, & 63. testis exprimit nomina quatuor aliorum industria ejusdem Archiepiscopi reductorum ad Sanctam Sedem, additque 29. testis, cum ad Ecclesiam accederet, Antistitem in Porticum produisse, & manu ejus apprehensa, dulcissime collacrymatum fuisse, exclamando: *Deus, ecce errantem inveni Ovem, Tibi eam commendo*: 71. vero testis subdit, tot per Servum Dei conversos fuisse ad Fidem Catholicam, quot modo sunt uniti Polociæ, quod idem affirmat 2. testis Sacerdos Rhutenus in *Processu Urbis juxta 6. fol.* 13. & 73. testis ait, quod multa millia animarum suis Concionibus, disputationibus, & industria convertit ad Catholicam Religionem.

Et ex Catholicæ Fidei incrementis maxime affligebatur humanæ salutis hostis, efferataque ejus rabies effervescebat agnoscens, Josaphatum Archiepiscopum quam brevi dominium, possessionemque animarum omnium Christo propagaturum fuisse, atque Hæresim universam ejecturum. Unde Homines nefarios Schismaticos excitavit, ut, facta conspiratione, ad necem quærerent Christi Famulum, & fortissimum pro Fide bellatorem, atque, ut ipsi vocabant, animarum Prædonem interimerent. Quod impium facinus per tres vices moliri ausi sunt Vitepsci, nempe sub die 6. Augusti 1621. dum Sacra operaretur, in die Pentecostes anno 1622. dum optimus Præsul piorum Christifidelium agmen, seu Processionem instituerет, & de anno 1622. Mense Aprili in Prætorio, dum publice legeretur Privilegium a Regia Majestate Poloniæ Josaphato Archiepiscopo concessum, in quo Professio Fidei ejusdem in Catholica unitate astruebatur, ut narrant plures testes infra, cum de probatione hujusmodi seditionum agetur, recensendi: sed tandem de anno 1623. 12. Novembris scelesti Schismatici, adjuvante quodam Smotricio Pseudo-Archiepiscopo Polocen. excitato ex industria tumultu, atque impetu facto in ædes Archiepiscopales, post Familiarium cædem, totiusque Supellectilis eversionem, capite Archiepiscopi securi disjecto, sacrilegum Parricidii scelus immanissime perfecerunt, ut deponunt quatuor oculati testes in *Processu Polocen.* nempe 108. Nobilis Polocen. & 61. qui ambo fuerunt Familiares Præsulis Josaphati, comites Passionis, & vulnerati ab iisdem Parricidis Schismaticis, & 93. testis honesta Matrona, quæ e Vestibulo Templi B. Mariæ vidit, quando Servus Dei in Aream Curiæ suæ extractus occidebatur, & 11. testis Actor deputatus ab Archiepiscopo contra Schismaticos testatus est, se statim, audita Servi Dei morte, venisse Vitepscum Corpus propriis manibus in Tumbam composuisse, sanguine ex vulneribus adhuc defluente, idemque per flumen Dunam advexisse Pólociam, ut in *Processu Urbis*. 2. testis Sacerdos Rhutenus de auditu a Fratre suo germano, qui interfuit trucidationi, & vulneribus male habitus fuit, exactissime narrat hanc Historiam mortis Archiepiscopi Josaphati. Post quam truculentam Antistitis occisionem sævientes adhuc in examine Corpus Schismatici illud per Aream Domus Episcopalis, & per Civitatem Vitepscen. captaruot fune ligatum, & solo cilicio tectum ignominiis, & proculcationi sacrilegæ Plebis omnis sexus, omnisque ætatis exposuerunt, & demum ad ripam fluminis Duna protractum ex altiori loco præceps dederunt, & postmodum infeliciter demerserunt, ubi jacuit per sex dies, ut deponunt testes 10. 83. & 84. & omnes Vitepscenses, atque alii Schismatici in testimonio clara, & elata voce super hoc unanimiter dato, relato in *Processu Polocen. fol.* 76. 77. & 79. & ipsi Commissarii Apostolici affir-

Lambertini de Canoniz. Lib. III.

marunt in *Processu fol.* 85. dum loca omnia sanguine Josaphat sparsa, vel miraculis clara, crucibus, vel aliis signis distinxerunt, necnon Episcopus Nolanus tunc Poloniæ Nuntius, & Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiæ enarrant in *Litteris usque de anno* 1623. *ad S. V. datis*. Quam Schismaticorum sævitiem vel ipsi Hostes Archiepiscopi, seu potius Catholicæ Fidei detestati sunt, ac ingemuerunt maledicentes Sicariis, & sanguinem innocentis Præsulis super illos inclamantes, & demum etiam ipsi Parricidæ, atque universus Populus Vitepscen. publica facinoris confessione, ac veniæ petitione deplorarunt, suntque etiam fere omnes Parricidæ Schismatici, antequam capite plecterentur, ad salutem animæ revocati, ut habetur in *Process. fol.* 85. & deponunt testes 63. & 68.

Igitur de perfecto hujus Servi Dei Martyrio plene, & concludenter constare asserunt Agentes pro Venerabili Josaphato; probatio siquidem mortis deducitur ex depositione dictorum trium testium oculatorum 61. 93. & 108. qui utique sufficiunt *ad l. Ubi numerus, ff. de Test. c. In omni negotio eod. tit.* Rota *decis.* 209. *num.* 3. *par.* 1. dio etiam firmatum fuit *in Relatione Sancti Francisci de Paula §. Videndum, in Relatione Sancti Hyacinthi fol.* 51. *vers. Superioribus annis*, & in aliis, ubi quod sufficit etiam unus testis de certa scientia cum duobus de publica voce, & fama, junctis aliis testibus de auditu a personis, quæ mortem viderunt, quorum multi sunt in processu, & sceleris patratores id fassi fuerunt, & publico supplicio pœnas luerunt. Circa quam probationem placuit etiam, Beatissime Pater, hic recensere integram depositionem testis 108. socii Passionis Servi Dei Josaphati seriem facti diligenter referentis.

Interim, inquit, Schismatici, occupata jam per vim tota Curia Archiepiscopali, cæsis omnibus Famulis, totam diripiebant supellectilem. Auditis his clamoribus, Antistes processit e Camera, &, clausis ipse foribus, Sacratissimæ Crucis signavit effigiem: me a sinistra parte illi, inquit testis, astante, pro more suo dulcissime Hostes allocutus fuit: Filioli, quare famulos meos cæditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum. Tunc ex opposita Camera eruperunt duo, &, ut Servum Dei stantem viderunt, alter, Servo Dei stringente in modum Crucis ad pectus manus, fuste caput petiit, securi divisit alter; prostratum vero quotquot in atrio fuerunt omni telorum genere confodiebant, & contundebant. Elevata tamen Servus Dei manu inter media vulnera exclamavit; *O Deus meus*; ibique globis sclopetariis Caput Sacrum trajiciunt, & iterum fustibus cædunt. Cumque Corpus vestibus exuissent, & cilicio indutum conspexissent, ex hoc suspicati, quod occisus fuisset alius, & non Archiepiscopus, totam Domum perquirere cœperunt, ut Archiepiscopum invenirent, donec ex teste ipso, quem ad Corpus recognoscendum adduxerunt, certiores facti fuerunt, vere Archiepiscopum ipsum, & non alium, fuisse occisum.

Cum qua depositione adamussim concordat secundus testis *in processu Urbis* de auditu a Fratre germano teste ibidem de viso; & 61. testis *in eodem processu Polocen.* comes itidem Passionis Josaphati, qui subdit, se dum Servus Dei occideretur, positum fuisse in terram fustibus cæsum, vulneribusque affectum in area Domus, & in Cœmeterio, asserens: Ipsam meam vitam miraculum censeo; scio enim, me ita cæsum fuisse, ut naturaliter neque minima particula carnis, ossiumque manere integra posset. Testatur vestis mea, hoc caput meum cicatricibus plenissimum: &, quod maxime rem auget præsentem, cum ante hæc verbera multis distinerer valetudinis incommoditatibus, nunc Dei gratia optime valeo, ut ab obitu Servi Dei nullo modo vexatus fuerim, nisi quod sanguinem interdum spuam; hoc tamen sine ullo dolore, & valetudinis detrimento.

Addens paulo post: Ipso die mortis Servi Dei, cum jam Schismatici Curiam Archiepiscopalem invasissent, Familiares Archiepiscopi defensionem parabant, sed Servus Dei prohibuit omnino, ne vel vulnerarent aliquem ex Parricidis, vel globo trajicerent. Et hoc fuit in causa, quod Schismatici, viribus sumptis, ardentius institerint, Portam Curiæ fregerint, Domum occupaverint, ac me, & D. Emmanuelem Cantacusenum cum tota Familia ceciderint: nullus tamen ex nobis mortuus est; quod quidem Servus Dei in vita prædixisse mihi videtur, cum sæpius nos moneret, ne timeremus nobis, si ille Martyrio afficeretur, *Non peribit*, inquiens, *ex vobis quisquam*.

Voluntarie autem per Servum Dei, & absque ulla resistentia mortem acceptatam fuisse, quod pro secundo Martyrii requisito a nobis supra deductum fuit,

plene probari dicebatur ex iisdem testibus 108. & 61. necnon 2. *in Processu Urbis* in illis verbis: Antistes pro more suo dulcissime hostes allocutus est: *Filioli, quare Famulos meos cæditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum*: & aliis paulo ante recensitis verbis testis 61. ibi, Cum jam Schismatici Curiam Archiepiscopalem &c. unde colligitur, piissimum Præsulem prompte adeo, & libenter sanguinem suum tradidisse, ut eo grassantem Schismaticorum luem extingueret instar Ovis occisionis coram deglabrante non aperientis os suum: & acceptatio prædicta deducitur etiam ex antecedenti desiderio Martyrii, quo ardentissime flagrabat Servus Dei, super quo deponunt testes 9. 15. 27. 61. 69. 71. & 108. *in Processu Polocen.* asserentes, Archiepiscopum quodammodo mortem suam prædixisse his verbis: *Ego discedo Vitepscum pro Martyrio*: & ab amicis monitum, ne illuc proficisceretur, quia Schismatici erant illum interfecturi, a proposito Visitationis Episcopali munere desistere noluisse, & aliquando dixisse, se optare mori, cum Ecclesia Cathedralis fuerit reparata, prout post reparationem contigit, familiarique, & creberrima verba fuisse in ore illius, dum a schismaticis persecutionem pateretur: Utinam Sanguinem pro Domino meo fundere possim: cupio dissolvi, & esse cum Christo: non possum melius mori, quam pro veritate Sancta: faxit Dominus meus, ut sim dignus Sanguinis effusione; atque aliquando in Concione ad illa verba, *Omnis, qui vos occiderit &c.*, dixisse ad Populum: *Vos mihi minitamini mortem, & ego vobis dico, non essem felicior, quam si per manus vestras pro Fide Catholica occiderer. Scitote ergo, me paratissimum esse ad moriendum pro veritate.* Quibus Caritatis, & Fortitudinis stimulis non tam semet ad Martyrii coronam excitabat, quam lacesseret, suppliciique moras vehementer increparet, se ad certum exhibendo paratum Servatoris exemplum secutus, qui, cum per atram noctem minime videretur, se Judæis manifestavit, prout S. Basilius his verbis S. Gordium Martyrem luculenta Oratione celebrat, & simili præconio S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 3. commendat Martyrium Marci Episcopi Arethusii voluntarii Christi Athletæ; & Sanctissimos Antistites Ambrosium, & Thomam Cantuariensem imitatus est, qui pro defensione Jurium Ecclesiæ, & Catholicæ Fidei sanguinis proprii effusionem sitiebant, ut ex Tabulis gestorum eorundem compertum est, & annotatum fuit in *Relatione S. Caroli in argum.* 11. *ad finem*, necnon & exempla tot Martyrum, qui sopitorum veluti Canum, hoc est, Fidei Hostium aures vellentes non extimuerunt in arenam prodire ut Martyrii gloriam consummarent, complentes dictum illud: *Justus, ut Leo, confidenter agit*: de quibus supra meminimus *in secunda parte hujus Relationis super secundo Martyrii requisito*,

Causam vero mortis (quæ est tertium requisitum Martyrii) fuisse Catholicæ Fidei, ac S. R. E. & Petri Primatus defensionem, Sanctissime Pater, deducebatur ex pluribus, nempe, quia decem & quatuor Testes singillatim recensendi super hoc signanter deponunt, comprobantes odium ingens Schismaticorum in Servum Dei, eo quia Catholicæ unitatis, & veritatis propugnator esset, & Schismatis insectator, adeo ut ter conspiraverint in ejus necem; & post mortem Archiepiscopi plurima a Schismaticis data fuerunt signa lætitiæ, & contemptus, ac contumeliæ in Sacrum Antistitis Cadaver; communisque fama, & reputatio illarum Partium, quod hæc fuerit causa mortis, astipulatur per Testes *in Processu Polocen.* qui unanimiter affirmant, nulla alia de causa fuisse occisum Josaphat Archiepiscopum, quam pro obedientia Summi Romani Pontificis, pro defensione Primatus Sancti Petri, & Sedis Apostolicæ, pro Fide Catholica, & sancta unione, suotque, Supremus Polocen. Palatinatus Judex asserens, quod nullam aliam causam in eo inveniebant Hostes, 59. Igumenus Monasterii Cercensis Ordinis Sancti Basilii a defuncto Præsule in Religionem receptus, 61. fidus comes Passionis Josaphati inquiens cum lacrymis, & singultu: Denique vivus ipse Testis sum, & sanguine etiam proprio testor, Servum Dei pro Fide Catholica, ac S. R. E. & Petri Primatu mortem oppetiisse, 55. Testis Sacerdos Rector Collegii Polocen. Societatis Jesu, qui nedum Fidei defensionem causam mortis fuisse astruit, sed & vitam Josaphat vere fuisse conformem vitæ Sanctorum, ipsumque Virtutum omnium speculum extitisse, & enituisse, tanquam Solem in tenebris Schismaticorum, luculenter testatur, 65. itidem Sacerdos Societatis Jesu Collegii ejusdem Vicarius, 68. Archiepiscopus Polocen. 69. qui est Episcopus Metonen. dicens pro Primatu Petri interfectum, quod etiam asserit Episcopus Halicien. qui etiam recensetur in Processu pro Teste 69. cum quibus etiam concordat 70. Archidiaconus Albæ Russiæ, 71. Igumenus Monasterii Polocen. Ordinis Sancti Basilii, qui fuit comes Josaphati in multis itineribus, 72. Igumenus pariter Monasterii Mohilovien. ejusdem Ordinis Sancti Basilii asserens, denique causam mortis illius nullam aliam fuisse præter defensionem Fidei Catholicæ, & obedientiam Romani Pontificis, 90. qui asserit, Schismaticos sibi etiam, & aliis mortem minitatos esse, quia Josaphatum amarent, & colerent, & eumdem pro Fide Catholica Romana, & Apostolica, ac Primatu S. Petri & Sedis Apostolicæ interfectum fuisse, 94. 100. & 108. socius in Passione, 109. Judex Castri Vitepscen. qui ait, se pluries interrogasse Schismaticos, quid esset in causa tumultuum, quos excitant in Archiepiscopum, & passim respondisse: Quia Papam recognoscit, & nos Papistas efficere conatur: subdens in fine: Hunc Servum Dei agnosco in Martyrem tamquam pro Fide, & Primatu Sancti Petri interfectum: & 114. Testis dicens, nullam causam mortis in illo fuisse, quam quod fuerit cum S. R. E. unitus. Addique prædictis 61. Testis, hac de causa Schismaticos insidias sæpius struxisse: Cæde, occide Latinum, Hæreticum, Papistam, clamitasse; & 71. Testis, qui fuit Confessarius optimi Antistitis, & tamquam conscientiæ illius gnarus, non nisi pro Primatu Sedis Apostolicæ, & Ecclesia Catholica, quod adeo cupiebat, Sanguinem fudisse. Quæ etiam confirmat totius Russiæ Metropolita inquiens, nullum in Regno Poloniæ reperiri, qui contrarium dicat; iisdemque cohæret etiam depositio 1. & 2. Testium in *Processu Urbis*, quorum alter est Episcopus Nolanus olim in Polonia Nuntius affirmans, ipso instante, post causam legitimis probationibus instructam capitali morte meritas de Parricidis sumptas fuisse pœnas ob patratum facinus necis Archiepiscopi ex causa Catholicæ Religionis illatæ: alter vero Frater Famuli Archiepiscopi addit, unum ex Schismaticis Parricidis in carceribus constitutum, interrogatum ab ipso teste de causa mortis Josaphati Antistitis respondisse, non nisi pro Fide Catholica, & unione interfectum fuisse. Quod idem multi etiam Catholicæ Fidei Hostes, Judæi, & Hæretici testati sunt, nempe 79. 80. Judæi 83. 99. 113. Calvinistæ, & 85. Anabaptista, quorum depositio in favorem Fidei admittenda decernitur per Alexandrum IV. *in cap. in favorem Fidei, & cap. Contra Christianos, de Hæreticis*; Testimonium enim inimici in favorem inimici non rejicitur, sed majorem habet veritatis præsumptionem, ad tradita per Dec. *cons.* 163. *num.* 11. Cravett. *cons.* 6. *num.* 62,

Odium atrox Schismaticorum in optimum Præsulem, & minas mortis, necnon insidias, & conspirationes instructas in odium Fidei, & unionis Catholicæ per Josaphat professæ probare videntur testes quamplures in processu.

De odio quidem deponunt testes in *Processu Polocen.* 32. Consul. Polocen. 70. 71. 90. 91. 107. quorum 71. ait, se fuisse id expertum discedentem cum Archiepiscopo, quos Schismatici lapidibus impetentes clamabant: Occide, Submerge, fidem nostram sublaturi veniunt; aliisque modis, & injuriis insectabantur; & testes 31. & 71. narrant, consuevisse Schismaticos maledicere Antistiti, vocando illum animarum prædonem, & raptorem, quod ansam illi præbuit olim respondendi: Faxit Dominus Deus, ut animas vestras rapiam, & in Cælum deducam; cui Schismaticus, Strangulaberis. Subdidit etiam, aliquando Archiepiscopum per Schismaticos depictum fuisse sub Dæmonis persona præacutis uncis animas ad Inferos trahentem, addita superscriptione Idiomate Rhuteno *Dus Zochuat*, hoc est, Animarum Prædo. Et, quod auget odii probationem, ipsorum Schismaticorum Conjuratorum contra Josaphatum facta fuit descriptio, & singulis solverunt tres grossos Polonicos, ut in albo abominabilis conspirationis describerentur, ut signanter dicit Testis 10. *in Processu Polocen.*

De minis mortis illatis Archiepiscopo, nisi destitisset ab unione promovenda, deponunt in *Processu Polocen.* Testes, 18. olim Familiaris Josaphat de auditu ab ipsis Schismaticis dolentibus, se non occidisse illum ante annum 1623. 71. & 79. qui ait, dixisse olim Archiepiscopum, Scio, quod me velint occidere, sed & Sanctos Patres pro veritate occisos esse scio,

De insidiis, tumultibus, & seditionibus sæpe sæpius per Schismaticos contra Servum Dei excitatis constare videtur ex depositione plurium testium. Primo *sub die 6. Augusti* 1621. in Ecclesia Collegiata Vitepsen. Sacra operaturus a Schismaticis tanto impetu percussus fuit

Servus

Servus Dei, ut parum abfuerit, quin occideretur: ita deponunt tres oculati Teftes, 61. Famulus Archiepifcopi, 103. & 106. & 61. addit, tunc per Schifmaticos Confeffarium Archiepifcopi, & Œconomum, feque ipfum fuftibus male habitos fuiffe. Secundo *de anno 1622.* poftquam Schifmatici Antiftitem in die Pentecoftes Proceffionem Fidelium inftituentem pluribus affecerunt contumeliis, latere illum impetierunt, progreffumque ulterius excitato tumultu impediverunt, ut de vifu teftantur dicti 61. & 107. Teftes: atque alias, Sacrum Archiepifcopo celebrante, Diaconum miniftrantem, facrumque panem ad Altare deferentem, colaphis percufferunt, adeo ut oblata in terram dimiferit, ut idemmet Diaconus, qui eft teftis 61. affirmat. Demum & eumdem Archiepifcopum per infidias trucidare, & præcipitem ponte altiffimo in fluvium dare cogitarunt, & in Prætorio Vitepfcen. conjectis infimul pileis (in fignum conjurationis) arreptifque armis, necem jam jam Servo Dei intentarunt inclamantes, Archiepifcopum jam latinizare, ut afferunt teftes 61. 82. 103. & alii; de quibus infidiis monuiffe Antiftitem, ait teftis 101. a quo & gratias recepit, & refponfum illud: Non timeo mortem; faxit Deus, ut fim tam felix, ut coronam merear Martyrii.

Tertio *de anno 1622. menfe Aprilis*, cum Servus Dei in Prætorio convocatis Civibus Polocen. palam legi feciffet Privilegium fibi a Regia Majeftate Poloniæ pro Archiepifcopatu collatum, in quo proteftabatur, fe effe & futurum ufque ad mortem in unione S. R. E. ftatim, facto tumultu, proclamarunt, fe non effe unitos, neque illum in fuum Paftorem agnofcere, adeo ut pauci Catholici, qui aderant, in maximo vitæ periculo fuerint, & ipfe Archiepifcopus vix mortem evaferit. Ita deponunt tres oculati Teftes *in Proceffu Polocen.* nempe 10. qui eft Viceprætor. 11. Vicenotarius, & 106. quorum 10. ait, tunc etiam Schifmaticos in vitam Servi Dei duas fœminas inftruxiffe, ut eum e Prætorio difcedentem cultris confoderent; 11. ait, ab hujus feditionis tempore femper Schifmaticos conjuraffe in mortem Antiftitis, & conjurationem poftremo effectu fortitam Vitepfi multo ante perficiendam fuiffe Polociæ, fed Dominum Deum mifericordia fua avertiffe hoc malum ab illa Civitate, 106. Teftis fubdit, in Prætorio auditum fuiffe Schifmaticorum clamorem: *Hic fidem noftram deftruit; occidamus eum*; & fimilia verba teftatur fe publice audiviffe, teftis fecundus in *Proceffu Urbis*, juxta 43. dum comitabatur Archiepifcopum in Vifitatione Diœcefis, addens, quod multo ante Schifmatici interfeciffent Antiftitem, nifi metu Regiæ poteftatis averfi fuiffent a fcelefto facinore, quod deinde perpetrarunt Vitepfci, dum nullus ibi aderat Minifter Regius.

De fævitia, & contumaci odio Schifmaticorum etiam poft mortem in Venerabilis Viri Cadaver, teftantur de vifu Teftes 32. Conful, 33. Notarius, & 93. honefta Matrona, afferentes, Viros, Pueros, Fæminas ex omni ætate pedibus caput calcaffe, barbæ, & capitis capillos evulliffe, expuiffe in faciem, aliifque ignominiis affeciffe; & 32. exprimit, quod Schifmatici mortuum elevarunt, & jam erectum ita alloquebantur: Numquid non dies Dominicus eft hodie? Concionari te oportet, Archiepifcope, ficque aliquantulum Servum Dei irridentes poft eumdem ad terram alliferunt. 33. Teftis addit, Fæminam Servi Dei barbam vellentem vifu privatam fuiffe, & adhuc fuperftitem effe; ac cæcitatem fuam ex prædicta caufa ortam, cum lacrymis fcelus fuum deflendo, confiteri. Quam ultionem fæpe Deus adverfus Martyrum contemptores oftendere confuevit, ut notant Tertull. *lib. ad Scapul. cap. 3.* S. Joann. Chryfoft. *lib. contra Gentil. de Babyla geftis*, & S. Paulinus *Epift. 2. ad Victricium* exclamans: *O Chrifti ineffabilis bonitas, quantum in fuos oftendit affectum! Injuriam Confefforis fui non tulit impunitam, qui fuis Crucifixoribus rogavit ignofci. Contumeliam Martyris ftatim ultus eft, qui paffionem fuam noluit vindicare*. Ex quibus omnibus de legitima Martyrii caufa, hoc eft, Fidei Chrifti, necnon Sedis Apoftolicæ, & Catholicæ Unitatis defenfione, conftare exiftimabant, ac tuebantur Patroni caufæ pro Jofaphato, præfertim quia hujus veritatis aliunde petitæ confonare videntur Teftimonia, & adminicula, & probationes, quæ, fi per fe non fufficerent, debent conjungi ad hoc, ut plena probatio ex illis colligatur, ut dixerunt Alex. *conf. 11. in princ. lib. 4.* Cravett. *conf. 216. n. 12.* & in his terminis animadverfum fuit *in Relatione B. Thomæ de Villanova, tit. de Virtut. cap. de Fid.*

Fama nimirum illius Martyrii, & communis opinio, & reputatio omnium, qui Servum Dei tamquam Chrifti Martyrem venerantur, de qua deponunt decem Teftes *in Proceffu Polocen.* nempe 59. 68. 69. 71. 72. 77. 103. *&* 109. & duo Teftes hic in Urbe examinati, atque univerfus Populus Polocen. unanimi viva voce affirmavit, Servum Dei pro Fide Catholica, pro Primatu S. Petri, & obedientia fummi Pontificis, pro unione Ecclefiæ Græcæ cum Sacra Romana Ecclefia, & amore falutis animarum occifum fuiffe; atque Archiepifcopus Polocen. cum toto fuo Clero, & Epifcopatu clara, & elata voce, aftantibus, & acclamantibus fuis, Servum Dei in fuum, & totius Archiepifcopatus Patronum fumpfit pro Canonizatione S. V. fupplicans; quod idem poeftiterunt clara itidem, & elata voce Epifcopus Halicien. Coadjutor Metropolitæ Chioven. nomine Metropolitæ, ac pro tota Metropoli Ruffiæ, Rector Collegii Societatis Jefu Polocen. pro toto Collegio, necnon Magiftratus Palatinatus Caftri, & Civitatis Polocen. ut habetur *in Proc. Polocen. fol. 70.* Quæ fama, & conftans totius Populi teftimonium in Canonizatione Sanctorum plurimi femper facta fuit, argumento *cap. Quatuor, 12. quæft. 2. c. Si opus hominum, 2, quæft. 3. l. Decurionum, C. de pœn.* Caffad. *decif. 2. n. 13. art. 3.* Simonett. *in Relatione S. Francifci de Paula, in Proœm. verf. Plurimum quoque*, & fuit dictum *in Relatione Sanctæ Francifcæ Romanæ, part. 2. art. 9.* & bene animadverfum, & probatum fuit *in Relatione B. Thomæ de Villanova cap. de fama Sanctitatis*. Immo fama in facto recenti per Teftes legitime probata facit femiplenam, in antiquis vero plenam, & concludentem probationem, præfertim junctis adminiculis, ut tradunt Canoniftæ *in cap. 1. de Relig. & Venerat. Sanctor.* & dixit Simonett, *in Relatione Sancti Francifci de Paula, verf. Plurimum quoque, fol. 31. & verf. Fama, fol. 4. in Relatione S. Raymundi, part. 2. art. 10. verf. Supradictis, in Relatione Sancti Hyacinthi cap. 2. verf. Et quamvis, fol. 24. & in Relatione Beati Petri de Alcantara, part. 3. in primo, & fecundo Miraculo.*

Teftimonium Synodi Provinciæ Guefnen. habitæ Anno 1618. die 22. Maji, præfentibus totius Regni Poloniæ Epifcopis, & eorum Vicariis, ubi Jofaphat a Schifmaticis pro Religione Catholica interemptum Patronum Regni nuncupat, & S. V. fupplicat, ut dignetur in Sanctorum numerum referre.

Tot Epiftolæ Epifcoporum Rhutenorum tranfmiffæ Reverendiffimis Cardinalibus Sanctæ Congregationis de Propaganda Fide, necnon inclytæ memoriæ Sigifmundi III. Poloniæ Regis, & Sereniffimæ Conftantiæ Poloniæ Reginæ, Sereniffimi Wladislai, tunc Principis, modo Regis feliciter regnantis, D. Leonis Supia Palatini Vilnen. D. Francifci Seamt Tifchievicz Palatini Trocen. D. Alberti Stanislai Radivil Sacri Romani Imperii Principis, Supremi Cancellarii Magni Ducatus Lituaniæ, atque etiam Epiftolæ totius Palatinatus Polocen. & Palatinatus Vitepfcen. Archiepifcopi Metropolitæ totius Ruffiæ, & Epifcoporum Vilnen. & Metonen. atque Commiffariorum Apoftolicorum directæ S. V. & aliæ Reverendiffimis DD. Cardinalibus Francifco, & Antonio Barberinis Nepotibus S. V. tranfmiffæ, eorum zelum pro caufa optimi Præfulis advocantes, in quibus afferitur, Servum Dei ob fingularem in propaganda, tuendaque Orthodoxa Fide conftantiam, ac fervorem gloriofa morte occubuiffe, & Suffragia luculenta Martyri ejus præftantur gaudio expreffo, Ecclefiam Rhutenam diu fterilem novi Martyris Sanguine irrigatam effe, atque ad hanc S. Sedem fluentum ejus Sanguinis tranfmitti, & pretiofam mortem fortiffimi Athletæ extollunt ea folum de caufa, quia Cathedram Petri impenfe colebat, conftanter profitebatur, & alios ad eam verbo, & opere manuducebat; multaque ibi referuntur miranda, & gloriofo Martyri cultus, & veneratio fupplicatur, & propæ jure fuo exigitur, in quo vota totius Regni Poloniæ confpirare conftanter afferveratur. In quibus Epiftolis, atteftationibus, & precibus piiffimorum Principum, Antiftitum, & Populorum multum momenti pofitum eft ad probandum Martyrium, & Caufam Martyrii, ad not. *in cap. Venerabili, de Teftib.* Simonet. *in Relatione Sancti Francifci de Paula, in Proœm. verf. Plurimum, & Illuftre*, & per Pavin. *in Relatione Sancti Bonaventuræ, part. 1. art. 10. & in Relatione Sancti Raymundi, par. 1. ar. 5. & par. 2. ar. 10.* & fæpe in aliis.

Frequens Fidelium devotio ad Venerationem Sepulchri hujus Servi Dei tamquam Martyris, & Reliquiarum ejus Cultus, de quibus præcitati Teftes loquuntur, & fignanter 11. 53. & 59. quod Sanctitatis, & veritatis Martyrii indicium eft, & veteri Ecclefiæ confuetudine receptum ex D. Auguft. *De Civit. Dei lib. 22. c. 8.* Theodoret. *lib. 8. de Curat. Græc. affect. circa finem*,

Doct. *in cap.* 2. *de Reliqu. & Venerat. Sanctor.* & fuit dictum *in Relatione Sancti Raymundi, par.* 2. *ar.* 9. *verf. Et quamvis, & in Relatione Sancti Caroli, par.* 2. *de Sanct. argum.* 24. *& in Relatione B. Thomæ de Villanova, cap. de Frequentia populi ad Sepulchr.* Atque etiam Votivæ Tabellæ ad Sepulchrum Servi Dei appenfæ, de quibus ex Vifitatione relata *in Proc. fol.* 69. *ad finem*, infignia funt Sanctitatis præftantia, illum, in cujus honorem dedicantur, Virum effe Deo gratum, mofque fuit antiquus in Ecclefia fufpendendi has Tabellas beneficia accepta teftantes, ut docet D. Auguft. *de Civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. & fuit dictum *in Relatione Sancti Hyacinthi de Miraculis pag.* 28.

Demum præmiffis aftipulatur integritas Corporis, quod conftat fpatio quinque annorum incorruptum, cute offibus fuperextenfa, confervatum fuiffe, membraque etiam tractabilia, & tamquam viventis flecti, ut ex Vifitatione facta per Judices Remifforiales *in Proceffu Polocen. fol.* 68. quam incorruptionem, & flexibilitatem Sanctitatis indicium effe, compertum eft ex traditis per D. Auguft. *Confeff. lib.* 4. *cap.* 7. & fuit dictum *in Relatione B. Pafchalis Baylon in* 3. *Miraculo, in Relatione Sanctæ Terefiæ in tit. de exhumatione Corporis ad finem, in Relatione Sancti Francifci Xaverii in primo Miraculo poft mortem, & in Relatione Sancti Ifidori in primo Miraculo poft mortem*; circa quam incorruptionem aliqua mira per Vifitatores Apoftolicos obfervata fuerunt. Primo quod Veftitus Corporis fericus minus putrefactioni obnoxius, quam Corpus, inventus fuerit totus putridus. Secundo, quod Schifmatici, vifa integritate Corporis, non fine lacrymis peccatum fuum deteftati fint, &, fe futuros Fideles unitiffimos, conclamarint. Tertio, quod idem Corpus fuerat per 6. dies fub altiffimis aquis ulnarum 15. fubmerfum, & ab altiori loco præcipitatum, ut dicunt Teftes 10. 83. & 84. atque in loco humidiffimo reconditum, ut dicunt in Vifitatione, & tamen integrum, atque incorruptum inventum fuit, non citra altantium, cleri nempe utriufque ritus, Magiftratus, & fere totius Populi admirationem, Miraculum id effe teftantium. Necnon accedunt alia mirabilia Signa, quæ poft mortem hujus Servi Dei acciderunt in fequenti parte recenfenda.

Unde, his fimul junctis cum probationibus, eo facilius ab Agentibus pro Antiftite Jofaphat afferebatur, de illius Martyrio, & caufa Martyrii fatis conftare.

Defenfionem autem Fidei effe germanam, & legitimam Martyrii caufam, exploratum eft ex traditis fupra *in* 2. *part. de Martyrio*, & fignanter Martyrium pro unitate fervanda, & pro reductione Schifmaticorum ad Matris Ecclefiæ finum Deo gratiffimum effe, graviffime confirmat Dionyf. apud Eufeb. 6. *Hiftor. cap.* 37. ubi ait, *Oportere, omnia incommoda pati potius, quam Ecclefiæ difcidiffe concordiam*: & fæpiffime docuit S. Cyprian. magnus unitatis præco, & Schifmatis infectator, ut obfervat P. Raynaud. *in tract. de Martyrio per peft. cap.* 4. §. *Schifmati Martyrium vanum*, & fequitur Baron. *in Annot. ad Martyrolog. ad diem* 19. *Julii*, ubi multum extollit Martyrium ob unitatem fervandam, & illud plus habere commendationis, quam quod fufcipitur, ne Idolis immoletur, & monet, inter celebres Martyres annumeratos fuiffe eos, qui adhærentes S. Joanni Chryfoftomo tunc exulanti, occifi funt Conftantinopoli, cum nollent communicare cum Arfatio intrufo, atque Schifmatico, quorum dies natalis agitur *die* 12. *Januarii*.

Ceterum probationes fuperius allatæ per Reverendum Fidei Promotorem pluribus impugnabantur objectis.

Quo enim ad factum occifionis, Primo opponebatur, neminem ex Teftibus interfuiffe in loco Vitepfci de tempore mortis Archiepifcopi Jofaphat. Secundo neminem fufficientem rationem reddere dicti fui.

Quo vero ad caufam Martyrii objiciebatur, Primo, duos tantum Teftes hic in Urbe examinatos, nempe fecundum *in primo Proceffu*, & tertium *in fecundo Proceffu*, deponere de confeffione unius ex Parricidis afferentis folum ex caufa Fidei per ipfum illatam fuiffe mortem Archiepifcopo, fed non effe Conteftes circa perfonam. Secundo, non reddere fufficientem dicti rationem. Tertio, alios Teftes effe fingulares. Quarto, Teftes de publica voce, & fama non bene illam concludere.

Quibus objectis fatisfeciffe putabant, qui caufam Martyrii inftruebant pro Archiepifcopo infrafcriptis refponfionibus.

Ad Primum circa factum mortis dicebatur, immò 61. & 108. Teftes interfuiffe Vitepfci occifioni Archiepifcopi, & ipfos Teftes vulneratos etiam fuiffe, & 93. fuiffe pariter præfentem, afferentem fe vidiffe, dum Præful occidebatur, juncta depofitione 2. Teftis *in noviffimo Proceffu Urbis* teftificantis de auditu a Fratre, qui interfuit, & comes fuit Paffionis Archiepifcopi; necnon publica voce, & fama, fupplicio publice fumpto de Parricidis Schifmaticis, atteftatione Regis Poloniæ, aliorumque Principum in Epiftolis datis ad S. V. & aliis pluribus argumentis, quibus a Caufæ Patronis fupra aftruebatur veritas iftius facti §. *Igitur de Martyrio*: quibus additum fuit, 83. Teftem fuiffe præfentem, qui ait occifum fuiffe, ipfo Tefte eminentiori loco Tragœdiam (funt verba Teftis) fpectante, & confcientia ipfum torquente, quamvis effet Calvinifta, & Teftem 85. pariter Hæreticum, qui vidit Schifmaticos impetum facientes pro occidendo Archiepifcopo, & deinde ipfum occifum. Quibus confonat etiam Teftis 80. Judæus, qui deponit, fe cum aliis Judæis, dum Servi Dei vidit ignominiofam mortem, fummis profecutum fuiffe lacrymis, & cum Schifmaticis exprobraffet innocentia mortem, refponfum fuiffe, ut fileret, ne & fibi mali aliquid fieret. Unde ex his Teftimoniis circa factum occifionis infurgere etiam adminiculum, afferebatur *ad l. Qui ultimo, ff. de pæn.* Marfil. *in l.* 1. §. *Divus, ff. eod.* Cephal. *conf.* 227. *num.* 32. quo tamen adminiculo nec opus effe, ftantibus aliis Teftibus fupra recenfitis, quorum nedum duo, fed unus duntaxat de certa fcientia cum aliis duobus de publica voce, & fama fufficerent, ut fupra deducebatur *dicto* §. *Igitur de Martyrio*. Immo addebatur ab Agentibus pro Venerabili Jofaphat, in cafu præfenti ex depofitione etiam Judæorum, & Schifmaticorum fufficientem refultare probationem, quia in favorem Fidei etiam Hæretici, & Judæi admittuntur ad teftimonium ferendum, ut refcripfit Alex. IV. *in cap. In favorem Fidei, & cap. Contra Chriftianos, de Hæretic. in* 6. ut fupra etiam fuerat animadverfum; & hujufmodi Teftes omnino fupplere, & probare, junctis Teftimoniis Chriftianorum, & præfumptionibus, confuluerunt Cravett. *conf.* 73. *num.* 18. *& feqq.* Ofach. *decif.* 72. *num.* 5. Afflict. *decif.* 214. *num.* 3. & fortaffe dici poteft: Jofaphat erat lux, fed tenebræ illam non comprehenderunt, & in multitudine virtutis fuæ mentiti funt ei inimici fui.

Ad fecundum refpondebatur, Teftes, qui fuerunt præfentes in iis, quæ facta funt, & quæ immediate fenfu corporis percipiuntur, non teneri dicti fui rationem reddere, Bart. *in l. Solam, num.* 3. *&* 14. Salyc. *num.* 3. Caftr. *num.* 6. *C. de Teft.* Hell. *de Teft. num.* 534. Lanfranc. *num.* 20. *&* 22. Viv. *Opin.* 898. *num.* 1. & in terminis Canonizationis firmat R. P. D. Contelorius *de Canoniz. Sanctor. cap.* 25. *num.* 72. Alios vero Teftes de publica voce, & fama reddere fufficientem rationem, ut infra dicitur.

Quo vero ad probationem caufæ Martyrii, ad primum objectum refpondebatur, probationem non deduci folum ex illis duobus Teftibus, immo fuper Tefte 1. *Proceffus Urbis* nullam conftitui poffe vim, quippe quod illius validitas non admittebatur, fed fubftantiam probationis confiftere in aliis decem, & quatuor, & pluribus Teftibus fingillatim ponderatis, dum fupra retulimus Sanctitati Veftræ, quæ deducebantur pro juftificanda caufa Martyrii §. *Caufam vero mortis*.

Ad fecundum objectum dicebatur, præfatos Teftes circa caufam deponere per bonas rationes, nempe quia fciebant odium atrox, quo Schifmatici profequebantur Antiftitem, conjurationes in eum factas, injurias illatas, minas mortis ex caufa unionis cum S. R. E. exultationem poft ejus obitum, fævitiam in ejus Corpus habitam, & quia in Archiepifcopo nulla alia aderat mortis caufa: & ipfi Schifmatici fæpius falfi fuerunt, fe fitiffe Sanguinem Præfulis, tamquam deftruentis eorum fectam. Quibus exterioribus argumentis deductis ex antecedentibus, fubfequentibus, & concomitantibus caufa occifionis, nempe odium fidei, atque unionis cum Romana Ecclefia, defumitur; quippe quod, uti non cadens fub fenfum directe, fed in animo confiftens, per teftes directe, & immediate probari non poteft, *cap. A nobis l.* 2. *de Sent. excomm.* Felin. *in cap. Significafti num.* 2. *de Homicid.* Rota apud Card. Mantic. *d.* 213. *in princ.* & coram fanctæ memoriæ Gregorio XV. *decif.* 239. *num.* 4. Ratio autem per teftem afferenda fat eft fi implicite reddatur, & colligatur ex ipfius depofitione, Butr. *in cap. Cum caufam, num.* 28. Imol. *num.* 7. Abb. *num.* 8. *de Teft.* Cagnol. *in l.* 1. *num.* 529. *ff. Si cert. pet.* Rimin. Jun. *conf.* 340. *num.* 91. *lib.* 3.

Tertium objectum, nempe fingularitatem teftibus oppofitam, afferebatur non obftare; tum quia, ubi non agitur de probando certo actu fpeciali, fed in genere, probandum eft id, quod refultat ex actibus fpecialibus; ut in ca-

in casu præsenti, odium Fidei, & unionis in Schismaticis causam dedisse morti Archiepiscopi Josaphat, admittuntur testes singulares deponentes de pluribus actibus particularibus, ex quibus resultat universale DD. *in cap. Qualiter, & quando, de Accusat.* Castr. *cons.* 51. *num.* 2. *lib.* 2. Abb. *cons.* 81. *n.* 8. plene Rimin. Jun. *cons.* 7. *num.* 27. *& seq. & num.* 132. ubi loquitur in terminis Canonizationis; & fuit dictum *in relatione B. Thomæ de Villanova, in tit. de Virtut. cap. de Fid. & cap. de Caritate in Proximum, atque in relatione B. Catharinæ de Ricciis, part.* 1. *de Proc. in fine, vers. Minus etiam*, tum etiam quia testes singulares sufficere ad probandam animi declarationem tradunt Castr. *cons.* 395. *num.* 1. *lib.* 1. Cravett. *cons.* 73. *num.* 33. Rota apud Card. Mantic. *decis.* 313. *num.* 5. *& decis.* 323. *num.* 1.

Ad ultimum respondebatur; famam plene, & concludenter esse probatam ex decem testibus recensitis, ubi de illius verificatione actum fuit *in §. Fama nimirum*; & reddunt sufficientem rationem dicti, dum, ab universo Populo Josaphatum reputari Martyrem, affirmant, juxta tradita per Anan. *cons.* 1. *num.* 8. Alex. *con.* 166. *n.* 9. *lib.* 6. *& in Relatione B. Thomæ de Villanova cap. de fama Sanctitatis in fine*; & in præsenti casu adsunt publicæ acclamationes totius Populi certatim confluentis ad afferendam veritatem Martyrii piissimi Præsulis, *ut in Processu fol.* 72. *&* 79. & adest Vicepalatini Vitepscen. cum universo Populo Vitepscen. publice sceleris detestatio, ac deploratio uberrima, veniæque, ac pœnitentiæ pro tanto facinore humilis supplicatio, *ut in eodem Processu fol.* 85. & de ea deponit etiam Testis 68. qui est Archiepiscopus Polocen. Quibus omnibus famam satis esse probatam, & cetera objecta sublata, prætendebatur a Causæ Patronis pro Antistite Josaphato.

De aliquibus Signis mirabilibus, quæ evenerunt post mortem Servi Dei Josaphati.

PARS QUARTA.

Quamvis pro Canonizatione Martyris Miracula simpliciter, & absolute non exigantur, ut deducebatur supra *in secunda parte hujus Relationis, §. Quam assertionem*; attamen, Miraculis magis etiam illustrari Martyrium, certum est, Beatissime Pater. Deus enim, mira opera faciendo circa Sanctorum Corpora Martyrum, testimonium perhibet, sibi non perire, quod moritur, & abundantiorem honorem exanguibus Reliquiis hominum circumponit, ut inquit D. August. *in Serm. de Sancto Vincentio*, & innuit Prudent. *Hymno quinto Peristephanon*, & multos Martyres Miraculorum testimonio effulsisse, liquet ex Tabulis Ecclesiasticis, & ex Martyrologiis, & animadvertit S. Greg. Nazianz. *ad Julium, ibi*: Ab his Dæmones pelluntur, morbi curantur, apparitiones, & prædictiones, quorum vel sola Corpora idem possunt, quod Animæ, sive manibus contrectentur sive honorentur; quorum vel solæ Sanguinis guttæ, atque exigua Passionis Signa idem possunt quod Corpora: idemque ostendit vetustissimus Christianorum, immo Ethnicorum etiam Imperatorum concursus ad SS. Martyrum Sepulchra, tamquam ad bonorum omnium fontes uberrimos, & inexhaustos opum, & Miraculorum Thesauros, ut late disserit S. Joann. Chrysost. *Orat.* 65. *& Homil.* 26. *in* 2. *ad Corinth.* S. Basilius, S. Eulogius, & alii passim.

Ideo haud incongruum esse existimavimus, Beatissime Pater, breviter referre S. V. aliqua Miracula, quæ Divinam potentiam intercessione Servi Dei Josaphat operatam fuisse, enarrant plures testes, ut ex ventilatione Processus nos deprehendimus, & a Causæ Agentibus deducebatur.

A fluxu enim sanguinis, quem passus fuerat per duos annos, voto ad Servi Dei Sepulchrum concepto, se liberatum fuisse, ait Testis 50. & ab eodem morbo, quem irremediabilem Medici dixerunt Susannam convaluisse, voto ad Servum Dei emisso, testatur 66. Testis Pater Susannæ, qui est Nuntius deputatus pro fabricando Processu, cujusmodi sanatio Miraculo adscripta fuit *in Relatione S. Raymundi in 6. Miraculo.*

Ab ophthalmia, & extremo oculorum morbo sanitati se restitutus fuisse, deponunt 12. & 27. Testes: ille, voto ad Servum Dei concepto; hic tactu cilicii ejusdem; quam similem sanationem miraculosam esse, dictum fuit *in Relatione Sanctæ Franciscæ Romanæ in tertio Miraculo post mortem, in Relatione Beati Thomæ de Villanova in quarto Miraculo post mortem, in Relatione Sancti Caroli Miraculo quarto post mortem.*

Ab extremo Paralysiæ morbo se curatum fuisse intercessione Josaphati profitetur testis 8. & ab eodem morbo statim liberatum fuisse Nobilem Polocensem tactu strophioli tincti sanguine Servi Dei, narrat testis 53. Rector Collegii Societatis Jesu, & de liberatione Filii ab eadem infirmitate deponit testis 23. Quam sanitatem citra miraculum reddi non posse, Medicorum judicio, & dogmatibus resolutum fuit *in Relatione Beati Thomæ de Villanova, Miraculo septimo post mortem*, & facit Matth. *c.* 9. & Act. Apost. *cap.* 9.

A lethalibus vulneribus statim ad sanitatem receptos se fuisse, votis ad Josaphat intercessionem conceptis, asserunt testis 18. & 38. Qualis sanatio ad miraculum relata fuit *in Relatione Sanctæ Franciscæ Romanæ in* 14. *Miraculo post mortem*, & in *Relatione Beati Thomæ de Villanova de Miraculo* 3. *post mortem*.

A contractione manuum, & pedum, qua per quatuor annos laboraverat, incontinenti convaluisse intercessione Archiepiscopi Josaphat, affirmat testis 46. & a claudicatione 7. annorum, testis 25. Quæ miracula esse, videtur deduci ex verbis Evangelii: *Cæci vident, claudi ambulant*: & fuit ponderatum in *Relatione Sanctæ Franciscæ Romanæ in Miraculo* 5. *Sancti Caroli in Miraculo* 11. *&* 13. & in *Relatione B. Catharinæ de Ricciis Miraculo* 1.

A gravissima febri ectica se restitutum fuisse sanitati intercessione Servi Dei, asseverat testis 63. Rector Collegii Societatis Jesu, & a febri pariter se liberatum dicit testis 18. Qualis sanatio pro miraculo adducta fuit *in Relatione Sanctæ Franciscæ Romanæ in Miraculo* 7. *in Relatione Sancti Caroli Miraculo* 3. *&* 10. & in *Relatione Beatæ Catharinæ de Ricciis Miraculo* 3. *&* 6.

Quæ miracula restitutarum sanitatum quamvis per testes singulares recenseantur, & regulariter ad probandum miraculum non sufficiat dictum unius testis, Butr. in *c. Cum oporteat* 120. *de Accusat.* Martin. Laudens. *de Canoniz. Sancti Bernardini vers. Rursus vero*, Vincen. Castellan. *de Canoniz. Sanct. quæst.* 7. *vers. Quare unus testis*, attamen nonnumquam testes singulares deponentes de facto proprio, & de miraculo in sua persona patrato admissos fuisse ad probanda miracula, dicebant Agentes pro Josaphat, juxta opinionem Collectarii in *cap.* 1. *num.* 7. *de Reliqu. & Veneratione Sanctorum*, ubi Vincentii contrariam opinionem refellit, & Collectorium secuti fuerunt Pavin. in *Relatione S. Bonaventuræ, part.* 2. *artic.* 4. Simonet. *in Relatione Sancti Francisci de Paula, vers. Sed tamen est contrarium*, Moisses. *cons.* 46. *num.* 63. *lib.* 2. præsertim concurrentibus indiciis, & conjecturis, vel fama, ex quibus posse Judicem fidem adhibere dicto unius testis, post alios scripsit Menoch. *de arbitr. Jud. cas.* 99. *in fine*. Rota apud Card. Seraph. *decis.* 676. *num.* 1. *&* 2. & nempe in *Romana Dotis* 11. *Decembris* 1634. coram me, *atque in Relatione B. Thomæ de Villanova, tit. de Virtutibus, cap.* 2. *de Charitate*. Quod relinquendum esse arbitrio Judicantis, qui, inspecta qualitate, & idoneitate testium, natura miraculi, & pensatis omnibus circumstantiis, statuere debet, quæ, & quanta fides unico testi sit adhibenda, juxta *l. Testium Fides §. Ideoque, ff. de Testib.* prudenter monuit R. P. D. Contelorius *de Canoniz. Sanctor, cap.* 18. *num.* 27. *in fine*, & fuit animadversum in *Relatione S. Raymundi, part.* 2. *art.* 8. *per tot. in Relatione S. Franciscæ Romanæ, part.* 3. *art.* 2. *Miraculo* 8. *& art.* 2. *Miraculo* 9. atque in *Relatione Sancti Caroli, part.* 3. *Miraculo* 4. *& in aliis*. Idque potissimum pendere a S. V. arbitrio asserebatur, cujus Antecessores Leo III. Innocentius III. Alex. III. Joannes XV. Bonifacius IX. Leo X. & alii admiserunt testimonia singularia in miraculorum, & Sanctitatis probatione, ut deductum fuit supra in *principio primæ partis hujus Relationis*, & habetur per Simonet. in *Relatione S. Bonaventuræ, part.* 21 *cap.* 4. & per Pavin. in *Relatione S. Francisci de Paula in fine*, & late in *Relatione S. Hyacinthi, fol.* 4.

Super quibus tamen probationibus circa miracula cum Agentes pro Venerabili Josapharo non multum insisterent, transivimus ad excussionem Prodigiorum, & Signorum quorumdam admirabilium post mortem Præsulis secutorum, quibus videtur Deus voluisse comprobare veritatem ejus Martyrii, & vertere opprobrium ejus in honorem, juxta votum *Psalm.* 118. *Aufer a me opprobrium, & contemptum, quia Martyria tua exquisivi*; ita enim loco verbi *testimonia* legit D. August. & in hunc sensum accepit dictum Psalmum *Concion.* 9. & hujusmodi signa loco miraculorum fuerunt ponderata in *Relatione* 26. *Martyrum Japonen. artic.* 3. *per totum*; similiaque prodigia Romæ contigisse post mortem Apollonii

Sena-

Senatoris Martyris sub Commodo Imperatore, perpendit Baronius in *Annot. ad Martyrolog. ad diem* 28. *Aprilis*, de quibus contendebant Patroni causæ adesse plenas, & concludentes probationes.

Primo enim in die mortis Servi Dei Josaphat visa fuit super Civitate Vitepscen. impendere densissima nebula sanguinea, quæ totum Vitepscum cinxit, usque dum Corpus ex aquis fluvii, in quibus demersum fuerat, & sex dies latuerat, a Schismaticis extractum fuit, ut tres oculati testes affirmant in *Processu Polocen.* nempe 103, 105. & 106. quasi Cælum ipsum sanguinariæ, & Patricidæ Urbi pœnas minaretur, & recens Pastoris Sanguis clamaret adhuc ad Schismaticos, ut ad Romanæ Ecclesiæ gremium redirent, & Schismatis labem detergere sacra eluvione pararent.

Secundo visa fuit splendida, & corruscans Servi Dei facies, postquam e flumine extractus est, qualis numquam visa fuit, dum viveret, adeo ut Angelicum referret aspectum, quamvis antea a Schismaticis multis modis deformata fuisset. Ita inquiunt sex testes in *Processu Polocen.* nempe 7. 32. 54. 88. 90. 108. atque ipsi Vitepscenses, aliique Schismatici in testimonio alta voce unanimiter dato deposuerunt, ut in *Processu fol.* 76. *&* 79. ubi, quod Corpus post extractionem ab aquis visum fuit insigniter pulchrum, & elegans, & contra naturalem Servi Dei colorem rubicundum. Quæ quidem claritas gloria vultus appellatur ab Apostolo 2. *ad Corinth.* c. 3. & amoris Dei signum, juxta illud Deboræ in *Cantico Judic.* c. 5. *Qui autem diligunt Te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent:* quæ legitur data Moysi *Exod. cap.* 34. & Sancto Bernardo secundum Surium in *ejus Vita lib.* 3. c. 1. necnon B. Ludovico Bertrando, ut habetur in *ejus Relatione in* 3. *miraculo*, cum aliis per Graff. *cons.* 17. *num.* 3. *de Sent. excomm. lib.* 5.

Tertio super Corpus interfecti Antistitis, & super locum fluminis, ubi fuerat demersum, lumen de Cælo lapsum aspicientium oculos perstringem, seu quamdam flammam e flumine progredientem visam fuisse, testantur 4. testes in *Processu Polocen.* nempe 91. 93. 108. 110. & in *Processu Urbis* testis 1. & 2. juxta 24. de publica voce, & fama. Quod prodigiosum videtur, & Martyri proprie conveniens, quippe quod S. Joann. Chrysost. in *homil. de Machabæis* vocavit Martyres illustriores multis solibus, & magnis luminaribus clariores, & conferunt Carmina D. Greg. Nazianz. *in Jambico* 18.

. . . . . . Orbem totum
Fulgore complent, Siderum in morem, illius,
Mactatus est qui, Martyres clarissimi.

Quarto in visitatione Corporis, seu exhumatione lacrymæ manantes ex oculis, & sudor e fronte profluens conspectus fuit, ut habetur in *Relatione Visitationis in Proc. fol.* 69. & affirmat 68. Testis, qui est Archiepiscopus Polocen. quasi Schismaticorum pertinaciam deploraret, & adhuc desudaret pro eorumdem reductione ad sinum Sanctæ Matris Ecclesiæ; necnon in eadem Visitatione deprehensa fuit in Corpore Josaphat magna flexibilitas, perinde ac si vixisset, atque adhuc spiraret: quæ uti mirabilia Sanctitatis indicia considerari solent, & traduntur de Corpore B. Jacobi de Marchia, ut fuit ponderatum in *Relatione Sancti Francisci Xaverii in* 4. *Miracula post mortem*.

Quinto cum Servi Dei corpus Vitepsci deferretur ab Ecclesia ad navigium Polociam Duna flumine advehendum, & transire accidisset juxta Synagogam Calvinisticam, calix, qui supra feretrum steterat, sponte sua inversus est, funiculis omnino irruptis, quibus hinc inde serico feretrali fuerat alligatus, cum semper antea immotus stetisset, etiam cum de monte asperrimo deferretur. Ita de visu deponunt sex testes, hoc est 11. 32. 40. 98. 102. & 103. de auditu vero & publica voce, & fama testes 91. & 101. in *Processu Polocen.* In qua calicis eversione Deus mirabiliter manifestare voluisse videtur, in Servo Dei etiam defuncto adhuc vivere zelum Domus Dei, ut quem vivus oderat malignantium Hæreticorum cœtum, etiam mortuus a communione calicis arceret; quod tunc dictum fuisse ab aliquibus ferventioribus Fidelibus, addit 11. testis in fine depositionis.

Sexto demum, quod maximum est veri Martyrii argumentum, mors Antistitis multorum Hæreticorum conversionem ad Fidem operata fuit, ejusque Sanguis inimicos quoque suos convertit ad pacem, ut non dividatur, aut solvatur vinculum Caritatis, ut habetur *Proverb. cap.* 16. Nam de Schismaticis ipsis Persecutoribus, quod fere omnes scelestum facinus detestati, & innocentis cruoris effusionem publice deplorantes ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem revocati fuerint, deponunt testes 10. subdens, ante mortem Præsulis multos fuisse Schismaticos, & illo occiso, rarissimos, & nullum Schismaticorum Templum Polociæ, & Vitepsci 32. 53. 68. 69. 107. & 108. in *Processu Polocen.* & in *Instrumento Visitationis factæ per Commissarios Apostolicos fol.* 68.

Unde vere persequentium Judicium Servus Dei vicisse videtur, ut scriptum est; *Et vincas cum judicaris*; quod ad Martyres D. Ambros. refert in *Serm.* 23. Quæ reducum animarum acquisitio non nisi merito Martyrii est adscribenda; Martyr enim Christi, tamquam granum frumenti cadens in terram, postquam mortuum fuerit, multiplicem fructum affert. Quod & S. Leo, & S. Prosper S. Leonis Notarius egregie expresserunt: ille in *Sermone* 1. *Natal. Apost. Petri, & Pauli* illis verbis: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete uberiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur:* hic vero in *lib. Sent.* ibi: *Mortibus Martyrum, & Sanguine occisorum Sanctorum incrassata est terra, & sicuti agri de cinere, & vilissimis excrementis vires ubertatis assumunt, ita cruore cæsorum Christi Martyrum totus fœcundatus est Mundus, ut undique seges Ecclesiæ cresceret, & inferentur Cælo, qui deputabantur Inferno.* Unde & Tertull. *c. ult. Apolog.* Sanguinem Martyrum vocavit semen Christianorum, S. August. in *Psalm.* 140. fimum, quo fœcundatur Ecclesia, S. Justinus potationem, qua fit vinea Domini uberior, Origen. in *Joann. tom.* 9. quamdam hæresis, & infidelitatis Theriacam, & præsentissimum Antidotum. Hanc vero Persecutorum, & Tortorum conversionem, & ab impietate ad pietatem revocationem inter mirabilia per Martyres edita recensendam esse, monuerunt S. Ephrem in *postrema Orat. de Martyrio*, S. August. *Serm.* 63. *de divers.* Theodoret. *lib.* 8. *contra Græcos:* & hujusmodi impiorum justificationem miraculosam appellat S. Gregor. *homil.* 29. *in Evangel. Matthæi* subdens, hæc miracula tanto majora, quanto spiritualia, & per quæ non corpora, sed animæ suscitantur, & S. August. in *Psalm.* 70. *&* lib. 22. *de Civitate Dei cap.* 8. parificans resurrectioni mortuorum suscitationem animarum, & Conversio ad Christum Septemdecim Præfectorum carnificinæ recolitur in Tabulis Eccles. inter miracula Sanctæ Martinæ, multaque alia exempla suppetunt ex Actis Martyrum, & id miraculum esse, fuit approbatum in *Relatione Sanctæ Franciscæ Romanæ in Miracula* 13. circa conversionem cujusdam Turcæ.

Hæc habuimus, Beatissime Pater, quæ de Josaphat fortissimi Præsulis rebus in vita gestis, & morte in Christi gratiam pro Sedis hujus defensione suscepta, ejusque virtutis in Cælo receptæ Signis ex publica fide referremus, Tuum jam est, Beatissime Pater, qui in Divinis auctoritatem habes, decernere, an is inter Divos publice sit referendus, ut non excludatur a cognomine Cælitum, qui tot jam meritis in Cæli Gentem concessit, & qui pugnam pro Tui etiam Nominis dignitate accerrimam iniit, atque victoriam de Tuis ipsis Hostibus, profuso Sanguine, reportavit, meriti donetur plausu Triumphi. Pro quo & Magna Polonia, & Lithuania, Russiaque maximo cum Rege providentiam Tuam implorat, ut in unius Martyris consecratione Catholici omnes sui provocentur, stimulo addito, atque hortamento Martyrii, &, quo tempore tanto virtutum lumine Terræ collucent, Cælum etiam ipsum novo illato Sidere ad clarissimos Septentriones condecoretur, quod & tenebricosam Hæresum, & Schismatis in iis Regionibus caliginem dissipet, Ecclesiæ gloriam augeat, & famam etiam, ac felicitatem Tui Principatus illustret.

APPENDIX QUARTA.

PROCESSUS

AUCTORITATE APOSTOLICA CONFECTUS SUPER VITA ET MIRACULIS SERVI DEI

LAURENTII

CONVERSI ET EREMITÆ,

De quo in superiori Cap. 29. num. 10.

PRÆMITTITUR

Vita Beati Laurentii, prout scripta in quodam Libello, ex Sacrario Reliquiarum Monasterii Sublacensis S. Scholasticæ reperitur.

FUIT quidam Eremita in Valle Sublacensi, nomine Laurentius, Vir vitæ abstinentiæ, & mirabilis in pœnitentia supra humanum genus. Quatuor circulos ferreos portavit in Corpore suo; unum circa pectus, alios in manibus ac pedibus: & per triginta annos in uno antro sedens, nusquam discessit. Beata Virgo Maria pluries sibi apparuit. Accidit una noctium, quod sibi apparuerunt tres Mulieres ad consolandum eum; & dixit una illarum, scilicet Beata Virgo Maria: Hic habitabo; & mihi faciam fieri unum Oratorium propter tuam devotionem, quam habes erga me: & sic disparuit visio. Eadem nocte apparuerunt trina vice uni, nomine Thomæ de Cerbaria: & missus fuit ad prædictum Eremitam, ut quidquid sibi diceret, perficere curaret. Et ita per dictum Thomam facta fuit Capella in honorem gloriosæ Virginis Mariæ: & multa miracula quotidie ibi fiunt per intercessionem gloriosæ Dei genitricis Virginis Mariæ; ad laudem Domini Nostri Jesu Christi, qui vivit & regnat Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Item in alio Libro legitur. Ego Laurentius veni ad locum istum anno Domini M. CC. IX. Mense Decembris, die sexta decima: Tempore Domini Innocentii Papæ, & Romani Abbatis Sacri Monasterii Sublacensis.

PROCESSUS.

IN nomine Domini Amen. Nos Joannes humilis Alatrinus Episcopus, & Frater G. dictus Prior Sancti Bartholomæi de Trisulto literas Apostolicas recepimus in hunc modum. Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Episcopo .... Alatrino, & dilecto Filio Priori Monasterii Sancti Bartholomæi de Trisulto Alatrinæ Diœcesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram fide dignorum relatione pervenit, quod propter merita propria Fratris Laurentii, cujus corpus requiescit juxta Monasterium Sublacense, Dominus Jesus Christus multa, & magna est miracula operatus. Cum itaque Viri tanta memoria non debeat apud homines deperire; Nos super hoc plenius certificari volentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictum Monasterium personaliter accedentes, & habentes præ oculis solum Deum, de vita, & miraculis fratris ejusdem inquiratis diligentius veritatem, & quæ inveneritis, fideliter in scriptis redigi, & scripta rescribi denuo per manum publicam facientes, sub Sigillis vestris alterum Scriptorum ipsorum apud dicti Monasterii, & reliquum penes Anagninæ Ecclesiæ sacristias deponere procuretis conservanda in illis usque ad nostræ beneplacitum voluntatis, rescripturi Nobis quidquid super iis duxeritis faciendum. Datum Laterani 4. Cal. Decembris, Pontificatus nostri anno primo. Hujus itaque auctoritate mandati ad Monasterium personaliter accessimus Sublacense, & testes supra vita, & miraculis fratris Laurentii Morrebottis testes receptos infrascriptos, & eosdem examinavimus diligenter anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, Pontificatus D. Innocentii IV. Papæ anno primo, Indictione secunda, Mense Februar. die 20. Dominus Maginardus Miles Sublacensis juravit super vita, & miraculis dicti Fratris Laurentii, & interrogatus dixit de vita, quod cum ipse Frater esset oriundus de quodam Castro Apuliæ, quod Fatiolum vocatur, quod situm est inter Sipontinam Civitatem, & Fogiam; *contigit, quod idem Frater*, sicut ipse narrabat pluries ipsi testi, *casu accidente homicidium perpetravit. Quare ad cor rediens, pœnitentia ductus, limina B. Jacobi Apostoli visitavit, deinde rediens permansit apud sanctum Angelum de post lacum duobus annis pro pœnitentia facienda; deinde quia non videbatur sibi, quod in eodem loco ad plenum posset pœnitentiam agere, sicut proposuerat, petiit antrum, quod de Morrebottis vocatur, prope specum Beatissimi Benedicti, ibique se includens per aliquot dies, exceptis paucis, incognitus permansit; aliquando tamen pastores, qui pecora sua custodiebant, ibidem juxta antrum panem sibi dabant, & ipse raro exiens herbas sibi pro cibo nihilominus colligebat*: Tandem cum ad notitiam hominum de Sublaco, referentibus pastoribus, devenisset, cœperunt ad ipsum confluere viri, & mulieres victualia deferentes: hæc omnia dixit se ab ipso Fratre pluries audivisse. Item dixit, *quod tempore procedente arctavit prædictus frater vitam suam in specu illa, seu antro, corpus, & carnem suam durissime macerans, semel in die tantum reficiens, & tunc pane, & aqua; dixit etiam se vidisse, quod utebatur lorica sub tunica, & circulos ferreos habebat duos in quolibet brachio, & in cruribus, & tibiis similiter quatuor, & in ventre unum; in capite vero habebat circulum habentem in superiori parte duas virgas ferreas in modum crucis, una quarum protendebatur ab occipite usque ad frontem, aliæ vero ab aure usque ad aurem, in quo dependebant duæ laminæ ferreæ ab utraque parte, scilicet una, quæ fere usque ad mandibulas protendebatur in quarum qualibet erant quinque clavi affixi interius aculeos habentes, ut si forte aliquando caput ad dormien-*

dum

dum deponeret, punctus ab ois sitius elevaret; unde contingebat, quod appodiatus rupi utcumque requiesceret, & dormiret. Dixit etiam se audiſſe a diſcipulis ejuſdem Fratris, de quorum nominibus non recordatur, *quod ſi aliquando circuli rumperentur, mittebat ipſos ad reficiendam, & reintegratos reponebat in membris, de quibus ceciderant;* & idem teſtis vidit aliquando in Caſtro de Sublaco apportari circulos ad reſolidandum. Item dixit, *quod antequam poneret laminas cum clavis circa mandibulas, utebatur pro cervicali quodam lapide acuto ad modum inferioris partis incudis fabri*, ſecundam qand ipſe teſtis pluries vidit, quod maximam familiaritatem cum dicto fratre habebat. Interrogatus *quot annis duxit iſtam arctiſſimam vitam idem frater in ſpecu illa*, dixit, *quod decem annis ad minus*, ſicut credit; poſtea vero, ſicut audivit idem teſtis, *Dominus Ugolinus tunc Hoſtienſis, & Velitrenſis Epiſcopus, qui poſtea fuit Papa Gregorius, perſonaliter acceſſit ad Fratrem Laurentium cauſa viſitandi eumdem, & cum inveniret dictum fratrem in ſpecu illa manentem graviter afflictum, idem Dominus dixit eidem Fratri, quod propter ita indiſcretam afflictionem poſſet potius demereri, quam mereri: & ſic ſuaſit ei, quod vitam ſuam diſcretam duceret, & graviſſimam duritiam temperaret, cui dictus frater obediens, de prædicta aſperitate aliquantulum relaxavit, ita ut vinum biberet, & olera, & legumina manducaret; & talem vitam per triennium ſuſtinuit, ſicut credit: tandem cum ad tantam debilitatem deveniſſet, quod neque lecto ſurgere, nec in partem alteram ſine adminiculo ſe volvere potuiſſet, aliquando carnibus utebatur*, ſicut idem teſtis ab eodem fratre audivit. *Interrogatus quot annis in eodem ſpecu permanſit*, reſpondit, *quod in tripartita tali vita*, ſicut ſuperius diſtinctum eſt, *triginta & tribus annis*, ſicut ipſe frater aſſerbat, & *eo amplius permanens, glorioſe vitam ſuam finivit ibidem*: addidit etiam ipſe teſtis, quod virtute charitatis idem frater pollebat, & licet pauper, pauperibus ita compatiebatur, ut quæ habere poterat, libenter & liberaliter eiſdem erogaret, ita qand quadam vice cum carum eſſet tempus, quemdam pulchrum apparatum ſacerdotalem, quem habebat, vendidit, & partem pretii, ſcilicet centum ſolidos eidem teſti, & cuidam alii, nomine Cervicali, tradidit pauperibus, & magis indigentibus erogandos. Avaritiam autem idem frater deteſtabatur, adeo, quod quemdam diſcipulum ſuum fratrem Thomaſtum nomine a ſe ejecit, eo quod avaritia ductus plura peteret, & acciperet, quam idem Frater Laurentius præciperet. De miraculis dixit, quod cum eſſet vinculo excommunicationis ligatus a tempore Honorii, & annis pluribus in adulterio permanſiſſet, acceſſit ad Fratrem Laurentium viſitationis cauſa, & cum deveniret ad locam, qui dicitur Scabelle, qui eſt prope ſpecum S. Benedicti, ſubito lumen oculorum amiſit cadens in terram, nec ſe poterat ſuſtinere, unde petiit a ſociis ſuis, qui cum ipſo erant, adjuvari, & cum non poſſet ab illis a tanto periculo liberari, relevari, nec ante procedere poſſet, nec retrocedere, tum ſe commendavit fratri Laurentio, promittens ſe pœnitentiam recepturum de commiſſis, & ſtatim confortatus cœpit ire, ut poterat, & cum paululum procederet, & cæcitate prædicta & dolore liberatus eſt. Deveniens ad Fratrem Laurentium retulit ei omnia, quæ in via paſſus fuerat, cui Frater Laurentius dixit: Merita Sanctiſſimi Benedicti, & Sancti Romani, per quorum loca tranſiſti, te a tanto periculo liberarunt; & præcipiens ei, ut, ſicut voverat, pœnitentiam ageret de commiſſis, ille ſe hoc facturum eidem fratri promiſſit. Interrogatus de tempore dixit, quod menſe Septembris proximo præterito ſunt completi novem anni, & in hoc fuerunt præſentes Oddo Frater, & Cervicalis de Sublaco; & addidit, quod cum ipſe teſtis eſſet alio tempore in adulterio conſtitutus, acceſſit ad Fratrem Laurentium, exponens idem quomodo in adulterio jacebat, cui Frater Laurentius ſuaſit, quod pœnitentiam ageret, & vitam ſuam emendaret; ipſe teſtis dixit eidem Fratri: Roga Deum pro me, ut det mihi aliquam infirmitatem, ut ſic caſtigatus debeam emendari; promiſit tamen eidem fratri, quod infra octo dies acciperet pœnitentiam: tandem in fine octo dierum, cum nondum pœnitentiam accepiſſet, bene cœnatus cum Presbytero Thomaſio, ſanus & incolumis intravit lectum, & cum poſt ſomnum evigilaſſet, ſentiens ſe multum debilitari, concitus cum difficultate ſurrexit, & vocans Presbyterum eumdem, cum eodem intravit Eccleſiam S. Andreæ de Sublaco, & cum eſſet ante Crucifixum, nec bene expedite poſſet loqui, dum confiteretur peccata ſua, vox ad eum redire cœpit, & cœpit aliquantulum confortari, ita quod cum judicatus eſſet a Sacerdote, vocem cum viribus per Dei gratiam recuperavit, cum poſtea iviſſet ad dictum fratrem Laurentium, & eidem omnia, quæ ſibi acciderant, per ordinem enarraſſet, audivit a Fratre Amato diſcipulo, & ſerviente ejuſdem Fratris, quod ipſi rogaverant Deum, ut infirmitatem ei tribuerent corporalem, qua vexatus anima ſanaretur. Interrogatus de tempore, dixit, quod ſunt tres anni. Interrogatus de menſe, dixit, quod fuit menſe Octobris, reſidente Domino Gregorio in Sede Apoſtolica.

Cervicalis juravit, & interrogatus ſuper vita, & miraculis fratris Laurentii, de miraculis, dixit, quod cum quadam die iret cum Domino Maginardo, & Oddone fratre ipſius Maginardi ad Fratrem Laurentium viſitandum, & jam perveniſſet ipſe cum duobus fratribus antedictis ad locum, qui dicitur Scabelle prope ſpecum B. Benedicti, in eodem loco ipſe Maginardus dixit Oddoni Fratri ſuo, & ipſi teſti: Juvate me, quia totus mundus circumvolvitur, ut mihi videtur, & tamen non video, nec ire poſſum, & ſic ipſe teſtis, & frater ejus hinc ceperunt eum, ſuſtentantes, ne rueret per rupem, cui, ut ipſe credit, dixit Oddo frater ejus: Fac votum Deo, & Servo Dei Fratri Laurentio, & forte liberaberis; quod cum feciſſet ille ſuſtentatus ab eis, manibus, & pedibus cœpit repere, & poſt aliquantulum ſpatium confortatus, erectus ibat ſine adjutorio, & ſic pervenit ad Fratrem Laurentium, cum quo moratus, & diu loquutus, ſanus exivit de ſpecu, ubi jacebat Frater Laurentius, & ad propria lætus remeavit cum ſociis memoratis. De tempore interrogatus, dixit, quod octo anni ſunt, & eo amplius: de menſe non recordatur, nec de die, & hoc fuit tempore Domini Gregorii Papæ. De vita ipſius fratris interrogatus dixit, *quod idem frater permanſit in ſpecu illa, ubi mortuus eſt, per triginta tres annos, & amplius*, qui dum viveret, & pauper eſſet, de paupertate ſua quod poterat, pauperibus, & indigentibus erogabat; unde de pretio cujuſdam paramenti ſacerdotalis, quod vendiderat, eidem teſti, & Maginardo militi de Sublaco centum ſolidos pauperibus tribuit erogandos, & ipſi eidem teſti quædam alia tradidit pauperibus nihilo minus eroganda.

Oddo Frater D. Maginardi juravit, & interrogatus dixit, quod cum idem cum D. Maginardo fratre ſuo ſupradicto, & quodam alio nomine Cervicali iret ad fratrem Laurentium viſitandum, cum perveniſſet ad locum, qui dicitur Scabelle prope ſpecum B. Benedicti, dictus Maginardus dixit eidem teſti, & Cervicali: Non poſſum ire, neque video; qui cum idem teſtis dixiſſet, Revertamur ergo, ipſe reſpondit, Nec ante ire, nec retrocedere poſſum, cui ſtatim dixit idem teſtis: Fac votum Deo, & Servo ejus fratri Laurentio, & forte liberaberis; quod cum feciſſet, ſtatim confortatus cæpit ire, & ſic ad locum, ubi morabatur Frater Laurentius, devenit, qui omnia retulit ipſi fratri Laurentio quæ acciderant in via, & diu cum ipſo loquutus, ſanus rediit, & cum prædictis Oddone fratre, & Cervicali lætus & incolumis ad propria remeavit. De tempore dixit, quod ſunt jam bene novem anni, ſicut credit, & fuit tempore Domini Gregorii Papæ: de menſe, & die non recordatur: de vita nihil ſciebat, niſi ex audita.

Matthæus de Afide juravit, & interrogatus dixit, *quod frater Laurentius moratus fuit in ſpecu Mortuttis per triginta tres annos, ſicut credit, & audivit, & vidit ipſe teſtis ipſum fratrem jacentem in ipſa ſpecu, habentem, ut audivit, in capite circulum ferreum habentem in ſuperiori parte duas virgas ferreas in modum Crucis, una quarum protendebatur ab occipite uſque ad frontem; alia vero ab aure uſque ad aurem; etiam audivit, quod ille circulus retro ab occipitio habebat uncinum, cui adnectebatur lorica, quam idem frater, ut dicebatur, portabat.* Interrogatus de miraculis dixit, quod cum ipſe teſtis quaſi per annum lumine oculi ſiniſtri privatus fuiſſet, acceſſit ad fratrem Laurentium ad ſuaſionem uxoris ſuæ nomine Benedictæ; & facto ab eodem fratre ſuper oculo infirmo ſigno Crucis, lumen, quod amiſerat, fuit ſibi contiuuo reſtitutum. Interrogatus dixit, quod cum quidam nomine Altaſſus de Toccanello alio tempore eſſet apud ſpecum Morræ de Botte, & portaſſet bertas cum panibus, & depoſuiſſet eaſdem bertas ante ſpecum inter fontem, & coquinam ejuſdem loci, acceſſit corvus, & extraxit inde partem panis, quam poſtmodum volitans aſportavit, quo facto ſtatim frater Amatus ſervus fratris Laurentii nunciavit fratri Laurentio quod fecerat corvus, cui dixit frater Laurentius: Frater noli curare, quia corvus panem, quem abſtulit, Altaſſo protinus reportabit. Interrogatus quomodo ſciret, quod frater Laurentius ita dixiſſet fratri Amato dixit, quia audivit, & ſic poſt modi-

v

dicam moram corvus panem, quem abstulerat, ad locum reportavit. Interrogatus quibus præsentibus hoc factum est, dixit, ipso præsente, & uxore sua, & fratre Amato, Alitasso, & aliis, quorum nomina non recordatur. Interrogatus de tempore, dixit, quod sunt viginti anni, & amplius. Interrogatus de Papa, dixit, quod erat Honorius: de mense, & die non recordatur.

Benedicta uxor Mathæi de Afide juravit, & interrogata super miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum Matthæus vir ejus pateretur in oculo uno, ita quod non videret ex eo lumen, dixit ipsa testis viro suo, quod iret ad fratrem Laurentium, & rogaret eum, ut imponeret sibi manum; qui acquiescens consilio uxoris accessit ad ipsum fratrem, rogans & supplicans, ut imponeret sibi manus; qui rediens ab eodem recepta sanitate sanus, & hilaris ad propria est reversus, & videt nunc vie multum ab illo oculo, quem habuerat infirmum, sicut unquam vidit, & hoc dixit mulier tam ex visu, quam ex assertione viri sui. Interrogara de tempore dixit, quod bene sunt quindecim anni, & amplius, de mense, & die nec recordatue, nec dixit Papam. Item dixit, quod cum quodam alio tempore iste testis esset apud Morram de Bottis, cum viro suo Matthæo, vidit quemdam nomine Alitassum de Toccanello portantem bertam cum panibus, qui cum deponeret eam apud locum nominatum in terra, venit corvus, & extraxie intus frustum panis albi de ipso sacculo, & evolitans asportavit, quod eum nunriaretur per fratrem Amatum servientem suum fratri Laurentio dixit ei frater Laurentius: Frater non sit tibi curæ, quia cito Corvus reportabit, quod abstulit ipse. Interrogata quomodo sciret, quod frater Laurentius ita dixerit, dixit, quod ita retulit ei fratee Amatus; nec mora magna transacta, reversus est cotvus, & panem, quem asportaverat, reportavit. Interrogata, qui fuerunt in hoc præsentes, dixit, quod ipsa testis, Matthæus vir ejus, frater Amatus serviens Fratris Laurentii, & Frater Thomasius & Alitassus. Interrogata quor anni suni, dixit, quod sunt decem & octo, & amplius: de Papa, mense, & die non recordatur. Addidit etiam ipsa testis, quod cum quodam tempore, post mortem fratris Laurentii in auricula patereiur ita, quod nihil audiret ex ea, datum fuit ei a quodam fratre Petro de Rocla tantillum de ligno tabulæ, in qua frater Laurentius jacere consueverat, & misit lignum in auriculam, & statim ipsa mulier per misericordiam Dei plene recuperavit auditum.

Eodem die Maria uxor Nicolai dicti Buccamicena juravit, & interrogata supee miraculis fratris Laurentii, dixit, quod cum ipsa testis in mamilla sinistra graviter pateretur, & quod qualibet tertia die frigus, & calorem vehementer sustinens febrem pateretur, accessit ad locum, ubi jacebat Corpus fratris Laurentii usque tertio, & respexit illud, & invocato Christi nomine, mamilla ipsius testis est pristinæ reddita sanitati. Interrogata, qui fuerunt præsentes, dixit quod Nicolaus vie ejus, & Maria de Girardo. Interrogata de tempore, dixit quod post mortem ejus, ante quam esset sepultus, scilicet hoc anno in mense Augusti.

Nicolaus dictus Buccamicena juravit, & interrogatus dixit, quod cum Maria uxor sua graviter in mamilla pateretue, ita quod febricitaret frequenter, accessit ipse testis cum uxore sua ad locum, ubi jacebat corpus fratris Laurentis, ante quam esset sepultum, & invocato Christi nomine, uxor sua sanitatem in mamilla recepit ad tactum particulæ vestis dicti fratris Laurentii; & dixit idem testis, quod duabus vicibus viderunt Corpus Fratris Laurentii, ante quam mamilla uxoris suæ plenam reciperet sanitatem. Interrogatus quot fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis, & uxor sua, & Maria de Girardo. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno in mease Augusti; & Papa erat iste, qui nunc est D. Innocentius.

Maria de Girardo juravit, & interrogata super miraculis Fratris Laurentii dixit, quod cum ipsa testis accederet cum Maria uxore Nicolai Buccamicena, quæ in mamilla graviter patiebatur, ad locum, ubi corpus fratris Laurentii jacebat, eadem mulier, quæ in mamilla patiebatur, in loco eodem, invocato Christi nomine, sanitatem in mamilla ad plenum obtinuit. Interrogata quot fuerunt præsentes, dixit, quod ipsa testis, & vir Mulieris patieotis, & illa, quæ passa est, & alii quamplures: dixit etiam, quod ipsa testis cum aliis testibus nominatis Nicolao, & Maria viderunt Corpus totum fratris Laurentii insepultum. Interrogata de tempore, dixit, quod hoc anno fuit, mense Augusto. Interrogata de Papa, dixit, quod fuit Papa Innocentius, qui nunc est.

Sublaciana juravit, & interrogata super miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum ipsa testis in scapula dextera, & brachio pateretur adeo, quod non poterat ducere illud, accessit ad sepulcrum fratris Laurentii, ubi invocata Christi pietate, frater Amatus tetigit locum doloris cum circulo, quem frater Laurentius, dum viveret, deportaverat, & statim plene restituta est sanitati. Interrogata qui fuerunt præsentes, dixit, quod ipsa testis, & fratee Amatus, & Bona matertera sua. Interrogata de tempore, dixit quod fuit hoc anno in quadragesima Sancti Martini de die Dominico, & erat Papa, qui modo est.

Bona matertera Sublacianæ, juravit, & interrogata dixit, quod ipsa ivit cum prædicta Sublaciana ad sepulcrum, ubi jacebat Frater Laurentius, & ibi invocato nomine Jesu Christi, fratee Amatus tetigit locum doloris Sublacianæ, quæ patiebatue graviter in scapula dextera, cum circulo, quem portaverat Frater Laurentius, dum viveret, sicut idem Amatus dicebat; & incontinenti dicta Sublaciana restituta est pristinæ sanitati. Interrogata de tempore, dixit, quod in Decemb. hujus anni, die Dominico, & erat Papa ipse, qui nuoc est. De præsentibus dixit, quod interfuit ipsa testis, Sublaciana, & Frater Amatus.

Eodem mense die at. Joannes de Amico juravit, & interrogatus super vita, & miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum pateretur in brachio sinistro, ita quod nec levare illud poterat, neque deponere, multiplicem adhibuisset medicinam, nec sanari potuisset, accessit ad Fratrem Laurentium, qui, facto signo Crucis, liberatus est adeo, quod bene utitur eo, sicut alio. Interrogatus, qui erant præsentes, dixit, quod Pater vel Mater sua, nescit tamen pro certo quis eorum. Interrogatus de tempore, dixit se nescire: interrogatus de PP. dixit, quod erat PP. Gregorius. Addit etiam, quod cum alio tempore idem testis quadam nocte sanus, & hilaris lectum intrasset, accidit ei quædam infirmitas, qua tantum gravatus est, quod nec loqui, nec se movere poterat, nec etiam aliquem cognoscere; parentes sui voverunt eum Beatæ Mariæ de Morra Bottis, & fratri Laurentio: cum aliquantulum melioratus esset, accessit cum altero Parentum ad Fratrem Laurentium, & facto ab eodem fratre super eo signo Crucis, plene restitutus est sanitati: de tempore non recordatur, de PP. dixit, quod erat Papa Gregorius.

Mabilia matee ipsius Joannis juravit, & interrogata de miraculis Fratris Laurentii dixit, quod cum Joannes filius suus pateretur in brachio, ita quod nec levare illud, nec deponere poterat, vir suus Joannes duxit ipsum Joannem filium suum ad Fratrem Laurentium, qui per Dei gratiam ab eodem loco sanus rediit, & credit ipsa testis firmiter, quod per preces, & merita fratris Laurentis dictus filius suus restitutus fuerit sanitati: de tempore & Papa non recordatur. Item addidit ipsa testis, quod cum quodam alio tempore dictus filius suus quadam nocte lectum sanus intrasset, accidit ei quædam infirmitas, qua tantum gravatus erat, quod nec levare, nec movere se poterat, nec etiam aliquem cognoscere, ipsa, & vir suus voverunt eum Sanctæ Mariæ de Morra Bottis, & Fratri Laurentio; & cum aliquantulum melioratus esset, ipsa testis ivit cum dicto Joanne filio suo ad fratrem Laurentium, quem filium introduxit frater Amatus ad fratrem Laurentium, & inde rediit sanus, & incolumis. Interrogata de tempore, & Papa, non recordatur; credit tamen quod per preces, & merita fratris Laurentis sanatus fuerit.

Eodem mense, die xxi. Joannes de Amico juravit, & interrogatus super miraculis Fratris Laurentii dixit, quod cum filius ejus Joannes de Amico pateretur in brachio, ita quod nec levare illud, nec deponere poterat, duxit eundem filium suum ad Fratrem Laurentium, & facto super eo signo Crucis, ab eodem fratre liberatus est: de tempore, & Papa non recordatur. Item addidit, quod idem filius infirmus adeo mente captus erat alio tempore, quod neminem cognoscebat, & quod panem sibi porrectum projiceret; idem testis, & uxoe ejus voverunt dictum filium suum Deo, Beatæ Mariæ, & Fratri Laurentio; & recepta melioratione, uxor sua, ut credit, duxit eumdem filium suum ad Fratrem Laurentium, qui reversus sanus apparuit. De tempore, & Papa non recordatur.

Amato Philippi de Turris Alatrinæ Diœcesis juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit; quod cum ipse pateretur per annum unum in pede can-

cancsum, ficut fibi a pluribus dicebatur, nec medicamentum falubre potuiffet ab aliquo invenire, tandem acceffit ad Fratrem Laurentium, quem cum videre non poffet, licet cum magna inftantia poftulaffet; demum quod pro petenda falute infirmitatis fuæ advenerat fratri Amato, & fratri Petro difcipulia dicti fratris Laurentii expofuit, qui frater Amatus eidem infirmo refpondit, quod frater Laurentius mandabat ei, ne per triduum pedem difcoperiret, nec aliquod medicamentum apponeret; & quod poft triduum cum Dei adjutorio fanaretur; qui fidem verbis fuis adbibuit, & incontinenti meliorationem fenfit; ita quod poft triduum plene reftitutus eft fanitati. Interrogatus de tempore, dixit quod jam funt fex, vel feptem anni: de Papa dixit, quod erat D. Gregorius.

Petrus Pizutus de Turri Diœcefis Alatrinæ juravit fuper miraculis fratsis Laurentii, & interrogatus dixit, quod vidit Amatum Philippi ejufdem Caftri gravi infirmitate pedis laborantem; quod Amatus cum iret ad Fratrem Laurentium, ficut ipfe dicebat, per mifericordiam Jefu Chrifti meritia fratris Laurentii ipfe rediens poft paucos dies fanus, & incolumis apparuit; & ille Amatus, qui fanus factus eft, ad fuafionem ipfius teftis acceffit ad Fratrem nominatum, cujus meritis, & interceffione qui infirmus fuerat, fanatus eft, ficut firmires credit ipfe teftis. Interrogatus de tempore, dixit, quod jam funt fex anni: de PP. dixit, quod erat D. Gregorius.

Eodem menfe die 21. Domina Marotta uxor Domini Beraldi Militia de Sublaco juravit fuper miraculis & vita Fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipfa teftis fluxum fanguinis pateretur continue per unum annum, & eo amplius, & propter infirmitatem eamdem graviter quotidie affligeretur, accepit de pannis, qui fuerant fratris Laurentii, & cum ipfis fignum Crucis ventri fuo fiducialiter impreffit, tenens eofdem fuper fe pannos ad tempus; & fic Divina Clementia faciente, meritis fratris Laurentii, quem fiducialites invocavit, ab eadem infirmitate plene fanata fuit. Interrogata de tempore, dixit, quod fuit in menfe ifto Februario, poft mortem fratris Laurentii. Interrogata qui fcirent infirmitatem fuam, & liberationem ipfius, dixit, quod neptis fua Ægidia, filia fua Bellitia, & vir ejus, quæ paffa fuit. Interrogata quis vidit, vel fcit pofitionem pannorum, dixit, quod prædicta neptis fua Ægidia.

Ægidia neptis dictæ D. Marottæ juravit fuper miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum D. Marotta amita fua continue fluxum fanguinis per annum, & eo amplius pateretur, ficut ipfa teftis fciebat, & videbat, utpote quia habitabat cum ea, & propter ipfam infirmitatem graviter quotidie effet afflicta, ipfa teftis ad præceptum ejufdem D. Marottæ acceffit ad arcam propriam, in qua babebat de pannis, qui fuerant fratris Laurentii, & eidem D. Marottæ tradidit eofdem, quos cum D. Marotta recepiffet, cum eifdem pannis fignum Crucia impreffit ventri fuo, quos cum ibidem per aliquantulam horam tenuiffet, invocata Chrifti mifericordia, & meritia fratris Laurentii, dicta D. Marotta priftinæ eft reftituta fanitati. Interrogata de tempore dixit, hoc menfe Februario poft mortem fratris Laurentii.

Bellitia filia prædictæ D. Marottæ juravit, & interrogata de miraculis fratris Laurentii, dixit, quod cum D. Marotta mater fua fluxum fanguinis per annum unum, & eo amplius continue pateretur, ficut ipfa teftia fciebat, & videbat, quia babitabat cum ea, & propter ipfam infirmitatem gravites quotidie effet afflicta, vidit, & audivit quando Marotta mater ipfius teftis mandavit, Ægidiæ nepti fuæ, quod deferret ei de pannis, qui fuerant fratsis Laurentii; quæ Ægidia ftatim ivit, & portavit de pannis prædicti fratris, & ipfa tefte vidente Ægidia eadem porrexit dictæ Marottæ, quos cum ipfa Marotta imprimeret ventri fuo, faciens fignum Crucis cum eifdem, & per aliquantulam moram ibi tenuiffet, invocato Chrifti nomine, & meritis fratris Laurentii fiducialites, continuo mater ipfius teftis ab infirmitate, qua tenebatur, fanata fuit. Interrogata de tempore, dixit, quod fuit hoc præfenti menfe Februarii poft mortem fratris Laurentii.

D. Beraldus miles Sublacenfis maritus dictæ D. Marottæ juravit, & interrogatus dixit, quod cum dicta Marotta uxor fua fluxum fanguinis continuo pateretur per annum, & amplius, & propter eamdem infirmitatem eadem mulier graviter afflicta effet, invocata Chrifti mifericordia fiducialiter, eadem mulier cum pannis, qui fuerant fratria Laurentii, confifa meritis ipfius, fignavit ventrem fuum mulies, quæ patiebatus infirmitatem prædictam, & continuo illa mulier ab infirmitate, quam patiebatur, eft dimiffa. Interrogatus qualiter fciret hoc, dixit, quod vidit mulierem illam per annum, & eo amplius infirmam, quam nunc ipfe fanam videt. Interrogatus fi vidit quando aliquid de pannis prædicti fratris oblatum fuerit uxori fuæ, dixit quod non vidit ipfe, fed audivit ab uxore fua, filia, & nepte fuprafcriptia, interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc menfe Februario.

Eodem menfe die 22. Bonushomo Carolinus de Sublaco juravit fuper vita, & miraculis fratris Laurentii; & interrogatus dixit, quod cum ipfe baberet manum valde tumidam per fex hebdomadas, adeo quod nec cum ipfa fignare fe poffet, nec aliquid operari, & multa medicamina appofuiffet in ipfa manu, nec fanari potuiffet, acceffit ad fratrem Laurentium, & rogavit eum, ut pro falute fua Dominum exoraret, qui frater Laurentius, facto fuper manu ejufdem infirmi figno crucis, dixit eidem infirmo, ut acciperet tria brachia candelarum, & ad honorem Chrifti, & B. Virginis, cujus Purificationis feftum in craftinum imminebat, eas accenderet, & ad honorem ejufdem Virginis tres pauperes reficeret; quod totum cum dictus infirmus devote perfeciffet, poft triduum plene reftitutus eft fanitati, & ita bene laborat cum illa manu, ficut cum alia. Interrogatus de tempore dixit, quod quatuor anni funt; de Papa dixit, quod erat P. P. Gregorius. Interrogatus qui fcirent iftud, dixit, quod frater Amatus erat præfens, quando frater Laurentius fignum Crucis fibi impofuit, & D. Gratianus miles Sublacenfis, cum quo idem teftis ivit ad fratrem Laurentium & uxor ipfius teftis fcivit infirmitatem, & fanitatem ipfius.

D. Gratianus miles juravit fuper vita, & miraculis fratsis Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipfe teftis iret caufa vifitandi fratrem Laurentium, Bonushomo Carolinus ivit cum ipfo tefte ad locum prædicti fratris & ipfe teftis vidit eumdem Bonumhominem habentem manum tumidam introeuntem in fpecum, in qua jacebat frater Laurentius & pluries audivit ipfe teftis dictum Bonumhominem dicentem: Frater Laurentius fecit fignum Crucis in manu mea infirma, & per Dei gratiam fanatus fum; & idem teftis vidit eum poftea fanum, quem prius viderat patientem in manu. Interrogatus de tempore, & die, dixit, quod non recordatur, fed credit, quod funt quatuor anni, & fuit tempore D. Gregorii.

Gemma uxor dicti Bonihominis Carolini juravit, & interrogata dixit, quod vidit manum dicti Bonihominis viri fui tumidam, & infirmam, quam poftea fanam vidit ipfa teftis. Interrogata quando receperat fanitatem in manu vir ipfius teftis, ficut dicebat, idem vir ivit ad fratrem Laurentium, qui fecit fignum Crucis fuper manu infirmi, & mandavit, quod faceret tria brachia candelarum ad honorem B. Virginis, & portaret candelas ad Ecclefiam ipfius, & reficeret tres pauperes, quod cum feciffet prædictus vir fanatus eft ab infirmitate fua, & refectionem pauperum ipfa vidit: de tempore non recordatur, nec de Papa.

Eodem menfe die vigefima fecunda D. Gratianus Miles juravit fuper vita & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod dictus Fsater Laurentius fuit oriundus de quodam Caftro Apuliæ, quod Fatiolus vocatus, quod eft fitum inter Sipontinam Civitatem, & Foggiam. Interrogatus qualiter fciret, dixit, quod ita retulit fibi frater Laurentius, & etiam idem teftis fuit in prædicto Caftro, & audivit hoc idem a quibufdam habitatoribus ipfius Caftri, quod fe dicebant fuiffe vicinos ipfius, & *dicebant ipfum fuiffe fimplicem Angelum, & fine malitia, qui* teftia audivit ab eodem fratre, quod *ipfe frater venit ad Sanctum Angelum de poft Lacum, ubi aliquantulo tempore habitavit, quo loco poftmodum dimiffo petiit locum, qui Morrubottis dicitur, prope fpecum B. Benedicti*, & per aliquot dies incognitus fere permanfit, ficut dicebant, exceptis paftoribus, qui pafcebant oves fuas in loco eodem, quod dabant fratri eidem de pane fuo, & *videbant eumdem fratrem herbas colligere, quas mandebat*. Ex relatione poftea paftorum homines de contrata cœperunt confluere ad ipfum fratrem portantes eidem victualia; & cum fæpius ipfe teftis acceffiffet ad dictum fratrem, cujus familiaritatem babebat, *vidit circulum ferreum, quem idem frater habebat in capite, & in circulo illo erant in fuperiori parte duæ virgæ ferreæ, una quarum protendebatur a fronte ufque ad occipitium, altera vero ab auricula ad auriculam*: dixit etiam ipfe teftis, *quod vidit alios circulos, qui fiebat in Caftro Sublacenfi, & dicebant ibi, quod erant Fratris Laurentii, quos volebat mittere idem frater in brachia, & alia membra fua; audivit etiam dici, quod idem frater*

fori-

loricam tenebat in dorso sub tunica: audivit etiam dici a Ventura filio Bonibominis de Genna, quod Pater suus Bonus homo dedit ipsi Fratri Laurentio unam loricam, quam idem frater indueret: dixit etiam ipse testis, *quod scit fratrem Laurentium multam habuisse charitatem, & moram fecisse in loco nominato per triginta tres annos, ubi gloriose finivit vitam suam*: Addidit etiam ipse testis, quod cum post mortem Fratris Laurentii dolorem lateris gravissimum pateretur, D. Catelgrima uxor ipsius testis accessit ad eum, & dixit ei, quod si vellet, ipsa signaret latus ipsius patientis cum capillis Fratris Laurentii, quos ad petitionem ipsius mulieris frater Amatus miserat ai, sicut ipsa mulier asserebat, cui mulieri D. Gratianus respondit; Timeo, cum sim homo peccator, cum capillis tanti viri tangi; tandem acquiescens dictn mulieris, sustinuit, quod mulier imponeret sibi manum, quæ accedens propius tetigit latus patientis cum capillis dicti fratris, & facto signaculo sanctæ Crucis, dicente eadem muliere orationem Dominicam, in ipsa hora idem testis invocavit nomen Domini, & fratria Laurentii fiducialiter, & post paululum dormivit, qui evigilans misericordia Dei, & meritis fratria Laurentii sanus factus est. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit mense Octobris proximo præterito, sicut credit, & erat Papa D. Innocentius, qui nunc est.

D. Catelgrima uxor D. Gratiani juravit super miraculis fratria Laurentii; & interrogata dixit, quod cum ipsa testis videret virum suum D. Gratianum dolore lateris graviter laborantem, cui mulia medicamina, quæ fecerat, non profuerant, dixit eadem testis viro suo: Domine, si vis ego ponam de capillis, qui fuerunt fratris Laurentii, & Deo dante sanaberis, qui dixit: Cum sim homo peccator, timeo facere, quod dicis: tamen victus instantia mulieris, & dolore nihilo minus vehementi, sustinuit humiliter, quod capillis prædictis locus doloris tangeretur; dicta vero mulier invocavit Christi nomen; & facto signo Crucia super locum doloris cum oratione Dominica, vir ejus post paululum obdormivit, quo evigilante, Dei misericordia, & meritis fratria Laurentis, quem ille vir, & mulier fiducialiter invocaverant, ad plenum factum est sanus ipse miles. Interrogata quomodo scit illos fuisse capillos fratria Laurentii, cum quibus tetigit locum doloris viri sui: respondit, quia eidem miserat per fratrem Amatum propter devotionem fratris Laurentii, dum adhuc viveret, quod ipse frater causa devotionis mitteret eidem testi de capillis, seu pannis, qui frater misit ei de capillis suis, sicut ipsa firmiter credit. Interrogata quo tempore factus est sanus vir ejus a dolore lateris, dixit, quod fuit post mortem fratris Laurentii: de mense, & die non recordatur.

Joannes filius D. Gratiani juravit, & interrogatus super miraculis fratris Laurentii, dixit ipse testis, quod cum D. Gratianus Pater ejus dolore lateris graviter laboraret, vidit, quando Catelgrima mater sua tetigit latus Patris sui cum capillis fratris Laurentii, ut ipsa credit; & nomine Domini invocato, facto signo Crucis cum dictis capillis cum oratione Dominica, meritis fratris Laurentii, quem invocaverat pater suus prædictus, sanus factus est. Interrogatus de tempore, dixit, quod fuit post mortem fratris Laurentii: de mense, & dia non recordatur: de Papa dixit, quod erat D. Innocentius, qui nunc est. Interrogatus, qui interfuerint curationi D. Gratiani, dixit, quod ipse testis, mater sua, & Teodora soror sua.

Bona filia de Sublaco juravit, & interrogata super miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum ipsa testis apostema intus in ore haberet, quo graviter adeo affligebatur, quod vix loqui poterat, & salivam deglutire, accepto de ligno tabulæ, in qua jacuerat aliquando frater Laurentius, sicut ipsa credit, illud cum lingua sua in hora vespertina vix tetigit, & sic confisa de misericordia Dei, & meritis fratris Laurentii, quem fiducialiter invocavit pro salute sua, nocte sequenti dictum apostema fractum est, & sic ipsa testis ab ipsa infirmitate, qua tenebatur, continuo sanata fuit. Interrogata qui fuerint conscii infirmitatis, & sanitatis ipsius, dixit, quod Dilista cognata sua, & Nicolaus Nepos ipsius, & alii plures. Interrogata de tempore, dixit, quod fuit in capite jejuniorum hujus anni post mortem fratris Laurentii.

Diliata juravit, & interrogata super miraculis fratris Laurentii dixit, quod vidit quando Bona filia cognata sua posuit in ore suo de ligno, quod dicebatur esse de Tabula, in qua jacuerat aliquando frater Laurentius, & apostema post paululum, quod illa Bona filia habebat in ore, per misericordiam Jesu Christi, & merita fratris Laurentii fractum est, sicut audivit ab illa, quæ patiebatur, clamante de nocte; & sic ipsa testia de mane consurgens vidit ipsam sanatam. Interrogata de tempore, dixit, quod fuit prima hebdomada jejuniorum hujus anni post mortem fratris Laurentii.

Benedictus Archipresbyter Sublacensis juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis cum multitudine copiosa in festo S. Marci in Litania majori iret processionaliter ad specum Beatissimi Benedicti, completa processione, ipse testis, & cum eo aliqui clerici & seculares causa devotionis accesserunt ad fratrem Laurentium circiter triginta, qui post colloquium habitum cum prædicto fratre, licentia petita ab eodem, volebant ad propria reverti, qui frater Laurentius magnis precibus institit apud eos, quod pabulum charitatis acciperent omnes Clerici, & seculares, qui venerant fatigati; qui annuentes voto, & precibus fratris nominati, discubuerunt, quibus discumbentibus appositi sunt tres panes parvi, quorum quilibet vix sufficeret uni homini, in clibano cocti, & unus succineritius parvus, quos quidam Presbyter nomine Nicolaus Joannia S. Petri ad mandatum dicti Archipresbyteri cæpit frangere, & inter discumbentes dividere, & inter manus frangentis Divina largitate ita prædicti panes creverunt intantum, quod cum una pastutia de semine canapis facta, satia parva, universi, & singuli abundanter sunt refecti, & fragmenta, quæ superaverunt ipsis discumbentibus, pastoribus supervenientibus erogarunt. Item dixit, quod de uno flascone vini, qui forsitan uni sufficeret competenter, tam ipse testis, quam alii discumbentes biberunt abundanter. Dixit idem testis, quod cum ipse cum aliia discumbentibus comederet, frater Laurentius ad fenestram specus suæ comedentes, & bibentes respiciebat, manibus junctis orabat, & rogavit eos, qui discubuerunt, dicens: Nolite quæso sumere hodie alium cibum, quia cibum Domini suscepistis. Sumpto itaque potu, & cibo cum gratiarum actione, omnes, qui discubuerant, viso tanto miraculo, alta voce Te Deum laudamus cantaverunt, & læti ad propria sunt reversi. Item addidit ipse testis, quod adeo refectus fuit cibo, & potu illius diei, quod cœna non indiguit, nec cœnavit. Interrogatus de tempore, dixit, quod bene sunt XXVI. vel XXVII. anni. Item addidit ipse testis, quod cum ipse esset apud Morram de Botte post mortem fratris Laurentii, & interesset funeri ejus, posuit ipsa testis manum super Corpus ipsius fratris defuncti, & duxit eam super carnem propriam suam a nudo, quæ vesicis plena erat, a quibus vesicis sanguis exibat, & continuo caro ipsius testis sanata est. Interrogatus, qui fuerunt præsentes miraculo panum, & vini supradicto, dixit, quod Boneinsigna, qui nunc est Prior Sancti Joannis de Sublaco, & Nicolaus supradictus, qui fregit panem, & plures alii.

Boneinsigna Sacerdos Prior S. Joannis de Sublaco juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis iret processionaliter in festo S. Marci in Litania majori cum Clero, & populo Sublacensi ad specum Beatissimi Benedicti, completa processione, Benedictus Archipresbyter Sublacensis dixit eidem testi, & quibusdam aliis Clericis Sublacensibus: Eamus, si placet, ad Morram de Botte, & fratrem Laurentium visitemus; qui cum venissent ad locum nominatum, ubi erat frater Laurentius, post habitum colloquium cum eodem, tam dictus Archipresbyter, quam ipse testis, petita licentia a fratre Laurentio, volebant recedere cum Clericis, & aliis hominibus, qui omnes erant numero triginta; sed fratre Laurentio magnis precibus instante apud eos, quod ibidem pabulum sumerent charitatis, cum omnes & singuli longo itinere essent fatigati, precibus prædicti fratris humiliter annuentes discubuerunt omnes, quibus discumbentibus tres panes in clibano cocti parvuli, quorum quilibet vix uni homini sufficeret ad edendum, & unus succineritius parvulus, cum pastutia de semine canapis facta, sunt appositi, & dum frangerentur prædicti panes, & pastutia, inter manus frangentium ita creverunt, quod larga manu Divina faciente omnes discumbentes habuerunt abundanter: fragmenta vero, quæ superaverunt his, qui discubuerant, per manus fratris Amati pastoribus supervenientibus erogata fuere. Item dixit, quod de uno flascone vini, qui vix uni sufficeret ad bibendum, biberunt omnes abundanter. Addidit etiam ipse testis, quod dum ipse comederet, & biberet, cum aliis Sublacensibus in loco nominato; frater Laurentius appodiatus ad fenestram manibus junctis orabat, & oculi ejus

erant ante discumbentes. Sumpto itaque cibo, & potu, omnes, qui discubuerant, læti surrexerunt, & rogati a prædicto fratre Te Deum laudamus alta voce cantaverunt. Dictus frater rogavit eos, qui jam discubuerant, dicens: Nolite quæso amplius hodie sumere cibum, quia cibum Domini accepistis; sic ipse testis eo die amplius non comedit. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis, Benedictus Archipresbyter Sublacensis, & alii plures. Interrogatus de tempore dixit, quod non recordatur.

Eodem mense die XXIII. Benedictus Prior, & Sacerdos S. Petri de Sublaco juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii; & interrogatus dixit, quod cum ipse testis in festo S. Marci in Litania majori iret cum Clero, & populo Sublacensi processionaliter ad specum Beatissimi Benedicti, finita processione, & officio, idem testis cum quibusdam Clericis, & Laicis Sublacensibus circiter triginta ad Morram Bottis causa visitandi Fratrem Laurentium personaliter accessit, quo viso, & salutato, & habito cum eodem colloquio, & licentia petita ad propria redeundi, idem frater magnis precibus institit apud eos, ut fatigati ex longo itinere ibidem pabulum sumerent charitatis, cujus precibus iidem annuentes omnes discubuerunt, quibus Vir Dei jussit apponi tres panes parvulos, quorum quilibet vix uni sufficeret, in clibano coctos, & unum succineritium parvulum, cum una pastutia parvula de semine canapis, quam cum prædicto succineritio pane mulier Lucia portavit ad dictum fratrem. Dum itaque frangerentur panes, & pastutia, quos frater Laurentius jussit apponi per fratrem Amatum, inter manus frangentium ita fluentes panes creverunt, quod larga manu Divina faciente omnes discumbentes abundanter habuerunt; fragmenta vero, quæ superaverunt, pastoribus supervenientibus erogarunt. Addidit etiam ipse testis, quod de uno Flascone parvulo vini, qui vix uni sufficeret, omnes refecti sunt abundanter, & dum prædicti comederent, & biberent, oculi fratris Laurentii stantis ad fenestram speluncæ, & orantis junctis manibus erant intendentes ad eos. Interrogatus si vidit prædictam Luciam portantem panem succineritium cum pastutia ad dictum fratrem, qui postea fuit appositus cum pastutia discumbentibus, dixit, quod vidit, quia iverat cum eis ad dictum fratrem. Sumpta vero comestione ipse testis cum aliis sociis suis, viso tanto miraculo, Te Deum laudamus cantaverunt; & sic gaudentes, & læti ad propria sunt reversi. Sed cum adhuc essent ibidem, sicut dixit idem testis, ipse frater monuit illos, qui manducaverant apud eum, quod illa die a cibo abstinerent, qui testis dixit, quod illa die abstinuit, & cœna non indiguit. Interrogatus de tempore dixit, quod non recordatur, de Papa dixit, quod tempore D. Honorii fuit. Interrogatus de præsentibus, dixit, quod interfuit Benedictus Archipresbyter Sublacensis, & Boneinsigna Prior S. Joannis, & ipse testis, & plures alii.

Eodem mense die 23. Bellevedere mulier de Sublaco juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis fistulam pateretur per triennium continuo in coxa, & multa medicamina apposuisset, nec profuissent eidem, tandem cum maxima difficultate, de misericordia Dei confisa, accessit ad sepulchrum fratris Laurentii, ubi acceptis de capillis, qui fuerant prædicti fratris, per manum fratris Amati, apposuit super infirmitatem suam, & ipsa mulier continuo liberata est. Interrogata qui fuerunt præsentes, dixit, quod Pater, & Mater sua, Guielminus, & Marotta. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii. Item addidit ipsa testis, quod cum dictus Guielminus Pater suus dolorem pateretur in collo, adeo quod caput in partem alteram non posset flectere, ipse Pater, & eadem testis accesserunt ad sepulcrum fratris Laurentii, ante quam clauderetur & vidit eumdem Patrem suum patientem introeuntem in locum sepulchri dicti fratris, & inde vidit eumdem sanum exire.

Guielminus de Sublaco juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum filia sua Bellevedere pateretur per triennium continuo fistulam in coxa, & multa ei medicamina adhibuisset, nec profuissent eidem, licet multa expenderit in eisdem, tandem vovit eam Deo, & Fratri Laurentio, quæ cum bis ivisset ad locum ipsius fratris, dum viveret, tertio idem Pater cum uxore sua, & eadem filia post mortem ipsius fratris, antequam sepeliretur, accessit ad eumdem locum, ubi frater mortuus jacebat; & acceptis de capillis, qui fuerant fratris Laurentii, dicta filia sua fecit cum ipso Patre vidente signum Sanctæ Crucis super infirmitatem prædictam, & continuo per Dei gratiam, & merita fratris Laurentii cœpit convalescere, & sanata est. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii. Item addidit ipse testis, quod cum dolorem magnum pateretur in collo per annum, & amplius, adeo quod caput in partem alteram flectere non posset, tandem accessit ad sepulcrhum fratris Laurentii, ante quam clauderetur, cum uxore sua, & filia antedicta, & acceptam humiliter, & cum magna fiducia manum ipsius fratris defuncti duxit, & posuit super collum suum in loco doloris, & continuo per Dei gratiam, & merita prædicti fratris plene restitutus est sanitati.

Nicolaus de Signore juravit, & interrogatus super miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum filia sua Jacoba quatuor magnas scrufulas haberet in gula, & eadem filia tantum dolorem pateretur, quod aliquando per biduum, vel triduum manducare non posset, accessit eadem puella ad sepulcrum fratris Laurentii, ubi facto signaculo Sanctæ Crucis, sicut ipsa puella dicebat, per fratrem Amatum, misericordia Dei interveniente, meritis fratris Laurentii est reddita sanitati. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis vidit ipsam Jacobam in loco dicto, scilicet apud Morram de Botte, prius infirmam, postea sanam, cum qua etiam venerat Bonagura filia sua, quam ipse testis vidit ibidem. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii.

Bonagura juravit, & interrogata super miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum Jacoba soror sua quatuor magnas quasi scrufulas haberet in gula, a quibus magnus fœtor exibat, ex qua infirmitate ita gravata erat, quod vix poterat sumere cibum, accessit cum patiente ipsa testis ad locum fratris Laurentii, ubi facto signaculo Sanctæ Crucis super ipsam patientem per fratrem Amatum, qui vovit dictam Jacobam Deo, & fratri Laurentio, invocato nomine Christi, & ipsius fratris, dicta Jacoba ex infirmitate, quam patiebatur, convaluit. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem dicti fratris.

Benedicta Odrisii juravit super miraculis fratris Laurentii, & dixit quod ipsa testis accessit cum Jacoba filia Nicolai de Signore, quæ gravem morbum in gula patiebatur, ad sepulcrum fratris Laurentii, ubi frater Amatus, invocato Christi nomine, & meritis fratris Laurentii, cui eam fiducialiter vovit, fecit signum Sanctæ Crucis super infirmitate prædictæ Jacobæ, quæ per Dei gratiam fuit reddita sanitati. Interrogata, qui fuerunt præsentes, dixit, quod ipsa testis, Bonagura soror puellæ, frater Amatus, & alii plures. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii.

Eodem mense die 23. Thomas de Morra juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum quadam nocte boves Patris sui custodiret tempore hyemali in crypta Morræ Polinæ posita in monte Rom. dormientibus duobus sociis suis, vidit tres mulieres stantes super ipsum, quarum altera dicebat ei: O Thoma surge, & propera velociter ad calcariam, quæ est facta ad Morram Bottis, de qua mihi domus debet ædificari, quia calx ipsius calcariæ perit: qui cum surrexisset, & iter agere cœpisset jam quasi per stadium eq. cœpit intra se dubitare præ nimio splendore, credens se a maligno spiritu esse illusum, & ad socios suos adhuc dormientes reversus est, & cum sederet nimio timore turbatus, audivit iterum vocem illarum mulierum quasi animo irato dicentium sibi: Quare reversus es? jam nos eramus tecum in via, quare dubitasti? & sic surgens cœpit ire, & cum ivisset quasi per duo stadia eq. dubitans præ timore nimio ad cryptam reversus est, cui tertio una de supradictis mulieribus dixit: Vade indubitanter, sequemur enim te; & quia primo, & secundo non obedisti mandatis meis discalceate, & perge discalceatus, & accipe pœnitentiam de fornicatione, quam commisisti, & obedias omnibus mandatis fratris Laurentii, & præcipias ei, ut construat ibi Ecclesiam nomine meo, ita quod unus fons ab una porta, & alter ab alia oriatur, cujus Ecclesiæ latitudo fiat ad modum Sancti Joannis de Arcu; qui cum vellet suos socios excitare a somno, & minime posset, cœpit ire per loca deserta, invia, & spinosa, frangens nivem usque fere ad genua discalceatus, ut receperat in mandatis. Divina interim favente gratia, sine læsione aliqua ad calcariam de nocte perveniens, licet sibi dies elapsus præ nimio splendore videretur, cum invenisset

calcem

calcem dictæ calcariæ liquefactam, & diffluentem quasi per duos passus, cæpit undique maceriam magnis lapidibus ædificare, & tam magnum lapidem Divina gratia apponebat, qui vix alias per tres homines posset apponi constructa maceria, frater Amatus in aurora veniens ad eum, credens ipsum esse spiritum, signavit se signo Sanctæ Crucis, cui Thomas dixit: cur te signas? Christianus sum, sicut & tu; & sic ambo perrexerunt ante cryptam in qua frater Laurentius manebat; Frater vero Laurentius vocavit fratrem Amatum, ut introduceret ad eum Thomam prædictum, quem adhuc non viderat, nec audierat, cumque Thomas intrasset cryptam, frater Laurentius osculatus est eum dicens ei: Multas passiones hac nocte passus es, cui Thomas dixit: Ut dictis meis firmiter credas, tres mulieres, quæ in hac nocte visibiliter mihi apparuerunt, dederunt mihi hoc signum, dicentes: Tribus diebus panem non comedisti, sed tantum herbam, quæ dicitur Petrasimula, sumpsisti pro cibo, & pro nimia siccitate, quia non biberas per triduum, herbam palatoriam evulsisti de petra, de qua etiam aqua emanavit, de qua bibisti, & nunc largissime emanat in eodem loco, & omnia, quæ ei acciderant eadem nocte, per ordinem enarravit. Dixit etiam, quod eo tempore, quo Ecclesia ibi ædificari debebat, orta est inconvenientia inter Magistros, & eos, qui ibi convenerant ad Ecclesiam construendam. Frater Laurentius vocavit ad se prædictum Thomam, & posuit lapidem in manibus suis, dicens: Pone lapidem istum in Ecclesiæ ædificio, sicut tibi per mulierem mandatum fuit; qui accepto lapide processit ad locum aspere multum, volens considerare, in quo loco deberet ponere lapidem; & continuo lapis de manibus ejus elapsus est, & collocatus; super quem Ecclesiam construere cæperunt. Interrogatus de tempore, dixit, quod sunt XVI. anni & plus. Item addidit ipse testis, *quod vidit loricam in dorso fratris Laurentii sub tunica*, quia magnam familiaritatem habebat cum ipso. Item dixit, quod mortuo ipso fratre, ipse testis *vidit in fronte fratris Laurentii quoddam signum rotundum rubeum, seu sanguineum, super quo Fratrem Amatum interrogavit, quodnam hoc esset; & is dixit; Jam nolo tenere occultum id, quod adhuc nemini dixi, Frater inquit, Laurentius, dum viveret quolibet anno mihi præcipiebat in festo Parasceves, quod ferrum candens imprimeretur fronti suæ, quod cum ipso frater Amatus facere recusaret, idem frater Laurentius arripiens ferrum candens propriis manibus suæ fronti imprimebat*: unde dicebat dictus frater Amatus, quod credebat ipse, quod id, quod occultum fuit hominibus in vita, post mortem ipsius viri Dominus hominibus revelaret. Interrogatus qui fuerunt præsentes, qui signum prædictum viderunt, dixit, quod Frater Joannes de Celano Monachus Sublacensis, & Frater G. & frater B. Item dixit, quod cum ipse gravissimum dolorem pateretur in corpore suo, mandavit uxori suæ Mariæ, ut pannum, qui fuerat fratris Laurentii, quem ipse testis acceperat a fratre B. suspenderet super lectum ipsius patientis; quod cum fecisset mulier, idem infirmus levans oculos suos ad pannum appensum, recommendavit se Deo, & fratri Laurentio, & sic ab infirmitate, qua tenebatur, est dimissus, & hoc fuit hoc anno post mortem ipsius Fratris in prima hebdomada jejuniorum de mense Februarii, & dixit, quod hoc bene novit uxor sua.

Maria uxor Thomæ de Morra juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipsa febre continua laboraret, ad gustum pomi, quod Frater Laurentius eidem miserat per virum suum, & potum aquæ fontis Morre de Botte, quam vir ipsius testis deportaverat, ab infirmitate, qua tenebatur gratia Dei, & meritis fratris Laurentii est dimissa. Item addidit, quod vir ejus ad aspectum panni, qui fuit fratris Laurentii, quem ipsa testis ad jussum viri sui super lecto suspendit, misericordia Dei, & meritis fratris Laurentii ab infirmitate doloris corporis, qua tenebatur, extitit liberatus. Interrogata quis scivit hoc, dixit, quod vir suus. Interrogata de tempore sanitatis viri, dixit, quod fuit in prima hebdomada jejuniorum hujus anni.

Agnes uxor Boamundi juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum esset paralytica, ita quod spumam per os evomeret, & aliquando notitiam amitteret, postquam se vovit Deo, & fratri Laurentio, misericordia Dei, & fratris Laurentii meritis a dicta infirmitate sanata est; quod cum per virum suum nuntiantum esset fratri Laurentio, dixit ei idem frater, quod singulis annis in Purificatione Beatæ Virginis tres pasceret pauperes, & tria luminaria candelarum ad Ecclesiam B. Virginis deportaret. Interrogata qui scirent hoc, dixit, quod vir ejus. Interrogata de tempore, dixit, quod jam sunt quinque anni tempore D. Gregorii Papæ.

Boamundus vir dictæ Agnetis juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum uxor sua Agnes paralysis esset infirmitate percossa, ita quod per os spumam emitteret, & memoriam perdidisset ad tempus, post paululum suasit viro, ut iret ad fratrem Laurentium, quia intercederet ad Deum pro ipsa; qui cum ivisset, & infirmitatem uxoris suæ prædicto fratri nuntiasset, idem frater dixit ipsi testi, ut per singulos annos in festo Purificationis Beatæ Virginis tres reficeret pauperes, & tria luminaria ad ejus Ecclesiam deportaret; & confidebat de Dei misericordia idem frater, quod uxor dicti testis a dicto morbo de cetero non percuteretur; & secundum verbum ipsius fratris mulier est ab ipsa infirmitate dimissa. Interrogatus de præsentibus dixit, quod ipse, & uxor: de tempore dixit, quod jam sunt quinque anni, & erat tempore D. Gregorii Papæ.

Eodem mense die 24. Sinibaldus de Sublaco juravit supra vita, miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Matthæus filius ejus adhuc puerulus jaceret de nocte in cunis, alte ad staturam unius hominis in terram cecidit adeo graviter, quod officium dextri lateris amisit, ita quod pes fere natibus adhærebat, & manus contracta fuit; qui testis multa medicamina eidem puero adhibuit, sed nihil profuit eidem puero. Demum dictus testis cum uxore sua prædictum puerum ad fratrem Laurentium apportavit, qui frater Laurentius, ipso teste vidente, infirmam manum pueri contractam contrectans, signum Crucis super puerum fecit, & misit eum per fratrem Petrum discipulum suum pannis Altaris involvi, quo facto, ipso teste vidente puer incontinenti plene per misericordiam Dei restitutus est sanitati; præcepit inde dicto testi, quod singulis annis in festo Purificationis B. Virginis sex pauperes pasceret, & tria luminaria candelarum ad Ecclesiam B. Virginis deportaret. Interrogatus qui scirent hæc, dixit quod frater Petrus, & frater Amatus discipuli dicti fratris, & uxor sua, quæ puerum infirmum detulerat sanum recepto nomine Juliana. Interrogatus de tempore, dixit, quod jam sunt fere octo anni, & erat tunc PP. D. Gregorius.

Eodem mense die 24. Juliana uxor Sinibaldi juravit super miraculis & vita Fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis haberet filium nomine Matthæum adhuc puerum in cunis positum, idem puerulus de nocte cecidit de cunis ex alto ad staturam unius hominis ad terram; qui puerulus adeo ex casu graviter est collisus, quod dextri lateris officium amisit; manus enim pueri penitus contracta erat, & pes ejusdem fere natibus adhærebat; cui puerulo cum parentes multa medicamina adhiberent, nullum tamen eorum profuit eidem; tandem portatus est idem puer a parentibus ad fratrem Laurentium, quem puerum Pater suscepit in ulnas suas, & fratri Laurentio ad locum, in quo jacebat idem frater, præsentavit; quem puerum signavit idem frater signaculo Sanctæ Crucis, & manum pueri contrectavit, sicut dixit ei vir suus, & frater Petrus discipulus ipsius fratris ad præceptum ipsius involvit eum in panno Altaris, ut dicebatur; quem puerum ab Ecclesia extractum mox sanum recepit ipsa mater. Interrogata de præsentibus dixit, quod frater Amatus, frater Petrus, & vir ipsius testis, & dixit ipsa testis, quod multi Sublacenses viderunt manum, & pedem contractum, & postea viderunt sanum. Interrogata de tempore dixit, quod bene sunt sex anni.

Berardus Joannis de Benedicto vicinus Sinibaldi prædicti juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod ipse testis vidit pedem, & manum Matthæi pueruli filii dicti Sinibaldi contractos; quem postea sanum vidit per misericordiam Dei, & merita fratris Laurentii, ad quem Pater suus deportavit, sicut dixit ipse Pater pueri eidem testi. Item addidit ipse Berardus, & suo sacramento dixit, quod Joannes filius ipsius testis ita erat contractus manibus, & pedibus, & brachiis quod nullo modo se poterat exercere ad opus aliquod faciendum. Ductus est idem Joannes a Patre ad fratrem Laurentium; & arrepto itinere eundi ad fratrem Laurentium, statim cæpit idem Joannes meliorare; qui Joannes per fratrem Bartholum familiarem prædicti fratris in Ecclesiam, mandante fratre Laurentio, est portatus, & invocato ibi nomine Trinitatis, prædictus Joannes continuo restitutus est pristinæ sanitati. Interrogatus qui fuerunt præsentes, dixit, quod ipse te-

stis,

stis, & Joannes filius ejus, qui sanus factus est, & frater Bartholus. Interrogatus de tempore dixit, quod jam est annus elapsus, Apostolica Sede vacante.

Joannes filius Berardi dicti Joannis de Benedicto juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis adeo manibus, & pedibus contractus esset, quod se nullo modo juvare posset, nec aliquod opus exercere, & etiam in collo graviter pateretur, Berardus Pater ejusdem testis vovit ipsum contractum Deo, & fratri Laurentio, qui infirmus statim post votum emissum se melius habere cæpit, ita quod per se sine adjutorio humano, adjutore Deo, ad locum fratris Laurentii accessit, ubi frater Bartholus discipulus ejusdem fratris, accepto libro de mandato fratris Laurentii, secundum quod ipse discipulus dicebat, invocata Dominica pietate, oravit super caput infirmi, & gratia Dei, & meritis fratris Laurentii continuo manus, & brachia, & omnia membra sua infirma pristinæ sunt reddita sanitati, cui sanato frater Laurentius, sicut dicebatur, cibum dari jussit, qui confortatus lætus ad propria remeavit. Interrogatus qui erant præsentes, dixit, quod ipse testis, Berardus Pater ipsius, frater Bartholus, & frater Amatus, & Joanne de Afida. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit in præterita proxima Quadragesima.

Magister Joannes Celanensis Canonicus, & Clericus S. Mariæ Sublacensis juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod ipse testis vidit Joannem filium Petri de Celano habentem ulcera per juncturas, & inguina, & alias partes corporis, quæ ulcera, ut dicebatur, erant gutta salsa a quibusdam vocata, ab aliis phlegma salsum, ab aliis vero lepra; qui puer ulceribus plenus graviter afflictus ductus est a Matre ad locum fratris Laurentii, ut audivit; qui puer intravit in specum, ubi jacebat corpus prædicti fratris, & nudus volutavit se supra sepulcrum ipsius, & sic per Dei gratiam, & merita fratris Laurentii reversus est sanus, & ipse testis vidit eum sanum. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii.

Genua uxor Petri de Celano juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quoad Joannes filius ejus erat ulceribus plenus, & ex ulceribus sanies, & putredo ad terram defluebat, & credebatur ab ipsa muliere, & quibusdam aliis, quod puer esset omnino leprosus, ita quod si aliquando dicta Mater filium ulcerosum lavaret, non permittebat eadem, quod alter ejus filius in ipsa aqua lavaret pedes suos; dictus puer præ nimio dolore non poterat pati vestes; imo tempore nivis & frigoris dorso suo propria vestimenta repellens nudus sedebat; & si aliquando resumeret vestes, eædem vestes sanie, & quasi quibusdam crustulis carneis a corpore ulcerosi defluentibus infectæ implebantur, cui ipsa mulier multa medicamina apposuit, sed nullum dicto ulceroso profuit: tandem dictum filium eadem mulier ad locum fratris Laurentii portavit confisa misericordia Dei, quod filio suo sanitatem impetraret; qui puer mane, rogante mater, per fratrem Amatum fratri Laurentio extitit præsentatus; & imposita manu puero per fratrem Laurentium, sicut dictum est eidem testi per fratrem Amatum, sanies cessare cæpit a corpore pueri infirmi, quem mater læta recepit; cui mulieri frater Laurentius per fratrem Amatum mandavit, quod de cetero eidem puero nullum impenderet medicamentum, sed committeret illum Deo, & B. Virgini; quæ male attendens mandatum sibi factum, ad suggestionem cujusdam cæpit medicamina quærere, & imponere nato suo, qui puer recidivam passus est passus pejora prioribus: mortuo vero fratre Laurentio, dictus puer cum Matre ad locum dictum ductus accessit; qui puer per manus Armanni, ipsa teste vidente, ad corpus fratris Laurentii defuncti submissus est, & per puerum nudatum manus ipsius defuncti a circumstantibus est deducta, & sic sanies a corpore ejusdem pueri per misericordiam Dei, fide Matris operante, meritis fratris Laurentii omnino cessavit, & puer est redditus sanitati.

D. Ugolinus juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Thrasymundus Civis Tiburtinus haberet filium quemdam, qui præ infirmitate nimia clamabat, & die noctuque stridebat, ita quod convicini ejus vix poterant præ clamoribus nimiis requiescere: habito super hoc cum quodam Medico Alatrino nomine G. consilio, hic secundum artem suam judicavit puerum vermem habere in ventre; & volebat proinde pueri ventrem aperire, ut vermis exiret, quod Parentes ejusdem pueri nullatenus fieri concedebant; ipse vero puer clamabat fortiter, & dicebat: Apportate me ad Fratrem Laurentium, qui cum ad eum ductus fuisset, antequam perveniret ad locum, cæpit se melius habere, & cum deveniret ante præsentiam dicti fratris, dicto fratre Laurentio super puero diutius orante, & præcipiente Patri ipsius pueri, ut annuatim in festo Virginis Mariæ sex pauperes, & in festo S. Andreæ totidem reficere procuraret, quod ipse facere promisit liberaliter, & devote, de mandato dicti fratris puero cibo refecto, ad propria remearunt; qui puer intra paucos dies restitutus est pristinæ sanitati; & addidit, quod videbatur sibi Dæmoniacus, cum Deum, & Sanctos suos, & homines blasphemaret.

Presbyter Laurentius S. Petri Sublacensis juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Franciscus nepos consobrinus ipsius testis adeo gravem infirmitatem pateretur, quod die noctuque clamans Deum, & Sanctos ejus, & homines blasphemaret, & propter hoc idem testis, & alii plures Dæmoniacum crederent eumdem, confisus de misericordia Dei, & meritis fratris Laurentii idem testis cum aliis eumdem infirmum ad præsentiam ejusdem fratris deportavit, cui puero imposita manu, frater Laurentius signum Crucis super eum edidit, & oravit, & sic puerum reddidit sanitati, mandans patri suo Thrasymundo Civi Tiburtino, scilicet Patri pueri, quod annuatim pro salute filii sui in festo Purificationis B. Virginis XII. pasceret pauperes, & totidem in festo S. Andreæ, & tria luminaria candelarum ad Ecclesiam S. Mariæ, & totidem ad Ecclesiam S. Andreæ deportaret. Interrogatus qui fuerunt præsentes, dixit, quod D. Ugolinus miles Sublacensis, Thrasymundus Pater pueri sanati, & Magister Joannes de Theobaldo, & ipse testis. Interrogatus de tempore dixit, quod jam est annus, & amplius, Apostolica Sede vacante.

Joannes de Theobaldo de Sublaco juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Franciscus nepos carnalis ipsius filius Thrasymundi Civis Tiburtini gravem infirmitatem pateretur, & fere die noctuque clamaret, & aliquando Matri propriæ malediceret, & contra Deum etiam murmuraret, ita quod a multis Dæmoniacus putaretur, ipse testis cum aliis confisus de misericordia Jesu Christi, & meritis Fratris Laurentii, ad eumdem fratrem prædictum puerum deduxit, cui frater Laurentius manum imposuit, & signaculo Crucis edito super ipso, idem frater oravit, & sic puer, qui infirmus fuerat, est redditus sanitati. Item addidit, quod Pater Francisci pueri sanati promisit fratri Laurentio, quod annuatim in festo S. Mariæ pasceret duodecim pauperes, & faceret luminaria Ecclesiæ S. Mariæ. Interrogatus de præsentibus dixit, quod fuit Pater pueri sanati, Dominus Ugolinus miles Sublacensis, Presbyter Laurentius consobrinus ipsius testis, & ipse testis. Interrogatus de tempore dixit, quod jam est annus, & amplius, Apostolica Sede vacante.

Eodem mense die 24. Joannes de Vivaro juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis iret ad Morram de Botte gratia fratres, & Laurentium visitandi, dum iret, invenit quemdam virum Sublacensem Alexandrucium nomine ad portellam, qua venitur a sa.... mano supra specum B. Benedicti tristem ultra modum, clamantem, quia equus oneratus, quem idem ducebat ad fratrem Laurentium, dilapsus a via cum onere fuerat; & ductor equi valde stupens, & quasi immemor sui factus credebat, quod omnia perdita essent, quæ equus portaverat; qui equus per XXV. passus, & dimidium per devexa montis, sicut idem testis mensuravit cum Gregorio Clerico S. Petri, circumvolvendo se cum onere suo prolapsus sine barda, & omni onere idem equus stabat erectus; portaverat enim idem equus utrem olei, qui a sacco elapsus, sacco in arbore diu pendente, non est læsus: vasa testea plena pura farina non sunt læsa; nec diminuta farina, seu sparsa; uva passa non est passa læsuram; nec minum in vasis testeis posita, tortiles autem, & pisces decocti quasi ex toto sine læsura integri remanserunt. Quæ omnia idem testis recollegit. Relicto itaque dicto Alexandrucio, idem testis ad fratrem Laurentium pervenit, quo teste moram aliquantulum trahente, ductor equi nominatus cum duobus tabellionibus Tiburtinis, sicut illi dicebant, cum equo, & onere suo pervenit. Interrogatus de tempore, dixit, quod non recordatur. Interrogatus qui fuerunt præsentes, dixit, quod ipse testis, & dictus Alexandrucius, & Gregorius Clericus S. Petri.

Gregorius Clericus S. Petri juravit, & interrogatus dixit, quod vidit quod quidam Stephanus Francutii

Civis

Civis Tiburtinus in quodam suo equo apportabat oleum in utre, quod quidam de Tiburi fratri Laurentio mittebant; cumque deveniret in quodam arido loco super specum S. Benedicti, equus cecidit, sicut dicebat ductor equi, in illa plaja valde lubrica, petrosa, arida, frutectis plena, & per viginti quinque passus & dimidium diligenter mensuratos, sicut idem testis vidit, quando mensurabant, qui ipse mensuravit cum Joanne de Vivario, ad modum pilæ se volutando lapsus est, & per Dei gratiam equus illæsus, uter cum oleo, & alia vasa fictilia, quæ super equum sedebant, illæsa, & sine dispersione rerum remanserunt. Interrogatus qui fuerunt præsentes ad hoc, dixit, quod Joannes de Vivaro, & Joannes Raineri de Tibure.

Eodem mense die 25. D. Joannes Canonicus Celanensis, & Clericus S. Mariæ Sublacensis juravit, & interrogatus dixit, quod cum Petrus puerulus nepos carnalis ipsius testis in testiculo graviter pateretur, qui testiculus valde crossus erat, ita quod idem puer ruptus ab hominibus putaretur, puer idem tandem portatus ad corpus fratris Laurentii, quod in specu adhuc jacebat insepultum, misericordia Dei, & meritis prædicti fratris idem puer, qui infirmus fuerat, de prædicta infirmitate convaluit. Interrogatus qui fuerunt præsentes, dixit, quod idem testis, puer, qui sanatus est, frater Joannes de Celano, & Frater Joannes de Ranulf, Monachi Sublacenses, Joannes Pectinarius, & alii plures. Interrogatus de Papa dixit, quod erat D. Innocentius, qui nunc est; de die dixit, quod fuit in crastino Assumptionis B. Virginis.

Dulcis Mater Petri pueri juravit, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis portaret filium suum Petrum in testiculo graviter patientem, qui ruptus ab hominibus dicebatur, ad locum fratris Laurentii, ubi corpus ejus adhuc jacebat inhumatum, ideus puer infirmus, ipsa teste vidente, per manus quorumdam intromissus est in specum: qui misericordia Dei, & meritis Fratris Laurentii, fide ipsius mulieris operante, de infirmitate, qua tenebatur, plene convaluit. Interrogata quis fuerint præsentes, dixit, quod dictus Magister Joannes Canonicus Celanensis, & dictus Joannes Pectinarius, & alii plures. Interrogata de tempore dixit, quod fuit de mense Augusti hujus anni, die dominico, & erat PP. D. Innocentius, qui nunc est.

Joannes Pectinarius juravit, & interrogatus dixit, quod cum Petrus filius Dulcis prædictæ, & nepos carnalis Magistri Joannis Canonici Celanensis in testiculo graviter pateretur, adeo quod ruptus a pluribus diceretur, tandem portatus est idem puer ad corpus fratris Laurentii, quod in specu adhuc jacebat insepultum, & ipso teste vidente intromissus est in specum; qui puer per misericordiam Dei, & merita fratris Laurentii de dicta infirmitate plene convaluit. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno in mense Augusti, & erat PP. D. Innocentius, qui nunc est.

Joannes de Plaja juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum filius Petrus nomine cecidisset, occasione cujus casus magnum dolorem incurrit; ita quod crus, in quo dolor nimius imminebat, in tantum abbreviatum est, quod vix ad medietatem alterius poterat pervenire; impositus ipse puer super asino, deportatus est ad fratrem Laurentium; & quia ipse frater Laurentius consueverat in Quadragesimali tempore assidue vacare silentio, cum eodem fratre colloquium habere non potuit, sed per fratrem Amatum familiarem suum fratri Laurentio extitit nunciatum, ut patienti misericorditer subveniret; qui cum de mandato ipsius fratris puerum in Ecclesiam duceret, facta oratione ab ipso fratre Laurentio, & ejus benedictione recepta, puer discessit; tertia vero die sequenti per Dei gratiam restitutus est pristinæ sanitati; & addidit, quod mandatum fuit ei per fratrem Amatum ex parte fratris Laurentii, quod tres reficeret pauperes. Interrogatus de tempore dixit, quod bene sunt decem anni, & erat PP. Gregorius.

Soria uxor Joannis de Plaja juravit, & interrogata de miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum filius ejus Petrus nomine cecidisset, & occasione ejusdem casus magnum dolorem incurreret; ita quod crus, in quo dolor imminebat, in tantum abbreviatum est, quod vix ad medium alterius cruris poterat pervenire: imposito ipso super asino, maritus ejusdem testis, sicut ipse retulit ei, duxit ipsum ad fratrem Laurentium, quo redeunte, per gratiam Dei, & merita fratris Laurentii, sicut ipsa firmiter credit, dictus filius ejus reversus est sanus. Interrogata de tempore dixit, quod jam sunt decem anni, & erat tempore D. Gregorii P. P.

Mabilia uxor Joannis de Amico juravit, & interrogata dixit, quod cum Petrus filius Joannis de Plaja cecidisset, cujus casus occasione crus ejus adeo est abbreviatum, quod vix ad medium alterius cruris poterat pervenire; portatus est ipse puer a Patre ipsius super asino ad fratrem Laurentium, sicut ipse Pater dicebat, & per Dei misericordiam, & merita fratris Laurentii, sicut ipsa firmiter credit, dictus puer infirmus est redditus sanitati: de tempore non recordatur.

Petrus filius Joannis de Plaja juravit, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis esset puer, & cecidisset, cujus casus occasione crus ejus dextrum adeo abbreviatum est, quod vix ad medium alterius cruris poterat pervenire; deportato ipso puero super asinum ad fratrem Laurentium, per fratrem Amatum denuntiatum extitit eidem; qui Amatus cum de mandato ipsius fratris puerum eumdem in Ecclesiam deportaret; facta oratione a dicto fratre Laurentio, sicut idem Amatus ei retulit, idem puer discessit melioratus, & post triduum pristinæ est redditus sanitati. De numero annorum non recordatur; dixit tamen, quod fuit in Quadragesima. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis, Pater suus, & frater Amatus.

Eodem mense, die 25. Melior de Sublaco juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipsa haberet filium trium annorum, & ipse filius ejus tanta infirmitate gravaretur per decem hebdomadas, quod pedes natibus adhærerent, & pedibus claudus omnino maneret; deportatus a Matre, & Sophia avia pueri prædicti ad locum, in quo frater Laurentius manebat, fratre Laurentio ipsum puerum in manibus recipiente, & diligenter tractante, ac pro eo Dominum suppliciter exorante, sicut frater Amatus eidem testi dixit, ejus precibus restitutus est pristinæ sanitati. Interrogata de præsentibus dixit, quod ipsa testis, & Sophia socrus sua tulerunt puerum ad locum fratris Laurentii, & frater Amatus præsentavit eum fratri Laurentio, sicut ipse dixit eidem testi. Interrogata de tempore dixit, quod jam sunt sex anni, & amplius; de Papa non recordatur.

Sophia socrus supradictæ Melioris juravit, & interrogata dixit, quod cum Melior nurus sua haberet filium trium annorum nomine Gualterium, & ipse Gualterius tanta infirmitate gravaretur per decem hebdomadas, quod pedes natibus adhærerent, & pedibus claudus omnino maneret, deportatus a Matre Gualterius, & ipsa teste ad locum, in quo frater Laurentius manebat, Fratre Laurentio ipsum puerum recipiente, ac pro eo Dominum suppliciter exorante, sicut frater Amatus eidem testi dixit, ejus precibus, ut firmiter credit, restitutus est pristinæ sanitati. Interrogata de tempore dixit, quod bene sunt septem anni. Interrogata de præsentibus dixit, quod ipsa testis, & Melior supradicta tulerunt puerum ad locum fratris Laurentii, & frater Amatus præsentavit ipsum fratri Laurentio, sicut eidem testi dixit.

Sophia uxor Nicolai de Giezia de Sublaco juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum haberet filium quinque hebdomadarum, & posuisset eum in lecto, alter filius ejusdem testis major impulsus a quadam puella cum capite suo percussit caput pueri parvuli jacentis in lecto adeo graviter, quod eidem matri videbatur extinctus, ita quod nec halitum aliquem perpenderet in eodem. Eadem testis, hoc viso, accepit eumdem puerum, quem extinctum reputabat, & projecit inter brachia Benedictæ convicinæ suæ, dicens eidem: Mulier videtur tibi mortuus filius meus? quæ respondens ait: Tace, tace, noli timere; & eadem testis tacta dolore intrinsecus, cum fide magna, extensis brachiis, directa facie & oculis ad locum ubi jacebat corpus fratris Laurentii noviter tunc defuncti, fortiter clamare cæpit cum lacrymis: Sancte Laurenti redde mihi filium meum, redde mihi filium meum; ad cujus clamorem puer, qui videbatur extinctus, statim cæpit flere, & mamillam sugere, licet lente: & continuo gratia Dei, & fide Matris, & meritis fratris Laurentii dictus puerulus est pristinæ redditus sanitati. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii, die Dominico mensis Augusti, & hora erat quasi nona; & de Papa dixit, quod erat D. Innocentius, qui nunc est. Interrogata qui fuerint præsentes, dixit, quod Benedicta suprascripta, & Maria filia Nicolai Pectionarii.

Benedicta Mulier Sublacensis juravit, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis vocata fuisset a Sophia suprascripta, & venisset ad domum ejusdem Sophiæ, invenit eamdem Sophiam tristem, plorantem, & dicentem ipsi testi:

Ecca

Ecce filius meus mortuus est: quæ testis suscepit puerum inter brachia de brachiis mulieris plangentis, & dixit ei: Noli timere, noli timere, dicens eidem plangenti: Quomodo est mortuus filius tuus? & illa: Leonardus, inquit, filius meus allisit caput suum ad caput Nicolai pueruli, quem tu vides, Benedicta nepte tua impellente eumdem. Misericordia itaque Domini puerulus dictus leniter cæpit resumere vires, & mamillam sugere, matre pueri clamante, levatis manibus, directa facie, ac oculis ad locum, ubi jacebat corpus fratris Laurentii novitee tunc defuncti: Sancte Laurenti redde mihi filium meum, redde mihi filium meum. Divina clementia, & meritis prædicti fratris Laurentii dictus puerulus plene recepit sanitatem, Interrogata de præsentibus, dixit, quod ipsa testis Sophia prædicta, & Maria Nicolai. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem frateis Laurentii, die Dominico mensis Augusti, erat autem hora nona.

Maria Nicolai juravit, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis esset in domo Sophiæ prædictæ, vidit, quando Leonardus impegit fortiter caput suum in caput Nicolai pueruli supranominati, Benedicta nepte prædictæ testis Benedictæ, ac sorore ejusdem testis impellente Leonardum eumdem; qui puerulus, sicut eidem testi visum fuit, extinctus apparebat, quia non erat ipsi puerulo color, nec halitus; quem puerum Mater ipsius pueri accepit in brachiis; & accedens ad ostium domus propriæ cæpit clamare cum lacrymis dicens: Sancte Laurenti redde mihi filium meum; & statim dixit ipsi testi ipsa Sophia; Curre, & voca Benedictam aviam tuam, quia mortuus est filius meus. Quæ Benedicta vocata per testem eamdem velociter venit, & accepit puerum in brachiis suis de brachiis Sophiæ plangentis, dicens eidem: Noli timere, quia Sanctus Laurentius reddet tibi filium tuum; quæ Sophia, elevatis manibus, oculis ac facie laniata directis ad locum, ubi jacebat corpus fratris Laurentii novitee defuncti, iterum cum lacrymis clamare cæpit; Sancte Laurenti redde mihi filium meum, redde mihi filium meum; & statim dictus puerulus, resumptis viribus, & lente sugens mamillam, pietate Dominica, meritis fratris Laurentii ad plenum est redditus sanitati. Interrogata de præsentibus dixit, quod ipsa testis, Benedicta avia sua, & Sophia mater dicti pueri. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem frateis Laurentii, die Dominico mensis Augusti in hora nona,

Eodem mense die 25. Oddo Philippi de Terea Bottis juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse pateretur in cruribus guttam salsam, accessit ad sepulchrum fratris Laurentii, orans humiliter, & petens per ipsius merita ab infirmitate sua Divina misericordia liberari, rogans etiam fratrem Joannem de Celano Monachum Sublacensem, quem ibidem invenit, ut cum pannis, qui fuerant fratris Laurentii, ejus infirma crura tangeret; quo facto per supradictum Joannem, dictus testis cæpit ab infirmitate sua meliorari; tandem ad consilium cujusdam dictus testis medicamenta humana apposuit infirmitati suæ, sed ex tunc pejora prioribus est perpessus. Demum culpam suam humiliter recognoscens vovit Deo, & fratri Laurentio, de cetero se non appositurum medicinam humanam, iterum invocans Deum, ut per merita fratris Laurentii sibi sanitatem restituere dignaretur; qui per Dei gratiam, & merita ipsius fratris, sicut ipse testis firmiter credit, ad plenum restitutus est sanitati. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii, & erat Papa D. Innocentius, qui nunc est. Interrogatus, qui scirent prædicta, dixit, quod dictus frater Joannes scit de tactu pannorum fratris Laurentii.

Frater Joannes de Celano Presbyter, & Monachus Sublacensis juravit, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis esset in specu, in qua jacebat corpus fratris Laurentii inhumatum, vidit Oddonem Philippi de Rocca Bottis intrantem in specum eamdem, in qua manebat idem testis, qui humiliter discooperiens crura ulcerosa, rogavit ipsum testem, ut duceret de pannis, qui fuerant fratris Laurentii, super crura ulcerosa; qui testis acquiescens precibus suis, circumduxit de pannis fratris Laurentii super ulcera patientis, qui infirmus misericordia Dei de infirmitate convaluit, & est redditus sanitati, sicut dixit idem testis, & apparet in oculis plurimorum.

Presbyter Benedictus Prior S. Petri juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Joannes filius Girardi Falcillæ in coxa graviter pateretur, ita quod per se moveri aliquatenus non valeret, impositum, & ligatum juvenem super asino, eumdem ipse testis cum Patre infirmi ad fratrem Laurentium deduxit; super cujus infirmitate signo Crucis edito ab ipso fratre, & pede infirmi supra pectus fratris Laurentii posito, ipso teste tenente puerum, & vidente, ac orante fratre eodem, juvenis misericordia Dei ex infirmitate coxæ convaluit. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis, Girardus Pater pueri, & puer, qui sanatus est. Interrogatus de tempore dixit, quod bene sunt tres anni, & erat PP. D. Gregorius, & fuit de mense Januarii.

Girardus dictus Falcilla juravit, & interrogatus dixit, quod cum Joannes filius suus in vigilia S. Nicolai staret ad officium, tantus dolor in femore ei subito incurrit, quod nec stare præ nimio dolore poterat, flebat etiam, & stridebat; & cum ipse Girardus quadam nocte dormiret, vidit per somnium quemdam pulcherrimum vetulum, & dicebat ei: O Girarde porta filium tuum Joannem ad fratrem Laurentium; & sic a somno excitatus est; & in sequenti die insimul cum D. Benedicto Presbytero S. Petri, posito puero super asino, cæpit arripere iter, & antequam deveniret ad locum, juvenis cæpit melius confortari. Cum autem devenisset ad dictum fratrem Laurentium, imposito femore dicti juvenis supra pectus ipsius fratris Laurentii, ipse frater in oratione diutius permansit, & facto super ipso femore signo sanctæ Crucis, prædictus Joannes illico a dicto dolore liberatus est; præcepit autem ipse frater dicto Girardo, ut annuatim faceret colendam in festo S. Mariæ, videlicet quod pasceret tres pauperes, & tria luminaria faceret. Interrogatus de tempore dixit, quod jam sunt tres anni, & erat P. P. D. Gregorius. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis, Presbyter Benedictus, & puer, qui sanatus est.

Anibaldus de Sublaco juravit, & interrogatus super miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum filia sua Bona esset paralytica, adeo quod spumam per os emitteret, accessit ad fratrem Laurentium, & rogavit ipsum pro filia sua, a quo consilium, & mandatum recepit, ut in festo Purificationis B. Virginis novem pauperibus cibum tribueret, & ad ejus honorem tria luminaria faceret; qui cum facere promisisset, ab ipso fratre benedictione recepta, continuo Bona ab ipsa infirmitate liberata est. Interrogatus de tempore dixit, quod bene sunt duo anni. Interrogstus qui fuerint ibi præsentes, dixit, quod ipse testis, & Nicolaus Pectinarius.

Eodem mense dia 26. Bona filia Anibaldi de Sublaco juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis esset paralytica, & octo vicibus, sicut ipsa bene recolit, ab eadem infirmitate male torqueretur, adeo quod spumam per os emitteret, vovit se Deo, & fratri Laurentio, & patre ipsius testis postmodum eunte ad fratrem Laurentium, & orante eumdem fratrem pro filia sua infirma, sicut eidem testi retulit ipse Pater, ex tunc per Dei misericordiam, & merita fratris Laurentii, sicut ipsa testis firmiter credit, penitus ab infirmitate, qua tenebatur, est dimissa, & pristinæ est reddita sanitati. Interrogata quanto tempore passa fuerit prædictam infirmitatem dixit, quod per duos annos. Interrogata quantum tempus est, quod convaluit? dixit, quod jam sunt duo anni, sicut credit. Interrogsta qui viderint ipsam testem prius infirmam prædicta infirmitate, & postea liberam ab eadem, respondit, quod multi, inter quos sunt Parentes sui, & Floritia avia sua, & Gemma amita sua.

Nicolaus Pectinarius juravit, & interrogatus dixit, quod cum Bona filia Anibaldi esset paralytica, & male torqueretur, sicut idem testis vidit, adeo quod spumam per os emitteret, Anibaldus Pater ejus infirmæ, & idem testis ad fratrem Laurentium insimul accesserunt, cui pater dictæ mulieris, ipso teste vidente, & audiente, dixit, quod Bona filia sua paralysim pateretur, a qua sæpe torquebatur, rogans eumdem fratrem, ut pro ipsa filia sua infirma ad Dominum intercederet, cui frater Laurentius: Vade, inquit, & fac votum Deo, & B. Virgini pro filia tua; & annuatim in festo Purificationis B. Mariæ pasces novem pauperes ad honorem ipsius Dominæ, & tria luminaria portabis ad Ecclesiam ejusdem, & sic spero, inquit idem frater, in Domino, quod filia tua, quæ infirma est, reddenda sit sanitati: quod cum Pater dictæ infirmæ promitteret fratri Laurentio se facturum, quod ipse præceperat eidem, prædicta mulier est reddita sanitati. Interrogatus qui fuerint ibi præsentes, dixit, quod ipse testis, & Anibaldus

Pater

Pater infirmæ. Interrogatus de tempore dixit, quod credit, quod sint tres anni.

Presbyter Joannes de Cammorata juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse haberet filium nomine Petrum paralyticum, & diu pro sanitate ipsius laborasset, nec consilio, vel adjutorio alterius prædictus filius ejus potuisset liberari, imposito puero in quodam asino, ad fratrem Laurentium ambo accesserunt; sed ante quam ad cryptam, in qua frater Laurentius permanebat, devenirent, dictus puer tanta virtute corroboratus est, quod sine adminiculo patris sui, quod ante facere non valebat, ad præsentiam fratris Laurentii devenit; qui cum dictum puerum palparet manibus, & preces pro eo funderet Jesu Christo, a dicta infirmitate continuo liberatus est. Interrogatus qui fuerint ibi præsentes dixit, quod ipse testis, filius suus infirmus, frater Amatus, & frater Bartholus. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno in mense Augusti, parum ante mortem fratris Laurentii.

Matthia de Afida juravit supee miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis mamillam dexteram valde tumidam haberet, adeo quod propter hoc pannos proprios circa mamillam eamdem scinderet, quia ipsam mamillam sic inflatam propter dolorem vehementem sub veste non poterat continere, accessit eadem testis cum D. Orlando viro suo, & Bona filia sua, & fratre Joanne de Barna Monacho Sublacensi ad fratrem Laurentium, eumdem fratrem pro sua infirmitate rogatura; cui cum eadem testis per se loqui non posset, idem frater misit, sicut ipsa credit, ad eamdem infirmam per fratrem Simonem de Ordine Minorum crucem, & circulum ferreum, quem circulum, ut dicebatur, idem frater portaverat in capite, cum quibus signo Crucis edito super mamilla patientis a fratre Simone nominato, mox ipsa mulier mamillæ suæ plenam per misericordiam Dei meruit recipere sanitatem. Interrogata de tempore dixit, quod non recordatur, & dixit, quod erat PP. D. Honorius.

Bona filia prædictæ D. Matthiæ juravit, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis sæpe vidisset mamillam dictæ Matris suæ tumidam, quod sub veste ipsa mater mamillam non posset continere, suasum est mulieri matri suæ in mamilla patienti, ut iret ad fratrem Laurentium pro mamillæ inflatura fratrem rogatura eumdem; quæ infirma cum accessisset cum ipsa teste, & D. Orlando Patre suo, & D. Joanne de Barna Monacho Sublacensi ad locum, ubi dictus frater habitabat, & adventum suum eidem fratri per Joannem de Barna prædictum nuntiaret, idem frater misit ad eamdem D. infirmam crucem, & circulum unum, quem idem frater portaverat, ut dicebatur, per fratrem Simonem, & Fratrem Petrum, quibus signata Domina per Dei gratiam est reddita sanitati. Interrogata de tempore dixit, quod non recordatur.

Theobaldus de Sublaco juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse haberet puerum in cunabulis tunc nomine Bartholum, modo Laurentium, habentem ulcus in scapula, quod vulgo dicitur fistula, licet multa medicamina eidem puero fuissent exhibita, non poterat alicujus auxilio liberari; unde apportavit eum una cum uxore sua Bona ad sepulturam fratris Laurentii, ejusque suffragio humiliter implorato, puer per Dei gratiam ab illo ulcere liberatus est. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii. Interrogatus de præsentibus, dixie, quod ipse, & uxor sua.

Eodem mense die 26. Bona uxor Theobaldi de Sublaco juravit, & interrogata dixit, quod cum ipsa haberet filium in cunabulis tunc nomine Bartholum, modo Laurentium, habentem ulcus, quod vulgo fistula dicitur, in scapula, licet multa medicamina eidem puero fuissent exhibita, cum non potuisset alicujus auxilio liberari, apportavit ipsa testis ipsum puerum cum Theobaldo viro suo ad locum fratris Laurentii, & vie suus detulit ipsum puerum ad sepulturam ipsius fratris, sicut vir suus ei retulit, ejusque fratris suffragio humiliter implorato, puer per Dei gratiam ab illo ulcere liberatus est. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii. Interrogata de præsentibus dixit, quod ipsa, & vie suus.

Laurentius pistor juravit, & interrogatus dixit, quod cum Gualterius filius ejus in ore suo cancrum haberet, qui intantum os ejus corroserat, quod jam amiserat duos dentes, & omnes alios dentes videbatur ex hac infirmitate amissurus, & cum nullo medicorum remedio posset adjuvari, ductus est ad fratrem Laurentium per ipsum testem, & uxorem suam Benedictam, factoque signo Crucis super puerum ab ipso fratre cum Cruce, quam habebat in crypta idem frater, oravit pro puero Dominum, & dictus puer a dicto cancro liberatus est. Interrogatus de tempore dixit, quod bene sunt octo anni: de præsentibus dixit, quod ipse testis, & Benedicta uxor sua.

Benedicta uxor Laurentii juravit, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis haberet filium nomine Gualterium, cujus pueri cancer os adeo corroserat, quod tres dentes ex ore patientis cum aliis ossibus ceciderant, hunc filium mater in cistam misit, & cum viro suo ad fratrem Laurentium deportavit; quem dictus frater cum Cruce, quam habebat in crypta sua, signavit, sicut eidem testi retulit vie suus, & sic per Dei gratiam dictus puer sanatus est ex illa hora, Interrogata de tempore dixit, quod non recordatur. Interrogata quanto tempore passus est infirmitatem dictus filius suus, dixit, quod bene per annum.

Nicolaus Pectinarius juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis vehementem dolorem capitis pateretur, ita quod propter hoc sæpius caderet in terram, accessit ad fratrem Laurentium, quem rogavit, ut imponeret sibi manum, & pro infirmitate sua, quam idem testis eidem seriatim exposuerat, ipse frater Dominum precaretur. Qui frater imposita manu super eodem infirmo, signaculum Crucis edidit super eum, mandans eidem, ut in festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis annuatim pasceret tres pauperes, & tria luminaria portaret omni anno ad Ecclesiam Dominæ ejusdem; quod teste dicto fratri promittente, per misericordiam Dei continuo est sanatus. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod Anibaldus audivit, quod ipse testis exposuit infirmitatem suam dicto fratri, & vidit idem Anibaldus, quando frater Laurentius signavit ipsum testem signaculo S. Crucis, & mandavit, quod pauperes pasceret, & luminaria ad Ecclesiam deportaret. Addidit etiam ipse testis quod frater Laurentius præcepit eodem die Joanni filio ipsius testis, qui cum eo iverat, quod si Pater suus præmoreretur, ipse faceret, quod Pater promisit. Interrogatus de tempore dixit, sunt tres anni, & plus; de Papa non recordatur.

Anibaldus juravit, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis accederet cum Nicolao Pectinario, & Joanne filio ejusdem Nicolai ad fratrem Laurentium, idem Nicolaus exposuit eidem fratri infirmitatem capitis, quam habebat; quo audito a dicto fratre, imposita manu ipsi Nicolao, & super eodem edito Crucis Signaculo, dictus infirmus, sicut postea retulit ipsi testi, continuo extitit liberatus ab infirmitate, qua tenebatur. Interrogatus de tempore dixit, quod non recordatur.

Joannes filius Nicolai Pectinarii juravit, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis cum Nicolao Patre suo, & Anibaldo accederet ad fratrem Laurentium, qui Pater vehementem dolorem capitis patiebatur, ita quod aliquando, sicut idem testis vidit, cecidit ad terram, id exposuit fratri Laurentio; & idem frater, sicut Pater ipsius testis eidem retulit, fecit signum Crucis super ipsum patientem, mandans ei, ut annuatim pasceret tres pauperes in festo Purificationis ad honorem Virginis, & tria luminaria ad ejus Ecclesiam deportaret; quo mandato recepto, Pater testis sanus factus est, sicut retulit ipsi filio, cui filio frater Laurentius præcepit, quod si Nicolaus Pater ejus præmoreretur, ipse testis annuatim pasceret tres pauperes, & portaret tria luminaria, sicut Pater ejus promiserat. Interrogatus de tempore dixit, quod non recordatur; de Papa dixit, quod erat PP. Gregorius.

Eodem mense die 26. Leonardus rumpens petras juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum mulier quædam de Podio de Mortario, cujus nomen ignorat, cum Patre suo, & Filia sua Maria ducentibus eam hospitaretur in domo ipsius testis, prædicta mulier, cujus nomen ignorabat, erat lumine oculorum orbata, adeo quod nec domum ipsius testis videbat, nec etiam ficus sibi ostensas, imo nec rivum quemdam, qui ante domum ipsius testis transit, licet ibidem lapides sint positi, ubi pedes possint ponere transeuntes, ne se infundant: dicta proinde mulier lapides illos non videns, pedes transeundo in aquam immisit: sequenti vero die eadem mulier cæca cum Patre ad sepulcrum fratris Laurentii accessit, &, sicut eadem mulier postea eidem testi narravit, cum fuit ante sepulcrum prædicti fratris, vidit lampadem ardentem super idem sepulcrum; & invocato ibi nomine Trinitatis, & meritis fratris Laurentii,

secundum relationem prædictæ mulieris, & Patris, eadem mulier, quæ sine ductore ire non potuit, nullo se ducente per Dei gratiam est reversa; & cum transiret per rivum superius nominatum, qui est ante domum ejusdem testis, ponens pedes supra lapides sine infusione pedum transivit, ipso teste vidente, & addidit ipse testis, quod cum eadem mulier ipsius testis domum intrasset, dictam filiam, quam ibidem dimiserat, osculata est dicens: Benedictus Deus, quia video te, Filia, & dixit ipsi testi, Pulchram domum fecisti, Dominus permittat te ea uti. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii, & de mense non recordatur. Interrogatus, qui erant præsentes in domo ipsius testis, quando mulier cæca prædicta ivit, & reversa est videns, dixit, quod ipse testis, uxor sua, & filia, & Maria vicina sua.

Eodem mense die 27. Maria uxor Leonardi suprascripti juravit, & interrogata dixit, quod cum mulier quædam de Podio de Mortario, cujus nomen ignorat, cum Patre suo, & Filia Maria nomine ducentibus eamdem mulierem, quæ erat lumine oculorum orbata, hospitaretur in domo ipsius testis, & Leonardi viri sui, & prædicta mulier adeo esset cæca, quod nec domum ipsius testis videbat, nec etiam ficus sibi porrectas ab ea, imo nec rivum, qui ante domum ipsius testis transit, licet ibidem lapides sint positi, ubi pedes possint ponere transeuntes, ne se infundant in aqua, dicta mulier cæca lapides illos non videns, transeundo pedes in aquam immisit; licet ab eadem teste prædictum fuisset eidem, quod aquam transibat inde. Sequenti vero die dimissa in domo ipsius testis prædicta Maria filia sua febricitante, cæpit eadem cæca, Patre eam ducente, ire ad Sepulcrum fratris Laurentii, & sicut eadem mulier postea eidem testi retulit, statim cum fuit ante sepulcrum prædicti fratris, vidit lampadem ardentem supra idem sepulcrum, & invocato ibi nomine Trinitatis, & meritis fratris Laurentii, secundum relationem prædictæ mulieris, eadem mulier, quæ prius sine ductore ire non potuit, nullo se ducente, per Dei gratiam est reversa, & cum in reditu transiret per rivum superius nominatum, ponens pedes super lapides, ipsa teste vidente, sine pedum infusione transivit, nullo eam ducente; & cum intrasset domum ipsius testis dictam filiam, quam ibidem febricitantem dimiserat, osculata est dicens. Gratias ago Deo, o filia, quia video faciem tuam, & dixit viro ipsius testis: Pulcram domum fecisti, & bonas video ibi trabes; Dominus te faciat ea uti: & dixit etiam ipsa testis, quod cum sequenti mane recederent, pater illius, quæ cæca fuerat, dixit ei: Vis, quod ducam te? respondit ei, non; ego enim per Dei gratiam per me ipsam veniam, & eadem teste vidente cæpit sine ductore redire. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii. Interrogata qui erant presentes, quando mulier cæca ivit, & reversa est videns, dixit, quod ipsa testis, Leonardus vir suus, & Maria vicina sua.

Maria vicina supradicti Leonardi juravit, & interrogata dixit, quod cum mulier quædam, cujus nomen ignorat, de Podio de Mortario cum Patre suo, & Mara filia sua ipsam ducentibus, lumine oculorum orbata duceretur ad sepulcrum fratris Laurentii, hospitata est in domo Leonardi convicini ejusdem testis; quæ mulier adeo erat cæca, quod cum rivum transiret, qui currit ante domum dicti Leonardi, supra quem sunt lapides positi, ut homines commodius transeant, pedem in rivo posuit, & infundit, non videns lapides; & cum uxor dicti Leonardi porrigeret sibi ficus, non vidit; & cum reverteretur postea dicta mulier, quæ cæca fuerat cum Patre suo, sequenti mane vidit eadem mulierem transeuntem super lapides dicti rivi, nec se infudit, & audivit eamdem mulierem dicentem, quod per Dei gratiam, & merita fratris Laurentii ipsa, quæ prius cæca fuerat, videbat. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii, & hoc scivit prædictus Leonardus & uxor sua.

Eodem mense die 27. Corradus de Podio de Mortario juravit, & interrogatus super miraculis fratris Laurentii dixit, quod cum haberet ipse testis filiam nomine Bonam, quæ oculorum lumine erat orbata, rogatus ab eadem duxit eam ad sepulcrum fratris Laurentii, & facta ibidem oratione, per Dei gratiam, & merita fratris Laurenti, sicut ipse testis firmiter credit, prædicta filia sua Bona visum recepit, adeo quod quæ sine ductore venire non potuit, per se ipsam sine humano adjutore ad propria est reversa. Qui Pater ram per nuntios suos, quam per se ipsum etiam eamdem postea requisivit, & per Dei gratiam invenit eam ita videntem, quod operatur necessaria sua, & vadit etiam sine ductore per Castrum Curcuruli, ubi habitat. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii. Interrogatus qui scivit ipsam Bonam fuisse cæcam, & postea in reditu a sepulcro fratris Laurentii vidisse, dixit, quod idem testis, & Maria filia ejusdem Bonæ, & Leonardus de Sublaco, & uxor sua, in quorum domo in eundo, & redeundo hospitati fuerunt, & Maria convicina eorum, & plures alii.

Joannes Oddonis de Pontia juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse testis fere per septem menses rupturam pateretur in intestinis, adeo quod tumefactionem ad modum pilæ supra pectinalem habebat juxta inguen, nec sine difficultate poterat operari, accessit ad sepulcrum fratris Laurentii devote Divinam exorans clementiam, ut per merita dicti fratris ab infirmitate sua ipsum dignaretur misericorditer liberare; & facta oratione, incontinenti per Dei gratiam cæpit meliorari; & infra paucos dies plene restitus est sanitati. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit hoc anno post mortem fratris Laurentii de mense Septembris. Interrogatus qui scirent prædicta, dixit, quod nullus; adeo autem dixit quod tenebat secretum, quod nec etiam revelavit uxori.

Eodem mense die 27. Maria de Comestabulo juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis haberet scrufulam in palpebra oculi dexteri, accessit cum Joanne, & Barnaba filiis suis ad locum fratris Laurentii, rogans eumdem fratrem per fratrem Bartholum familiarem suum, ut pro salute infirmitatis suæ prædictæ Dominum precaretur; qui misit sibi per dictum fratrem Bartholum de aqua, in qua dictus frater Laurentius oculos suos laverat, in scutella, in qua solitus fuerat comedere, secundum relationem ipsius fratris Bartholi; postquam ipsa testis lavit de aqua oculos suos, facto super oculo infirmo per fratrem Bartholum signo S. Crucis, infra paucos dies per Dei gratiam, & merita fratris Laurentii, sicut ipsa firmiter credit, plenam infirmitatis suæ prædictæ adepta est sanitatem. Interrogata de tempore dixit, quod non recordatur, nec de Papa. Interrogata quis fuerit præsens, dixit, quod ipsa testis, & frater Bartholus.

Barnabas filius dictæ Mariæ juravit, & interrogatus dixit, quod cum iret cum prædicta Matre sua, & Joanne fratre ipsius testis ad locum fratris Laurentii, pro eo quod dicta Mater sua habebat scrufulam in palpebra oculi sui, ipse testis, & frater rogaverunt ipsum fratrem Laurentium, ut pro salute dictæ infirmitatis Matris ipsius testis Dominum precaretur, qui dixit eis: Ego mandabo fratri Bartholo, ut ipse oret super eam; quod cum fecisset frater Bartholus, ipso teste vidente, per Dei gratiam infra paucos dies dicta Mater ipsius testis plenam infirmitatis prædictæ obtinuit sanitatem. Interrogatus de tempore, & Papa dixit, quod non recordatur. Interrogatus de præsentibus, dixit, quod ipse testis, & frater Bartholus.

Joannes de Comestabulo filius suprascriptæ Mariæ juravit, & interrogatus dixit, quod cum iret cum Matre sua Maria, quæ habebat scrufulam in palpebra oculi sui dexteri, & cum Barnaba fratre ipsius testis ad fratrem Laurentium, rogaverunt eumdem fratrem, ut pro dicta infirmitate Matris suæ Dominum precaretur: qui frater misit ad dictam mulierem featrem Bartholum cum aqua, in qua laverat oculos suos, ut frater Bartholus dicebat; & facta oratione per ipsum fratrem Bartholum, & Matre ipsius testis lavante oculos suos de aqua prædicta, per Dei gratiam infra paucos dies dicta Mater sua plenam ab infirmitate prædicta obtinuit sanitatem. Interrogatus de tempore dixit, quod non recordatur. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis, Barnabas frater suus, & frater Bartholomæus.

Eodem mense die 27. Petrus de Aside juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Jacobus gener suus gravem infirmitatem pateretur, adeo quod frequenter cadebat in terram, & attonitus mugiebat, ut bos, secundum relationem Melioris filiæ suæ uxoris dicti Nicolai, idem testis cum prædicto genero suo ad Fratrem Laurentium accessit, rogans eum, ut pro dicta infirmitate generi sui Dominum exoraret: qui frater, facta oratione, mandavit ipsi Nicolao, ut annuatim in festo Purificationis tres pauperes pasceret, & tria luminaria candelarum ad ejusdem Virginis Ecclesiam deportaret; quod cum ipse Nicolaus patiens facere promisisset, ab infirmitate prædicta protinus est sanatus, prout idem asserit Nicolaus. Interrogatus de tempore dixit, quod

bene

bene sunt duodecim anni.' Interrogatus qui erant præsentes, dixit, quod ipse testis, & Nicolaus gener suus.

Nicolaus de Aside gener prædicti Petri juravit, & interrogatus dixit, quod cum ipse timore perterritus ad visum duorum mortuorum de Aside, quos in vita cognoverat, gravem infirmitatem incurrisset, adeo quod frequenter in terram caderet, & attonitus jaceret, ita quod ut bos mugiebat, secundum relationem Melioris uxoris suæ, cum ipse non audiret mugitum; accessit cum dicto Petro socero suo ad fratrem Laurentium, rogans eumdem, ut pro salute suæ infirmitatis Dominum precaretur: qui frater facta oratione mandavit eidem testi, ut in festo Purificationis B. Mariæ annuatim tres pasceret pauperes, & tria luminaria candelarum ad ejusdem Dominæ Ecclesiam deportaret; quod cum idem testis dicto fratri facere promisisset, ab infirmitate prædicta per Dei gratiam protinus est dimissm. Interrogatus de tempore dixit, quod bene sunt duodecim anni. Interrogatus de præsentibus dixit, quod ipse testis,, & Nicolaus socer suus.

Eodem mense die 27. Julianus de Pontja juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum ipse insanus, & furiosus adeo esset, ut vix posset ab aliquo retineri; tandem a suis consanguineis funibus ligatus ad fratrem Laurentium ductus est; qui cum super ipsum devote Dominum exoraret, ab ipso furore, & insania in domum propriam reversus est liberatus. Interrogatus de tempore dixit, quod non recordatur. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod Joannes de Cicerone, & Joannes de Dono, qui nunc mortuus est.

Nicolaus igitur de Pontia juravit, & interrogatus dixit, quia vidit dictum Julianum furentem, & funibus ligatum; quem avunculus ipsim furiosi nomine Joannes de Dono duxit, ut firmiter credit, ad fratrem Laurentium, & in reversione ipsius vidit dictum Julianum ab ipso furore liberatum. Interrogatus de tempore dixit, quod sunt decem anni, & erat P. P. D. Gregorius.

Joannes Franci juravit super miraculis fratris Laurensii, & interrogatus dixit, quod cum esset paralyticus, ductm est per fratrem suum Bartholum ad fratrem Laurentium; qui præcepit ei, ut annuatim in festo Purificationis S. Mariæ pasceret septem pauperes; quod cum idem testis facere promisisset, a dicta infirmitate liberatus est; sed quia id, quod promiserat, facere non curavit; iterum ab ipsa infirmitate vexatus est; sed postea pœnitentia ductm jussa tanti Patris efficaciter implevit, & postmodum ex integro restitutus est pristinæ sanitati. Interrogatus de tempore dixit, quod jam sunt septem anni. Interrogatus qui erant præsentes, dixit, quod ipse testis, & Bartholus frater ejus.

Stephanus de Rocto juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum haberet quoddam ulcus in facie, tendens ab auricula usque ad os, propter quod magis appetebat mori, quam vivere, accessit ad fratrem Laurentium; & facto ab eodem fratre cum lingua propria super ipso ulcere signo Crucis, idem testis a dicto ulcere extitit liberatus. Interrogatus de tempore dixit, quod bene sunt quindecim anni.

Bonushomo Beraldi de Pontia juravit super Miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Beraldus Pater ipsius testis jaceret in domo propria paralyticus, & multa medicamina adhibuisset, quæ non profuerant eidem, accessit ipse testis ad fratrem Laurentium, cui fratri narravit seriatim infirmitatem Patris sui, rogans eumdem, ut pro salute dictæ infirmitatis Patris sui Dominum precaretur, & ipse frater dixit eidem testi, ut annuatim in festo Purificationis B. Mariæ tres pasceret pauperes, & ad honorem ejusdem tria luminaria candelarum ad ejusdem Ecclesiam deportaret; quod cum ipse testis facere promisisset, pater ipsius, qui patiebatur infirmitatem prædictam, ab ipsa infirmitate per Dei gratiam, & merita fratris Laurentii, ut firmiter credit, plene extitit liberatus. Interrogatus de tempore dixit, quod sunt tres anni. Interrogatus de præsentibus dixit, quod ipse testis, Joannes de pp. de Pontia, & frater Amatus.

Eodem mense die 27. Oliverius Magistri Benincasa de Pileo juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Gemma de Pileo germana ipsius testis quadam nocte, sicut illa postea retulit eidem testi, obviasset cuidam Clerico consanguineo suo, qui mortuus fuerat, adeo est timore vehementi perterrita, quod in infirmitatem eodem incidit vehementem; torquebatur enim manibus, oculis, & ore, furiosa apparens, voces varias clamans sæpius emittebat, aliquando latrabat sicut canis, balabat sicut capra, & hœdus, aliquando crocitabat tanquam cornix, seu cornicula, seu corvus, aliasque miserabiles voces eadem misera emittebat: tandem idem testis cum viro Gemmæ patientis super quodam jumento imponens eamdem, ad locum fratris Laurentii deduxit, deposita ad terram de jumento mulier supra nominata ante locum, ubi frater Laurentius jacebat, cæpit eadem clamare fortiter contra illos, qui duxerant eamdem: Ad Laurentiunculum, inquit, me duxistis, Laurentiunculus me ejiciet? non me ejiciet? inquit, non me ejiciet; & allidebat caput ad parietem domus, juxta quam jacebat, contorquebat manus, & pedes, & alia multa mala, & turpia in suo corpore exercebat, ita quod ab hominibus stantibus inibi mulier sic vexata dæmoniaca censeretur. Prædictus itaque testis, & vir ejusdem mulieris ad lacrymas moti super miseriam ejusdem miseræ mulieris, intraverunt cryptam, & ad fratrem Laurentium dolentes exposuerunt ea, quæ acciderant Gemmæ supra nominatæ, rogantes ipsum, ut pro infirma Dominum præcaretur; quibus frater Laurentim inquit: Non meis meritis, cum sim homo peccator, sed misericordia Jesu Christi obtinere poteritis postulata; confidite, idem inquit, de Domini pietate; & Nicolaus vir Gemmæ nominatæ ad honorem B. Virginis in Purificationis ejusdem festo annuatim duodecim pascat pauperes, & sex candelas portet ad Ecclesiam ejusdem; & de totidem pauperibus, & candelis pro salute obtinenda Gemmæ sororis ejusdem testis eidem eadem mandata mandavit; quibus promittentibus, scilicet ipso teste, & viro mulieris, facere mandata fratris Laurentii tam libere, quam libenter, per misericordiam Dei, & precibus fratris Laurentii Gemma prædicta ab infirmitate sua, qua tenebatur, & Dæmone, qui vexaverat eam, sicut credit ipse testis, est dimissa, & pristinæ est reddita sanitati. Interrogatus de tempore dixit, quod bena sunt septem anni: de Papa dixit, quod erat D. Gregorius. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis, Nicolaus Miccinus vir dictæ Gemmæ, & Magister Admulfus dictm Niblus.

Eodem mense die ultima Gamma Magistri Brancatii juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum quadam nocte sibi obviasset, ut sibi videbatur quidam consanguineus suus, qui occisus fuerat, nomine Lofridus, tanto timore fuit perterrita, quod gravem propter hoc incurrerit infirmitatem, adeo quod caput, & cetera membra corporis agitabat, & graviter etiam torquebatur a spiritu immundo. Tandem cum ab Oliberio fratre suo, & Nicolao Mario ad locum fratris Laurentii deportata super jumento fuisset, cum deveniret ad locum, gravius fuit a spiritu immundo vexata, adeo etiam ut injuriosa verba contra eumdem fratrem proferret, dicem: Laurentiuncule, Laurentiuncule, & caput allideret ad parietem domus, dicens illis, qui eam apportaverant: Ubi, & ad quid me duxistis? Tandem cum maritus, & frater ejusdem patientis, secundum quod sibi retulerunt, intrassent ad fratrem Laurentium, & rogarent eum, ut pro salute ipsius Dominum precaretur, idem frater eisdem præcepit, ut in festo Purificationis B. Virginis duodecim pauperes, dum viverent, & valerent, quilibet eorum pasceret, & sex luminaria candelarum ad ejusdem Dominæ Ecclesiam deportaret; quod cum facere promisissent, per misericordiam Dei, & merita fratris Laurentii, ut ipsa credit ab infirmitate, qua tenebatur, extitit liberata. Interrogata de tempore dixit, quod sunt septem anni, ut credit,

Nicolaus dictus Miccinus juravit, & interrogatus dixit, quod ipse testis, & Oliberius Germanus Gemmæ uxoris suæ duxerunt ipsam Gemmam super quodam jumento ad locum fratris Laurentii; eo quod, cum obvius fuisset ipsi Gemmæ secundum relationem ipsius quidam consanguineus suus de nocte, qui occisus fuerat, propter hoc eadem Gemma gravem infirmitatem incurrerat, adeo quod caput, & cetera membra agitaret, & graviter torqueretur, in tantum quod ab ipso teste, & pluribus aliis Dæmoniaca putaretur; nam ibidem constituta injuriosa verba contra eumdem fratrem protulit dicens: Laurentiuncule, Laurentiuncule, allidem caput suum parieti, dicens his, qui eam duxerant: Ubi, & ad quid me duxistis? Itaque rogaverunt dictum fratrem Laurentium, ut pro salute ipsius Gemmæ Dominum precaretur: qui frater mandavit eidem testi, & Oliberio prædicto, ut annuatim quilibet eorum ad honorem B. Virginis in ejus Purificatione duodecim pasceret pauperes, & sex luminaria candelarum ad ejusdem Ecclesiam deportaret; quod

cum facere promisissent, facta oratione per dictum fratrem, misericordia Dei, & meritis fratris Laurentii, sicut ipse firmiter credit, prædicta Gemma ab infirmitate prædicta extitit liberata. Interrogatus de tempore dixit, quod bene sunt septem anni; de Papa dixit, quod erat D. Gregorius.

Dompnus Giego Diaconus, & Monachus Sublacensis juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum *frater Laurentius, qui propter homicidium, quod commiserat, B. Jacobi Apostoli liminibus visitatis, devenisset ad S. Angelum de post Lacum, & ibidem moram aliquanto tempore fecisset, sicut idem frater retulit ipsi testi, tandem volens vitam ducere arctiorem, Monasterium petiit Sublacense; ubi receptus a fratribus, post biduum ascendit cum ipso teste, & Domno Oddone de Incalga ad montem Morræ Bottis, ubi locum eligens arctissimum, specum quandam strictissimam intravit, in qua vix jacere poterat, nisi ipso fratre cum eodem teste cum macga ferrea operante, eamdem complanasset: positus in ipso loco horribili quemdam circulum ferreum, qui carnes jam fregerat, in ventre portabat; quem circulum ipse testis cum pluribus aliis bene videbat; nam veste depilata, & fracta, non poterat tegere circulum, quem frater occultum esse credebat: in manibus etiam, pedibus, & collo circulos ferreos gestabat, habens idem frater nihilominus, sicut credit testis ipse, tres catenas ferreas; una quarum a carnibus pro bracili utebatur; alteram vero habebat in coxis; tertia vero illa, quæ erat pro bracili, illi, quæ erat in coxa, jungebatur. Induebat a carnibus idem frater retiaculum funibus contextum, super quo loricam habebat ferream, quam, sicut dicebant, misit eidem fratri Dominus Adinulfus de Mathia; in capite vero habebat coronam ferram crossam, desuper duabus virgis ferreis in modum Crucis contextam, a qua duo uncini ab utraque parte aurium dependebant, quibus adnectebatur lorica, qua idem frater induebatur; a parte vero anteriori eadem corona nasile habebat, sicut galea, quam milites in capite gestant: cibus ejusdem fratris erat tantum panis, & aqua, omni tempore jejunans reficiebat se in sero stellis jam exortis. Siquando idem frater sibi vellet pro aliquo festo pitantiam facere, in aquam calidam sal, & de semine fanuculi mittebat, sic agens diem festi; & hanc vitam durissimam fere usque ad decem & octo annos continuavit ipse frater, sicut credit ipse testis: postmodum autem molestia stomachi fractus, & toto corpore languidus, utpote qui sine adjutore se in aliquam partem jam movere non poterat, de gravi duritia aliquid relaxavit.* Dixit etiam ipse testis, quod idem frater caput adeo obsessum habuit, & plenum pediculis, quod mirum erat; cujus caput in cute infinita foramina demonstrabat, capillis rasis, & remotis ab eodem. Dixit etiam ipse testis, quod duo fontes, quorum unus est ab una parte Ecclesiæ, alter ab altera juxta specum Morræ Bottis, post adventum ejusdem fratris orti fuerint miraculose. Addidit etiam, quod ipse frater charitate fervebat, pollebat hospitalitate, & aliis operibus pietatis, *qui fere usque ad trigintaquinque annos, sicut credit ipse testis, in nobili sua specu reclusus vitam gloriose finivit.*

Dominus Herricus monachus, & rector Sublacensis juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod ipse testis *vidit fratrem Laurentium morantem in specu Morræ Bottis, qui habebat circulum in capite ferreum habentem desuper duas virgas ferreas in modum Crucis connexas; ab anteriori parte habebat nasile idem circulus usque ad medietatem nasi descendens: a posteriori vero virga ferrea procedebat ita, quod nec ante, nec retro bene posset flectere caput; vidit etiam ipse testis eumdem fratrem habentem circulos in brachiis, & tibiis, & in gula: audivit tamen a pluribus, & credit, quod habebat circulos circa genua, & in ventre, & quod deferebat rete de funibus, & loricam.* Addidit etiam ipse testis, quod duo fontes, inter quos sita est Ecclesia B. Mariæ, post adventum fratris ipsius ad locum Morræ Bottis miraculose ibi orti fuerunt.

Mense Martii die tertia Maria Ferraria juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogata dixit, quod cum ipsa testis scrufulam haberet in manu ad modum ovi, accessit ad locum, ubi jacet corpus fratris Laurentii, & frater Amatus, accepto circulo, quem frater Laurentius, sicut dicebat, in collo portaverat, & facto Signo Crucis cum oratione Dominica super scrufula ejusdem mulieris, manus ipsius mulieris cœpit tremere fortiter; & Divina misericordia faciente, & meritis fratris Laurentii, sicut ipsa bene credit, & scrufula ipsa omnino destructa fuit, & manus ejusdem mulieris est reddita sanitati. Interrogata de tempore dixit, quod fuit hoc anno penultima die mensis Februarii. Interrogata qui fuerint præsentes, dixit, quod Pater ejus, & Maritus.

Joannes Ferrarius juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum Maria filia sua haberet scrufulam crossam in manu, accessit idem testis cum eadem ad locum fratris Laurentii, ubi frater Amatus, accepto circulo, qui fuerat fratris Laurentii, sicut dicebat frater Amatus, fecit Crucem super manum patientis, & sic per misericordiam Dei, & merita fratris Laurentii, sicut credit ipse testis, destructa scrufula, manus Mariæ filiæ suæ est reddita sanitati. Interrogatus qui fuerint præsentes, dixit, quod ipse testis, Maria filia sua, & Fledericus vir Mariæ, & frater Amatus. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit die Sabbati proximo præterito mensis Februarii præsentis anni, & dixit, quod erat PP. D. Innocentius IV.

Fledericus Maritus dictæ Mariæ juravit, & interrogatus dixit, quod cum Maria uxor sua scrufulam crossam in manu haberet, ipse testis accessit cum eadem ad locum fratris Laurentii, ubi frater Amatus discipulus ejusdem fratris, accepto circulo, qui fuerat fratris Laurentii, sicut ipse dicebat, signavit manum infirmam Mariæ uxoris ipsius testis, quæ manus statim ac fuit tacta ab ipso circulo, cæpit tremere fortiter; & destructa scrufula, Dei gratia, & meritis fratris Laurentii, ut ipse testis credit, est reddita sanitati. Interrogatus de tempore dixit, quod fuit die Sabbati proximo præterito mensis Februarii præsentis anni, existentibus apud Sublacum Nuntiis Apostolicis, Domino Episcopo Alatrino, & Priore S. Bartholi de Trisulto pro dicti fratris miraculis inquirendis. Interrogatus de Papa, dixit, quod ille erat, qui nunc est. Interrogatus de præsentibus dixit, quod ipse testis, Maria uxor sua, Pater ipsius Mariæ, & frater Amatus.

Gregorius Ricii juravit super miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, quod cum esset quadam nocte in specu fratris Laurentii coram ipso, & gravatus somno dormiret, excitavit eum dictus frater Laurentius dicens: Gregori surge, & vade ad Ecclesiam, & roga Deum, & Beatam Virginem, ut dignetur parcere cuidam miseræ mulieri, quæ filium suum scienter opprimit in hac hora: qui testis de mandato ipsius fratris incontinenti intravit Ecclesiam, & rogavit Deum prout scivit; reversus tandem ad dictum fratrem, dixit ei dictus idem frater: Gregori non dubites super facto, quod tibi dixi, quia cras ante quam recedas hinc, audies certitudinem hujus facti; facto autem mane, antequam ipse testis recederet, venit quidam Tallaferrus nomine Pater fratris Amati servientis fratris Laurentii, & nuntiavit ita evenisse in Castro suo nomine Canturano, sicut frater Laurentius prædixerat, nomen nihilominus exprimens Mulieris, quæ filium suum scienter oppresserat nocte, & hora illa. Interrogatus de Papa, & tempore dixit, se non recordari.

Eodem mense die septima D. Joannes Presbyter, & Monachus Sublacensis juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, *quod frater Laurentius fuit de quodam Castro Apuliæ, quod Faciolum vocatur, & pro facienda pœnitentia visitavit limina B. Jacobi Apostoli, & inde rediens locum eremiticum petiit, qui vocatur S. Angelus de post lacum, & ibi per aliquot dies Deo serviens, ad arctiorem agendam pœnitentiam, sicut idem frater eidem testi narravit, ad Morram de Botte veniens, inibi devote per triginta duos annos, & amplius Domino deservivit:* qui frater operibus misericordiæ intendens, verbo, & exemplo pariter ad se venientes ædificabat: adeo enim intentus erat caritati, & elemosynæ, ut quæ fideles sibi causa devotionis donabant, tempore necessitatis pauperibus erogaret: *jejunabat fere omni tempore, pane, & aqua contentus, sicut idem testis credit, utpote quia eum sæpissime visitabat: vidit etiam ipsum ferentem circulum in capite, & in collo, & in tibiis, & in brachiis: audivit etiam ab eodem, quod in ventre, & credit, quod in coxis habebat circulos, & loricam super nuda nihilominus deferebat.* Item addidit idem testis, quod cum per decem & septem annos ipsa adeo vitio incontinentiæ laboraret, quod nec monitis Abbatis sui, nec minis etiam ab eodem vitio poterat revocari: tandem in se reversus prædictum fratrem humiliter deprecatus est, ut pro liberatione ipsius a tam pestifero morbo Divinam Clementiam exoraret; quod cum prædictus frater fecisset, ex tunc per Dei misericordiam, & ejusdem fratris merita, sicut credit, ab eodem vitio plene extitit liberatus, intantum ut cum quadam nocte in loco quadam solus existeret, mulier illa, cum qua peccare consueverat, importune se ingesserit, trahens eum

per

per pannos; qui invocato Divino auxilio, in memoria habens fratrem Laurentium sine labe peccati fugit, & evasit. Interrogatus de tempore dixit, qud bene sunt novem anni. Item addidit idem testis, quod cum esset Prior Monasterii Sublacensis, præ nimio dolore ventris rupturam supra pectinale passus est, quam duobus Monachis, scilicet Joanni de Rocca, & David ostendit: tandem ad fratrem Laurentium accedens eumdem rogavit, ut pro salute infirmitatis suæ Dominum precaretur; & facto ab eodem fratre tribus vicibus super ruptura Signo Crucis, ab eadem infirmitate convaluit. De tempore dixit, quod jam sunt tres anni. Adjecit etiam, quod cum magnum dolorem capitis pateretur, ita quod ab oculis præ nimio dolore aqua defflueret, quamdam insulam, quæ ejusdem fratris fuerat, quam idem testis penes se habebat, capiti suo imposuit, & sic per Dei gratiam plene extitit liberatus. De tempore non recordatur. Adjecit idem testis, quod ipse fratrem Laurentium docuit Alphabetum, & partem etiam Psalterii, qui frater Laurentius docente se magistra intentione, cum nesciret gramaticam, postmodum latino eloquio, licet simplici, orationes plures composuit, quas in scriptis redigi fecit.

Frater Benedictus Prior, & Sacerdos specus S. Benedicti juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, *quod frater Laurentius commorans in specu de Murra Bottis vitam strictam agebat; nam idem testis vidit eumdem fratrem habentem circulum ferreum in capite factum in modum Crucis, & alium in collo, alios in utroque brachia, alios in tibiis, alias etiam in coxis, & alios in armis: vidit etiam quo in altero armorum adeo circa circulum caro excreverat, quod carne fracta fanies effluebat; & idem testis ad petitionem dicti fratris, eumdem circulum removit ab armo, & in amovendo manus ipsius testis sanguinolenta fanie sunt infectæ; circulam vero, quem frater dictus ia ventre portabat, oculis non vidit, sed manibus propriis pannis mediantibus attrectavit; vidit etiam idem testis eumdem fratrem ferentem loricam ia dorso. Interrogatus quanto tempore fuit idem frater in specu, dixit quod per triginta annos & amplius*; nam tempore D. Innocentii Papæ III. existente in Monasterio Sublacensi Abbate Romano, venit idem frater ad locum illum.

Mense Martii die octava frater Amatus discipulus fratris Laurentii juravit super vita, & miraculis fratris ipsius, & interrogatus dixit, *quod cum ipse esset discipulus ejus, & fuisset cum eo viginti quatuor annis, & necessaria ministraret, vidit quod idem frater in vigilia Sanctorum, quatuor tempor. & tres dies ia hebdomada in pane crasso jejunabat, & aqua, & se reficiebat post alios fratres in sero; alios vero dies in cibo Quadragesimali jejunabat; sed de dicta asperitate postea relaxavit propter infirmitatem stomachi, & propris corporis debilitatem: vidit etiam idem testis circulum, quem frater Laurentius gerebat in capite, & vidit circulos, quos idem frater habebat, quatuor in manibus, & brachiis, quatuor in coxis, & tibiis, unam in collo, catenam ferram in ventre, & aliam circa lumbos pro bracili, & loricam ferream a carnibus, quam ipse discipulus septies lavit pro rubigine, quam eadem lorica trahebat ex sudore: addidit etiam idem testis, quod circulus, quem habebat in capite, ex posteriori parte unciaum habebat, cui adnectabatur lorica, quam frater gestabat: vidit etiam aliud ferrum idem testis, quod frater Laurentius candens fronti suæ impressit in die Parasceves, quod idem frater ad jussum fratris Laurentii vehementer calefecerat usque ad candorem.* Sed cum in tantum debilitaretur, quod non posset se sine adjutorio volvere, ad suggestionem ipsius testis deposuit tot pondera ferri, eo quod ipse testis eumdem tanto pondere oneratum solus revolvere non valebat. Item addidit quod erat caritate plenus, & pauperibus compatiens cum hilaritate maxima eisdem, quæ poterat, erogabat: ita quod aliquando purpuras sibi datas, & aliqua vestimenta Altaris cum apparatu Sacerdotis vendi jussit, & pretium eorumdem pauperibus erogari: etiam cultellos sæpe pauperibus erogari jussit. *Dixit etiam, quod ia Quadragesima majori, & tribus diebus ia septimana silentium, sicut poterat, tenebat; mulieres ad colloquium nullatenus admittebat.* Item dixit ipse testis, quod eo tempore, quo aqua Tiberis, & aliæ aquæ in urbe excreverunt, *inundatio aquarum in crypta, ubi frater Laurentius jacebat, intantum inundavit, quod dixit ipse discipulus ipsi fratri: De necessitate te oportet exire extra cryptam, quia jam non possum vincere ipsam aquam, licet multam ejecerim ex hac specu, & vires meæ defecerunt: cui dixit frater Laurentius: Frater votum vovi, quod nec ignis, nec aqua, seu alia tribulatio me separabit a crypta ista: faciat Deus de me velle suum; & statim exivit idem testis, & post paululum reversus invenit, quod aqua omnino cessaverat ex dicto loca, ita quod pavimentum ipsius loci siccum appareret.* Addidit etiam, quod paulo ante horam transitus fratris Laurentii cum esset secum in crypta idem testis, audivit dulcem sonum ad modum campanarum parvularum, quasi de pectore ipsius exeuntem, durantem per tantum spatium, quod posset decantari Pater noster quatuordecim vicibus; & sic post paululum die Dominico summo mane in crastinum post festum S. Assumptionis B. Mariæ migravit ad Dominum. Item dixit ipse testis, quod cum post mortem ipsius fratris gravem dolorem capitis pateretur, imposito panno capiti suo, qui fratris Laurentii fuerat, statim ab ipso dolore extitit liberatus. Item dixit, quod cum ipse testis adeo vehementem tinnitum aurium cum dolore pateretur, quod audire non posset, signavit aures suas signo Crucis cum pannis dicti fratris, & continuo sanatus est. Item adjecit idem testis, quod quædam mulier uxor Romani de Sublaco a Dæmonio vexata, viventem adhuc fratre Laurentio, venit ad locum ipsius fratris, quæ per misericordiam Dei, & merita fratris Laurentii, ut ipse credit, postea extitit liberata.

Mense Martii de octava frater Deudato Sacerdos, discipulus quondam fratris Laurentii juravit super vita, & miraculis fratris Laurentii, & interrogatus dixit, *quod cum ipse maneret secum sæpius ia crypta, ubi jacebat frater Laurentius, & jaceret ia ipsa cum eo, & ministraret eidem, vidit circulos quatuor, quos habebat ia manibus, & brachiis ipse frater Laurentius, & quatuor circulos, quos idem habebat in coxis, & tibiis, & catenam ferream, quam habebat circa lumbos, & unum circulum in colla, & loricam, quam idem testis vidit, quam idem testis sæpe refecit, revestivit, & expoliavit fratrem eumdem; vidit ia capite ipsius fratris signum, quod impressum erat ex circulo ferreo, & corona ferrea, quam ipse frater in capite portaverat, sicut credit ipse testis, quem circulum, & coronam idem testis sæpe in manibus tenuit: quæ corona ia modum Crucis facta desuper a parte posteriori uncinum habebat, cui lorica consueverat adnecti: vidit etiam ipse testis fratrem prædictum, licet infirmum, sæpe jejunantem vigilia B. Virginis, Apostolorum, & aliarum sacrarum vigil. & quatuor tempor. in pane, & aqua, & alio tempore in cibo quadragesimali. Sed cum idem frater infirmitate gravatus esset, adeo quod per undecim dies nullum sumeret cibum præter aquam gustaratum, de prædicta duritia postea aliquid relaxavit. Adjecit etiam idem testis, quod nulla mulier intrabat ad eum, & in tempore quadragesimali nullum extraneum ad colloquium admittebat: tenebat etiam idem frater silentium aliis temporibus certis horis, in quibus nec etiam suis familiaribus nisi maxima necessitate cogente loqui volebat.* Adjecit etiam idem testis, quod dictus frater caritate plenus, licet pauper, de his, quæ habebat, indigentibus erogabat: aliquando etiam idem frater jussit vendi quamdam purpuram sibi datam, & tubalias altaris, & pretium pauperibus erogari; qui etiam de eleemosynis sibi datis quamdam mulierem apud Sublacum fecit maritari. Adjecit etiam idem testis, quod quædam mulier uxor Romani de Sublaco vexata fuit a Dæmone, quam idem testis de mandato fratris Laurentii cum Cruce, quam habebat frater Laurentius, signavit; quæ per misericordiam Jesu Christi, & virtutem S. Crucis, & merita fratris Laurentii, sicut ipse credit, extitit liberata. Interrogatus quanto tempore fuit ipse testis cum prædicto fratre, dixit, quod per decem annos.

Et ego Jacobus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarius dicta suprascriptorum testium receptorum in præsentia D. J. Episcopi Alatrini, & fratris G. Prioris S. Bartholomæi de Trisulto, & mei Scriniarii, de ipsorum mandato in publicam formam redegi, & mei nominis signum feci.

e|u
o|s

Sumptum ex suo originali, quod scriptum in volumine membraneo extat in Archivo Castri S. Angeli: & per me infrascriptum diligenter collatum concordat. In quorum fidem &c. die 30. Octobris 1742.

N. Antonellus ejusdem Archivi Præfectus.

A P.

APPENDIX QUINTA.

EPISTOLA
B. JOANNIS TAUSIGNANI
ORDINIS JESUATORUM
EPISCOPI FERRARIÆ
CONSCRIPTA
DUCI ESTENSI,

De qua fupra habitus eft fermo *cap.* 40. *num.* 7.

LAUDATO SIA GESU' CRISTO

Illuftriffime Princeps poft humiles commendationes &c.

IMPEROCCHE' l' Accufatore de Fratelli, a feminatore della Zizania Satanas per le membra fue me pare fe fia ingegnato, Illuftriffimo Principe, in detrimento del bene della carità, & fcandalo noftro, & de quefta Chiefa di folvere tra la Signoria Voftra, & ma Servitore di quella el vinculo della Pace, fono coftretto almanco per lettere (dato che più volentieri, a più pienamente lo faria a bocca) fatisfare con affertione della verità, ad Effa Voftra Signoria rendendo me certo per la benigniffima voftra umanità, & innata bontade, che conofciuto avrete el vero della innocentia mia, & la malignitade di detrattori la Signoria Voftra na renderà ampliffimamente la gratia fua, & la fua gratiofa faccia rifererenà fopra di me.

Dicono *inter cætera*, che in pubblici & privati fermoni ho detratto alla fama della Signoria Voftra: Supplico a quella voglia confiderare le Perfone, che tali cofe reportano, & voglia avere piena informazione della veritade. Per certo non fe potrà mai dire col vero, ch'io in mie predicha parlaffe della S. V. fe non con honeftade, & reverentia, e con private perfone per lo fimile ma ingegno honorarne, e di fcufare, fe niente foffe allegato accufabile. Sallo Iddio, ch'io defidero alla S. V. alla Cafa d'Efte, ed alla voftra Cittade ogni efaltazione, & gloria, & perchè più non poffo, quello poco, che mi è poffibile faccio nelle mie inferme orazioni, *& maxime* nell'offitio della Meffa faccio fempre fpeciale, & iatenta oratione per falute, & falvatione de V. S. & della Cafa voftra, & di quefta Voftra Cittade.

Sono appreffo criminato alla S. V. de difoneftate carnale, & però che la negativa, cioè non effer vero, non fe potrà provare, fe non per l' opere, ed effetti contrarii, confidome nella Divina Mifericordia, nella quale folo mi rallegro, & glorio poter chiaramente moftrare non effer in me quelle nefande operationi, & benchè la vita mia fia infermofiffima, pur rendo gratie a Dio, che ha fatto con meco quefta mifericordia ch'io ho in orrore fopra tutta le cofe orribili el peccato mortale, & teftimonio mi è Iddio conofcitore de' miei fegreti, ch' io con ogni agilitade piuttofto m' alegeria ogn' altra miferia di quefta vita, che la miferia del peccato, & piuttofto vorria, che difcendeffe el foco dal Cielo, che me devoraffe, & che m' abbeuciaffa l' incendio della concupifcenza carnale. Sallo Iddio, ch' io non mento, dinanzi al quale io parlo, & dinanzi al cui tribunala io fo per lo fermo dover effer giudicato, che dopo molti pericoli, & tentazioni, non mi vergogno di confeffare la mia infermitade orando io a Dio ioftantemente, che piaceffe alla fua bontade liberarmi da quella ignominiofa paffione etiandio fa gli piaceva per morte corporale, obteni contro ogni mio merito, & impetrai già fono piu anni dalla larghezza della fua bontade, che più non fento ftimuli carnali, & fopita, & addormentata pare ogni concupifcentia, & tanto mi fa a vedere qualunque bellezza corporale, quanto che uno capo de Afino. Quefto fo, che è Divina guardia; ma quando effo retrarrà la mano, io farò non folamente huomo, ma beftia. Perdonimi la S. V. forza me fanno li miei detrattori dire, & produrre in luce l'opere mie, quali io defideravo nafcondere, & porre folo nel Divino cofpetto, a cui folo defidero piacere, & al quale fenza fimulatione io fervo, benchè infermante nello fpirito mio, ingegnandomi di fare degni frutti di penitentia, nella quale fono pochi giorni, ch'io per la vifitazione della Divina mifericordia non pianga in amaritudine d' anima i peccati miei: Faccio più quarefime l'anno: tre, o quattro volte la fettimana m' aftengo; dormo fempre veftiro in faccone di paglia: follicitamenta mi levo la notte all' oratione, & a dire el mio offitio, & ad orare per lo Popolo: due volte al giorno, fa per infirmitade di corpo non foffe impedito, caftigo col flagello el corpo mio, el più delle volte per infino alla effufione del Sangue, come potrebbono atteftare quelli, che lavano i panni, che porto a carne, a'l teftimonio porto con meco nelle proprie carni pefte, & piagare, che fpeffe volte fento affai pena in andare. Gratie ti rendo Signore mio, che quefta mifericordia con meco hai fatta non per opere di mia giuftitia, ma per la tua fchietta bontade, che fai, ch' io ho rinontiato a tutti i piaceri di quefto Seculo etiamdio a molti folazzi honefti per conformarme alla tua Paffione, & per quella molto più, mentre godo *fecundum interiorem hominem*, delle pene & affitioni, che de' piaceri, a folazzi mondoni. Tu fai, che andando per via, ftando a menfa, & qualunque operatione me faccia, me sforzo impirme di te, & fempre averta nella mia memoria, nè in quella permetto ftare cogitatione, nè reprefentatione, le quali io intenda abbi da offendere li occhi della tua Maeftade: Niuna cofa creata, ne onori, nè diletti, nè riccheзze defidero, fe non folo te, Creatore mio. Tu fai, che l' è tuo dono, & così è vero per la gratia tua, & di fubito lo perderò, fe tu nol guardi. Per lo tuo amore, poichè a quefto loco fui affunto indigniffimamenta me fono sforzato quanto è ftato poffibile alla mia pocchezza admonire, & riprendere, & corregere quefto Chiericato, & quefto Populo, & ognuno trarre alla via della falute, & mai non ho admonito niffuno de cofa, cha io non me fia ingegnato prima, & poffa obfervare in me. Non è in mia Confcientia, che a niuno mai faceffe calunnia,

nè